AD THEOLOGIAM CHRISTIANAM DOGMATICO-MORALEM APPARATUS...

Daniele Concina



XXIV

[illegible]

1751

AD

THEOLOGIAM CHRISTIANAM DOGMATICO-MORALEM APPARATUS

AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS SECUNDUS.

DE CONSCIENTIA, ET PROBABILISMO.



ROMAE, MDCCLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS

APUD SIMONEM OCCHI.



INDEX

Librorum, dissertationum, capitum, paragraphorum, & quæstionum quæ in hoc Tomo continentur.

APPARATUS

LIBER SECUNDUS.

DE CONSCIENTIA.

DISSERTATIO I.

Ad nova PROBABILISMI, & RIGORISMI commenta refellenda.

 §. I.

DISSERTATIO II.

De ignorantia Pelagiana, Ianseniana, & Probabilistica:

CAPUT IV.

De ignorantia probabilistica.

§. XI.

DISSERTATIO III.

De ignorantia expellenda, & veritate assequenda.

§. II.

LIBER TERTIUS.

DE PROBABILISMO.

DISSERTATIO I.

Historica.

DISSERTATIO III.

DE PROBABILISMO

Ab auctoritate summorum Pontificum, Congregationum Romæ, Episcoporum Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, & Comitiorum Cleri Gallicani convulso.

DISSERTATIO IV.

Adversus Probabilismum Theologorum omnium Ordinum auctoritate labefactatum.

CA-

CAPUT IX.

DISSERTATIO V.

in qua

Probabilismus damnatus ostenditur in potissimis Theologiæ moralis controversiis, seu in universis fere secundæ tabulæ mandatis. Heinc infertur demonstrationibus invictis absolute damnatum, aut damnandum esse.

DISSERTATIO VI.

De Probabilismo rationum momentis convulso.

CA-

§ III

§. III.

DISSERTATIO IX.

in qua

Nonnulla alia absurda Probabilismi, & sophismata convelluntur.

DIS-

DISSERTATIO X.

De licito usu sententiæ probabilioris minus tutæ: de extremis nimii rigoris, & nimiæ laxitatis vitandis; & de certitudine requisita ad formandum ultimum conscientiæ practicum dictamen.

CA-

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

Iudicium Patrum Revisorum generalium

De Libro inscripto, Fundamentum Theologiæ moralis,

idest Tractatus

F I N I S.

AD

PRAEFATIO.

I. IN hoc Tomo censum propositionum laxarum non texui, sicuti in singulis Theologiæ Christianæ Tomis decem præstiti, quod Probabilismus, qui, ut inquit Clerus Gallicanus, fons omnium malorum, & laxioris Ethices origo prima est, ex instituto refellatur. Unam dumtaxat in hac præfatione & alteram rescribam, ut initio lectori pateat, quæ sit Probabilismi indoles, & natura.

II. P. Antonius *de Escobar* sex volumina in folio de Theologia morali edidit, cuius hic est titulus: *Universæ Theologiæ Moralis receptiores absque lite sententiæ, nec non problematicæ Disquisitiones.* Porro *Volum. I. in Præloq. cap.* III. *pag.* 4. sequentia præmittit, tamquam principium universum, & fundamentum primum suæ Theologiæ.

III. „ Quam immerito aliqui mœrore afficiuntur, quod in „ re morali *tot diversæ sententiæ a Doctoribus* exponantur, cum „ potius *solatii* materies accrescat! Nam ex opinionum varie„ tate iugum Christi suavius deportatur. An non passim acci„ deret plerosque hominum rebelles se obiicere, si ad aliquod „ determinate gerendum, vel omittendum constringantur; „ *quemadmodum renituntur ex mandatis Decalogi implere id quod in* „ *illis decretum iam sit determinate, & absque varietate opinionum*, „ quid sub mortali oporteat agere? Ergo *benignissima* Dei *pro*„ *dentia* cautum est, unicam tantum viam moralium opera„ tionum non dari, sed plures patescere, iuxta Psalmistam: „ *Vias tuas, Domine, demonstra mihi*: ut quamcumque duarum „ primo diversarum inierint, recta tendant ad superos. Cer„ te non solum constringerentur omnes unicam tantum opi„ nionem in suis actionibus, sive omissionibus amplexari, sed „ & periculo manifesto (exponerentur.) Plures enim contra „ unicam sententiam, aut placitam sibi actionem non dimit„ terent, aut prohibitam sectarentur. Post certas igitur, seu „ communes assertiones, problematicas quæstiones expono. „ Ex duplici autem contradictoria sententia, meam explico „ mentem, aut unam ex duabus eligens, aut mediam proce„ dendi viam indicans. “

IV. Idem Escobar *ibi num.* 15. „ Plures Iurisperitorum non
„ audent in praxi opiniones Duareni, Cuiacii, Donelli, Ant.
„ Fabri, & aliorum opiniones sectari, easque theoricas so-
„ lum, & non practicas vocitant, tantumque ad Scholarum
„ ludum proficuas. *Decipiuntur plane*. Minime enim percipio
„ aliquam opinionem esse speculative probabilem, & in pra-
„ xi amplexari non posse; cum probabilitas practica ab spe-
„ culativa oriatur probabilitate, ab eaque solum differat tam-
„ quam effectus a sua causa. "

V. Idem *ibi cap.* IV. *pag.* 6. *num.* 25. „ Frequenter in proble-
„ matibus unius *Doctoris* mens sufficit mihi, ut opinionem pro-
„ babilem esse constituam, cuius causam expendo. Si res pro
„ qua est opinio, ab Auctoribus agitata non sit, nemini pot-
„ est esse dubium dictum unius gravis Auctoris, pii plane,
„ quem ratione firma video moveri, sufficere ad opinionem
„ probabilem tam sibi, quam aliis constituendam. Si autem
„ res controversa sit a paucis, potest vir doctus adversus il-
„ los sentire, si ratione firma in contrarium fulciatur. At si
„ a multis sit ex professo agitata, & omnes, perpensis ratio-
„ nibus, unum sentiant, *adhuc existimo* posse virum doctum
„ contrarium probabiliter opinari, si videat *aliquam rationem*
„ pro sua parte viriliter pugnare, ab aliis quidem insufficien-
„ ter solutam. "

VI. Idem *ibi num.* 29. „ Ad hæc monuerim, problematum ti-
„ tulos primo aspectu quamdam velut contradictionem obiice-
„ re. V. g. *Est*, & *non est*: *sufficit*, & *non sufficit*. *potest*, & *non*
„ *potest*. *excusat*, & *non excusat*. *infert*, & *non infert*. Huiusmodi
„ contradictionum speciem non facit mea sentiendi inconstan-
„ tia, sed Auctorum probabiliter opinantium diversitas. Unde
„ sic semper propositio illa quæ contradictionem importare
„ videtur, separanda tibi. *Est*, *sufficit*, *potest*, *excusat*, *infert* ex
„ aliquorum sententia. *Non est*, *non sufficit*, *non potest*, *non ex-*
„ *cusat*, *non infert* ex aliorum opinione. "

VII. Ut hanc suam Pyrrhonicam, & Scepticam Theologiam luculentius pro praxi confirmaret P. Antonius de Escobar, Summam Theologicam ex sex suis voluminibus in folio contraxit, *viginti quatuor Seniorum* auctoritate fultam. Duodecim pro *est*, pro *sufficit*, pro *potest*, pro *excusat* stant. Contra alii duodecim pro *non est*, pro *non sufficit*, pro *non potest*, pro *non excusat* pugnant.

Nisi

Nisi fallar ipse, doctrina hæc P. de Escobar recta cum Evangelio pugnare videtur. *Unus est*, inquit S. Matthæus cap. XXIII. *Magister vester*. Divinus Magister contradictoriarum opinionum auctor non est. Ergo antichristiana doctrina est illa quæ pro morum norma constituit contradictorias sententias: *est*, & *non est*. *potest*, & *non potest* &c. Sæpe veritatem, quam Christus docuit, assequi mens nostra non potest, excusatque nos a culpa ignorantia invincibilis, cum toto studio id quod propinquius eidem veritati accedere cognoscimus, amplectimur: quia tum ad unicam Christi veritatem, & doctrinam consequendam vota collineamus nostra: at qui principii loco constituit, æque ad cælum veritatem, atque errorem ducere, prima Evangelii fundamenta suffodit. Oppositæ viæ sunt. Ergo si una Ierusalem, altera Babylonem tendit. Arcta sola cælum aperit; opposita lata & spatiosa, Christo Domino teste, ad infernum detrudit.

VIII. At clamat P. de Escobar: *Renituntur ex mandatis Decalogi implere id quod in illis decretum non sit determinate & absque varietate opinionum*. Male ergo Deus *determinate* præscripsit quid agendum, quid fugiendum sit, opinionum varietate reiecta. Frustra S. Paulus *Rom.* XV. rogat. *Deus autem det vobis idipsum sapere*: & rursus ad *Philip.* IV. repetit: *Deprecor idipsum sapere in Domino*. Pluribus opus non est, ut palam fiat Probabilismum hunc Christi legem de medio tollere, ut imbecillitati meæ videtur, & latissimam, nedum latam, aperire viam, quæ ducit ad perditionem. Davidico testimonio abutitur P. de Escobar, ad laxam Probabilismi doctrinam amplificandam, & divinam Christi legem detorquere, & inflectere ad corruptas hominum appetitiones infelici studio contendit. Una fides, unum baptisma, una doctrina morum. Sibi contrarius non est divinus Magister, & Legislator Christus. Ex imbecillitate nostra opinionum contrarietas sive fidei, sive morum proficiscitur. Iugi oratione precari Deum debemus, ut veritatem, quæ una est, nobis manifestet. Manifestabit autem, nisi malitia nostra obsistat. In mundum factus homo ille venit, ut illuminaret omnes. Auxilia sufficientia, & ad opera perficienda, & ad veritatem agnoscendam conferri, nedum offerri omnibus, defendunt Probabilistæ, cum de gratia disputant. At cum morum principia interpretantur, sibi contrarii hæc auxilia communiter subtrahunt, & divini auxilii loco Probabilismum substituunt, spiritum orationis neces-

ſariæ ad impetrandum veritatis lumen vi talis ſyſtematis extinguere videntur, cum doceant ſat eſſe cuique ut in conflictu opinionum quiſque probabiliter opinetur.

IX. Reprehendit P. de Eſcobar plures Iuriſperitos, qui *non audent in praxi opiniones Duareni, Cujacii, Donelli, Fabri, & aliorum opiniones ſectari. Decipiuntur plane. Minime enim percipio aliquam opinionem eſſe ſpeculative probabilem, & in praxi amplexari non poſſe.* Egregie argumentatur, & hoc eſt neceſſarium Probabiliſmi conſectarium. At quia hinc plura proficiſcuntur abſurda, quæ Probabiliſmi horrorem patefaciunt, poſteriores Probabiliſtæ plagam hanc obtegere fuco diſtinctionis probabilitatis practicæ, & ſpeculativæ curarunt. Illam, ſecus iſtam, honeſtæ actionis normam contendunt, ut plurium damnatarum theſium falſitatem defendant. At merito eoſdem improbat P. de Eſcobar: quia, inquit, *probabilitas ſpeculativa probabilitatis practicæ regula eſt*, quando circumſtantiæ non mutantur.

X. Ultra pergit P. de Eſcobar, & ad conſtituendam opinionem probabilem *unum* ſufficere Doctorem Caſuiſtam contendit. Et quamvis in opinionum conflictu *omnes unum ſentiant, adhuc exiſtimo*, inquit, *poſſe virum doctum contrarium probabiliter opinari, ſi videat ALIQUAM rationem pro parte ſua viriliter pugnare*. Ut vero aliqua ratio *viriliter* pugnet, ſat eſt ut illa propoſita ſit ab aliquo Doctore Caſuiſta, quæque non ſit ſufficienter ſoluta. Et quia hæc doctrina proſcripta eſt in *prop.* 27. Alexandri VII. poſteriores Caſuiſtæ Probabiliſtæ de more additione unius *adiectivi*, aut *ſuperlativi*, appellando Doctorem hunc *doctiſſimum*, *graviſſimum* &c. a damnationis nota liberant præfatam doctrinam.

XI. Hæc pauca delibavi ex ſolo P. Eſcobar, quia hæc ſola, utpote capita prima, ſatis patefaciunt, quæ ſint Probabiliſmi conſectaria lugenda potius quam refellenda. Communiter Probabiliſtæ hanc P. Eſcobarii doctrinam adoptant, utpote a Probabiliſmo indivulſam, ſed diſtinctiuncularum involucro protegere, & obtegere illam ſtudent. Fuſe hocce in Tomo abſurda immania, & horrenda quæ hunc novum opinandi modum conſequuntur, expoſui, & labefactare ſtudui; idcirco a pluribus nunc ſuperſedeo.

XII. Tria nunc recordari lectori intereſt. Primum, quod alias centies inculcavi, numquam tamen ſatis, temporis calamitate ſpectata, me ſcilicet plurimas Caſuiſtarum opiniones quæ mihi laxæ viſæ ſunt, in univerſo hoc opere deteſtandas exhibuiſ-

ſe,

se, ut sibi ab eisdem lectores caverent. Ut vero, quoad fieri per me licuit, invidiam declinarem, non ex huius, aut illius, sed cuiuscumque Ordinis Auctoribus, & præsertim illis, qui omnium manibus teruntur, easdem decerpsi, numquam Ordinis, quem professi præfati Auctores sunt, mentione facta. Factum istud adeo compertum est, ut vel ipse P. Franciscus Antonius Zaccaria in sua *Hist. liter. Lib. I. cap.* III. *pag.* 54. illud fateatur his verbis. „ Suo perpetuo costume è di premettere a „ nuova Dissertazione un novero di lasse proposizioni, che ol- „ tre le già dannate, trovansi ne' Casisti. *Diana* vi fa la sua fi- „ gura, ve la fa il *P. Sporer*, e maggiore anche il *P. Leandro del* „ *Santissimo Sacramento*. " Pag. 49. „ Il P. Provinciale de Carme- „ litani Scalzi ... un sugoso, e ordinato compendio ne ha da- „ to della Morale Teologia già stampata da' Padri Salmanticen- „ si. Poteva questo saggio Provinciale aspettare, che tutta „ uscisse la Moral Teologia del P. Concina, dalla quale avreb- „ be imparato, quali, e quante lasse dottrine abbiano insegna- „ te que' buoni servi di Dio, e quali dovesse egli nel suo com- „ pendio rifiutare. Chi sa però, che questo bravo Carmelita- „ no non rida di questa nostra riflessione, e non dica, ch' a- „ vrebbe fatto degli altri Tomi Conciniani quel conto che de' „ primi cinque ha fatto? "

XIII. Oh si sapiens istud consilium, & prudens silentium imitati essent R. R. P. P. Sanvitale, Lecchi, Ghezzi, Gagna, Bovius, Richelmi, Zech, Zaccaria, & alii, quantum sibi, & Instituto gloriæ comparassent! Quantum detrimentum evitassent penes rei litterariæ cultores! Cur isti risu, & heroica contemptione non excepere Tomos Concinianos, quemadmodum hic strenuus Carmelita? Cur soli in communi certamine vociferantur? Sed hæc extra causam. Illud mihi sat est, ipsum P. Zaccaria confiteri me laxas non unius, sed cuiuscumque Ordinis Casuistarum propositiones refellendas suscepisse. Per summam ergo iniuriam, ne dicam immanem calumniam, P. P. Lecchi, Sanvitale, Ghezzi Gagna, aliique in vulgus disseminant, me illuc studia, & vota dirigere, ut præstantissimæ Societatis Casuistas vellicem, atque lacessam. Cur soli lamentantur, cur soli maledicta in me iaculantur, quando illi in primis plaudere, & gratias rependere (sit venia loquendi rationi) deberent? Quandoquidem si Escobarii, Tamburini, La-

Lacroixii, Castropalai, Burgaberi, Picleri, Terilli, Gobati, & similium nonnullas opiniunculas improbandas repræsentavi, Bellarminos, Toletos, Pallavicinos Vitelescos, Petavios, Comitolos, Blancos, Elizaldos, Gonzalezios, Muniessos, Camargos, Antoinos, aliosque celeberrimos Inclytæ Societatis Theologos, ut Magistros suspexi, eorumdem doctrinam sequendam populo christiano proposui, atque iisdem, & universæ Societati, occasione data, sin minus pro meritis, saltem pro mea tenuitate laudes cecini. Cedo. Prioris classis Casuistæ quorum opiniones reieci, an non sunt in comparatione posterioris classis Theologorum veluti pygmei in conspectu gigantum, & pusillus manipulus in conspectu strenuæ legionis? An isti non sunt splendidissima Societatis lumina, & ornamenta? An penes omnes doctos magno isti non habentur in pretio? Arcanum referent imperscrutabile. cur Gagna, Lecchi, Ghezzi, Zaccaria, Zech, & alii plures, pro laxis prioris classis Casuistarum opinionibus veluti pro aris, & focis pugnant; contra sapientissimos, atque morum sanctitate celeberrimos Theologos Societatis secundo loco recitatos ad morum doctrinam quod attinet, nihili habeant, meque insectentur, quod plurimi istos faciam, quod eorumdem doctrinam defendam, & propagari studeam? Pluries hoc præfatis adversariis obieci, pluries rogavi ut hoc mihi revelarent misterium, & semper obmutuere. Quocirca non mihi vitio vertatur, si rursus illud idem repetam, nempe sapientiores & sanctiores Societatis Theologos a me stare, & meam confirmare doctrinam; idque mihi summo honori verto, & gloriæ. Non igitur ego, sed Gagna, Lecchi, Ghezzi, Sanvitale, Zech, Zaccaria, & alii similes infensi sunt Societati, cuius præstantiores, sapientiores, & sanctiores Theologos negligunt, parvi in re morali faciunt, & pro quibusdam Casuistis, nullius sane in Republica litteraria nominis, nimio ardore decertant.

XIV. Alterum, cuius admonere lectorem interest, Casuistas Dominicanos spectat, quorum laxas opinationes, non secus ac exterorum, profligare studui integris etiam Libris. De salute mea desperarem, si partium studio abreptus illorum doctrinam idcirco detestandam repræsentarem, ut eorumdem gloriæ & honori insidias struerem; contra istorum sententias propugnarem, non ut veritas refulgeret, sed ut aut proprium, aut domesticum negotium agerem. Ut ab his extremis me servarem immu-

munem divinum implorare auxilium numquam, quoad imbecillitas mea permisit, destiti. quod sciam, quam facile sit ad alterutrum impingere, quin mens ipsa advertat. Vitia siquidem ista frequenter zeli, boni comunis, famæ, honorisque asserendi fucis, & lenociniis ita exquisite ornantur, ut eo potentius seducant, quo maiorem honestatis speciem præferunt. Maiorum exempla, ut hæc devitarem extrema, magno mihi fuerunt adiumento. Ea quippe est Prædicatorum Ordinis prærogativa, ut alumnorum doctrinas minus solidas improbet, refellat, & insectetur, nullo ad proprios lares respectu habito. Plura, quibus hæc confirmarem, documenta suppeterent; sed unum brevitatis studio in medium promam.

XV. P. Vincentius Candidus sacri Palatii Apostolici Magister duo volumina in folio moralium Disquisitionum edidit calamitoso illo tempore, quo *Probabilismus* latius grassabatur. Aevi sui præiudiciis hallucinatus Candidus plures Casuistarum laxas opiniones adoptavit. *P. Thomas TURCO* Magister generalis O. P. instaurandæ disciplinæ, & rei litterariæ promovendæ studio præstantissimus, atque sanioris doctrinæ assertor strenuus, Fratribus suis quo a Magistri Candidi lectione abstinerent, in mandatis dedit, ut narrat P. Echard *Tom. II. ad annum* 1654. Auctoris exteri testimonio rem hanc confirmare lubet. P. Iosephus CATALANUS Oratorii S. Hieronymi Presbyter, doctrina, eruditione, morum probitate percelebris, & cuiusque mundanæ rei proculcator, contemptorque severus, inter plura volumina, quæ florenti ætate edidit, in opere inscripto: *De Magistro sacri Palatii Lib. II. cap.* IIX. *num.* 6. *pag.* 173. *& seq.* hæc narrat. „ Fatendum vero, in suis disquisitionibus moralibus *Candidum* iuxta sui ævi abusum laxioribus quibusdam opinionibus suffragatum. Sed laudandus summopere Ordo Prædicatorum, qui numquam propugnat peculiares alumnorum suorum sententias, ubi eas non videt solidæ ac probatæ doctrinæ adhærentes; testaturque Echard loco recitato, se audivisse *a Magistro Ordinis Fr. Thoma Turco non probatum, immo, & ab eo, ne accumbentibus in cœnaculo Fratribus legeretur, prohibitum.* Atque hic obiter nota, quanta sit illorum Religiosorum imprudentia, ac temeritas qui male a Sodalibus suis dicta totis viribus propugnare non erubescunt. “ Veritas a quocumque dicatur, a Deo est, atque adeo propugnanda. Falsitas a quo-

a quocumque disseminetur, a Deo non est, quocirca reiicienda.

XVI. Tertium, de quo monitum lectorem velim, est, Libellum supplicem Reverendissimi Tyrsi Gonzalez ad CLEMENTEM XI. pro exterminando e Societate Probabilismo, & huic Tomo insertum pag. 330. reperiri in Eminentissimi Cardinalis FABRONI Bibliotheca, quæ Pistorii sub custodia Patrum Oratorii S. Philippi Nerii omnibus patet, & videri M. S. documentum ab omnibus potest. Extat quoque in aliis Bibliothecis. Publicis typis illud edidi, ut evidentius palam facerem, manifestam calumniam Inclytæ Societati Iesu illos impingere qui eidem Probabilismum tamquam propriam doctrinam tribuunt. Utique non pauci Casuistæ, ut La-Croixius, & alii, asserere non dubitarunt, *omnes fere Scriptores Societatis* Probabilismum propugnare. Sed Casuistæ isti aperte suæ Societati detrahunt, cum sapientiores eiusdem Theologi Ven. Bellarminus, Pallavicinus, Comitolus, Blanchus, Elizalde, Gonzalez, Muniessa, Camargo, & alii plures Probabilismum improbent, & detestentur. Celebris P. De Champs, P. Daniel, & ceteri plures Apologias ediderunt, ut a nota Probabilismi Societatem liberarent. Contra hodiedum plures non modo Probabilismum defensitant, sed adversus eiusdem oppugnatores tamquam contra Societatis hostes ad arma conclamant. Hoc est arcanum, & paradoxon omnium admirabilissimum. Porro ut ego perspicue demonstrarem, præstantissimam Societatem, quæ non in Casuistarum manipulo, sed in sapientissimis Theologis, & cum primis in Præpositis generalibus resplendet, Probabilismo infestam esse, documentum præfatum hactenus ineditum, & in variis Bibliothecis existens, publici iuris facere operæ pretium existimavi. Celeberrimus Præpositus generalis P. Tyrsus Gonzalez, non ut auctor privatus, sed ut Societatis caput, cuius profecto sapientiores Theologos sibi adhærentes habuit, pro exterminando e Societate Probabilismo libellum supplicem Pontifici Summo CLEMENTI XI. porrexit.

Hic igitur doctissimus Societatis Præpositus generalis, & sapientiores eiusdem Theologi a me stant, & ego eorumdem in hocce Tomo doctrinam propugno. Nihil itaque mirandum, si quemadmodum contra tam insignem Præpositum, & tam sapientes Theologos multi Probabilistæ pugnarunt, contra me quoque bellum instaurent. Vale.

AD

AD THEOLOGIAM CHRISTIANAM

DOGMATICO-MORALEM APPARATUS


LIBER SECUNDUS.

DE CONSCIENTIA.

DISSERTATIO PRIMA.

AD NOVA PROBABILISMI ET RIGORISMI COMMENTA REFELLENDA.

PRAELOQUIUM.



THEOLOGIAM CHRISTIANAM explicaturus de proxima moralium operationum regula agere statui. Hæc autem conscientia nostra est, quæ recta esse nequit, nisi ad æternæ legis amussim, non mentis apprehensione tantum, sed reipsa omnino conformetur. Istius porro conformationis, seu ordinis, in quo tota humanarum actionum bonitas residet, cognitio est quam difficillima. Enimvero tametsi nihil conscientia notius, atque compertius, nihil tamen e contrario obscurius, profundius nihil. Si illius inquiramus originem a divinæ lucis abyssu veluti diffusum radium cernimus, atque ad vultum animæ nostræ descendere, ibique quiescere, ac resplendere experimur. Quoniam vero a cælo totam suam suscipit claritatem, idcirco rectum illa nobis ad cælum iter patefacit. Verum ut sol corruptæ terræ exhalationibus obtenebratur; ita conscientiæ nostræ serenitas, perturbatorum affectuum circumfusa caligine, non ad Empyreum, unde illa profecta est, sed quo pravæ animi cupiditates pertrahunt, nos impedit. Et quod ad calamitatum nostrarum cumulum accedit, est

quod conscientia hæc nostra, turbulentis animi motibus obnubilata, exquisita versutia nos decipit. Virus mortiferum melle illitum epotandum nobis porrigit. Modo bonum malum, & malum bonum, modo viam rectam ut curvam & curvam ut planam deprædicat, quo nos æternum perituros occidat. Ab indefectibili regula ipsa recedens per anfractus, & prærupta nos ducit, atque in chaos illud immensum, tenebrarumque abyssum detrudit illo ipso tempore quo nos ad cœlum efferre vafre mentitur. Hos conscientiæ nostræ dolos, fraudes, technas, præstigiasque nobis exponit Salomon Prov. XIV. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem*. Propheta quoque Isaias altius clamat, & adversus tanti hostis machinamenta vigilare nos admonet, sopori nostro, & ignaviæ æternam denuntiando ruinam: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum dulce, & dulce amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*. Apte igitur opportuneque Theologiæ christianæ initia a conscientiæ nostræ explanatione auspicamur, ne ipso in limine impingamus: quoniam error sub initium, major in processu, & maximus in fine evadit. Contra vero, si principio recta arripiatur via, universum iter prosperum succedit, faustumque. Ad rem igitur accedamus, & conscientiæ nostræ notione præmissa, ejusdem scopulosos sinus, ultimosque recessus, & penetralia ingrediamur.

CAPUT I.

De conscientia, ejusque partitione.

I. VAriæ sunt apud Patres, & Theologos conscientiæ finitiones. *Conscientia* (inquit Origenes in epist. ad Rom. cap. II.) *est veluti pædagogus animæ quidam sociatus, & rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget, & arguat*. S. Gregorius Nazianzenus *orat.* XV. conscientiam vocat *verum, & domesticum tribunal*. S. Joannes Chrysostomus *hom.* III. *de verb. Isai.* subdit: *Hoc tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est*. S. Basilius conscientiam nostram appellat *rationale judicatorium*. Quæ omnia eo tandem recidunt, ut imaginem repræsentent quam conscientiæ depingit Apostolus Epist. I. ad Corinth. cap. II. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo*.

II. Communis conscientiæ finitio quam Theologi tradunt, hæc est: *Conscientia est dictamen rationis nostræ ex principiis generalibus synderesis concludens, quid hic & nunc, spectatis omnibus circumstantiis, amplectendum sit ut bonum, fugiendumve ut malum*. Appellatur dictamen, seu judicium, seu actus intellectus practici, ut habe-

befactata remaneat Scoti opinio, contendentis esse habitum; & aliorum dicentium esse potentiam: potentia enim deponi nequit, nec habitus, nisi magna cum difficultate; conscientiam vero pro arbitrio deponimus, & mutamus. Dicitur actus intellectus, & non voluntatis, ut falso contendit Durandus: quoniam conscientia, ut Bernardus, Thomas, & communiter Theologi docent, *est cordis scientia*. Est actus intellectus non *speculativi*, quia in contemplatione non sistit, sed *practici*, quia ad opera exequenda dirigit. Discrepat a synderesi, quod hæc in primis illis dictatis sita est, veluti naturæ insitis, quibus iudicamus: *bonum amplectendum, fugiendum malum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: & id genus similia.

III. Ut paucis rem expediam, conscientiæ iudicium est conclusio syllogismi practici, cuius maiorem propositionem præmittit synderesis hoc pacto: *Bonum est amplectendum*. Dehinc resumit alteram minorem propositionem, subdens: *Hæc operatio est bona*. Ex hac duplici propositione infert conscientia: *Ergo operatio hæc devitanda non est*. Hoc ultimum iudicium vocari a Theologis solet *practice practicum*, quod imperet immediate operis executionem. Plura hic dicenda forent de hoc syllogismo practico, adeo in scriptis S. Thomæ frequenti, & de quo late, atque docte disputat P. Ioseph a Vita. De ipsa quoque synderesi non pauca occurrerent explicanda. Verum hæc videri possunt apud S. Thomam *I. Part. quæst.* lxxix. *art.* 12 *&* 13. ubi etiam explicatur qua ratione dicatur conscientia ligare, testificari, iustificare, accusare, remordere, reprehendere.

IV. Obiicies. Conscientia nunc bona, nunc mala appellatur. Scribit enim S. Lucas Act. xxiii. *Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum*: & S. Paulus ad Titum cap. I. *Inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia*. Hæc autem attributa bonitatis, & malitiæ non intellectui, sed voluntati conveniunt. Resp. Conscientia bona, aut inquinata dicitur, quod homo pravæ, aut bonæ suæ voluntatis conscius est. Audiamus D. Thomam quæst. xvii. de verit. art. I. ad 3. *Conscientia inquinata mundari dicitur, secundum quod aliquis qui fuit sibi conscius prius peccati, postmodum scit se esse a peccato mundatum: & ita dicitur habere conscientiam puram. Est enim eadem conscientia quæ prius immunda est, & postea munda: non quidem ita quod conscientia sit subiectum munditiæ, & immunditiæ, sed quia per conscientiam examinantem utrumque cognoscitur*.

V. Conscientia communiter dividitur ex parte obiecti in rectam, seu bonam, & veram; & in non rectam, seu malam, & falsam. Ex parte assensus tribuitur in certam, probabilem, dubiam, scrupulosam, & erroneam. Utraque partitio optima est. Prior quidem, nam si iudicium conscientiæ proponit, seu iubet exequendum opus reapse conforme legi æternæ, atque adeo bonum, rectum, & verum; conscientia dicitur *bona*, *vera*, & *recta*: si secus, dicitur *falsa*, *mala*, & *curva*. Secunda pariter divisio optima est. Si enim conscientia iudicat secundum

principia certa, quæ omnem excludunt formidinem; tunc appellatur *certa*: si iudicat secundum principia probabilia; vocatur *probabilis*: si anceps hæret inter rationes utrimque æquales, dicitur *dubia*: si ex levibus coniecturis hæsitat, vocatur *scrupulosa*: si iudicium formet ex principiis falsis, repræsentans ut veris; *erronea* nuncupatur. Tandem si sententiam fert secundum opinionem laxam, *laxa* appellatur.

CAPUT II.

De conscientia recta, & obligatione illam sequendi.

I. CONscientia vocatur recta per ordinem, & conformitatem ad regulam rectam. Regula operationis duplex. Altera remota, quæ est lex æterna; altera proxima, quæ est intellectus ratio. Hæc ratio duplex est. Una speculativa, quæ rem percipit ut est in se absolute: altera practica, quæ rem spectat secundum regulas prudentiæ. Communiter conscientia recta cum vera confunditur. Sed discrimen aliquod inter utramque versatur. Nam aliqua conscientia est vera, & non recta. Si iudex capitis damnet hominem quem vere iudicat reum, sed iudicium, alioquin verum, levi nitatur fundamento. conscientia vera tunc est, secus recta, quia non conformatur ad leges prudentiæ.

II. Conscientia ergo recta ea est quæ appetitui recto consentanea est. Duplex rectitudo: altera in se ipsa, altera respectu nostri. Illa in ordine, & vera conformitate conscientiæ nostræ ad legem æternam posita est. Hæc in respectu ad rationem nostram. Ordo conscientiæ nostræ ad æternam legem percipi a nobis nequit, ut in re est, sed solum prout vel ratio naturalis, aut revelatio ei superaddita nobis illum manifestat, inquit Angelicus 1. 2. quæst. XIX. art. 4. ad 3. *Licet lex æterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina; innotescit tamen nobis aliqualiter vel per rationem naturalem, quæ ab ea derivatur ut propria eius imago, vel per aliqualem revelationem superadditam.*

III. Quæst. I. *Peccat ne qui conscientiam rectam non sequitur?* Resp. Conscientia recta altera est præcipiens, altera consulens. Conscientia quæ solum per modum consilii bonum proponit, non obligat. Consilium enim ea quæ sunt perfectionis, spectat, minime vero quæ necessitatem imponunt. Sed advertendum discrimen est quod inter bonum, & malum, ut a conscientia proposita, versatur. Bonum enim aut per modum præcepti, aut per modum consilii proponi a conscientia valet. Contra malum semper præcepto vetitum edicitur; quamquam non semper transgressio istius præcepti letalis fit ob materiæ tenuitatem, aut imperfectam deliberationem consensus, ut suo loco clarius explicabitur. Sensus ergo propositæ quæstionis est, peccatum ne sit refragari conscientiæ rectæ, aliquid boni sub præcepto

pro imperanti? Affirmant omnes cum S. Thoma 1. 2. *quæst.* XIX. *art.* 5. & 6. id que clare habetur in Scriptura divina, dicente Paulo ad Rom. XIV. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ex fide, idest ex conscientia. Ratio quoque evidens suffragatur. Qui enim agit adversus æternam legem, peccat. Ergo itidem peccat qui agit contra conscientiam. Ideo quippe prior actio peccatum est, quia æterna lex prima, remotaque regula est, ad quam conformanda est omnis actio nostra. Atqui conscientia nostra recta, est secunda, proximaque regula, cui pariter respondere actus nostri debent. Ergo æque peccat qui adversatur primæ, ac secundæ regulæ. Disputant quidem Theologi, duplex ne peccatum peccet qui agit contra conscientiam rectam. Sit exemplum. Conscientia recta edicit, non mentiendum. Qui mentitur, violatne duplex præceptum, alterum sequendi conscientiam rectam, alterum non mentiendi? Communis, & vera sententia est, unicum perpetrari crimen. Quoniam conscientia recta est ipsa intimatio, seu promulgatio æternæ legis; cum lex æterna non obliget nisi intimata, & promulgata. Porro promulgatio, & intimatio legis non est præceptum, seu lex nova ab ipsa lege promulganda, vel promulgata sejuncta. Quare conscientia recta non est lex proprie dicta, distincta a lege æterna, sed ejusdem expressio, & manifestatio. Idcirco non duplex, sed unicum peccatum committit qui contra hanc conscientiam agit. Accedit quod quando plures leges eamdem materiam spectant, eademque ratione reguntur, non multiplicant peccata. Quamobrem licet furtum lege naturali, divina, & humana prohibeatur; non propterea triplex, sed unicum peccatum peccat qui furatur.

IV. Quæst. II. *Qui agit contra conscientiam rectam, quæ edicit aliquid esse malum, peccat ne letaliter, an venialiter?* Resp. Convenit penes omnes, peccare mortaliter eum qui agit contra conscientiam proponentem aliquid ut peccatum mortale, venialiter vero, si conscientia ut veniale peccatum quidquam repræsentet. Quod in controversiam vocatur, est, peccet ne mortaliter qui agit contra conscientiam rectam præscribentem aliquid ut peccatum, quin definiat peccati gravitatem? Prima sententia defendit, peccari dumtaxat venialiter: quia actio speciem capit ab objecto. Objectum præscindit a malitia gravi, vel levi. Non itaque continet malitiam letalem, sed ad summum venialem. Ergo venialis quoque erit malitia actus qui in hoc objectum tendit. Hæc sententia falsa est. Quoniam malitia absolute spectata, æque gravem, ac levem pravitatem continet. Ergo non est cur dicatur, actum qui in illam tendit, esse venialem potius quam mortalem. Ex alia parte temeritas qua quis se se exponit periculo peccandi mortaliter, letalis est, ut mox dicetur. Altera sententia distinguit. Aut agens contra hanc conscientiam, necessariam adhibet diligentiam, ut deprehendat, sit ne gravis, aut levis malitia; vel secus. Si secundum, dubio procul graviter peccat. Si primum, venialiter. Hæc

quoque sententia, ut falsa, reiicitur. Quoniam si post adhibitam diligentiam, adhuc incertus, dubiusque remanet super gravitate, aut parvitate malitiæ, periculo graviter peccandi se committit. Quandoquidem si graviter peccaret, quando ante adhibitam diligentiam ageret contra talem conscientiam, potiori iure peccat, si, præmissa debita diligentia, anxius maneat, dubiusque, sit ne gravis, an levis malitia, & nihilominus cum hac dubitatione agat contra conscientiam.

V. Vera ergo sententia defendit, hunc letaliter peccare. Ita docet Ioannes a S. Thoma in 1. 2. *disp.* XII. *art.* 2. Vasquez in 1. 2. *disp.* LIX. *cap.* III. Azorius *Tom. I. Lib. II. cap.* VIII. Sanchez in *Summa Tom. I. cap.* 1. Salmanticenses *tract.* XX. *cap.* IV. *punct.* 2. *num.* 8. Corrazza *disp.* 13. *cap.* 1. *dub.* 6. aliique plures. Ratio obvia, & evidens est. Qui exponit se deliberato animo discrimini peccandi mortaliter, peccat mortaliter. Qui agit contra conscientiam rectam denuntiantem aliquod malum absolute, absque manifestatione gravitatis, vel levitatis malitiæ, se se in periculum letaliter delinquendi conicit. In illa quippe malitia absolute proposita, æque continetur gravis, ac levis, ut dictum est. Ergo mortaliter peccat. Nonne qui advertit se agere contra conscientiam prohibentem quidpiam ut malum absolute, cognoscit in hac absoluta prohibitione mali contineri tum gravem, tum levem malitiam? Ergo qui hac perfusus cognitione operatur adversus præfatam conscientiam, peccat letaliter, eo quod evidenti periculo letaliter peccandi se se committit. Si diligentia adhibita in deprehendenda malitiæ gravitate reapse gradum malitiæ manifestasset, quæstio evanesceret, At post adhibitam diligentiam adhuc homo anceps hæret, sit ne gravis, levisve iniquitas & hac dubitatione, seu ignorantia malitiæ gravitatis non obstante, contra conscientiam agit. Ergo letaliter delinquit.

VI. Quæst. III. *Quam gravis sit obligatio non agendi contra propriam conscientiam, a qua lege proficiscatur, & an sit divinæ dispensationi obnoxia?* Resp. Gravissimam esse obligationem non agendi quidquam contra rectam conscientiam, docent omnes. Hæc obligatio a lege proficiscitur naturæ. Immo recta conscientia est ipsa lex naturæ, seu legis naturalis expressio, & intimatio, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. XXXI. art. 6. ad 4. *Ius naturale continetur primo in lege æterna, secundario vero in naturali iudicatorio rationis humanæ*. Hinc sequitur, propriam conscientiam magis astringere quam aliam quamcunque humanam legem, ut docet idem S. Thomas in II. dist. XXXIX. quæst. III. art. 3. ad 3. *Conscientia obligat non virtute propria, sed virtute præcepti divini. Non enim conscientia dictat aliquid esse faciendum hac ratione quia sibi videtur, sed hac ratione quia a Deo præceptum est. Unde per accidens ex virtute divini præcepti obligat, in quantum dictat hoc ut præceptum a Deo: & ideo dictamen conscientiæ plus obligat quam præceptum Prælati, sicut & præceptum divinum, in cuius virtute ligat*. Quæ doctrina conceptis verbis traditur in ipsa Scriptura Act. IV. *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*.

VII.

VII. Disputant in utramque partem Theologi, sit ne lex ista operandi secundum propriam conscientiam dispensationi divinæ subiecta. Verum nullum mihi minus quam istud disputandi genus arridet. Quis enim divinæ omnipotentiæ præstituere confinia valet? Quamquam admonet Angelicus, in simili disputandi argumento non inquiri, quid Deus facere, sed quid res ipsa pati valeat; seu non an Deus facere, sed an res fieri valeat; atque adeo inquiritur, utrum lex ista non agendi contra propriam conscientiam queat a Deo relaxari. Communior, & vera sententia negat, de qua videsis Ioannem a S. Thoma *disp.* XII. *art.* 2. Vasquez in 1. 2. *quæst.* XIX. *disp.* LXI. *cap.* II. Cordubam *Lib. III. quæst.* X. *propos.* 3. & communiter interpretes S. Thomæ. Ratio evidens est. Quod præscribit conscientia, præcipit Deus: & qui agit contra propriam conscientiam, agit contra Dei mandatum. Porro fieri nequit ut dum Deus præcipit, eodem ipso tempore quo præcipit, dispenset, ne suum præceptum impleatur. Nec latius hæc disputanda sunt.

CAPUT III.

De conscientiæ errantis obligatione.

I. Lex agendi secundum propriam conscientiam obligat, sive conscientia vera, sive erronea sit, ut docet S. Thomas 1. 2. *quæst.* XIX. *art.* 5. ubi quærit, *utrum voluntas discordans a ratione errante sit mala*. Et reiectis quorumdam Theologorum placitis, concludit: *Dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione sive recta, sive errante, semper mala est*. Hæc D. Thomæ doctrina, quam communiter sequuntur Theologi, hausta est ex S. Paulo Apostolo ad Rom. XIV. vers. 22. & 23. *Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*. Cuius verba sic interpretatur S. Thomas hic *lect.* III. Qui non iudicat semetipsum, *idest cuius conscientia eum non reprehendit, vel condemnat*. Hoc idem docet S. Paulus I. ad Cor. VIII. vers. 7. & cap. X vers. 25. *Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur . . . Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*. Quæ verba sic exponit Angelicus lec. VI. *Nihil faciendum est scienter quod lædat conscientiam eius qui facit; sed comestio idolothyti est huiusmodi: ergo nihil tale est faciendum*. Legatur Doctor sanctus *lec.* III. *in cap.* XIV. *Epist. ad Rom.* ubi fusius exponit verba Pauli, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, quæ verba ad fidem referri posse ostendit, & ad conscientiam, sicut ad universale, & particulare. Quod enim fide iudicamus honestum, aut turpe, hoc conscientia hic & nunc in particulari iudicat. Et quemadmodum qui agit contra fidem, peccat; ita qui agit contra conscientiam. Hac doctrina An-

gelicus Patres in unum consociat, quorum aliqui verba Apostoli pro fidei virtute usurpant, alii pro conscientia.

II. Ratio eadem quæ evincit, neminem posse agere contra conscientiam rectam, probat quoque non posse operari contra conscientiam erroneam. Non licet primum, quia conscientia recta est lex præcipiens aliquid ut a Deo imperatum. At idem præstat conscientia errans. Ergo eadem utriusque ratio. Quam rationem exemplo illustrat S. Thomas 1. 2. quæst. XIX. art. 5. ad 2. *Si aliquis cognosceret quod præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris, contemnendo præceptum Proconsulis, contemneret præceptum Imperatoris. Et similiter si aliquis homo cognosceret quod ratio humana dictaret aliquid contra præceptum Dei, non teneretur rationem sequi. sed tunc ratio non esset totaliter errans, sed quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.*

III. Obiicies. Deus nequit esse auctor conscientiæ erroneæ. ergo eam non tenemur sequi. Resp. Salmanticenses Scholastici *tract. XVII. de fide disp. II. num. 48.* distinguunt duplex iudicium in conscientia erronea. Alterum, quo iudicatur quidquam prohiberi a Deo quod non est prohibitum, alterum, quo iudicatur parendum esse legi, sive veræ, sive falso apprehensæ, ut a Deo latæ. Primum iudicium falsum est, & in Deum revocari non potest, alterum verum est, & in Deum reducitur, ut præcipientem, obediendum esse suæ legi tamquam propositæ per intellectum practicum, qui est veluti præco intimans, & promulgans legem quamlibet.

IV. Quæst. I. *Peccat ne qui non agit secundum conscientiam vincibiliter erroneam?* Resp. Duobus modis conscientia potest esse erronea: vincibiliter, aut invincibiliter. Conscientia invincibiliter erronea ea est cuius error omni adhibita diligentia superari nequit. quocirca conscientia hæc inculpata est. Altera est, cuius error diligentia necessaria adhibita superari potest. Rationes, & auctoritates hactenus allatæ evincunt, sequendam esse non modo invincibiliter, sed etiam vincibiliter errantem conscientiam. Nihilominus quia de secunda aliqua superesse difficultas potest, idcirco lubet auctoritatem afferre D. Thomæ, qui ostendit, hanc quoque conscientiam sequendam esse. Inquit enim quæst. XVII. de verit. art. 4. *Quamvis igitur talis conscientia: quæ est erronea deponi possit, nihilominus tamen, dum manet, obligatoria est; quia transgressor ipsius de necessitate peccatum incurrit. Diversimode tamen recta conscientia, & erronea ligat. Recta quidem ligat simpliciter, & per se; erronea autem secundum quid, & per accidens. Dico autem rectam ligare simpliciter: quia ligat absolute, & in omnem eventum. Si enim aliquis habet conscientiam de vitando adulterio, istam conscientiam sine peccato non potest deponere; quia in hoc ipso quod eam deponeret, errando graviter peccaret, ea autem manente non potest prætermitti in actu sine peccato: unde absolute ligat, & in omnem eventum.*

tum. Sed conscientia erronea non ligat nisi secundum quid, & sub conditione. Ille enim cui dictat conscientia, quod tenetur ad fornicandum, non est obligatus, ut fornicationem sine peccato dimittere non possit, nisi sub hac conditione, si talis conscientia duret. Hæc autem conscientia removeri potest absque peccato. Unde talis conscientia non obligat in omnem eventum. Potest enim aliquid contingere, scilicet depositio conscientiæ, quo contingente ulterius non ligatur. Quod autem sub conditione tantum est, secundum quid esse dicitur.

V. Utraque igitur conscientia erronea obligat: & in hoc tantum mutuo hæ duæ conscientiæ discrepant, quod conscientia erronea vincibilis deponi potest, & debet; invincibilis vero non potest deponi, atque adeo nec debet. Nec repugnant hæc duo, debitum nempe deponendi conscientiam erroneam vincibilem, & debitum eam persistentem sequendi: quia ex diversis oriuntur principiis. Primum oritur ex præcepto naturali adhibendi necessariam diligentiam ad veritatem inveniendam, abigendumque errorem. Debitum vero sequendi conscientiam erroneam proficiscitur ex ipsius conscientiæ dictamine, proponente legem exequendam. Quare concludit S. Thomas cit. quæst. XVII. de verit. art. 4. *Si contrarium tali conscientia manente agere disponat, quantum in se est, ex hoc ipso habet voluntatem legem Dei non observandi: unde mortaliter peccat.*

VI. Ex allata doctrina corruit acuta, & nimium subtilis speculatio P. Vasquez in 1.2. *quæst.* XIX. *disp.* LX. *cap.* 2. ubi asserit, conscientiam vincibiliter erroneam obligare, non ut quis eam sequatur, sed solum ne quis contra eam operetur. Siquidem qui habet conscientiam mentiendi, ut proximi pereuntis vitam servet, tenetur non agere contra hanc conscientiam: ergo astringitur exequi quod hæc præcipit. Neque enim omittere potest actionem contra eamdem conscientiam, nisi exequatur quod illa præcipiat: quia eo ipso quod omittat mentiri, agit contra conscientiam jubentem mendacium. Quam doctrinam confirmat Angelicus ex D. Paulo ad Galat. V. *Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor sit universæ legis faciendæ.* Ubi S. Thomas *lec.* 1. declarat fideles illos qui post nomen Evangelio datum conscientia erronea decepti judicabant astringi circumcisioni, debere sequi conscientiam erroneam proponentem circumcisionem, donec hanc errantem conscientiam deponant. Ut paucis rem totam teneas, duo quæ indicavimus, ob oculos habeto; nempe aliud est, ad quid teneatur qui habet conscientiam erroneam, & aliud, ad quid ipsa obliget. Homo tenetur deponere conscientiam erroneam vi legis naturalis præcipientis acquisitionem veritatis. Ipsa vero conscientia non obligat ad deponendum semetipsam; sed obligat ad eam sequendam, donec perseverat. Quapropter dictum supra est, aliunde oriri debitum deponendi conscientiam erroneam vincibilem, aliunde obligationem eamdem sequendi.

VII. Quæst. II. *Quid agere debet qui in conscientia erronea utrinque contradi-*

ctionis

ctionis extremum peccatum esse iudicat? Resp. Si conscientia sit vincibilis, primum omnium debet eam deponere. Si non deponat, peccat, sive eam sequatur, sive eidem resistat, ut docet D. Thomas quæst. XVII. de verit. art. 4. ad 8. *Sicut in syllogisticis, uno inconveniente dato, necesse est alia sequi; ita in moralibus, uno inconvenienti posito, ex necessitate alia sequuntur: sicut supposito quod aliquis quærat inanem gloriam, sive propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur, sive dimittat, semper peccabit nec tamen est perplexus: quia potest intentionem malam dimittere. Et similiter, supposito errore rationis, vel conscientiæ, qui procedit ex ignorantia excusante, necesse est quod sequatur malum in voluntate: nec tamen est homo perplexus: quia potest ab errore recedere, cum ignorantia sit vincibilis, & voluntaria.* Similia habet 1. 2. *quæst.* 1. 2. *art.* 6. *ad* 3.

VIII. Quid vero dicendum, si conscientia hæc erronea sit invincibilis, & iudicet utramque contradictionis partem peccatum esse? Sunt qui existimant non modo possibilem, sed frequentem esse casum illum. Ego nec frequentem, nec vix possibilem reputo. Admissa vero hypothesi, aliqui contendunt, peccare hunc hominem, quamcumque contradictionis partem ille seligat: quia libere tendit in obiectum cognitum ut malum. Puta, pastor iudicat se peccare, si Sacrum omittat die festo, ut custodiat gregem, simul iudicat se peccare, si deserat gregem, ut audiat Sacrum. Porro libere utrumque extremum exequitur. ergo peccat.

IX. Altera communior sententia defendit, hunc non peccare, quamcumque contradictionis partem eligat. Et hæc sententia, admissa hypothesi, quam ego vix admitto, vera est. Nam nullum peccatum sine libertate. Ignorantia invincibilis tollit libertatem. Ergo positione facta, quod conscientia sit invincibiliter errans, nequit defendi, quod peccet homo, quamcumque partem sequatur. At, inquiunt adversarii, liber est homo ad exequendum, vel omittendum actum suum. Est liber libertate physica, secus libertate morali. Et licet homo iste cognoscat obiectum ut malum, non peccat, quia non cognoscit ut vitabile. Porro licet ad libertatem physicam satis sit quod homo valeat illud obiectum exequi, vel omittere; tamen ad libertatem moralem necesse est ut voluntas possit in hoc genere moris vitare obiectum. In eo quippe genere requiritur libertas in quo peccatur. Peccatum est in genere moris. Ergo in eodem genere libertas necessaria est. Facta autem positione, quod ignorantia sit omnino invincibilis in hoc genere moris, consequitur libertatem non reperiri. Quoniam, ut diximus, & admittunt omnes Catholici contra Iansenium, ignorantia invincibilis excusat a peccato. In præfata hypothesi conscientia esset physice erronea; secus ethice seu moraliter, ob defectum libertatis in genere moris, sine qua nec bonitas, nec malitia reperitur. Hanc defendunt Salmanticenses *tract.* XX. *cap.* V. *punc.* 2. *§.* 2. *num.* 9. & penes eosdem Castropalaus, Lugo, Layman, Sanchez, aliique.

X.

X. Quæst. III. *Sit ne gravius agere contra, vel sequi conscientiam erroneam vincibilem?* Resp. Communis, & vera sententia est, quam tradunt Azorius, Medina, Vasquez, Tapia, Montesinos, Salmanticenses, & alii, regulam præstitui certam non posse. Interdum enim gravius est crimen eam sequi, interdum levius contra eam agere. Quo enim gravius fuerit præceptum ab ea propositum, gravius quoque erit peccatum contra eam agere; & quo levius præceptum, levior erit transgressio. Puta, conscientia iubet mendacium, ut periclitantis proximi vita salvetur. Gravius peccas, si omittas mendacium, quam si ageres secundum conscientiam mentiendo. Conscientia præcipit furtum, ut eleemosynam elargiaris. Gravius peccas furando iuxta conscientiæ præscriptum, quam si contra eam omittas eleemosynam. Et sic discurre de ceteris.

XI. Advertendum tamen, gravius esse absolute, ceterisque paribus, agere contra quam sequi conscientiam vincibiliter erroneam: quoniam qui contra agit, scienter operatur; qui eam sequitur, peccat ex ignorantia. Porro ignorantia minuit peccatum, inquit S. Thomas 1. 2. *quæst.* XIX. *art.* 8 *&* *quæst.* LXXIII. *art.* 4.

XII. Disputant hic, differat ne specie peccatum contra conscientiam rectam, a peccato contra conscientiam erroneam? Affirmat Navarrus. Negant Salmanticenses *tract.* XX. *cap.* V. *punc.* 2. *num.* 18. Et istorum sententia videtur probabilior. Nam iudicium conscientiæ est mera applicatio, seu promulgatio legis. Porro diversa applicatio non mutat naturam legis, seu speciem illius. Sive ergo proponatur obiectum idem, ut verum malum, aut ut falso apprehensum, non mutatur illius specifica natura; quamvis gravius sit, ut dictum est, ceteris paribus, agere scienter contra conscientiam erroneam quam illam sequi.

XIII. Disputant iterum, ad cuius virtutis speciem reducatur peccatum contra conscientiam erroneam? Responsio communis, & vera est, ad illam revocari quam conscientia falso proponit. Puta, si existimas peccatum esse mortale contra religionem spuere in Ecclesia; peccatum erit contra religionem. Fornicaris cum muliere quam falso existimas voto castitatis sacratam; sacrilegium perpetras, tametsi voto illa careat. Distinguendum tamen est, quando conscientia erronea vincibilis est, aut invincibilis. Nam si conscientia erronea vincibilis edicit esse veniale quod est mortale, culpa mortalis erit, eo quod hæc ignorantia non excusat. Si sit invincibilis, tunc agere contra illam erit culpa venialis: quia hæc ignorantia inculpata est, nec plus malitiæ contrahit qui adversus eam agit quam quæ ab eadem proposita fuerit.

XIV. Quid dicendum, si carcere inclusus erroneam conscientiam habeat, se peccare mortaliter, nisi Sacrum audiat? Resp. Hunc nullo modo peccare dicunt illud non audiendo ob defectum libertatis. At, inquis, ad peccandum satis est agere contra dictamen erroneum. Verum habet, quando dictamen erroneum est causa

sa omissionis, seu quando hoc dictamen influit in peccatum. Quare conscientia illa physice erronea esset; secus ethice, seu moraliter. Dictamen enim liberum non esset ob caussas extrinsecas impedientes.

XV. Quaest. IV. *Quomodo deponenda sit conscientia erronea?* Resp. Caietanus in 1.2. *quaest.* XIX. *art.* 5 contendit, ad libitum deponi posse conscientiam errantem. Quam opinionem falsam reputo, nisi explicetur. Quoniam sicuti ad libitum formare conscientiae dictamen non possumus, sic nec illud pro ingenio deponere valemus. Altera sententia aliquam rationem requirit, ut prudenter deponatur: quoniam imprudenter deponeretur, si nulla praecederet ratio. Tertia distinctione utitur. Si conscientia erronea absque ulla probabili ratione, sed temere, & imprudenter formata sit, tunc ad libitum deponi potest, satisque est advertere ad falsitatem iudicii erronei, illudque deponere formando conscientiam super honestate operationis: & sic explicata sententia Caietani vera est, ut advertunt Salmanticenses *tract.* XX. *cap.* V. *punc.* 3. *num.* 25. Si concepta sit ex probabili, prudentique dictamine; tum necessaria est ratio contraria probabilior, & efficacior, ut docet vel ipse Vasquez in 1.2. *quaest.* XIX. *art.* 6. *disp.* LXVII. *cap.* 1. Nam si ratio opposita minoris fuerit efficacitatis, impotens erit ad priorem persuasionem expellendam.

XVI. Quaest. V. *Quam diligentiam adhibere debet ille qui vult conscientiam erroneam deponere?* Resp. Duplex diligentia, ordinaria, & extraordinaria, seu exacta, & exactissima. Prior utitur mediis consuetis, puta studium, consilium, preces, opera pia, quibus a Deo obtineatur lumen necessarium ad inveniendam veritatem. Altera adhibet media insolita, impervia, puta, post consilium Doctorum propriae civitatis, ad alias pergit provincias, ut doctiores consulat Theologos. Advertendum tamen, quod diligentia quae ad assequendam veritatem levioris momenti exacta, & sufficiens dici potest, respectu veritatis summi momenti insufficiens erit. Quare gradus maioris, vel minoris diligentiae respondere debet negotii magnitudini, & gravitati maiori, aut minori.

XVII. Secunda diligentia extraordinaria absolute necessaria non est, nisi in negotiis insolitis, & extraordinariis. Prior vero, nempe exacta, necessaria est: & hanc qui omittit, peccat. Siquidem periculum peccandi pro viribus declinandum est. Qui negligit exactam adhibere diligentiam, qua uti prudentes solent in gravis momenti negotiis, non praestat id quod potest, ut peccatum evitet: ergo peccat. Extrema ergo in recto conscientiae regimine vitanda sunt. Exactissima, & extraordinaria diligentia turbationibus, scrupulis, & anxietatibus homines irretiret. Hic quippe insolitus operandi modus excedit communem hominum facultatem, nimiumque exasperaret lenitatem christianae legis, iugumque suave Christi durum nimis, & grave efficeret.

XVIII.

XVIII. Quæst. VI. *Ex quibus signis colligi debet, conscientiam erroneam esse invincibilem, aut vincibilem?* Resp. Invincibilem esse ignorantiam, præsumere prudenter te posse docent Auctores, 1. si res ignorata sit iuris humani, vel positivi. 2. si fuerit difficillima vel inter ipsos doctos. 3. si nullus umquam præcessit scrupulus, dubium, vel aliqua confusa notitia. 4. si homo advertens se deceptum, & ex ignorantia violasse legem, dolet, tristatur. 5. si homo sit probus, & integræ moratæque conscientiæ. Ex his, similibusque circumstantiis colligere Confessarius poterit, ignorantiam seu inadvertentiam fuisse invincibilem. Contra vero, si dubitatio præcessit, si res sit iuris naturalis, & non adeo difficillimæ notitiæ, si homo delinquere solitus sit, & conscientiæ criminibus frequenter implexæ, ignorantiam seu inadvertentiam fuisse vincibilem, prudenter præsumere Confessarius potest. Si quod ipse sentio, exprimere debeam, dico, difficile admodum deprehendi posse, quandonam ignorantia invincibilis dicenda omnino sit, si res ignorata fuerit iuris naturalis, etiam posito quod talis iuris ignoratio detur. Orandum ergo cum Propheta: *Ignorantias meas ne memineris.*

CAPUT IV.

De obligatione Confessarii illuminandi suos pœnitentes laborantes conscientia erronea. Laxæ Probabilistarum opiniones refutantur.

I. QUæstio hæc summi momenti est, & non spernendis implexa difficultatibus. Probabilismi patroni laxas habent hac de re opiniones, potissimum Tamburinus, Sanchez, aliique plures. Antequam id quod sentio, promam, præmitto tria. Alterum est, omnes Theologos unanimi consensione docere, admonendos esse Christianos qui conscientia erronea vincibili laborant. De conscientia erronea invincibili disputatur. Porro ut meam explicem sententiam, præmitto alterum principium.

II. Patres omnes docent, præcepto gravissimo inquirendæ veritatis, perdiscendæque Christianos omnes adstringi. Omnes addiscere tenentur præcepta universalia, & singuli ea quæ proprium statum, vel officium spectant. *In præcepto est* (inquit Augustinus ser. 11. de plag. AEgypt.) *dilectio veritatis, cui contraria est dilectio vanitatis*. Lex quam nobis Deus servandam imposuit, veritatis est. *Lex tua veritas*, inquit David *Psal.* CXVIII. Hanc custodiendam nobis Deus mandat, subdit David ibidem: *Mandasti mandata tua custodiri nimis*. Hanc nos amare admonet Zacharias Propheta cap. VIII. *Hæc dicit Dominus exercituum . . . Veritatem tantum, & pacem diligite*. Nullus ergo ambigendi locus, Christianos investigandæ veritatis mandato adstringi.

III.

III. Tertium, quod considerandum præmitto, est promissio, qua Deus se hanc veritatem, nostris moribus formandis necessariam, ostensurum testatur iis qui sincero corde, sedulaque opera illam exquirent. *Quærite, & invenietis*: Luc. 11. *Si quis autem vestrum indiget sapientia; postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter*; Iacob. cap. 1. S. Thomas perspicue explicat hanc divinam promissionem opusc. LXXIII. *Omnis homo a natura non degenerans veritatem amat, & eam scire super omnia desiderat. Quod si quis concupiscit vero corde, & eam quæsierit in simplicitate cordis sui, ipsa seipsam manifestabit, & Deus qui hoc promittit, verax est*. His prælibatis, caput istud in duos tribuo paragraphos.

§. I.

Confessarii illuminare pœnitentes suos adstringuntur, etiamsi nullum inde secuturum profectum sperent, aut absolutionem suspendere.

IV. ET principio distinguendum est præceptum correctionis fraternæ a præcepto instructionis faciendæ pœnitenti qui suscipere sacramentum pœnitentiæ debet. Illud utique, quando profectus spes deest, non urget; hoc vero urget, etiam sine spe emendationis pœnitentis ob reverentiam debitam sacramento, quod pœnitens imparatus ad veritatem recipiendam sacrilegio illud profanaret.

V. Distinguunt contrariæ sententiæ patroni mysteria fidei, quæ sunt necessaria necessitate medii, ut sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, doloris supernaturalis ad confessionem sacramentalem, postquam Innocentius XI. damnavit propositiones 64. *Absolutionis capax* &c. & 65. *Sufficit* &c. & alteram *Nonnisi fides unius* &c. Probabilistæ olim defendebant etiam proscriptas propositiones. His damnatis, passa laxitatis vela paullulum collegerunt, arctaruntque. Dicunt enim, Christianos qui alia mysteria ignorant non tantæ necessitatis, aliasque veritates non solum ad ius positivum, sed etiam ad ius naturale spectantes, haud esse illuminandos, quando prævidetur, eosdem in peccato perseveraturos. Lubet nonnulla transcribere ex iis quæ docet Sanchez Lib. II. de matrim. disp. XXXVIII. num. 9. *Quamvis ignorantia illa sit circa ius divinum, & naturale. Si enim probabiliter credat Confessarius, consilium non profuturum, tenetur non admonere, quando illa ignorantia invincibilis est*. Sed, quod peius est, subdit idem Sanchez *ibidem pag.* 187. ignorantiam hanc dicendam esse invincibilem, etiamsi scrupulis pœnitens torqueatur. *Sed verius est, quando solus est scrupulus, posse Confessarium tacere, vel respondere ut deponat scrupulum; quia scrupulus non aufert bonam fidem, & ignorantiam invincibilem*.

VI. Hanc P. Sanchez doctrinam ambabus ulnis amplectitur P. Thomas Tamburinus, eamque paullulum amplificat, atque extendit ad restitutionis difficillimum negotium. Hæc quippe scribit *Lib. III. Meth. Confess. cap. IV. num. 5.* „ Hinc item, „ si prævideat *Confessor*, pœnitentem non restituturum, si illi detegatur nullitas „ tituli quem pro se adesse pœnitens putat, non erit ex Sanchez talis nullitas il„ li a Confessario non interrogato patefacienda, *quamvis sit in præjudicium ter„ tii, qui suo carebit*, tertii, inquam, particularis: nam si esset in damnum pu„ blicum, cum tunc præponderare debeat bonum publicum bono privato pœni„ tentis, videtur aperienda. " Quid benignius, immo quid laxius excogitari valet? Et tamen Tamburinus, quasi æquo rigidiorem tradidisset doctrinam, lectorem continuo admonet, absolvendum pœnitentem esse, dum prævides non restituturum; tametsi id in damnum etiam publicum cederet. Quid enim prodest monitio isthæc publico? Ex alia parte nocet pœnitenti, lumen veritatis eidem infundendo. Hæc sunt verba quæ *loc. cit.* continuo adjicit Tamburinus. „ Sed contra „ hoc ultimum, quæso te, si prævides pœnitentem non restituturum, quamvis „ item advertas id esse in damnum publicum, cur tu sis obligandus ad admonen„ dum, quandoquidem prævides adhuc tua accedente monitione illum non fo„ re restituturum; atque adeo non fore amovendum damnum publicum? Certe „ frustra erit talis monitio, immo nocens ipsi admonito, bono autem publico ne„ quaquam favens. "

VII. Nec tamen credas, hic gradum sistere hujus Theologi studium in molliendis Christianæ legis præceptis. Ultra pergit, additque, non turbandum notitia veritatis Christianum, etiamsi spes adsit pœnitentem suscepturum admonitionem; si medicinæ applicatio, ut est rei alienæ restitutio, debitorum solutio, summam ei allatura sit difficultatem. Idque confirmat auctoritate Cardinalis de Lugo. „ At„ que hæc omnia ex De Lugo etiam procedunt, quando Confessarius *speraret* „ *pœnitentem suscepturum quidem monitionem, sed tamen adverrit remedium esse* „ *difficillimum*. Unde etiam infertur, idem esse dicendum, quando pœnitens sub „ peccato mortali tenetur ad aliquid adeo difficile, ut non credatur tunc æquo „ animo suscepturus, & alia vice melius suscepturus esse judicetur: poterit enim „ tunc prudens Confessarius relinquere illum in sua bona fide, quæ a peccato „ excusat, & monitionem in tempus opportunum differre, ne scilicet territus „ pœnitens a confessione se abstineat, majusque detrimentum patiatur. "

VIII. Quid hinc infert Tamburinus? Rem sane alta mente retinendam. Admonet, hanc suam doctrinam in promptu semper habendam potissimum a Confessariis Principum, & Mercatorum. *HOC NOTETUR PERMAXIME PRO CONFESSARIIS MERCATORUM, ET PRINCIPUM*. Hanc doctrinam primus non invexit Tamburinus, sed a P. Sanchez haustam aliis epotandam exhibuit. Negotium

tium restitutionis illud est quod maxime refugiunt divites. Hi enim, ut luxum, fastum, ambitionemque alant, expensas faciunt maximas, debita ingentia contrahunt. Ut hæc solverent, & aliena restituerent, nuntium remittere pompis, conviviis, ludis, comessationibusque deberent. Res hæc perquam difficillima. Ne itaque negotium istud permolestum confessionum frequentiam perturbet, arceatque ab altari pœnitentes, si Confessarius vel probabiliter existimet admonitionem suam non profuturam, sileat, taceat, quin tenetur tacere, inquit P. Sanchez. Hæc sunt ejusdem verba *Lib. II. de matrim. disp.* XXXVIII. *num.* 10. *pag.* 189. „ Quamvis peccatum illud, per ignorantiam invincibilem excusatum, sit in detrimentum proximi: *tenetur* enim Confessarius tacere, *probabiliter* existimans fore ut sua monitio non prosit. V. g. pœnitens bona fide possidet primogenium, quod Confessarius novit *injuste* possidere, & credit nihil profuturam monitionem, *quia est difficillimum relinquere illud* (næ hæc valida ratio?) vel videt pœnitentem teneri restituere, & ignorantia invincibili excusari, monitumque non restituturum, *tenetur tacere*. Et omnia dicta in hac conclusione, & duabus præcedentibus vera sunt, quando credit Confessarius fore ut pœnitens libenter monitionem suscipiat: & videt remedium esse difficillimum, ut si scandalum, & notabilis infamia inde sequantur. *Et ita censent quidam Neoterici docti.* " Antequam ultra provehor, advertat lector obiter velim, quam laxa hæc doctrina sit. Non modo negligere admonitionem Confessarius debet, cum moraliter certus est, verum etiam cum *probabiliter* tantum autumat pœnitentem non fore emendandum. Si *probabiliter* timet obstinationem, *probabiliter* etiam sperat emendationem: sed probabilis spes profectus sufficit ad hoc ut præceptum correctionis urgeat. Ergo longe gravius astringit altissimum præceptum recte administrandi sacramenta, ut Confessarius teneatur ad imbuendum pœnitentem. Sed hæc cursim.

IX. Plures recentiores Probabilistæ, & Canonistæ hanc laxam, & falsam P. Sanchez doctrinam, sin minus in totum, saltem in partem adoptarunt. Inter Canonistas Engel *titul. de divers.* §. 1. *num.* 6. Sed, quod displicet, est, ipsos perdoctos Salmanticenses huic doctrinæ subscribere *tract.* XX. *cap.* V. *punct.* 3. *num.* 27. *& seq.* Quin adversus Confessarios qui altissimi sui ministerii memores veritatem patefaciunt pœnitentibus, invehuntur, veluti in parricidas, qui filiis suis venenum mortiferæ veritatis propinant. Sic enim loquuntur num. 28. *Sunt aliqui Confessarii adeo inexperti* (Probabilismi) *ut statim ac dignoscant aliquem pœnitentem conscientia erronea invincibili laborare, ei veritatem detegant; & quando medicinam sibi videntur applicare, venenum propinant: quia ex tali monitione cum peccatis repetunt quæ sine culpa antea exequebantur.*

X. Hæc transcribere volui, ut vel sub judicium christianæ hujus Theologiæ collige-

ligere lector valeat genium, ut sic loquar, Theologiæ casuisticæ, quæ Probabilismi caligine obnubitur. Quam sit relata doctrina communi sensui, Evangelio, & eorumdem Probabilistarum principiis adversa, compertum cuique ratione prædito est. Principia quæ initio disputationis indicavi, in memoriam revocentur. Præceptum divinum est addiscendæ veritatis moribus nostris imbuendis peridoneæ. Sunt ne istius præcepti observatores Christiani illi qui non modo veritatem non inquirunt, sed oblatam respuunt, vel animo parati sunt eam respuere, si illis manifestata fuerit? Cur enim Confessarii veritatem manifestare dissimulant? An quod ad eam suscipiendam imparatos prævideant pœnitentes? Ergo isti violatores manifesti sunt præcepti veritatis inquirendæ, & addiscendæ. Accedit quod Christiani violant præceptum addiscendæ veritatis, & insuper quatenus pœnitentes alterum præceptum violant, quod dignam sacramenti susceptionem spectat. Rem declaro. Quemadmodum Confessarius in tribunali judicis, ut absolvat, vel liget, medici, ut vulnera curet, doctoris, ut instruat, doceat, illuminet, munia sustinet; sic pœnitentes ad hoc tribunal accedunt, ut subditi judicandi, ut infirmi curandi, ut ignorantes illuminandi. Si Confessarius eos prævideat ita indociles, & pravis cupiditatibus ita addictos, ut nullum ex veritatis manifestatione profectum speret; qua ratione præsumere eosdem valet, ut subditos humiles judicis sententiam demisso animo suscepturos, ut ægrotos medici curationi subiiciendos, ac denique ut ignaros instructionis, veritatis, & divini verbi avidos?

XI. Verum, ut undique premam adversarios Probabilistas, hoc illos argumento urgeo. Docent illi omnes, patefaciendam esse veritatem, dum pœnitentes laborant conscientia erronea vincibili. Atqui pœnitentum, qui ceteroquin invincibili ignorantia obducti ad tribunal pœnitentiæ accedunt, ad suscipiendam veritatis manifestationem imparati, ignorantia vincibilis evadit. Ergo peccat Confessarius, si veritatem patefacere illis omittit. Probo minorem. Tunc ignorantia vincibilis est, secundum ipsos Probabilistas, quando Christianis aperta via est veritatem ignorantiæ oppositam addiscendi. In nostro casu hæc via illis patet. Ergo, si eam respuunt, vincibilis eorum ignorantia evadit. Maior propositio constat ex ipsius ignorantiæ invincibilis notione. Tunc quippe ignorantia invincibilis dicitur, quando homini nec dubitandi occurrit principium, nec ulla patet via errorem vincendi. Sic docent omnes, & potissimum P. Paulus Segneri in suo Christian. instruct. Part. III. ser. IX. *Quando la persona non ha principio di dubitare, e conseguentemente non ha ne anche maniera di vincere il suo errore, e di uscirne*. Minor propositio non minus evidens est. Confessarius enim paratus est veritatem patefacere. Hæc est illis pervia, & aperta via veritatis assequendæ. Ergo vincibilis est eorum ignorantia. Cur enim Confessarius silet? Cur tacet? Quia prævidet veritatem non amplectendam a pœnitente? Hæc est unica, & tota silendi ratio. Er-

go prævidet pœnitentes in errore obfirmatos. Præceptum urget inquirendæ veritatis, ut Concilium Tridentinum declaravit: *Jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis*. Isti non modo non petunt quod non possunt; sed respuunt oblatam veritatem, seu prævidentur parati ad illam reiiciendam. Isti ne sincero & fideli animo, ut divino præcepto urgentur, a Deo veritatem implorant, si ministros Dei paratos ad detegendam veritatem fastidiunt, respuunt, reiciunt? Quid ad hæc Probabilistæ?

XII. Peccat alio ex capite Confessarius, videlicet contra sui ministerii legem. Doctoris ille personam sustinet, non secus ac iudicis. Ergo vi sui officii astringitur ignorantes ad se accedentes instruere. Sacramentorum sanctitas illi concredita est. Prohibet Deus illa indignis ministrari. Qui porro indigniores illis qui scelera ignorantiæ nube obtecta amant, qui idcirco ignorantiæ caliginem excutere nolunt, ne a vitiis abstinere cogantur? Qui pœnitentiæ sacramentum percepturi sunt, propositum efficax universam Dei legem, & præcepta omnia, nullo excepto, servandi habeant necesse est. Qui paratus non est veritatem, quam ignorat, suscipere, hoc propositum non habet; ut alias dictum, & dicendum sæpius est. Ergo absolvi nequit, quoties dispositus non præsumitur. Quid, si ipse dispositus esset, sed scandala, quæ tollere pœnitens nequit, ex veritatis manifestatione sequerentur? De hoc infra dicam.

XIII. Confirmatur sententia nostra ex paucitate eorum qui digne sancteque sacramentum percipiunt pœnitentiæ. Nota est historia Seraphici Patriarchæ Francisci, qui ex viginti & amplius millibus Assisium petentibus lucrandi Iubilæi caussa, quatuor aut quinque assecutos illud fuisse testatus est. Quod si criticus nimis morosus fidem adhibere huic narrationi detrectas, quid sententiæ omnium Patrum, & graviorum Theologorum, asserentium ex adultis Catholicis plures damnari quam salvari, respondes? Electorum exiguum numerum in indignam sacramenti pœnitentiæ susceptionem regerunt. Porro sacrilegam frequentiam ex doloris veri, efficacisque propositi defectu arguunt. Fere omnes adulti, paucis exceptis, sacramentis muniti diem obeunt extremum; & tamen pauci salvantur. Porro magna Christianorum pars sacrilege confitetur peccata sua ob ignorantiam, vel pravas Confessariorum opiniones, ut suo loco patebit. Perhorrescebat, ceu rem monstrosam, S. Bonaventura, quod Confessarii Scripturarum ignari tanto fungerentur ministerio. Sed in semitam revertamur.

XIV. Quæ hactenus dicta sunt, corroborare iuvat sanctæ Scripturæ auctoritate. Apostolus Paulus *Actor.* xx. hæc, teste Luca, fassus est. *Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim .... Quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos,*

mos, testificans Iudæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum . . . . Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis . . . . Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium nocte & die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Omnem ergo veritatem manifestabat Apostolus, etiam *utilium*, tum publice, tum privatim *per domos*. & tamen certum est illum prævidisse se non omnibus profuturum. Testatur enim, insidias se passum a Iudæis fuisse. *Qualiter*, inquit, *vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Deo cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum.* Lege Chrysostomum *hom.* XCIX. hic. Responsum quod præbet Dominicus Soto in *IV. dist.* XVIII. *quæst.* II. *art.* 4. minus solidum est; nimirum, textum Apostoli intelligendum de Prædicatoribus esse, secus de Confessariis; cum isti severius quam illi imbuere pœnitentes astringantur.

XV. Altero sacræ Scripturæ textu sententia nostra munitur, quo adversæ opinionis fundamentum penitus evertitur. Inquit ergo Dominus per Ezechielem cap. XXXIII. vers. 8. *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem, nuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti.* Hæc sententia adeo clara, adeo perspicua est, ut nulla valeat distinctiuncula eludi. Sermo hic est de impio qui non resipiscere, sed persistere in iniquitate sua velit. Nihilosecius si Pastor tacuerit, sanguinem impii perituri de manu Pastoris requiret Dominus. Lege integrum *caput* XXXIV. ubi Dominus redarguit ignorantiam, silentium, negligentiam, socordiamque Pastorum. *Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & universo colle excelso; & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea Pastores audite verbum Domini* &c. Dimissis Sanchez, Diana, Caramuele, ceterisque, lege S. Hieronymum in hæc loca.

XVI. Adrianus gravissimus Theologus laudatos textus recenset, ut nostram evincat sententiam in *IV. quæst.* V. *de Confess. dub.* 6. & 7. adiicitque sequentes Patres. Ambrosius *serm.* LXXXIV. hæc habet: *Ego interdum parcens vobis tacere vellem; sed malo vos contumaciæ causas reddere quam me negligentiæ sustinere iudicium.* S. Gregorius: *Utilius scandalum nasci permittitur quam veritas relinquatur*: cap. III. de reg. iur. Multa quoque congerit Arauxo pro Confessariis Principum, quæ

B ii idem

idem evincunt pro ceteris omnibus Confessariis. Inter alia narrat S. Franciscum de Paula Alphonsum II. Regem Neapolitanum, & Ludovicum XI. Carolum VIII. & Ludovicum XII. Reges Galliarum severe, acriterque obiurgasse de multis criminibus in principatus regimine; tametsi ignota fuissent præfata crimina Monarchis illis, nullumque conscientiæ morsum paterentur. Allegat factum Ambrosii cum Theodosio, Ioannis Baptistæ cum Herode, & innumera Prophetarum exempla. Sed missis his omnibus,

XVII. Evincitur sententia nostra perspicua S. Augustini auctoritate, qui conceptis verbis hanc versat quæstionem Lib. de fide, & bon. oper cap. VII. *Quid si, inquiunt, virgo nesciens viro nupserit alieno? Hoc si semper nesciat, numquam ex hoc erit adultera, si autem sciat, iam ex hoc esse incipiet ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in iure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum, cum vero scierit, nec aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc iuste iniustus vocatur.* Dicant Probabilistæ, in quo differat hæc ab Augustino proposita quæstio ab illa quam versant illi. Bona hic fides, seu ignorantiæ invincibilis scutum opponitur. Peccatum consequens admonitionem adiicitur. Est ergo ipsissima quæstio absque discriminis vola. Audiant nunc Augustini responsum. *Absit ergo ut sensu non humano, sed plane vano, sic doleamus, cum flagitia corriguntur, tamquam connubia dirimantur, maxime in civitate Domini, in monte sancto eius, hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere; quod in Republica tunc Romana non solum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutius modo disputare opus est, cum & illi quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum; neque negent esse adulterium, ne ipsi Domino, sanctoque Evangelio aperte convincantur obsistere.* Plurima alia ibidem Augustinus habet quæ penitus evertunt Probabilistarum in hac materia opiniones. Sed, ceteris relictis, responsum datum expendo. Si ullus esset casus in quo iustum, prudensque silentium Confessarii reputandum esset; profecto esset hic ab Augustino propositus, in quo adest ignorantia invincibilis facti. Porro Augustinus non modo admonendam mulierem docet, sed vanam, & a christiana Theologia alienam declarat contrariam opinionem, huic nixam fundamento, quod mulier correcta sciens peccabit. Recentes vero Probabilistæ non modo mulierem in adulterio materiali reliquissent, sed etiam ad sacramentum pœnitentiæ admisissent, eamque in tali statu denasci sivissent. Vocat Augustinus adulterium, non obstante bona fide mulieris: quia hæc bona fides solum efficit ne adulterium hoc imputetur ad culpam, minime vero aufert quod sit adulterium materiale.

XVIII. Ultimo loco aliud promere argumentum lubet. Sive iustitiæ, sive caritatis

tatis leges spectentur, obligatio Confessarii erga pœnitentem maior non est illa qua pœnitens debet amare seipsum: seu non plus Confessarius pœnitentem, quam pœnitens seipsum, diligere debet. Secundum Probabilistas Confessarius caritatis officium exercet veritatem occultando, ne pœnitens eam cognoscendo pereat. Ergo impendio magis pœnitens vi maioris caritatis erga semetipsum optime faciet, non quærendo, non addiscendo multa præcepta observatu difficilia, ne eadem cognoscendo peccet, æternumque pereat. Si laudabilis est caritas Confessarii erga pœnitentem, dum eidem legem occultam servat; cur laudabilior non erit caritas pœnitentis erga semetipsum, dum ob bonum spirituale animæ suæ addiscere data opera omittit difficiliora legis præcepta? Hoc postremum erroneum est: ergo & primum. Nulla quippe ignorantia matrem agnoscit caritatem, sed negligentiam, desidiam, passionesque pravas. Si Confessarii silentium fructus esset caritatis, non debuisset Deus suam publicare legem, ut dictum est alias. Præterea alio ex capite confirmatur sententia nostra. Duplici modo homo peccat, scienter nempe, & ignoranter, ut omnes fatentur. Ergo, ut sit vere pœnitens, astringitur velle non peccare utrovis modo. Ergo quemadmodum sacrilegus esset, si interpretative vellet unum solum peccatum malitiæ, seu caussam talis peccati; sic sacrilegus est, dum interpretative vult aliquod peccatum ignorantiæ. Toties autem vult ignorantiæ peccatum, quoties interpretative non vult oppositam legis scientiam. Possem denique adversariorum opinionem labefactare ex falsa notione quam Probabilistæ formant de ignorantia invincibili. Putant illi, semper ignorantiam esse invincibilem, quando deest aut actualis cognitio & advertentia, aut remorsus conscientiæ. Qua doctrina nihil excogitari perniciosius potest, ut videbimus infra *dissert.* II. & III. Potest enim ignorantia esse vincibilis, quamvis nullus pungat conscientiam aculeus, quamvis nulla adsit actualis advertentia; ut invictis argumentis demonstraturi sumus. Quo nunc præsupposito ut certo, vides quam difficile sit internoscere vincibilem ab invincibili ignorantia: & cum vix hoc constare certo queat Confessario, pariter vix datur quæstioni locus, quandonam silere debeat. Adde incertitudinem profectus futuri. Verum argumentum hoc nunc prætereo.

XIX. Sententiam nostram defendunt præter Scripturam divinam, sanctosque Patres, Tyrsus Gonzalez *de rec. usu opinion. sub finem*, P. Michael Elizalde *Lib. V. quæst.* xx. Adrianus in *IV. quæst.* v. *dub.* 6. & 7. licet cum limitatione ad ea quæ sunt iuris naturalis & divini, Henricus a S. Ignatio *Tom. III. Lib. V. cap.* cclv. Chrysostomus a S. Ioseph de *reg. mor. Part. II. quæst. v. artic.* 8. excipit tamen casum ignorantiæ impedimenti matrimonii, de quo infra *num.* 49. Communiter omnes Antiprobabilistæ nostram defendere sententiam debent.

§. II.

Adversæ sententiæ fundamenta expenduntur.

XX. Contrariam sententiam defendunt communiter recentiores Probabilistæ. Sanchez *de matrim. Lib. II. disp.* 38. Granados *Part. II. contr.* 11. *tract.* XII. *disp.* VII. *sec.* 5. *num.* 32. Lugo *de pœnit. disp.* XXII. *sec* 2. *§.* 1. *num.* 24. Tamburinus *Lib. III. Meth. cap.* IV. *num.* 5. Patritius Sporer *de sacram. Part. III. cap.* VI. *sec.* IV. *quæst.* 11. *num.* 794. & *tract.* 1. *Theol. mor. cap.* 1. *sec.* 2. *asser.* 5. Salmanticenses Morales *tract.* XX. *cap.* V. *punct.* 3. *num.* 27 Ut istius opinionis horrorem, & incredibilem laxitatem, crudelitatemque percipias, in mentem revoces oportet quæ reipsa docent adversarii, ut facilius vim objectorum deprehendere valeas. Docent ergo, non auferendam esse ignorantiam, cuiuscumque iuris sit, quando non profutura, sed nocitura pœnitenti manifestatio veritatis prævideatur, iis exceptis fidei veritatibus quæ necessariæ sunt necessitate medii. Docent ergo, non admonendos a Confessariis pœnitentes qui bona fide aliena possident, si contractus usurarios ineant, si pollutiones exerceant, & id genus similia. Quin addunt, admonendos non esse pœnitentes, etiamsi pœnitentes recte usuri cognitione essent, si remedium sit difficillimum, & scandalum, vel infamia timeatur. Hinc resolvunt frequentissimos casus. Si moribundus ignorat, se magnam pecuniæ summam usuris, illicitisque contractibus cumulasse, & admonitus restitutionis a Confessario prævidetur minime restituturus; tunc, inquiunt, relinquendus est in sua ignorantia. Nam sub hac ignorantiæ nube, veluti tot Eliæ, immo plusquam Eliæ, cum alienis palliis ad cælum volant, æternæ gloriæ præmium percepturi usurarum, pollutionum, mendaciorum, quæ bona fide, seu invincibili ignorantia exercuerunt. Hæc enim flagitia, sub ignorantiæ invincibilis velo perpetrata, non modo a crimine purgantur, sed etiam æterno præmio digna evadunt; ut infra videbimus. Coniugatos autem relinquendos in fornicatione, vel incestu, quando ignorant aliquod impedimentum, si prævideantur difficillime servaturi continentiam, & scandalum, vel infamia ex separatione timeatur. Quod si coniugata nollet more aliarum nuptarum reddere debitum, posset Confessarius illam astringere dicendo, seu mentiendo, *Teneris reddere*. Mendacium enim Confessarii excusabunt, quod sermo illius sit hypotheticus, supposita nempe ignorantia invincibili pœnitentis. Hanc doctrinam extendunt ad pollutiones, ad simplicem fornicationem, & ad ea omnia de quibus ipsi invincibilem admittunt ignorantiam.

XXI. Differunt aliquantisper inter se Probabilistæ in usu præfatæ doctrinæ. Nam Tamburinus advertit, apprime eam necessariam esse Confessariis *Mercatorum*, & *Principum*, qui cum ingentium debitorum onere frequenter gravati sint, con-

suetu-

suetudinesque habeant pravas, dimitti ab iisdem vix sperari potest: quare, nisi relinquantur in propria ignorantia, miseri mercatores decoctores apparerent, Principesque iniusti, & ad inferna prolaberentur. Sunt tamen alii Probabilistæ, ut videre potes apud Arauxo in *select. in append. ad quæst.* VIII. dari, severique erga miseros Principes, quorum ignorantias auferendas a Confessariis docent, secus a mercatoribus usurariis, ab opificibus fraudulentis, ab advocatis versutis, a mulieribus vanis superbisque.

XXII. P. Dominicus Soto, Theologus alioquin gravissimus, *in IV. dist.* XVIII. *quæst.* II. *art.* 4. *sub finem*, relatis omnibus modis dicendi Adriani, ipse duabus propositionibus caussam expedit, ut etiam advertit P. Elizalde. Primum constituit, numquam licitum esse mentiri, & potissimum in sacramento pœnitentiæ. Quamobrem si pœnitens præsumitur interpretari in sui favorem Confessarii silentium, numquam licet tacere. Sive ergo ignorantia sit facti, sive divini vel humani iuris, in data hypothesi Confessarius admonere pœnitentem debet. Tu lector, subdit Elizalde, vide num aliquis pœnitens reperiatur qui in sui favorem non interpretetur silentium Confessarii. Quis fidelium hanc de tolerandis illorum ignorantiis in ipsa confessione notitiam perspectam habet? Ergo ex hac propositione infertur semper Confessarium admonere pœnitentes debere.

XXIII. Altera Soti propositio est. Quando ignorantia est iuris quod omnes scire debent, sive humani, sive divini sit, Confessarius admonere pœnitentem debet; quoniam tunc ignorantia semper est culpabilis: secus autem si ignorantia sit iuris ad cuius scientiam non omnes astringantur; & ex alia parte nocitura potius quam profutura præsumitur veritatis manifestatio. Subdit vero, posse pœnitentes invincibiliter aliqua ignorare tum divini, tum humani iuris quam ignorantiam auferre Confessarii non tenentur, quando prævident nihil profuturam veritatis manifestationem. Quibus positis, recensentur adversæ sententiæ argumenta.

XXIV. Obiiciunt I. Quando veritatis manifestatio nocitura pœnitenti prævidetur, nulloque modo profutura, nullus occurrit iustus revelandæ veritatis finis. Tunc enim, inquiunt Salmanticenses, *venenum propinant Confessarii, dum medicinam applicare videntur*.

XXV. Resp. Oppositio isthæc clarius adversæ opinionis laxitatem, & falsitatem evincit. Christus Servator noster divinus ignorabat ne hominum infirmitatem, peccandique libidinem? Propterea ne a legis suæ promulgatione abstinuit? Per legem peccatum, inquit Apostolus Paulus. Si consisteret hæc casuistica argumentatio, promulgare Evangelium Christus minime debuisset. Nonne Deus ipse sophisma istud labefactavit per Ezechielem Prophetam cap. III. ver. 18. *Si . . . non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem*

tem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem liberasti animam tuam. Nonne dixit Christus in Evangelio: *Si non venissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo?* Ignoravit ne ille exiguum electorum numerum, qui legem suam observaturi erant, immensamque multitudinem eorum qui eamdem conculcaturi forent? Et nihilosecius ab eadem prædicanda non abstinuit. Hinc Patres clamant, minus malum esse scandala oriri quam veritatem negligi. Quare Bernardus in *Apolog. ad Guillel.* ait: *Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est ut scandalum oriatur, quam ut veritas relinquatur.* Respondet Engel *loc. cit.* cum ceteris, hoc intelligendum esse, quando veritas absque culpa manifestari potest. Quid, quæso, ineptius? Peccatum ne est veritatis manifestatio? Quodnam peccatum hic occurrit? Quod perpetraturi illi sunt qui post acceptam veritatis notitiam legem violabunt? Nonne recte, & vere? Sed Christus, & Patres iubent ne veritas occulta detineatur ob istorum scandala, & scelera.

XXVI. Obiiciunt 2. auctoritatem Augustini, quæ habetur cap. *Si quis* de pœnit. dist. VII. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* De correctione fraterna extra sacramentum facienda loquitur Augustinus, quæ, quando nulla adest emendationis fiducia, fieri non debet. Transcribamus responsum quod præbet ipse P. Claudius La-Croix *tract. de off. Conf. Lib. II. quæst.* 11. „ In „ eo enim Augustini loco de admonitione extra pœnitentiæ sacramentum agitur, „ quæ revera adhiberi non debet, cum nullius spes fructus elucet. At ita res se „ non habet in sacramento pœnitentiæ. Is enim est adhibendi eam finis, ut nempe nullus sacramenti gratiæ obex interponatur. Quare, etsi tunc otiosa videri „ posset quoad pœnitentis emendationem, utilis tamen est quoad sacramentum; „ quod consistere cum hac ignorantia non potest, atque ea de re certiorem fieri „ pœnitentem necesse est. “ Hæc transcripsi, ut colligas suo in pretio nobis haberi Theologos Probabilistas, dum doctrinam quam nos veram reputamus, defendunt. Addo P. La-Croix præter morem ibidem hæc scribere. *Nec obstat quod opponunt adversarii, quorum sententiam improbabilem prorsus & ad praxim non adducendam existimo.* Sed adverte opusculum istud non esse La-Croix: illius enim Tomo I. insertum est post obitum P. La-Croix. Ut ut tamen sit, a quocumque veritatem suscipimus. Sed, ut clarius pateat perperam obtrudi Augustini textum, iuvat integrum illum transcribere. Habetur enim *homil.* XLI. *inter quinquaginta* eiusdem S. Doctoris. Porro ibi Augustinus adversus eos invehitur qui differunt criminum pœnitentiam ad mortem: atque, se ignorare, fucata ne sit, an vera eo tempore acta pœnitentia. Et quoniam ipsum latet pœnitentiam illam non profuturam, docet sacramentum pœnitentiæ conferendum etiam moribundo. Sensus ergo verborum illius

illius est. Si scirem tibi nihil prodesse pœnitentiam in extrema illa lucta peractam, minime tibi absolutionem impertirem, vel si scirem tibi profuturam tunc actam pœnitentiam, *non te terrerem*; idest, pericula non exaggerarem adversus seram pœnitentiam. Quod iste sit Augustini sensus, declarat ipse Augustini textus, si integer, & non truncatus adferatur. En igitur Augustini verba. *Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & invenerit te novissimus dies, curre, ut reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore quo & peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam tunc quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed unde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Verum dicis. Unde? Nescio. Illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item, si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum.* Ex pumice potius aquam exprimes quam ex hac Augustini doctrina, a collectore canonum laudata, opinionem illam laxissimam quæ docet, non illuminandum hominem pœnitentem, erronea invincibili conscientia laborantem.

XXVII. Objiciunt 3. Innocentius III. cap. *Quia circa* de consang. & affinit. inquit. *Dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave valeat scandalum imminere.* Respondet Henricus a S. Ignatio *Tom. III. Lib. V cap.* cclv. Innocentium III. non loqui de Confessario, qui absolvere debeat hunc hominem ignorantia circumfusum; sed de Episcopo, & Parocho, eisdem rationem præscribens quam in foro exteriori servare debeant.

XXVIII. Data responsione omissa, vera exhibetur. Ut igitur omnibus comperta sit facilitas qua nonnulli Probabilistæ fucum faciunt imperitis, integrum caput Innocentii transcribere volo una cum glossa. Iste igitur est textus Lib. IV. Decret. tit. XIV. de consang. & affin. cap. VI. „ Quia circa, & infra. “ *Porro de nobili viro N. pro cujus dispensatione, indulgentia scilicet remanendi cum ea quæ ipsum quinto consanguinitatis gradu contingit, a Sede Apostolica obtinenda, falsa nobis causa fuerit allegata, proles videlicet, cum tamen ante dispensationem obtentam, unica filia quam habebat, viam fuerit universæ carnis ingressa, prout tua consultatio continebat: dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione (sicut asseris) grave videas scandalum imminere.*

XXIX. Hoc est integrum caput, ex quo evidenter constat, summum Pontificem approbare dispensationem, quæ alioquin ob caussam falso expositam nulla erat, ut caveat scandala quæ ex separatione conjugatorum oritura erant. In hujus rei confirmationem exscribam verba glossæ. „ Quidam nobilis contraxit matrimonium „ cum quadam muliere quæ ipsum attingit quinto gradu consanguinitatis, de qua „ filiam

„ filiam unicam suscepit. Tandem mortua fuit ipsa filia. Post mortem filiæ supplicavit nobilis Domino Papæ, ut favore filiæ quam de ipsa susceperit, dispensaret, ut insimul possent remanere: & sic allegata caussa falsa, dispensavit, ut insimul remanere possent. Episcopus loci, visa indulgentia, cum obtenta esset ex causa falsa, dubitavit, utrum possent prætextu huius indulgentiæ remanere. Significavit hoc Domino Papæ, addens, quod ex separatione illorum magnum scandalum imminebat. Respondit Papa, quod ipse poterit dissimulare, ut remanerent in copula sic contracta propter scandalum quod immineret, si separarentur. *Nota, quod propter scandalum toleratur dispensatio ex falsa causa concessa.* "

XXX. Ex sola ergo sincera expositione præfati canonis constat, nullum heinc adversæ sententiæ patronos colligere præsidium posse. Quoniam Pontifex ratam habuit dispensationem datam, licet falsa fuerit circumstantia exposita. Quam interpretationem confirmant veteres Canonistæ, Goffridus, Hostiensis, Antonius, Ioannes Andreas, aliique. Inquiunt enim post illa verba, *Dissimulare poteris*, subintelligenda sequentia, *Ex scientia & licentia nostra, quam auctoritate præsentium impartimur*. Quia stultum esset sentire, Papam velle permittere ut in adulterio manerent illi, & ita peccarent.

XXXI. Martinus Navarrus in cap. *Si quis autem* dist. VII. de pœnit. num. 69. & seq. refellit hanc interpretationem, ut falsam: quia etiamsi dissimulatio vim dispensationis obtinuisset non propterea matrimonium illud, quod nullum erat, roborabatur sine animo de novo contrahendi. Non enim superveniens dispensatio validum efficit matrimonium nullum, nisi novo consensu contrahatur, etiamsi dispensatio expresse data a Papa sit: quanto minus implicita? Verum habet. At quis revelavit Navarro, consensum inter coniugatos renovatum non fuisse? Posito quod Papa dispensaverit, necessariis conditionibus limitatam fuisse dispensationem; sentire nos convenit. Bene habet, reponis. Sed probandum superest, impertitam dispensationem fuisse.

XXXII. Ut evidenter evincam, Navarrum, ceterosque omnes qui illum secuti sunt, toto ostio aberrare, adverto, ignorantiam iuris humani accipi bifariam posse. Primo absolute, dum sistit intra limites legis humanæ. Secundo comparate ad alias leges, quando violatio talis iuris inducit violationem iuris naturalis, & divini, ut accidit in casu nostro. Violatio enim legis humanæ, præscribentis impedimentum, infert transgressionem legis naturalis, & divinæ: quia cum matrimonium ob illud impedimentum nullum sit, coniugati versantur in continua fornicatione, & incestu. Quibus positis.

XXXIII. Dico, Pontificem summum aut super illo matrimonio dispensasse, debitis adiectis conditionibus, aut declarasse validum fuisse. Quod ad secundum hoc membrum attinet, animadvertendum est, ut iam prius observavit acutus P. Elizalde.

zalde, dispensationes non fieri nullas ob defectum alicuius circumstantiæ levioris momenti, quæque non est dispensandi ratio, sed potius in supplicatione adheitur ex maiori abundantia. Sic evenisse in casu hoc patet. Consanguinitas in gradu remoto erat, in quinto nempe gradu, in quo absque ulla prole suscepta frequentissime dispensabatur. Ergo circumstantia prolis ad facilius obtinendam dispensationem adiecta fuit, non tamquam dispensandi ratio, cum in quinto gradu sine tali circumstantia communiter dispensatio impertiretur. Accedit quod vera fuit circumstantia filiæ, quæ ante obtentam dispensationem viam universæ carnis, ut Pontifex inquit, ingressa erat. Validum ergo Papa iudicavit matrimonium illud, quod dispensatio data non potuerit levis circumstantiæ falsitate infirmari. Idcirco rescripsit Episcopo, de valore dispensationis dubitanti, ut dissimularet &c. Atque hæc interpretatio, inquit Elizalde, munitur ex cap. *Non debet* eiusdem titul. & eiusdem Innoc. Unde colligitur, non adeo stricti iuris tunc fuisse impedimentum supra quartum gradum. Nec obstat, quod appareat, motum fuisse Pontificem ob scandalum vitandum. Nam hæc clausula apposita fuit ab Episcopo, eamque repetivit Pontifex, ut quid conducens in matrimonii favorem. Quod si quid dubii erat, in favorem possessorum decidendum erat.

XXXIV. Si hæc tibi non probatur interpretatio, Papam novam impertiisse dispensationem tanta evidentia demonstro, ut omnes Probabilistæ simul nihil in oppositum hiscere valeant. Et ut expeditis aculeis eos urgeam. Nullum ne, an validum matrimonium? Si secundum, nulla quæstio. Si primum, ergo Pontifex nullum agnovit eiusmodi matrimonium. Dispensavit ergo. Negas? Ergo Pontifex libere permisit duos coniuges, nulla urgente caussa, in continua fornicatione versari. Ergo iniquus Papa fuit, qui, cum posset, noluit hanc fornicandi caussam auferre. Quid ad hoc? Cedo. Poterat ne Pontifex dispensare? Ais. Ergo iniquus, si non fecit, quoniam nullum erat dispensandi obstaculum, quin scandalum, quod separationem impediebat, ad dispensandum urgebat. Nulla itaque assignari ratio potest cur non dispensaverit cum coniugibus ita suæ salutis avidis, ut iam impetraverint priorem dispensationem. Nulla enim in istis adversus dispensationem suspicari repugnantia valet. Itaque dispensandi necessitas urgebat: nil obstabat: Papa poterat: Episcopus supplicabat. Alterutrum ergo dicendum est, aut Papam stultum, atque iniquum fuisse (quod de quocumque asserere, maxime vero de Pontifice, & de Innocentio III. Pontifice peculiari sanctitate non minus quam doctrina prædito, impiam præfert temeritatem), aut, supplicante Episcopo, super matrimonio nullo dispensationem impertiisse. Hæc omnia adeo evidentia sunt, ut nulla distinctiuncula eludi queant. Accedit quod, nisi ita ratiocinemur, nullæ in posterum petendæ dispensationes erunt; nullæ proclamationes faciendæ, ut impedimenta pandantur. Ignorantia enim iuxta Probabilistas satis est. Verum omnes Theologi

logi affirmant, tum Confessorem, tum Pastorem astringi, ignorantiam invincibilem auferre, quando id sine peccati, aut scandali periculo præstare valet. Poterat Pontifex in casu nostro: ergo fecit. Omnia, inquis, luculenta, & perspicua. Quid ergo dissimulare Episcopus debebat? Respondeo, quod, admissa priori responsione, dissimulare poterat matrimonium, utpote validum; licet dispensatio subreptitia fuerit in levi circumstantia. Juxta secundam responsionem dissimulare poterat publicam separationem, pœnamque infligendam ob subdolam falsæ circumstantiæ expositionem. Denique, ut adhuc evidentius percipias quam sit hæc interpretatio genuina, in memoriam revoca luculentissima argumenta quibus evincitur, damnabilem esse in Confessario dissimulationem fornicationis in suis pœnitentibus.

XXXV. Colligas heinc velim, quam inepte laudatum canonem detorserint adversarii ad laxissimam opinionem firmandam. Nam etiam admisso quod dissimulanda esset ignorantia invincibilis alicuius impedimenti matrimonialis, non heinc inferri ullo modo potest, dissimulandam esse in confessione ignorantiam invincibilem restitutionis faciendæ, usurarum, simoniæ, aliorumque vitiorum. Quomodo enim in extremo necessitatis casu dissimulanda sit alicuius impedimenti ignorantia, sub finem dicam istius paragraphi.

XXXVI. Jam mihi videre videor te ita persuasum, & convictum, ut una te exclamantem audiam. Ecqui fieri potest ut tot Theologi docti, probique in re adeo gravissima erraverint? Ortum id duxit partim ex zelo pro salvandi omnes, partim ex præiudiciis Probabilismi, partim denique ex nimio erga anteriores Probabilistas amore. Paucis rem habe. Alexander VII. & Innocentius XI. centum & amplius propositiones, ex recentioribus Probabilistis fere omnes decerptas, proscripsere. Et quoniam detractum eiusmodi Probabilistarum honori existimatum est, si concedatur, in eorumdem libris damnatas reperiri propositiones, recentiorum Probabilistarum plures gloriæ sibi verterunt negare in præfatis Auctoribus has extare theses. Et quamvis luce meridiana clarius sit, in Sanchez, in Tamburino, Caramuele, Escobario, Pasqualigo, Diana, aliisque easdem contineri; tamen istorum Theologorum doctrina propugnatur ut innoxia. Isti sunt Auctores qui citantur, ut iam fusius dictum est alibi. Et ut sistamus in argumento quod est in manibus: P. Sanchez docuit, non illuminandum pœnitentem qui bona fide possidet aliena. Hanc doctrinam exscripsit Tamburinus, & dilatavit, &, quod magis dolet, ipsi docti Salmanticenses, horum, aliorumque similium Theologorum auctoritate interdum devicti, profligatam opinionem docent, & pro eadem citant Sanchez, Granados, Lugo, Antonium a Spiritu sancto. Et quia vix credi potest, Theologos Salmanticenses tam laxam docere sententiam, lubet nonnulla alia illorum verba transcribere ex *cit. tract. xx. cap. v. punct. 3. num. 27.* ubi inquiunt. *Similiter si cognita obligatione restitutionis, probabiliter timet post admonitionem a pœnitente non esse*

esse restituendum; tunc potius debet dissimulare quam veritatem aperire. Quia Confessarius solum tenetur manifestare veritatem, quando cognoscit talem monitionem pœnitentis profuturam, & non nocituram, sed tunc talem manifestationem, seu monitionem cognoscit non profuturam, sed potius nocituram, & in spiritualem ruinam pœnitentis, esse futuram: ergo non tenetur tunc veritatem impedimenti, & restitutionis aperire sed debet pœnitentem in sua bona fide antea habita relinquere. Sic Sanchez . . . Sic noster Franciscus bonæ Spei. Sic noster Antonius a Spiritu sancto, Casuista magnopere laxus.

XXXVII. Antequam absurda monstrosa quæ hanc doctrinam consequuntur, describo, percontari iterum duo lubet a Theologis istis. Primum. Sola ergo probabilitas satis est ad dissimulandam ignorantiam pecuniæ, restituendæ? Oblitus ille est obligationis ingentis solvendi debiti. *Probabiliter* times ne sit soluturus, si excitetur ab oblivione, & ideo taces? Si tantum *probabiliter* times: ergo simul probabiliter speras, diceret Gobat. Cur, si timor probabilis suadet silentium, spes æque probabilis non urget ad loquendum? Non ergo certitudo moralis directa requiritur ut Confessarius silere debeat, sed sat est probabilis timor ne sit restiturus. Quid plura? Satis est dubium, ut infra videbimus. Alterum, & potissimum quod quæro, est. Eccur noxiam, immo mortiferam, prævident fore divinæ veritatis lucem pœnitentibus suis? Quid responsi? Quia se expoliare pecuniis molestissimum est, & perdifficile, ut debita solvant, ut aliena restituant. Deberent enim splendidum diminuere apparatum, fastum, pompasque circumcidere, deliciis valedicere, exasperare uxorem, a gradu descendere. Quid humanitati infestius? Quid repugnantius? Relinquendi ergo in bona fide sunt, qua invincibiliter sibi blandiuntur, nec contractus esse injustos, nec se usuras exercuisse, nec in dilatione solvendæ mercedis peccasse. Quoniam si admonerentur, æternas pœnas luerent, eo quod minime restituerent, solverentque debita. Quamquam supra inter disputandum ostensa sit istius doctrinæ laxitas revera horrenda, lubet iterum ad incitas Probabilistas urgere. Silent ergo, quia nocituram prævident pœnitentibus veritatem. Recte & vere. Audiant nunc repetitionem iam indicatæ doctrinæ. Fidei veritas est, aliquam saltem adhibere Christianos debere diligentiam in addiscenda Dei lege, sive dura, sive suavi, sive facili, sive difficili. Hoc extra disputationem est. Si aliquam: ergo minimam saltem præstare diligentiam debent. Porro minima diligentia est, ut saltem velint audire istius legis notitiam a Confessario. Ergo Christianus, qui non præsumitur *virtualiter* saltem paratus ad recipiendam legis veritatem, non est erga legislatorem Deum, suamque legem recte dispositus. Ergo sacramenti pœnitentiæ indignus. Perge porro. Aut Confessarius prudenter præsumit, Christianum pœnitentem velle sincere legem Dei universam scire, aut nolle eamdem scire. Nulla ad fugam latebra occurrit. Si primum, lege naturali-

di-

divina, & canonica Confessarius, utpote ex officio pœnitentis doctor, tenetur eidem disposito, & virtualiter parato veritatem pandere. Si secundum, tam ignorantia vincibilis est, supina, & affectata. Ergo iuxta omnes ad unum Theologos catholicos absolvi nequit. Ergo luce meridiana clarius est, perdoctos Probabilistas absolvere, & sacramenta Iesu Christi ministrare Christianis illis quos præsumunt illo ipso actu quo eos absolvunt, nolle intelligere, ut bene agant. Instauro alio sub aspectu argumentationem. Si Christiani pœnitentes expresse dicerent, se nolle scire totam Dei legem, absolvendi ne essent? Absit, inquis. Atqui omnes illi qui virtualiter & interpretative aliquid nolunt, aut volunt, si expresse interrogentur, num illud velint, aut nolint, expresse reapse illud volunt, aut nolunt. Ergo, si virtualiter nolentes prudenter præsumuntur, necessario consequitur, præsumendos quoque esse expresse, & formaliter nolentes totam legem scire: vel contra, si virtualiter præsumuntur volentes, præsumi quoque necessario debent formaliter expresseque volentes scire totam legem. Ergo aut peccant Confessarii, si absolvant nolentes scire, aut peccant, si non illuminant volentes scire. Quid ad hæc?

XXXVIII. Reponunt Confessarii, se hic & nunc præsumere, velle pœnitentes virtualiter scire, servareque universam legem; at, spectata eorum fragilitate, & ad peccandum propensione, timent futuram voluntatis mutationem ob difficultatem gravissimam legis servandæ. Ita ne vero? Sed hoc frequentissime evenit etiam in peccatis scitis, compertisque. Si timor voluntatis in futurum mutandæ remorari debet a veritate pandenda, vix aliquis Christianus absolvi licite potest. Et Probabilistæ audent hoc opponere sophisma, qui consuetudinarios, recidivantes, & ipsos habituatos absolvunt, licet probabiliter relapsuros prævideant! Si timor voluntatis mutandæ, & ad peccandum propensionis retrahere a manifestanda lege deberet; Christus Dominus, prævidens immensam multitudinem suæ legi adversam, eam promulgare haud debuisset. An ipsum latebat humana infirmitas? Sed quid ultra produco inane sophisma?

XXXIX. Multa in pauca contrahamus. Theologi isti, & Confessarii hæc duo iudicia contraria forment eodem tempore, & de eodem pœnitente necessum est. Primum, quod sincero corde, animoque contrito ad Deum accedant pœnitentes: quod velint sincere observare omnia mandata divina, universamque legem: quod accedant cum proposito efficaci recipiendi a Confessario, qua iudice, absolutionem, & qua doctore, instructionem omnium veritatum quas lex divina sciendas præcipit. His ornatos dispositionibus præsumere Confessarii debent pœnitentes suos. Ex alia parte simul præsumere illos debent tam aversos a divinæ legis scientia, & adeo imparatos ad suscipiendam notitiam, ut expedientius iudicent in divinæ legis ignoratione derelinquendos esse. Quæ profecto paradoxa omnem fidem superant.

XL. Ut absurda horrenda quæ hanc consequuntur opinionem, percipias, in mentem revoca textus Tamburini asserentis hanc doctrinam animadvertendam esse *PERMAXIME PRO CONFESSARIIS MERCATORUM, & PRINCIPUM*. Admissa hac doctrina, quod in materia restitutionis & iustitiæ, quæ est omnium gravissima, & difficilioris observandæ, relinquendi Christiani sint in ignorantiæ tenebris, quæ hinc non oriuntur monstra? Relinquendi in posterum erunt in sua ignorantia! Quinam? Qui bona fide recipiunt quinque in centum ultra sortem, tamquam ex *gratitudine debitum*. qui ad duellum provocati, illud bona fide acceptant, ne timidi animi notam subeant: qui calumniatores, falsosque accusatores occidunt, dum alia non occurrunt media evitandi damnum illatum. qui iudicant, licitum esse retinere concubinam nimis idoneam oblectando concubinario. Relinquendi in sua ignorantia sunt qui bona conscientia a potestate publica rogati de fide christiana, licitum silentium iudicant: qui sex in centum ultra sortem exigunt, quod ad non repetendum vivum infra tempus certum se se astrinxere: qui esse licitum abortum putant, ne puella prægnans diffametur. famuli qui heris suis surripiunt bona ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario: qui occidunt furem ob conservationem unius aurei: qui mortem parentum cupiunt, ut hereditatem assequantur: qui submissis humeris scienter adiuvant heros suos ascendere per fenestras ad stuprandam virginem. qui credunt adulterium non perpetrare, dum agnoscunt uxorem alienam consentiente marito.

XLI. Hæc & similia horrenda monstra necessario consequuntur ex istorum Probabilistarum laxissima opinione. Et ut paucis omnia amplectar, opinionem hanc necessario consequitur funestissima universi populi christiani clades, atque excidium. Nihil hic per exaggerationem dictum. Sub oculos recurrat Tamburini, Sanchez, Salmanticensium, & aliorum doctrina, quam hoc in capite transcripsi propriis ipsorum verbis; & continuo quisque percipiet, evidens esse quod assero. Loco principii constituunt illi, non monendos a Confessario Christianos illorum criminum a quibus difficillime abstinere prævidentur. Quid vero difficilius quam a divitiis iniustæ partis, ab illecebrosis diverticulis, a comœdiis, a comessationibus animum servare abstractum? Mulieres tanto impetu pompas, fastum, fucos, lenocinia, virorum obsequia depereunt, ambiunt, & adeo sibi licita reputant, ut obsequium se præstare Deo arbitrentur. Viri e contrario, ut muliercularum amorem foveant, ut eas sibi devinciant, ut gradum dignitatemque ostentent, nihil intentatum relinquunt: pecunias, divitiasque quacumque via, sive iusta, sive iniusta, conquirunt, omnia sibi licere autumant. In sæculo vivimus in quo tanta opinionum perversitate, morum, consuetudinumque pravitate homines educantur, ut vel ipsa manifesta crimina honestatis formam induerint. Quid quod præter iniqua exempla laxæ nonnullorum Casuistarum opiniones erroneas hominum antici-

pa-

pationes confirmant, animos adiiciunt ad exitiosa persequenda oblectamenta? Hæc omnia & oculis cernuntur, & manibus contrectantur. Si ergo Confessarii, dum pro tribunali sedent, dum ad sacramenta christianæ religionis Fideles admittunt, recepere minime debeant hæc quæ legi naturali, & divinæ repugnant, quod prævideant *probabiliter* non profuturam admonitionem; si constituatur, incautos atque imprudentes haberi Confessarios qui veritatem pandunt: quoniam *quando medicinam sibi videntur applicare, venenum propinant*: admissa hac juniorum Theologorum doctrina, judicent æqui rerum æstimatores, an verum non sit, hinc christiani populi cladem, ruinamque extremam consequi.

XLII. Ultra pergunt recentiores Theologi. Quærunt Salmanticenses *loc. cit. num.* 28. Quid agendum, quando dubium est, sit ne profutura monitio? Si nullum timeatur damnum, admonendum pœnitentem docent, si simul speretur profectus. Quid, si momenta utrimque occurrentia æqualia sint? Respondent laudati Salmanticenses cum Bonacina, cessare tunc obligationem corrigendi pœnitentem, excepto articulo mortis, & casu in quo vel detrimentum innocentis, vel damnum contra bonum commune sequeretur. Quia in tali dubio, & sub circumstantiis relatis *non tenetur Confessarius pœnitentem monere, veritatem illi aperiendo, & a conscientia erronea liberando*. Non plus debiti recognoscunt Auctores isti in Confessario admonendi pœnitentes suos quam quod præceptum correctionis imponit Christianis omnibus corrigendi fratres. Hi implere præceptum correctionis non astringuntur, si nulla sit profectus fiducia. Verum Confessarii duplici momento astringuntur pœnitentes suos instruere. Primo vi officii gravissimo premuntur onere retegendæ, & explicandæ evangelicæ legis illis omnibus qui ad illos accedunt. Secundo, ut sacramentorum sanctitatem sartam tectam custodiant a sacrilega profanatione. Dum veritatem silent, quia probabiliter præsumunt, non suscipiendam a pœnitentibus monitionem, hos judicant sive actu, sive in animi præparatione paratos ad respuendam veritatem. Ergo indignos illos reapse judicare debent sacramentis. Quid ad hæc? Num fragilem naturam, peccandique *formaliter* periculum obtrudent? At recurrunt argumenta facta, non debuisse Christum Dominum hac ratione suam promulgare legem.

XLIII. Hæc latius disputavi, quia sub scribendi initium sæpitas accepi epistolas a D. Josepho Gerardi Plebano Ecclesiæ Cavasi Diœcesis Tarvisinæ, qui super hac controversia resolutionem a me poscebat. Junioris doctrinæ assertor est eruditus hic Pastor: & quia auctoritate Theologorum, Canonistarum, & potissimum cap. *Quia circa* premebatur, quid agendum sibi foret in tam momentoso negotio, etiam atque etiam flagitabat. Cui ut facerem satis, rem plenius dispicere judicavi, & malorum multitudini, quæ ex opposita opinione proficiscuntur, occurrere operæ pretium existimavi.

XLIV.

XLIV. Caveant ergo Confessarii silentium in re tam gravi. Animadvertant potissimum, tot sacrilegiorum radicem esse hanc Confessariorum vel taciturnitatem, vel loquendi inscitiam. Caveant ne sint canes muti, non valentes latrare. Non se decipi sinant fuco auctoritatis Theologorum quos laudavi: quoniam evidenter constat, canones quos allegant, nihil laxitati casuisticæ suffragari, rationes vero quas opponunt, futiles omnino sunt. Nonne, ut etiam hoc addam, sacramenta christianæ religionis aut inducunt, aut inductam augent divinam gratiam? Christiani hi sacramenta recipiunt, frequentant sub suis Confessariis, & non modo meliores non evadunt, verum nec tantam assequuntur docilitatem qua propriæ professionis præcepta sibi explicata addiscere velint. Quid judicii in illos opifices, & artifices ferres qui ita dispositi essent, ut nollent propriæ artis regulas, vel gratis explicatas, recipere, qui amarent propriæ artis ignorantiam? Quis umquam talia excogitavit monstra? Animadvertas iterum velim, quod Tamburinus scribit, suam nempe, & aliorum Probabilistarum doctrinam adnotandam *perniciosissime esse pro Confessariis mercatorum, & Principum*. Quid amplius ad gratiam, favoremque? Verum tu qui Christi Evangelium profiteris, apage exitiale monitum. Recordare Pauli Apostoli effatum: *Si hominibus placerem, servus Christi non essem*. Cave ne divitum, Principumque respectus, eorumque captandæ auræ studium, os tuum claudant, deiciantque animam. Sed expergiscere, frontem indue æneam, ut pro domo Dei, & sacramentorum sanctitate asserenda murum inexpugnabilem te constituas. Postremum, post omnia quæ hactenus in medium attuli, oculos conjice in ipsam experientiam. Spectato tantam sacramentorum frequentiam cum vita vana, molli, illecebrosa, impudica, avara, effreni consociatam. Unde tam sacrilega, corruptela? Non sane aliunde quam & ex Confessariorum oscitantia, imperitia, ac ignorantia, & ex pœnitentium vafra iniquitate.

§. III.

Nonnullæ quæstiunculæ resolvuntur.

XLV. QUæst. I. Dives est morti proximus, ingentis patrimonii, usuris, fraudibus, dolis, oppressionibus, pauperumque sanguine parti. Uxorem habet, & filios. Bona ipse fide, seu ignorantia invincibili, se licite possidere bona sua credit: siquidem nullo conscientiæ morsu pungitur, nullaque actuali cognitione rei restituendæ illustratur. Quibus positis ignorantia invincibilis præsumitur. Porro si admoneatur, probabile est illum non restituturum, mendicitati enim dilectissimam uxorem, & amatissimos filios exponere deberet, atque infamiæ. Veritatis ergo manifestationem certa consequitur damnatio. Si sua quali quali bona fide decedat, forte salvabitur: saltem *probabiliter probabile est* hunc sal-

salvum futurum, Confessario silente; certe vero damnabitur, si Confessarius loquatur.

XLVI. Resp. Si caecus caecum duxerit, ambo in foveam cadunt. Confessarius canis mutus, non valens, aut erroneis opiniunculis deceptus nesciens latrare, & loqui, damnatur tamquam sui ministerii iniquus praevaricator, & crudelissimus animarum interemptor. Christiani qui sive sani, sive cum morte luctantes, Confessarium vocant, judicem vocant a quo absolvantur, doctorem a quo instruantur. Si in hunc finem Confessarium non vocant, hypocritae sunt, & Dei, ac poenitentiae irrisores, contemptoresque. Benigni Probabilistae neminem adeo vafrum, maxime imminente morte, supponere debent. Paratos ergo illos ad suscipiendam instructionem reputare debent, nisi temerarii judices ipsi esse velint. Porro miseri poenitentes silentium Confessariorum tamquam approbationem reputant conscientiae propriae. Si vero Confessarii reponant, se non temere, sed prudentissime judicare imparatos illos esse ad observandam legem justitiae, cur ergo divinae legis contemptores absolvunt? Ubi, quaeso, in his moribundis cor contritum, & humiliatum? Ubi dilectio Dei super omnia? Ubi vel ipsius inferni super omnia timor? Ubi denique voluntas observandi universam legem? Nec est quod reponas, adesse illis voluntatem servandi totam legem quam sciunt, vel esse praesumunt: quoniam necessaria est voluntas efficax sciendi, & observandi universam legem quam Deus tulit, non quam peccator effingit. Si haec desit voluntas, vincibilis ignorantia est. Ne multa: haec Probabilistarum doctrina communi humani generis sensui adversatur. Quid, si Christianis haec de illorum tolerandis in re gravissima ignorantiis doctrina perspecta esset? Perhorrescerent sane Confessarios ut deceptores, animarumque perditores, si scirent eos veritatem aeternae legis occultam tenere eo ipso tempore quo vocantur in hunc finem ut illam manifestent. Quis ex universo Catholicorum coetu rogatus vellet, imminente morte, non admoneri cujusque peccati, sive malitiae, sive ignorantiae, sive injustitiae, etiamsi universa substantia restituenda foret? Pudori sibi verteret, & ignominiae, respondere, se nolle tunc temporis scire veritatem universae legis necessariae ad salutem. Quid, si Probabilistam argutantem audiret, necessariam esse legem quam ipse scit, non quam Deus publicavit? Hanc ineptissimam distinctiunculam derideret ut futile commentum. Nam Deus praecipit addiscere pro viribus universam legem, ut dictum est. Lege Augustinum *Lib. contra mendacium ad Consentium cap. XVIII* ubi similem casum proponit unius moribundi, vitam corporalem continuo amissuri, si filii obitus sibi pandatur. Ibi enim inducit Probabilistas similes, qui exaggerant, nos diligere *animicidam veritatem*, quemadmodum accusabant Augustinum amantem *homicidam veritatem*.

XLVII. Quaest. II. Berta bona fide contraxit matrimonium, quod tamen ob occul-

cultum impedimentum dirimens nullum est. Si impedimenti admoneatur, in occasione proxima formaliter peccandi constituitur. Si debitum reddere nolit, vel a marito interficitur, vel mutuæ inter parentes inimicitiæ, & infamiæ oriuntur. Quis dixerit dissimulandam hoc in casu non esse impedimenti ignorantiam?

XLVIII. Resp. Distinguenda est admonitio facienda intra, aut extra confessionem. Parochus, Pastor, & Confessarii in foro exteriori plura dissimulare possunt, dum prævident maiora incommoda ex admonitione secutura, nullumque profectum sperant. Contra res se habet in confessione. Confessarius, sedens pro tribunali, confessionem audiens, supponere pœnitentem debet paratum ad omnem Dei legem servandam. Si admoneatur, constituitur in occasione proxima, quia separari nequit. Occasio ergo necessaria, non libera erit. Quot autem sunt in occasione proxima necessaria qui usu remediorum legem Dei servant? Iuxta Probabilistas dari ignorantia invincibilis potest simplicis fornicationis. Sint Titius, & Berta necessitate cogente in eadem domo, hac ignorantia muniti bona fide fornicantes. Si separentur, scandalum oritur. Non ergo admonendi iuxta Probabilistas, ne formaliter fornicentur; sed relinquendi in materiali fornicatione, &, quod plus est, absolvendi, & ad sacram mensam admittendi? Ista ne christiana Theologia? Nec est quod reponas discrimen iuris humani, & naturalis. Nam licet impedimenti ignorantia humani iuris sit, tamen iuris istius violatio infert necessario violationem legis naturalis, & divinæ; adeoque Titius, & Berta, supposito impedimento dirimente, sunt duo fornicatores. Si ergo Confessarius paratos eos non præsumit ad servandam continentiam, usque dum dispensatio impetretur; absolvere eos non debet. Quando moraliter certus est, istos non esse legem observaturos, ad vitanda maiora peccata sileat Confessarius, & sacramenta differat, donec dispensationem impetraverit. Quid, si urgeat præceptum confessionis Paschatis tempore? Tunc dico, aut admonendos esse, aut suspendendam absolutionem. Nonne quando ignorantia est vincibilis, admonere illos debes? Nullum tum scandalum, nulla occasio proxima excusat. Nonne tunc servare legem tenentur, & in occasione proxima castitatem custodire? Porro raro est ignorantia revera invincibilis in matrimonii impedimentis; frequentissime vero vincibilis ob negligentiam investigationis & inquisitionis veritatis. Nec ad invincibilitatem sat est quod non sentiant remorsum, quod actu non cognoscant, quemadmodum falso Probabilistæ contendunt, ut infra patebit. Verum, his nunc missis, cur non admones? Quia non sunt parati ad observandam continentiam? Ergo non sunt dispositi ad pœnitentiam sacramentalem ob argumenta supra explicata. Sunt in occasione utique; sed etiam Malcus captivus cum muliere captiva erat in occasione proxima; & tamen castitatem servavit uterque. Scandalum, reponis, imminet. Quid scandalum obtrudis? Scandalum oriri potest dumtaxat ex publica separatione, non ex

privata & occulta continentia. Scandala inimicitiæ, infamiæ vitanda semper sunt. At quando coniuges divinæ legis servandæ amore flagrant, & scandalum vitare, & continentiam servare valent. Quid quod vel ipsi coniuges, si interrogarentur, an vellent diem ultimum obire in tali copula fornicaria, velamine ignorantiæ obtecta, intrepide negarent, atque opinionem adversariorum, ut ego quidem arbitror, detestarentur? Ego sane numquam adduci possum ut concedam, dissimulandam esse hanc ignorantiam eo tempore quo conferendum est sacramentum.

XLIX. Instant adversarii. Quæ hactenus dicta sunt, a scopo omnino declinant. Ea locum habere possent, quando uterque coniux confiteretur eidem Confessario. Nunc autem sermo est de Berta interficienda a marito, si debitum solvere recusat. Parata est illa castitatem servare, & ut talis a Confessario præcognoscitur. Tota difficultas est, teneatur ne debitum reddere marito petenti. Si admoneatur, reddere nequit. Si non reddat, interficitur, & scandala oriuntur plurima. Resp. Hæc omnia oriri possent, si ignorantia vincibilis esset, & tamen iuxta omnes admonenda mulier foret, & omnia secutura mala contemnere deberet. Casus hic perquam rarus est. Si tamen eveniret, differri sacramentum posset, non revelato impedimento, donec, impetrata dispensatione, matrimonium perficiatur iuxta modum quem communiter DD. præscribunt. Quid, si necessitas urgeret suscipiendi sacramentum? Confessarius his pressus angustiis, requirat a muliere (nam respectu mariti vix, ac ne vix quidem occurrere hic casus valet) propositum universale servandi omnia mandata, & universam legem, & absolutionem impertiri potert, si ceteræ dispositiones apparuerint. Hoc assero potissimum ob communem Theologorum consensum: neque ab hac sententia dissentit P. Higalde. Ex hoc perquam raro eventu regulam generalem eruere, ut Probabilistæ contendunt, relinquendi pœnitentes in propria ignorantia invincibili, magna deceptio est. Quoties enim in potestate pœnitentis est abstinere a peccato, semper admonendus a Confessario est, etiamsi admonitio prævideretur nocitura, nedum profutura. Et hæc sententia communis est penes Antiprobabilistas, ut advertit Christophorus a S. Ioseph *loc. cit.*

CAPUT V.

Opera ex conscientia erronea invincibili peracta, licet careant malitia formali, nulla tamen prædita sunt bonitate, aut merito Probabilistarum sophismata convelluntur.

§. I.

Rationum momenta explicantur.

I. IAM demonstratum supra est, conscientiam invincibiliter errantem excusare a culpa. Nunc in disputationem adducitur, utrum opus illud in se materialiter malum, conscientia invincibiliter erronea directum in finem bonum, sit bonum, & meritorium, si conditiones ad opera meritoria necessariæ concurrant. Affirmant Probabilistæ omnes, & potissimum recentiorum princeps P. Antonius Terillus *I. Part. de regul. mor. quæst.* III. ubi plura pro sua opinione congerit sophismata, *in quibus* (inquit P. Ignatius de Camargo *Lib. I. contr.* X. *art.* 2. *§.* 2. *num.* 46.) *nescias quid mirere magis, an importunitatem, & inefficaciam ipsorum, an confidentiam nimiam.*

II. P. Claudius La-Croix *Lib. I. quæst.* V. *num.* 14. *& seq.* ambabus ulnis amplectitur sui *Terilli* sententiam ut communissimam; laudatque Theologos a Terillo citatos, nempe Almainum, Cordubam, Lorcam, Duval, Malderum, Pesantium, Azorium, Vasquez, Sanchez, Salas, Amicum, Becanum, Cardenas, aliosque. Quin Terilli auctoritate deceptus non veretur S. Thomam pro hac eadem sententia allegare, atque S. Doctorem 1. 2. *quæst.* XIX. *art.* 6. expresse præfatam docere opinionem.

III. Verum pace tum *Terilli*, tum *La-Croix* hæc est apertissima falsitas. Quod ut evincam, transcribam potissimum argumentum cui *P. Terillus* suam fidit conclusionem. Inquit ergo de *conscient. quæst.* XVI. *num.* 27. „ Quod mentiens v. g. ex „ errore, quo invincibiliter putat, mendacium esse rem Deo gratam, laudabiliter „ operetur, probatur: quia actus voluntatis non aliter dependet a prævio dicta„ mine conscientiæ ad contrahendam malitiam quam ad contrahendam bonita„ tem. Sed actus discordans a dictamine conscientiæ, etsi erroneæ, malus est, „ eamque rationem malitiæ contrahit quam dictamen errans proponit, ut con„ stat. Ergo actus concordans dictamini conscientiæ invincibiliter erranti bonus „ est, eamque rationem bonitatis acquirit quam dictamen falsum proponit: *nec*

„ *enim maior vis est* in dictamine falso ad refundendam malitiam in actum dif-
„ formem quam ad refundendam bonitatem in actum conformem. " Hanc eamdem rationem transcribit *La-Croix*, ut doctrinam S. Thomæ.

IV. Si capite superiore palam feci, falso frequenter Probabilistas plures canones, & Patres citare, in præsentia evinco falsissime, & per summam iniuriam laudari S. Thomam. Transcripta doctrina, quæ est unicum oppositæ sententiæ fundamentum, & quam *Terillus*, & *La-Croix* ut doctrinam S. Thomæ obtrudunt, est prima obiectio quam Angelicus 1. 2. *quæst.* XIX. *art.* 6. sibi opponit his verbis. *Sicut enim voluntas discordans a ratione tendit in id quod ratio iudicat malum; ita voluntas concordans rationi tendit in id quod ratio iudicat bonum, sed voluntas discordans a ratione etiam errante est mala. Ergo voluntas concordans rationi erranti est bona.* Hanc obiectionem P. La-Croix *loc. cit. num.* 15. transcripsit, eamque ut germanam S. Doctoris doctrinam imperitis propinavit his verbis. „ S. Thomas
„ *expresse* dicit, idem esse quærere, an conscientia erronea excuset, & an volun-
„ tas concordans rationi erranti liget, & consequenter sit bona. Adversarii ple-
„ rumque concedunt, conscientiam invincibiliter errantem excusare a peccato.
„ Ergo & debent concedere, voluntatem concordantem rationi invincibiliter er-
„ ranti ligare, adeoque esse bonam. Similiter S. Bernardus . . . Idem docent SS.
„ PP. *quos expendit Terillus.* "

V. Ut pateat, quanta sit, animositas dixerim, an nimia confidentia P. La-Croix in venditandis falsis mercibus, a suo Terillo acceptis, ecce responsum quo S. Thomas refellit conceptis terminis oppositum sophisma, quod affingere non verentur citati Probabilistæ tanto Doctori. Inquit ergo: *Ad primum dicendum, quod, sicut Dionysius dicit in* IV. *de divin. nomin. bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc quod dicatur malum id in quod fertur voluntas, sufficit sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum, sed ad hoc quod sit bonum, requiritur quod UTROQUE MODO sit bonum.* Respondet P. Terillus *de reg. mor. Part. I. quæst.* III. *num.* 11. *&* 12. *pag.* 57. intelligendum S. Thomam de ratione errante *vincibiliter*, alioquin, subdit, S. Doctor *contradiceret dictis in corpore articuli.* In corpore articuli Angelicus ostendit, rationem errantem, voluntariam directe, aut indirecte, non excusare a culpa. Si vero ratio errans sit omnino involuntaria, seu invincibilis, excusat voluntatem a malitia imputabili. Sed audi quod reponit P. Terillus num. 12. *Alia limitatio*, inquit, *huic S. Thomæ dicto NECESSARIO est adhibenda. Illud enim, ut iacet, dicit, nil esse bonum nisi quod ex natura sua est tale, & insuper existimatur tale. At hoc falsum est ut iacet, certissimæque S. Thomæ, aliorumque OMNIUM doctrinæ contrariatur.* Terillus semper est sui similis. Dictum S. Thomæ, ut iacet, falsum est? Cur? Quia pugnat cum doctrina P. Terilli. Quid quod

quod non modo falsum est dictum Angelici, sed *omnium aliorum doctrinæ contrariatur?* Doctrina S. Thomæ luculentissima est, & ineluctabilis, ut mox palam fiet, eamque confirmat ipsemet S. Doctor *quæst.* XVII. *de verit. artic.* 4. ubi quærit, *utrum conscientia erronea liget?* Et, relata sententia negante, hæc scribit. *Sed qui hoc dicunt non videntur intelligere quid sit conscientiam ligare. Secundum hoc enim conscientia ligare dicitur quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurret, non autem hoc modo quod aliquis implens RECTE faciat.* Evidens ergo est secundum Angelicum, conscientiam erroneam ligare, seu astringere, ut secundum eam homo operetur; ita ut qui eam non impleret, *peccatum incurreret*. Qui vero e contrario illam impleret, excusaretur a peccato. Quid inde? Ergo recte & honeste operaretur? Minime gentium, reponit Angelicus. *Non autem hoc modo quod aliquis implens RECTE faciat.* Nec in quæstionem vocat Angelicus, utrum conscientia erronea sufficiat ad honestatem, sed sola quæstio est de excusatione, vel non excusatione, de imputabilitate, vel non imputabilitate actionis criminosæ ad culpam. Hæc perspicua interpretatio adeo displicet P. Terillo, ut *num.* 13 clamet adversus P. Elizalde: *Audacter dico, eum non intelligere sensum quæstionis hujus*. Hæc retuli, non ut refutem, sed ut ostendam Terilli genium magna ubique audentem.

VI. Colligas heinc velim, ausu incredibili Terillum, & La-Croix cum ceteris Probabilistis, quicumque illi sint, divendere imperitis falsum illud putidumque axioma: *Nec enim maior vis est in dictamine falso ad refundendam malitiam in actum difformem quam ad refundendam bonitatem in actum conformem*: ut inquit Terillus, & ex ipso La-Croix. Quid, quæso, absurdius dici valet? Non plus ergo ad moralem bonitatem, ad meritum vitæ æternæ requiritur quam ad peccandum? Eadem vis est in dictamine falso ad refundendam bonitatem, ac malitiam? Homo se solo vim habet ad peccandum, ergo ne etiam ad merendum? Evidens ergo est compertumque, S. Thomam per summam injuriam adlegari ab adversariis, cum is apertissime eorum penitus labefactet principia. Quod reponit La-Croix *num.* 28. D. Thomam loqui de opere bono absolute tali, seu ex omni parte, & formaliter, & materialiter, secus de bono tantum formaliter tali, ut est mendacium, vel ab ipsis Stoicis risum extorquet. Nam conceptis verbis dicit Angelicus, opus natura sua, seu materialiter malum nullo modo fieri posse formaliter bonum; quia, ut sit bonum, & materialiter, & formaliter conforme esse debet rationi rectæ. Futilis ergo est adversagi responsio.

VII. Paucis exponitur doctrina S. Thomæ, qua nostra sententia evincitur; nempe, opera mala quæ conscientia erronea diriguntur, non esse nec bona, nec meritoria. Conscientia est regula proxima humanæ voluntatis, actuumque humanorum, atqui conscientia erronea nequit esse regula voluntatis bonæ, ergo falsa ad-

adversariorum sententia. Sola secunda propositio vocari in discrimen potest, quam sic evinco. Voluntas bona est voluntas recta, sed voluntas recta opponitur conscientiæ erranti: ergo nequit ab ea dirigi. Quod voluntas bona sit recta, patet: bonum enim rectum est. Ergo sicut linea recta nequit conformari lineæ curvæ, ita voluntas recta nequit moderari a conscientia erronea. Ut conscientia erronea dirigeret voluntatem rectam, deberet ipsa esse recta. At repugnat conscientiam erroneam esse rectam, non secus ac errorem esse veritatem: esset quippe, & non esset erronea: erronea esset, quia asseritur, erronea non esset, quia dirigeret voluntatem rectam & bonam. Ergo repugnat voluntatem moderatam a conscientia erronea, esse rectam, & bonam.

VIII. Hæc ratio confirmari omnium artium exemplis potest. Si in scribendo adhiberes pro exemplari regulam obliquam, & curvam, efficeres ne lineam rectam? Si clavus navigii dirigeret ad septentrionem, pergeres ne ad meridiem? Ratio clavus est voluntatem moderans. Si ergo ratio ista erronea est, ut supponitur, reapse te ducens ad inferna: qui fieri potest ut voluntas in cælum tendat eo ipso actu quo sequitur rationem a cælo aberrantem? Ergo quemadmodum implicat lineam esse rectam per conformitatem ad regulam non rectam, sed obliquam, curvam, & distortam; ita repugnat voluntatem esse rectam, bonam, & meritoriam per conformitatem ad rationem errantem, seu regulam obliquam, & distortam.

IX. Reponunt adversarii. Qui agit contra conscientiam erroneam reputatam rectam, peccat, ergo e contrario qui agit secundum eam, bonum operatur. Iam ex D. Thoma labefactatum est sophisma istud. Evidentissima est adversariorum deceptio. Non plus illi ad bonum quam ad malum exigunt, cum tamen universali proverbio circumferatur: *Bonum ex integra caussa, malum ex quocumque defectu*. Ut sis claudus, satis est te unum habere distortum pedem, ut recte incedas, utroque pede recto indiges. Ut voluntas sit bona, non sufficit quod feratur in obiectum propositum ut bonum, sed utrumque requiritur, & quod re bonum sit, & quod ut bonum a ratione proponatur. *Requiritur quod utroque modo sit bonum*, inquit Angelicus. Ex hoc adversariorum capitali errore proficiscuntur cetera omnia paradoxa.

X. Illustratur doctrina S. Thomæ. Voluntas nequit esse bona, nisi conformetur voluntati divinæ, seu legi æternæ. Voluntas quippe divina est fons universæ bonitatis sive physicæ, sive moralis. Illa est prima regula, primum exemplar cuiusque voluntatis creatæ bonæ, & rectæ. primum enim in unoquoque genere est ceterorum eiusdem generis mensura. Atqui voluntas creata, directa a ratione invincibiliter errante, quæ proponit mendacium, furtum, & alia scelera ut bona, nequit revocari in voluntatem divinam, nisi in Deum scelera refundere velis, quod absurdum nemo concesserit. Ergo &c.

XI.

XI. Respondet P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 24. Absurdum est quod voluntas mentiendi revocetur in Deum, & a Deo approbetur, *per se concedo; per accidens, nego.* Audistin'? Mendacium ergo in Deum revocatur, a Deo per *accidens* approbatur? Deus per *accidens* confert præmium mentientibus? Ut istius doctrinæ errorem clarius teneas, sub oculos revoca adversariorum doctrinam de ignorantia invincibili plurium iurium, divini nempe, & naturalis. Si enim datur conscientia erronea invincibilis iuris naturalis, potiori iure concedenda est conscientia erronea invincibilis divini iuris positivi, atque adeo veræ religionis. Hoc omnes ipsi admittunt. Quo posito, voluntates infidelitatis, Ethnicismi, Mahumetismi, voluntates sectarum Arianismi, Macedonianismi, Nestorianismi, Lutheranismi, & Calvinismi, hæ, inquam, voluntates tot populorum invincibili ignorantia directæ, a Deo erunt. In Deum saltem per accidens, refundendæ erunt hæreses Priscillianistarum, Lutheranorum, Calvinistarum. Quid plura? In Deum revocandus erit Atheismus ipse. Nam & Deus ipse secundum Molinam, & Arriagam ignorari invincibiliter potest. Postremum, iuxta adversarios conscientia erronea invincibilis dari potest fornicationis, mollitiei, similiumque criminum. Ex quibus sic arguo. Mendacia, a conscientia invincibiliter errante proposita ut licita, sunt bona, & præmio æterno digna: ergo bona quoque erunt alia scelera, hæreses, pollutiones, idololatriæ, & ea omnia horrenda flagitia quorum invincibilis haberi ignorantia potest.

XII. Forsitan ego, inquit P. Elizalde *Lib. III quæst.* IV. nimium pavidus sum, & meticulosus, quod hæc existimem a nemine concedenda. Ipse tamen fatetur, se non vidisse a quoquam concessa sub his terminis. Verum Terillus, & La-Croix, cum fateantur mendacium, conscientia invincibiliter errante propositum, bonum esse, necessario fateri debent omnia alia scelera, quamtumvis horrenda ut sunt atheismus, idololatria, hæreses, pollutiones, furta, quorum iuxta ipsos haberi invincibilis ignorantia potest, esse bona, & æterno præmio digna. Nec enim est maior ratio cur mendacium bonum esse queat, secus hæreses, furta, idololatria, si æque istorum, ac mendacii, haberi erronea conscientia potest.

XIII. Quid obstat, inquit P. La-Croix, hæc horrenda flagitia esse bona, & præmio digna? Forsitan quod sint obiecta natura sua mala, ut mendacium, & cetera crimina? Verum, reponit ille, nihil hoc impedit. Nam licet in se mala sint hæc obiecta, tamen repræsentantur ut bona. Voluntas autem speciem ab obiectis capit, non ut sunt in se, sed ut repræsentantur ab intellectu.

XIV. Verum hoc habet. Necessaria est applicatio, & repræsentatio mentis, ut obiectum voluntas amplectatur. At numquid hæc mentis repræsentatio naturam mutat obiectorum? Numquid mens nostra efficit ut mendacium evadat verum, ut fornicatio, pollutio, furta, hæreses evadant opera bona? Si neque infinita Dei omni-

omnipotentia hæc opera, suapte natura flagitiosa, fieri bona possunt; quis dixerit, mentem tanta pollere efficacitate, ut scelera in virtutes transmutare valeat? Et tamen hæc monstra deglutire Probabilismus cogitur. Verum, ut urgentius adversarios premam, mendacia, furta, hæreses, idololatria, & similia crimina nonne realiter, & nulla cogitante mente, mala sunt, & divinæ voluntati, ac bonitati opposita, & repugnantia? Dubio procul. Cedo: conscientia invincibiliter errans aufertne ab his sceleribus realem illam oppositionem, & repugnantiam cum divina bonitate, & voluntate? Nemo sanæ mentis id dixerit. Mens humana ignorare istorum scelerum cum divina bonitate oppositionem potest, at talem ab eisdem tollere oppositionem nequit. Ergo ejusmodi opera numquam revocari in divinam bonitatem valent. Ergo nec bona, nec meritoria dici possunt. Quandoquidem omnis bonitas, & omne meritum a Deo sunt. Ergo alterutrum dicendum, aut bonitatem moralem, & meritum vitæ æternæ reperiri, quod a Deo non sit, aut negandum, hæc scelera conscientia errante proposita, esse bona.

XV Illustrantur hæc omnia. Nulla actio meritoria vitæ æternæ absque divinæ gratiæ beneficio. Si fornicatio, si mollities, si mendacium, & similia crimina, ignorantia invincibili reputata honesta, meritoria forent, jam gratia divina in eadem influeret. Perhorrescis, dum hæc audis? At elabi heinc Probabilistæ nequeunt. Alterutrum enim concedant oportet. Aut fateantur opus æternæ gloriæ dignum sine gratia, & hoc hæresim sapit: aut concedant, gratia divina adjuvari humanam voluntatem ad fornicandum, adulterandum, mentiendum, pejerandumque, quoties homo conscientia invincibiliter erronea existimat bonum esse mendacium, fornicationem, adulterium.

XVI. Ut evidentius resplendeat hæc doctrina limpidissima, responsa quæ P. *La-Croix* a Terillo transcripta obtrudit, expendenda sunt. Et primum *num.* 27 concedit, mendacia, & cetera scelera quorum datur conscientia erronea invincibilis, non *repugnare voluntati, saltem secundariæ, Dei: ergo nec bonitati*. Peregregie. Chimæricum inventum duplicis voluntatis primariæ, & secundariæ, ab Antonio *Terillo* in Deo excogitatum, infra ex instituto explodam, tametsi illud in *historia Probabilismi, & Rigorismi* Italice scripta, & absurda horrenda quæ ex tali monstroso commento oriuntur, fuso calamo exposuerim.

XVII. Sed audiamus aliud lepidissimum sophisma P. *La-Croix*, qui, ut respondeat argumento facto, videlicet omnem bonitatem, & meritum esse a Deo, retorquet hoc pacto argumentum *num.* 29. Omnis voluntas non mala, est a Deo auctore, sed volitio mendacii secundum nos non est mala: ergo est a Deo auctore. Adversarii ignorant vel ipsa prima disputationis nostræ principia: idcirco sophistas agunt, & paradoxa multiplicant. Voluntas mendax, etiam directa conscientia erronea invincibili, mala est, & ut mala est, a Deo non est. Verum ob ignorantiam invi-

invincibilem non imputatur homini ad culpam hoc mendacium, quod alioquin malum est. Quare ridicularia est argumenti retorsio. Non distinguunt eruditi adversarii opus bonum, & merito dignum, ab opere malo quod non imputatur ad culpam. Ex quo opus non adscribitur culpæ ob ignorantiam invincibilem, inferunt: ergo bonum, ergo meritorium. Quæ sane illatio digna non est viris Theologis. Ut opus sit bonum, inquit Angelicus, necesse est *ut utroque modo*, & re, & ratione, sit conforme voluntati æternæ Dei.

XVIII Sed audiamus secundum responsum, quod ibidem reponit P. La-Croix cit. num. 29. *Omnis voluntas* (inquit) *per se bona, est a Deo auctore: conc. Per accidens bona, nego*. Veniam postulo, ut consueta Theologorum libertate utar: qua nempe vi ratiocinii inferri solent hæreses ex aliqua doctrina, salvo obsequio erga Auctores, animo, & mente ab ejusmodi erroribus alienos. Aio itaque. Aut ego communi sensu careo, aut in allata responsione continetur hæresis apertissima. *Voluntas per accidens bona, non est a Deo*. Voluntas bona *per accidens* significat quod voluntas bona est ob ignorantiam invincibilem, iste est significatus illius *τὸ per accidens*. Ceterum hæc voluntas vere & realiter bona est. Et hæc bonitas meretur præmium vitæ æternæ. Ergo datur bonitas moralis, & meritum vitæ æternæ, quod non est a Deo. Bonitas ista, & meritum *per accidens*, est vera & realis bonitas, verum & reale meritum, sed *per accidens*. Hoc meritum, & hæc bona *per accidens* non proficiscuntur, fatentibus adversariis, a Deo, qui est prima caussa bonitatis, & meriti per se. Ergo proficiscuntur ab alio quam a Deo, qui sit prima caussa bonitatis per accidens. Excogitabunt, nullus dubito, novam quampiam distinctiunculam, ut quoquomodo sese expediant: at nil umquam reperient quo nodum hunc discindant. Sive enim bonitas, & meritum sint absolute, sive per accidens talia; repugnat, salva fide, quod non refundantur in Deum, qui est prima & unica caussa cujusque bonitatis, & meriti.

XIX. Alia rationum momenta in confirmationem sententiæ nostræ breviter explicantur. Bonum morale non est merum humanæ mentis figmentum, sed inest rebus ipsis. Bonum enim in ordine rerum ad primam regulam situm est: omnia namque a Deo ordinata sunt: & in hac ordinatione, & mirabili harmonia, seu conformitate cum prima regula bonitas resplendet. Hæc doctrina ineluctabilis, certaque penes omnes nedum Philosophos christianos est, verum etiam ethnicos. Scite ac erudite hac de re scribit Marcus Tullius, cujus textus, dum hanc quæstionem pro dignitate opportuno loco explicabimus, referemus. Porro, admissa adversariorum sententia, bonum morale est humanæ mentis figmentum, &, ut aiunt, merum rationis ens. Nam mendacium nullam natura sua bonitatem prodit, sed malitiam. Tota ergo illius bonitas quam eidem tribuunt adversarii, ab errante mente proficiscitur. Ergo bonitas est merum rationis figmentum. Reponent acuti adversarii, bonum *per se*

rebus inesse, secus bonum per *accidens*, quemadmodum etiam malum est quid reale, & tamen opus bonum repræsentatum invincibiliter ut malum, si amplectatur voluntas, peccat. Discrimen inter opus bonum, & malum iam supra datum est. Ad malum sufficit quod recedat a regula. Ex quocumque ergo defectu malum proficiscitur. Bonum e contrario, sive per se, sive per accidens, quatenus bonum, ad primam conformari regulam debet. Bonum quodcumque ex integra caussa. Porro nec mendacium sua natura, nec ratio humana errans primæ divinæ regulæ conformia esse queunt. Ergo recurrit dilemma factum, nempe, vel admittendum bonum *per accidens*, utique & meritum vitæ æternæ, quod non sit a Deo, vel negandum, opera mala mentis apprehensione bona fieri.

XX. Et sane quidnam communi sensui repugnantius quam scelera, & horrenda flagitia, portentosa metamorphosi in virtutes, in meritum vitæ æternæ transformari? Qua vi? Divina? Absit? Qua ergo? Audi, & obstupesce. Vi *erroris* humani. Error igitur mentis nostræ est alter Deus, Manichæorum Deo monstrosior, qui valet mendacia, furta, hæreses, idololatriam, & cetera scelera, quæ ignorari inculpata conscientia queunt, in opera digna vitæ æternæ transmutare. Verum hæc monstra sunt nimium horrenda, quæ nullius distinctiunculæ fuco calamistrari valent. Quandoquidem sicut nulla falsa religione Deus colitur, ita nec operibus genere suo malis. Et sicut nulla mens humana efficere potest ut aliquod opus sit supernaturale quod non est, ut sit veritas fidei quæ a Deo revelata non est, sic efficere non potest ut vitia virtutes fiant, cum non sit minor in hac quam in illa transformatione distantia, & repugnantia. Responsio quam exhibet P. *La-Croix* ex suo Terillo *loc. cit. num.* 31. tota sistit in terminorum vano conflictu. Dicit enim, quod fides inniti debet auctoritati divinæ, & spectare obiectum revelatum. Verum hoc habet. At non minus vera sunt hæc. Opus honestum, & vita æterna dignum versari circa obiectum honestum debet, & conformari ad primam regulam: & sicut *error*, seu erronea persuasio nequit efficere ut sit revelatum quod non est revelatum, ita nequit efficere ut vitiosum sit honestum.

XXI. Sub alio aspectu hæc ratio proponitur. Si error hac uberrima, & incredibili efficacitate polleret, ut posset vitiis atque flagitiis virtutis formam affingere, & meriti lauream circumducere; eiusdem conditionis & dignitatis essent opera honesta, veritatis lumine directa, ac opera flagitiosa, errorum tenebris obtecta. Si erronea persuasio in operationem pravam refunderet bonitatem, quemadmodum vera cognitio in opus honestum, superflua foret illuminatio, superfluæ conciones, admonitiones, & sacræ missiones. Non sine fundamento iactat Caramuel Theologiam probabilisticam totam novam esse. Quænam, amabo te, iucundior, ac recentior Theologia præ ista, qua asseritur, æque mereri libidinosos, fures, mendaces, raptores, idololatras, usurarios, mollesque, qui sub ignorantiæ velamine suas

explent

explent appetitiones, ac illos qui luce perfusi cælesti coercent cupiditates; carnem torquent, atque continenter adversus prava desideria, & concupiscentiam praeliantur? Admissa hac Theologia, *Rigorismus* sane immanis esset a tam dulci somno excitare ignorantes, cum æque mereri illi dormiendo, ac ceteri vigilando valeant. Immo, quod pejus est, forsitan ab errore experrecti damnarentur cognitam legem violando, qui ignoratam transgrediendo ad cælum perrexissent.

XXII. Mirum est quantam verborum turbam concitet Terillus, & ex ipso P. La-Croix *loc. cit. num. 33.* ut heinc elabantur, & ad fugam latebram aliquam sibi aperiant. Inquit La-Croix, opus moderatum cognitione evidenti, ceteris paribus, melius esse illo quod dirigitur errore invincibili. Mirum, quod veritatem errori non æquaverit. Sed non advertit vir acutus, responsum istud aut nihil concludere, aut Probabilismum ab imis suffodere. Nam omnes Probabilistæ fatentur, perfectius esse amplecti opinionem probabiliorem in conspectu minus probabilis. At quia nullum, ipsorum sententia, præceptum urget ad hanc majorem perfectionem amplectendam, idcirco illam constantissime respuunt, maluntque in benigniori, ac suaviori Probabilismi sinu quiescere. Ejusdem sane sententiæ erunt omnes ignorantiæ invincibilis tenebris obducti. Contenti & isti erunt sua, quali quali minori perfectione, quæ alia ex parte magnam excipit compensationem. Nam qui legem agnoscit evidenti cognitione, si perfectiores efficit operationes, facillime etiam peccare valet, e contrario qui legem ignorant, privilegium habent non perpetrandi crimina, quæ illis ad pœnam imputentur, usquedum invincibiliter legem ignorant. Ergo omnibus expensis securius erit illos relinquere tranquillos in ignorantiæ tenebris.

XXIII. Ultimo loco adfero argumentum a virtute prudentiæ arcessitum. Sed antequam illud explico, Augustini, & Bernardi auctoritates præmitto, quæ rem totam conficiunt. P. Claudius La-Croix, Terillum suum secutus, inquit loc. cit. num. 14. *Probatur auctoritate Augustini Lib. de utilitate credendi cap.* XII. & nec verbum unum ex Augustino refert. Porro, ut nova semper sinceritatis horum Theologorum argumenta promam, verba Augustini transcribo ex loco ipso ab adversariis citato. *Omne factum* (inquit Augustinus) *si recte factum non est, peccatum est: nec recte factum esse ullo modo potest quod non a recta ratione proficiscitur. Porro recta ratio ipsa est virtus.* Plura alia ibidem Augustinus habet, quæ brevitatis gratia missa facio. Quæ adduxi, decretoria sunt. Nec *ullo modo*, inquit magnus Pater, factum rectum est, nisi *a recta ratione proficiscatur*. Ergo opus procedens a *ratione errante* nullo modo bonum esse potest. Ratio errans, recta ne ratio est? Si recta ratio non est; ergo factum quod moderatur, bonum esse nequit.

XXIV. Sententiam nostram ex instituto discutit, atque defendit S. Bernardus

Lib. de dispensat. & praecep. cap. XIV. num. 35 cuius capitis titulus hic est: *Cur conscientia errans non æque convertat malum in bonum, uti bonum in malum?* Nonne hæc controversia nostra! Respondet mellifluus Doctor inter plurima alia hæc quæ subiicio. *Mirum quippe vobis, immo & iniustum videtur, ut plus in malo quam in bono, humanæ valeat intentionis opinio. Si respondero, de malis quidem merito ita credi propter oculum nequam, respondebitis & mihi, non immerito quoque propter simplicem oculum idem æque putandum & de bonis. Nam qui dixit, ex oculo nequam corporis tenebras æstimari, indicavit & de simplici lucem æque corporis approbari. Sed videte ne forte non sit vere oculus simplex, qui fallitur. Fallitur enim tam qui bonum malum quam qui malum bonum putaverit. Scitis autem n. utrumborum VAE illud vitare propheticum:* Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum: *cum tamen nemo qui hoc velit cavere maledictum, de quo veritas pronuntiat* &c.

Num. 36. *Ego vero, ut interior oculus vere simplex sit, DUO ILLI ARBITROR ESSE NECESSARIA, CARITATEM IN INTENTIONE, ET IN ELECTIONE VERITATEM. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat; habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam. & nescio quemadmodum iudicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas . . . . Cur? inquis. Numquid non ex fide? Prorsus ex fide, sed falsa; vel potius certe non ex fide, quia fides falsa fides non est.* Plura omitto. Qui dubitat de Bernardi mente consulat enarrationes ad hoc caput adiectas a D. Ioanne Mabillonio. Unum tamen adiicere liceat ad clariorem doctrinæ, & totius controversiæ notitiam, quod iam indicavimus, nempe, plures actus intervenire, dum quis conscientia erronea invincibili aliquod opus exercet. Potest enim quis, dum exercet opus materialiter malum, habere plures actus bonos, intentionem nempe bonam Deo placendi, obediendi, eiusque legem implendi, & actus alios variarum virtutum. Hos bonos, & meritorios dicimus, quamvis actus qui per se tunc exercetur, sit materialiter malus non imputabilis ad culpam. Sic copula Iacob fuit materialiter mala; sed affectus præcedens non cognoscendi nisi suam, fuit bonus. Bona intentio procreandi filios, & placendi Deo. Hæc bona intentio nulla prava circumstantia inquinatur: quia opus materialiter malum, cum non sit voluntarium, refundere in istos actus malitiam non valet. Quam doctrinam confirmat Bernardus loc. cit. *Et qui bonum diligit & malum nesciens agit. Huius quidem bonus oculus, quia pius, non tamen simplex, quia cæcus . . . . Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas.* Qui ex PP. verba truncata decerpunt, possent hunc textum obtrudere in confirmationem adversæ opinionis. Sed qui legit PP. animo non præoccupato opinionibus domo in scholam delatis, evidenter agnoscunt S. Bernardum ambas sen-

sententiæ partes adprobare. Idque ex doctrina S. Thomæ de obstetricibus AEgyptiorum clarius ostensum est. Evidens ergo est, iuxta Bernardum, opus malum, directum a fide falsa, seu conscientia errante, numquam esse bonum. Quid reponent Probabilistæ? Dicent, Augustinum, & Bernardum, quemadmodum Aquinatem, loqui de bono absolute, & *per se*, secus de bono per *accidens*. At nimis vana, ut supra demonstravi, est responsio isthæc. Siquidem bonum *per accidens* tale est, quod procedit a conscientia errante. *Tò per accidens* non aliud significat, nisi quod opus bonum sit propter conscientiam erroneam invincibilem. Porro Bernardus cum Augustino docet, opus pravum, a fide, seu conscientia falsa moderatum, non esse bonum. Ergo negant ambo bonum per accidens. Bonum per accidens iuxta adversarios, & bonum per se sunt eiusdem omnino speciei, cum hoc solo discrimine, quod bonum *per se* dirigitur a conscientia vera, & bonum *per accidens* a conscientia falsa. Augustinus, Bernardus, Thomas, Bonaventura negant apertissime opus, directum a conscientia falsa, esse bonum. Ergo negant bonum *per accidens*. Ergo P La-Croix, Terillus, aliique Probabilistæ, qui respondent, intelligendos esse citatos Patres de bono per accidens, sophistas agunt, illudunt imperitis, & cælum terræ miscent. Accedendum iam est ad ultimum argumentum.

XXV. Nullum opus bonum est a prudentiæ virtute non directum, ut Theologi communiter docent. Quid quod ethnicus ipse Aristoteles VI. *Ethic. cap.1.* conceptis verbis tradit, *rationem veram, & appetitum rectum esse oportere, ut operatio sit studiosa*. Porro hoc conscientiam inter, & prudentiam discrimen, quod conscientia, cum virtus non sit, non semper vera est, sed modo vera, modo falsa, modo opinatrix, modo inculpata, modo criminosa: prudentia vero, cum natura sua virtus sit intellectualis, aut vera est, aut prudentia non est, sed spectrum, & larva prudentiæ. Prudentia hæc numquam falli potest, tametsi fallantur interdum prudentes: nam si falleretur, virtus non esset. Quare iudicium quo Iacob accessit ad non suam, non fuit actus prudentiæ veræ, sed tantum existimatæ. Non ideo tamen imprudens aut temerarius fuit Iacob: quoniam inculpatus fuit illius error. Illius iudicium non fuit positive imprudens: quoniam fundamento probabiliter & sufficienter apparenti nixum fuit. Sed nec positive prudens ob veritatis defectum. Similia iudicia appellantur a Theologis *negative* prudentia, vel imprudentia. Firmum ergo est atque ineluctabile, virtutem prudentiæ aut veram esse, aut nullam esse; nisi dicere velint, virtutem mentis, ut est prudentia, errore constare. Nullum itaque dictamen conscientiæ errantis, tametsi invincibile, potest esse fructus prudentiæ veræ seu virtutis. Ergo voluntas, ab eodem falso dictamine moderata, eique conformis, non potest esse bona & honesta.

XXVI. Ut hinc aliquo evadant cuniculo, ad telam illam reflexionum confugiunt. Verum implexam nimium efficerem veritatem hanc, alioquin perspicuam, si

si hanc reflexionum congeriem dissipare hic vellem. Ista reflexiones Terillianas, dum de Probabilismo sermo erit, in nihilum redigam. P. Muniessa perdoctus Iesuita, ut has reflexiones futiles, & inanes evincat, iocose a Terillo, eiusque asseclis percontatur: quid, si mentiturus post primum iudicium directum errans, non expectato syllogismo reflexo, in mendacii volitionem prodeat? Ceterum unico verbo dico, primam propositionem syllogismi reflexi, quæ eiusmodi est: *Operari quod irreprehensibiliter iudico esse bonum, semper bonum est, & honestum* falsam esse, ideoque repente corruit universa reflexionum machina. Potes enim per errorem irreprehensibiliter iudicare malum bonum, & bonum malum, quemadmodum tyranni arbitrabantur obsequium se præstare Deo SS. Martyres occidentes.

XXVII. Sententiam hanc nostram defendunt S. Augustinus *Lib. de util. credendi cap.* XII. S. Bernardus *Lib. de dispens. & praecept. cap.* XIV S. Thomas 1. 2. *quæst.* XIX. *art.* 6. S. Bonaventura *in II. dist* XXXIX *art* 1. *quæst.* III. P. Michael Elizalde *Lib. III. quæst.* IV. Montoya *disp.* XLI. *de volunt. sec.* 3. *num.* 13. P. Philippus Aranda *disp.* XXIX. *sec.* 4. Theodorus Mauris in MSS. P. Tyrsus Gonzalez, *diss.* XIII. *de recto usu opinion num.* 93 P. Thomas Muniessa *si mul.* III. *conscient. errant.* §. 9. P. Petrus de Oxea *disp.* IV *de fide sec.* 2. P. Ioannes Baptista Gonettus *de consc. errant.* doctissimus Palancus *Tom. de conscient quæst.* V. P. Vincentius Contensonius *dissert. de Probabil.* P. Vincentius Ferrerius *opuscul. theologic. de conscient. disput.* II. *dub.* 2. P. Magister Vincentius Ferre *de conscient probabil.* P. Ignatius de Camargo *Part. I. Lib. I. controv.* X. *art.* 2. §. 2. P. Christophorus a S. Ioseph *Part. I. de regul. mor. quæst.* XIV. *art.* 12. §. 2. P. D. Ioannes Mabillonius in enarrationibus in S. Bernardum *Lib. de præcep. & dispen. cap.* XIV.

§ II.

Resolvuntur adversariorum sophismata.

XXVIII. Contrariam opinationem defendunt communiter Probabilistæ, immo plures etiam ex Thomistis, ut Ildephonsus Baptista, Gregorius Martinez, Serra, Salmanticenses morales *tract* XX. *cap.* V. *punct.* 2. *num.* 21. aliique, quorum obiectiones inter disputandum fere omnes resolutæ remanent. Tamen, ut gravis controversia pleno in lumine collocetur, iubet brevi calamo eorum obiectiones omnes ad crisin revocare, brevibusque responsis iterum refellere.

XXIX. Obicit 1. P. Casnedi *Tom. I. disput.* VI. *sect.* 1. §. 3. *num.* 26. sequentem textum S. Thomæ ex II. Sent. dist. XXXIX. quæst. III. art. 3 *Quamvis illud quod ratio dictat, per se non sit secundum legem Dei, sicut nec per se bonum, tamen per accidens est secundum legem Dei, sicut & bonum, inquantum ratio apprehendit ipsum*

psum ut secundum legem Dei, & bonum. Hactenus ex S. Thoma Casnedus. Textus mutilus est, & sin minus mala fide, quod absit vel suspicari de probo Religioso, certe per summam oscitantiam, & contra expressam S. Thomæ mentem allatus est. Post adducta verba sic pergit Angelicus. *Et ideo sequitur quod conscientia errans per accidens obliget, & non per se*. Si imposturam manibus tangere aves, adverte, D. Thomam in *cit. art.* eo omnia dirigere, ut evincat, conscientiam errantem obligare. Opponit sibi de more primo loco, quod conscientia errans proponit id quod non est secundum legem Dei: ergo non obligat. Cui obiectioni reponit, obiectum propositum a conscientia errante esse secundum legem Dei, sicut & bonum per accidens, idest quatenus intellectus apprehendit rem illam esse secundum legem Dei & bonam. Et hæc est ratio cur S. Thomas cum ceteris Theologis docet, conscientiam errantem obligare. Quapropter concludit responsum citatis verbis, omissis a P. Casnedi. *Et ideo sequitur* &c. Quid hic docet Angelicus quod non fateamur omnes? Nisi enim conscientia errans proponeret rem & secundum legem Dei, & ut bonam, sane non obligaret. Hæc satis essent ad labefactandum commentum P. Casnedi. Verum, ut habeas quam luculenter ubique S. Thomas nostram propugnet sententiam, transcribo verba quibus in corpore eiusdem articuli adeo expresse litem dirimit, ut nullus supersit cavillandi locus. *Si fiat aliquid quod est secundum se malum, quod errans ratio iudicat bonum, peccatum non evitat. Si autem non fiat, peccatum incurritur: quia unus defectus bonitatis sufficit ad hoc quod aliquid dicatur malum, sive desit bonitas quæ est per accidens, secundum quod res apprehenditur in ratione boni, sive bonitas quæ est rei per se. Sed si sit altera tantum, scilicet quæ est per accidens, non propter hoc erit actus bonus*. Lege integrum articulum, & responsum ad 5 quæ adeo decretoria sunt, ut nec Casnedi, nec Terillus, nec omnes Probabilistæ simul valeant eadem cavillari. Quod reponit Casnedi ex *quodlib.* III. *art.* 26. nimis est ineptum, & alibi propulsatum: ideo, ne actum agam, prætereo. Lepidum est quod obiicit ex 1. 2. *quæst.* XIX. *art.* 6. ubi inquit Angelicus: *Manifestum est quod illa ignorantia quæ causat involuntarium, tollat rationem boni, & mali*. Textus iste directe pugnat cum sententia Casnedi. At, inquit, ex D. Thoma non datur actus indifferens in individuo. Deliberatus, concedo; indeliberatus, nego. Pudere deberet adversarios splendidissimam S. Thomæ doctrinam tam vanis commentis & nugis obscurare.

XXX. Obiiciunt 2. Si quis existimaret opus bonum, puta ieiunium, esse malum; voluntas ieiunandi mala esset: ergo contra si quis existimet invincibiliter mendacium esse bonum, voluntas mentiendi bona erit. Resp. Iam inter disputandum responsum est. Malum ex quocumque defectu, bonum ex integra caussa. Lege S. Thomam 1. 2. *quæst.* XIX. *art.* 6. *ad* 1.

XXXI. Obiciunt 3. Si quis conscientia invincibiliter errante existimaret obiectum indifferens esse bonum, illius voluntas bona foret: ergo similiter bona foret voluntas quæ vellet sub iudicio errante aliquod opus malum, repræsentatum ut bonum. Resp. Admisso antecedente, negatur consequentia. Quoniam obiectum indifferens natura sua boni, malive capax est. Obiectum autem natura sua malum, bonum reiicit. Porro qui obiectum indifferens invincibiliter errans existimat determinate bonum, vel etiam cadens sub præcepto, reapse duo iudicat, ut scite advertit Elizalde *loc. cit.* §. 5. & opus illud esse bonum, & potiori iure non malum, ita ut enuntiatio boni reiiciat rationem mali; sicut qui dicit aliquem esse sapientem, vel divitem, reapse definit eum non esse pauperem, non ignorantem. Porro dum præfatus homo iudicat elevationem festucæ non esse malam, verum dicit; ex hoc iudicio vero moderata voluntas in gloriam Dei elevans festucam bona evadit. Iudicium autem quod obiecto indifferenti addit bonitatem, erroneum est. At hoc iudicio erroneo non dirigitur voluntas; sed priori, proponente simul obiectum ut non malum. Et ut clarius dicam, voluntas in hoc casu dirigitur a dictamine vero prudentiæ placendi Deo. Huic porro fini non resistit malitia materialis obiecti, cum sit indifferens. E contrario quando obiectum natura sua malum est, nullo bono fine honestari valet: & dum intellectus illud apprehendit ut bonum, manifestus error est. Manifestissima itaque elucet disparitas. Similiter si quis existimaret aliquam operationem suam esse infinite honestam, operatio honesta foret, non infinite, ut putat, sed finite. Cur hoc? Sane non quia errat; sed quia existimando operationem revera bonam esse infinite bonam reapse includeret quantitatem honestatis convenientis tali operationi. Quare regula istius finitæ honestatis non esset error, sed verum iudicium respondens finitæ honestati. In his subtilitatibus discutiendis immorari plus iusto nos cogunt adversarii, ut eorumdem sophismata convellamus.

XXXII. Obiciunt 4. Qui errans existimat pauperem apparentem esse vere pauperem, cum vere non sit, illique succurrit, vere exercet actum misericordiæ bonum & meritorium. e contrario peccaret, si apparente extrema pauperis ficti necessitate congruum subsidium porrigere negligeret. Sacerdos catholicus, ab omnibus reputatus probus, Missam celebrans non consecrat, proponitque hostiam non consecratam adorandam: & fideles tenentur eam adorare. Petrus, reputans hunc esse suum patrem, tenetur illum honorare. Ergo similiter qui ex errore invincibili mentiretur, bene ageret; qui peieraret ad vitam proximi salvandam, & qui Prælati præceptum exequeretur, ut bonum, laudabiliter operaretur, quantumvis esset de re mala. Hæc exempla non parum fuci imperitis faciunt; cum tamen offuciæ sint, & nugæ.

XXXIII. Ut facillime percipias quam sint frivolæ eiusmodi argutationes, compara

para simul has duas propositiones: voluntas succurrendi pauperi, & voluntas mentiendi. Quid iudicii illico profers in utramque? Nonne istud? Prima potest esse bona, secus secunda. Ne ergo adversarii sophisticis cavillationibus pervertere valeant hoc tuum naturale iudicium, prae oculis semper habe contrariam utriusque propositionis naturam, & confestim in fumum abeunt levissima sophismata. Et primo, homo, sive pauper sit, sive dives, nihil natura sua explicat quod impediat virtutem eleemosynae; quoniam & dives, & quicumque ob bonum finem eleemosynam petere valet, & propter Christum se pauperem efficere. Itaque quemadmodum dictum est de obiecto indifferenti, nulla est in hoc eleemosynae obiecto malitia materialis, qualis est in mendacio, & periurio. Igitur iudicium dirigens voluntatem eleemosynae in proposito casu, est iudicium illud quod praescribit succurrendum esse pauperi, quod iudicium verum est. Deceptio autem, seu error, quo creditur pauper qui reapse pauper non est, non dirigit voluntatem. Obiter hic adverte, quod sicut in voluntate saepe sunt mala mixta bonis, & contra; sic in intellectu falsa sunt mixta veris. Deceptio ergo illa qua reputatur pauper qui dives est, disparata prorsus est, nec influit in actionem eleemosynae. Sed iudicium quo iudicatur succurrendum esse pauperi, illud est quod voluntatem bonam regit. Sed audio te rursus clamitare. Virtus eleemosynae consistere nequit, propria materia sublata. Materia, seu obiectum eleemosynae est paupertas. Ergo, hac sublata, corruit virtus. Resp. Falleris. Obiectum eleemosynae est homo sublevandus; seu eleemosyna eo spectat, ut homini succurrat. Si hic homo vere pauper sit, tum eleemosyna undequaque perfecta est. Si homo iste fingit se pauperem, tum eleemosyna caret hac praerogativa sublevandi pauperem. Et si secundum istam considerationem negare velis esse *vere* & in rigore eleemosynam, non admodum repugnabo: quia deest conditio paupertatis. Est tamen actus bonus imperatus a caritate, nullaque malitia inquinatus. quia porrigere pecunias homini etiam diviti absolute malum non est. Ad alteram partem respondetur, veram esse, nempe peccare illum qui non succurreret tali ficto pauperi: non quia violaret legem peculiarem, praecipientem auxilium porrigere tali ficto pauperi, sed quia violaret legem universalem prohibentem ne homo agat contra conscientiam, seu contra legem quam ille reputat latam a Deo. Voluntas quippe violandi legem Dei intrinsecus mala est. Qui reputat hanc esse legem Dei, sive vera, sive falsa sit, si eam respuit, voluntatem habet violandi legem Dei. quae voluntas mala est, ut ex D. Thoma inter disputandum dixi. Quando praeceptum Praelati malum est, seu de re mala, actio qua praeceptum illud observatur, bona non est; quamvis propter ignorantiam invincibilem non sit ad culpam imputabilis. Negatur ergo, executionem illius praecepti esse actum virtutis obedientiae verae; sed tantum est actus prudentiae *putativae*, seu existimatae. Revoca tamen in mentem quod supra

diximus, sæpe esse mala mixta bonis. Non quod idem actus sit bonus & malus (quod sane commentum chimæricum est) sed quod plures in similibus casibus intermisceri soleant actus veræ obedientiæ, regulati ab hoc iudicio, quod Prælato præcipienti parendum sit: & voluntas huic iudicio conformis bona est. Voluntas vero directa ab applicatione particulari intellectus, seu a iudicio imperante periurium, a Prælato præceptum, mala est: sed malitia non imputatur, posito quod iudicium sit invincibiliter errans. Ad alia duo exempla responsio patet ex dictis. Qui adoraret hostiam non consecratam, non exerceret veram adorationem, sed idololatriam materialem, non imputabilem ad culpam ob ignorantiam invincibilem. Actus alii, ex vera intentione Deum adorandi procedentes, boni sunt: quia sæpe sunt bona mixta malis. Mala autem, ut dicitur, negative esset præfata adoratio. Cardinalis Gotti *loc. cit. num.* 13. existimat, hanc esse adorationem honestam, a prudentia, & religione directam. Sed evidenter fallitur, & suam destruit sententiam. Discrimen quod inter exemplum hostiæ consecratæ, & accessum Iacob ad non suam assignat, nullum est, ut ex se patet; nec pluribus opus est ut quisque percipiat eamdem esse plus minusve utriusque exempli rationem. Et qui semel admittit virtutem prudentiæ aliquando errorem excipere, non est cur neget in aliis exemplis occurrere idem posse. Virtus prudentiæ virtus mentis est: & sicut habitus intellectus speculantis falsum continere nullo modo potest, ita neque virtus intellectus practici. Si ergo duo eodem religionis fervore ducti ad Ecclesiam pergant, ut Christum sub hostia consecrata adorent, & unus audiat Missam Sacerdotis consecrantis, alter Sacerdotis non consecrantis, dispares in merito, & in virtute religionis erunt? Dubio procul. Cur hoc? Quia bonum ex integra caussa, malum ex quocumque defectu. Quia actio obiective mala, ut est actio idololatrica, ab intentione quantumvis sancta suscipere honestatem nequit. Qui oppositum asserunt, a doctrina S. Thomæ desciscunt, & manibus pedibusque in Probabilissimum corruunt, erroremque præmio donant. Qui honoraret patrem, falso reputatum talem, non esset vera honoratio filialis. Hæc omnia patent ex iis quæ fusius dicta sunt.

XXXIV Obiiciunt 5. Actus voluntatis speciem capiunt ab obiecto, non absolute spectato, sed ut præcognito, seu repræsentato per intellectum. Porro mendacium, periurium, furtum, & similia crimina non repræsentantur ut mala: ignoratur quippe, & quidem invincibiliter, illorum malitia. Resp. Mirum est, inquit P. Muniessa, quam præfidenter ducantur, & misere seducantur multi imperiti hac speciosa vulgatissimæ obiectionis cavillatione. Vel qui prima Logicæ rudimenta delibavit, percipit quam sit crassum sophisma istud. Ignis, ut comburat, necesse est ut applicetur: ergo ne applicatio est ratio formalis qua ignis comburit? Cognitio, seu repræsentatio intellectus requiritur ut conditio omnino necessaria ad hoc ut

ut obiectum malitiam, vel bonitatem refundat in actum. Ceterum quemadmodum ratio formalis qua ignis comburit, non applicatio est, sed eiusdem calor; sic cognitio intellectus, qua repræsentatur obiectum, est conditio necessario requisita, secus ratio formalis, qua obiectum speciem refundat in actus voluntatis. Hæc nimis trita sunt. Quamvis autem cognitio intellectus repræsentet mendacium ut bonum, non ut malum, tamen non hinc sequitur quod hæc cognitio tollat intimam mendacii malitiam, eiusdemque cum divina æterna lege oppositionem. Illa repræsentatio non affirmat in obiecto reperiri malitiam; sed repræsentat obiectum quod intrinsecus claudit malitiam: & hoc satis est ut voluntas in illud tendens mala sit, licet malitia non imputetur ad culpam propter errorem invincibilem. Accedit quod si argutatio facta quidquam concluderet, evinceret bonam pariter esse voluntatem mendacii, directam ignorantia vincibili. Nam æque vincibilis, ac invincibilis ignorantia proponit voluntati mendacium, periurium, furtum, & cetera similia crimina ut bona. Ergo si sola repræsentatio illa est quæ speciem tribuit actibus voluntatis; perinde bona voluntas erit, sive vincibilis, sive invincibilis sit repræsentatio. Sed quid diutius detineor in re levissima?

XXXV. Obiciunt 6. Quando homo invincibiliter errans existimat se hic & nunc ad peierandum, ad mentiendum pro vita proximi teneri, nolitque mentiri, & peierare; quæro, obligatur ne aliqua Dei lege ad peierandum, vel secus. Si primum: datur ergo vera lex Dei, quæ obligat hominem ad peierandum. Si secundum: ergo non peccaret peierando. Resp. Iam supra solutum hoc sophisma est. Sed quia sophistica terminorum collocatio fucum imperitis facere potest, idcirco sub hac forma repetendum duxi. Dico ergo, ut supra, nulla tunc vera Dei lege urgeri hunc hominem ad mentiendum. Peccaret tamen non peierando, & non mentiendo: quia in data hypothesi voluntas non mentiendi esset voluntas peccandi: voluntas autem peccandi vera Dei lege prohibetur.

XXXVI. Reponunt. Lex hæc non peccandi obligat ergo ad mentiendum: quia si non mentitur, peccat: ergo datur lex mentiendi. Porro lex Dei non nisi de bono esse valet. Bonum ergo mendacium est. His argutationibus cavillantur, ut simplicium mentes confundant. Lex divina, quæ peccare prohibet, non præcipit mendacium; sed homo erronee existimat dari Dei legem quæ obliget ad mentiendum: & hac existimatione posita, peccat, si non mentitur. Quia, ut diximus, ad peccandum satis est quod per errorem reputetur dari legem Dei prohibentem; licet revera lex talis non detur: quoniam malum ex quocumque defectu.

XXXVII. Clamant iterum. Qui præcipit finem, eadem voluntate præcipit medium necessarium ad finem. Ergo voluntas quæ prohibet peccare, præcipit mentiri. Probatur consequentia. Mendacium in hac positione est unicum medium ad evitandum peccatum. Ergo &c. Resp. Distinguo antecedens. Præcipit medium, na-

natura sua connexum cum fine; concedo: præcipit medium, ex erronea conscientia hominis requisitum, negatur antecedens. Mendacium natura sua non est medium ad evitandum peccatum, sed est peccatum. Ex sola erronea conscientia hominis tunc evadit medium non peccandi. Idcirco oppositio est merum sophisma.

XXXVIII. Audias ultimum sophisticæ artis conatum. Admittamus hypothesim, præfatum hominem nolle tunc mentiri, atque adeo peccare. Ponamus, errore invincibili perseverante, velle se pœnitere. Hoc posito, pœnitere non posset, nisi cum proposito mentiendi de cetero, sicut & non peccandi. Vel ergo dicendum, hominem in hac hypothesi pœnitentiam agere non posse, vel concedendum, propositum mentiendi esse bonum.

XXXIX. Resp. Posset tunc homo ille pœnitentiam agere cum proposito servandi omnia divinæ legis præcepta. Quod propositum bonum est, nullamque includit voluntatem mentiendi. Quare non est ei impossibilis vera pœnitentia. Quod si vir ille errore invincibili obductus propositum haberet mentiendi, hoc propositum sane bonum non esset, nec meritorium, atque adeo nec dispositio ad iustificationem. Quemadmodum si peccator reputaret se habere verum dolorem supernaturalem ex vero motivo, si reipsa dolor esset naturalis, pœnitentia vera non esset, sed putativa, & apparens. Ceterum, ut id quod res est, dicam, si homo sinceram haberet voluntatem pœnitendi, dubio procul haberet simul verum propositum Deo placendi, servandæque universæ legis. Quibus actibus se se disponeret ad iustificationem. Actus vero intermixtus mentiendi per errorem invincibilem, si etiam illum eliceret, non disponeret ad iustificationem, utpote non bonus, sed neque obesset, quia formaliter non est malus, seu imputabilis ad culpam. Ceterum repeto, eiusmodi hypotheses esse meras cavillationes, ad involvendam veritatem, & ad propugnandam falsam, laxamque opinionem excogitatas. Deus enim hominem sincere, & ex animi sententia volentem se pœnitere, & peccata detestari, non deserit, nec gratiam ad iustificationem, & salutem necessariam subtrahit.

XL. Obiiciunt 7. Quodcumque ratio mihi proponit ut lege præceptum, teneor exequi. Sed nunc mea mihi ratio proponit mendacium ut præceptum. Ergo teneor mentiri. Resp. Sint hæc omnia vera. Quid inde? Syllogismus præfatus non aliud infert, nisi quod, admissa hypothesi ignorantiæ invincibilis, teneatur homo mentiri, ne peccet. At unde infertur, illum mentiendo bonum honestumque actum producere? Prima ergo syllogismi propositio duplicem habere sensum potest. Quæcumque mihi ratio proponit ut præcepta necessario exequenda, teneor facere, ut non peccem. Et hic sensus verus est. Quæcumque ratio mihi proponit, ut præcepta, teneor facere, ut meritum adipiscar, ut laudabiliter agam: distinguo: Si ratio sit recta, concedo; si errans, nego. Omnia adversariorum argumenta laborant

sant crassa æquivocatione sub initium indicata. Confundunt perpetuo opus non imputabile ad culpam cum opere honesto, & meritorio. Confundunt honestatem existimatam, putativam, & apparentem cum honestate vera & reali. Quando ratio errans est, & proponit opus ut obligatorium, illudque ut laude, & merito dignum repræsentat; tunc sicut ratio reapse est errans, & apparenter vera; sic opus reipsa est malum & demeritorium, solumque apparenter bonum & laudabile.

XLI. Obiicies 8. Mendacium in data hypothesi non esset bonum. Sed nec esset malum. Ergo esset opus indifferens. Atqui non dantur opera indifferentia in individuo. Ergo aut malum, aut bonum dicendum est mendacium illud. Resp. Qui negant opera indifferentia in individuo, loquuntur de operibus deliberatis. Opera directa ab ignorantia invincibili, non sunt deliberata. Ergo possunt esse indifferentia, quin præjudicium ullum subeat sententia talia opera negans. Reapse tamen mendacium, perjurium, furtum &c. sunt opera mala materialiter; sed ob ignorantiam invincibilem non imputantur ad culpam. Quocirca non sunt reapse indifferentia.

§. III.

Nonnulla alia argumenta P. Terilli reiiciuntur.

XLII. SI omnia sophismata quæ P. Terillus congerit, revocare ad crisim vellem, in immensum volumen cresceret. Revera omnia quæ in hac caussa obtrudit, ex iis quæ dicta sunt, soluta remanent. Tamen quia sub alio verborum involucro proposita negotium facessere imperitis possent, idcirco levi manu illa exsufflare lubet.

XLIII. Obiicit 1. *loc. cit. assèr.* 2. *num.* 15. *& seqq.* textus sacræ Scripturæ adeo a scopo hujus quæstionis alienos, ut mirari satis non subeat, Theologum alioquin acutum, potuisse illos nobis obtrudere. Textus sunt isti. *Beati immaculati in via*: Psal. CXVIII. Item Eccli. cap. XXXI. *Beatus dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit* &c. S. Paulus I. ad Corinth. VII. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*. Præterea commenta quæ heinc ille eruit adversus nostram sententiam: quia quisque, cujus sint ponderis textus isti, ex lectione eorumdem colligere valet. Piget enim tempus terere in rebus adeo frivolis. Similia prorsus sunt quæ ex Augustino, Bernardo, Bonaventura, Gregorio, & Ignatio consarcinat. Quicumque legerit quæ ex his Patribus opponit ille, intelliget, me ea prudenter præterire, non ut difficultatem dissimulem, sed ut Terillo potius parcam.

XLIV. Obiicit 2. ratione *num.* 34. Quamvis intellectus in directa consideratione

 erret,

XLIX. Obiicit 7. *num.* 39. Omnis actus prudens est honestus. Sed voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est prudens, & regulatur iudicio prudenti. Ergo actus bonus est. Resp. Negatur minor propositio. Sicut nulla virtus voluntatis valet elicere, aut dirigere actionem vitiosam, & mortiferam, ita virtus intellectualis, qualis prudentia est, dirigere erroneum iudicium nequit. Mirum est Probabilistas ut certum fere supponere, prudentiæ virtutem posse dirigere errorem. Arbor bona nequit edere fructus malos, nec contra. Hanc eamdem obiectionem repetit *num.* 40.

L. Obiicit 8. *num.* 41. Actus conformis suæ regulæ proximæ a Deo institutæ est bonus. At voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est conformis regulæ suæ proximæ, nempe conscientiæ, optimo nobis possibili constituto. Nec dubium quin Deus ipse homini lapso regulam hanc stabilierit pro eius directione. Ergo voluntas conformis rationi erranti est bona. Resp. Vix crederem hæc totidem verbis a Terillo proponi, nisi ipse legissem. Nec dubium ergo *quin Deus ipse homini lapso regulam hanc stabiliverit pro eius directione*? Nec dubium ergo est quin Deus ipse *errorem* nobis stabiliverit pro nostra directione? Similia paradoxa opponunt qui Probabilismi caligine obducti sunt. Regula proxima operationis honestæ est conscientia recta & vera. Conscientia errans non regula est, sed recessus a regula. Error stabilitur regula operationis honestæ? Quis hæc audiens non perhorrescit?

LI. Obiicit 9. *num.* 42. Omnis actus liber, qui procedit a voluntate recte disposita, est bonus. Sed omnis actus conformis rationi invincibiliter erranti est actus liber. Ergo omnis actus conformis rationi invincibiliter erranti bonus est. Hoc argumentum fuse protrahit, & inculcat etiam *num.* 43. Resp. Error ergo invincibilis non tollit voluntarium? Ergo ignorantia invincibilis non excusat a culpa. Ideo enim contra Iansenistas dicimus, errorem invincibilem excusare a peccato, quia aufert libertatem. P. Terillus asserit, omnem actum conformem rationi invincibiliter erranti esse liberum, atque adeo meritorium. Ego vero adversus Terillum, & Probabilistas sic arguo. Omnis actus natura sua malus, & liber peccatum est. Sed iuxta Terillum actus mendacii, directus ignorantia invincibili, est liber. Ergo malus, & imputabilis voluntati liberæ. Verum de hoc §. sequenti, ubi ad examen revocabitur argumentum *P. Casnedi*, qui hanc Terilli doctrinam exscripsit.

LII. Obiicit 10. *num.* 44. *& seqq.* plura exempla uxoris reddentis debitum viro, quem invincibiliter credit suum: iudicis condemnantis innocentem legitime probatum reum: filii obedientis patri invincibiliter existimato tali: & tandem hostiæ non consecratæ, quæ cultu religioso a fidelibus adoratur. Resp. Hæc omnia exempla, quæ nec umbram præferunt difficultatis, supra expensa sunt. Quod ali-

aliquibus hæc exempla, potiſſimum fidelium adorantium hoſtiam non conſecratam, negotium prima fronte quodpiam faceſſant, ex præoccupationibus, & ignorantia ortum ducit. Ceterum ſi ad vera, & perſpicua honeſtatis principia reſpexerint, omnis evaneſcit difficultas. Nec exemplum hoſtiæ non conſecratæ quidquam præ aliis exemplis difficultatis ingerit. Ut enim hoſtia adoretur, ſatis eſt moralis certitudo eam eſſe conſecratam. Hæc autem certitudo probabilis, ſeu moralis adeſt, quoties nihil in oppoſitum occurrit. Ignorantia autem invincibilis impedit ne idololatria imputetur ad culpam, ſicut impedit ne cuiuſque alterius actionis malitia vitio adſcribatur, dum invincibiliter ignoratur. Verum quemadmodum hæc ignorantia non efficit ut ſit revelatum a Deo quod non eſt reapſe revelatum; ita non efficit ut hoſtia non conſecrata ſit conſecrata. Fidelis adorat hoſtiam non conſecratam prudenter, prudentia non vera & poſitiva, ſed negativa; ut alias dictum eſt.

§. IV.

Refutatur cenſura Ianſeniſmi, & Baianiſmi, quam minus conſulte P. Carolus Antonius Caſnedi *impingit ſententiæ hactenus propugnatæ.*

LIII. PRobabiliſtæ nonnulli, cum ratione deſtituantur, dicteriis, & calumniis cauſſam agunt. Evidens eſt, S. Thomam cum ceteris Patribus, & Theologis graviſſimis, atque, ſive doctrinam, ſive dignitatem ſpectes, nemini ſecundis, propugnare errorem invincibilem non reddere opus natura ſua malum dignum vera laude, & merito vitæ æternæ, & nihilominus P. Carolus Antonius *Caſnedi* auſus eſt Ianſeniſmi, & Baianiſmi hanc ſententiam expoſtulare. Et quoniam res incredibilis apparet, illius verba tranſcribenda ſunt. Ergo ſcribit Tom. I. diſp. v. ſec. 2. num. 129. *Quare Celladei* (Michael Elizalde) *concordat cum Ianſenio, & Baio in hoc, quod error poſitivus de honeſtate obiecti, etſi ſit invincibilis, non ſit ſatis ad honeſte, & MERITORIE operandum.* Qui ergo non defendit furta, periuria, pollutiones, idololatriam, atheiſmum, & cetera flagitia, quorum invincibilis ignorantia poteſt eſſe iuxta Probabiliſtas, eſſe opera *MERITORIA æternæ vitæ, & ſupernaturalia*, Ianſeniſmum olet, & Baianiſmum? Ita ne vero? Ianſeniſtæ ergo erunt Auguſtinus, Bernardus, Thomas, P. Tyrſus Gonzalez Præpoſitus Generalis inclytæ Societatis Ieſu, Murieſſa, Camargo, Gotti, ceterique graviſſimi Theologi? Hæc eſt benignitas, & obſequium Probabiliſmi erga graviores Theologos, atque Eccleſiæ Patres. Sed ediſſerat nobis *P. Caſnedi* cum ſuo Terillo, a quo hanc exſcripſit opinionem, cur Ianſeniſmi fuligine tincta ſit hæc noſtra ſenten-

ten-

tentia. Quod potissima Probabilismi fundamenta suffodiat. Porro qui Probabilismum improbant, Iansenistæ sunt: primi enim qui classicum adversum Probabilismum cecinere, Iansenistæ fuerunt. Hæc est unica & robusta ratio quam offerre *P. Casnedi* potest, ut evincat Iansenismum, & Baianismum redolere sententiam P. Elizalde. Ceterum, missis iocis, sententia *P. Casnedi*, *Terilli*, *La-Croix*, aliorumque Probabilistarum, quam hactenus refutavi, ad severiorem criticen revocetur. *P. Casnedi*, nulla adducta probatione, notam Iansenismi affingit sententiæ nostræ. Nos contra, non ut recriminemur, sed ut sanam doctrinam propugnemus, erroresque repellamus, Iansenismi luto hærere adversariorum sententiam, invictis argumentationibus demonstrabimus. Et primum omnium, illorum propositio in medium veniat. *Error positivus de honestate obiecti quando est invincibilis, satis est ad honeste, & MERITORIE operandum*. Hæc totidem verbis *P. Casnedi* cum *P. Terillo*, *La Croix*, & aliis. Hanc autem propositionem Ianseniana lue inquinatam esse, hoc ego pacto evinco. Ad opus honestum, & ad meritum libertas requiritur indifferentiæ. Quocirca tertia Iansenii propositio damnata est ab Ecclesia, estque sequens: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*. De prima ergo propositione nullus est ambigendi locus. Altera propositio hæc est: Ignorantia invincibilis adimit libertatem. Ergo necessario consequitur, opus ignorantia invincibili directum, non esse merito vitæ æternæ dignum. Duæ primæ propositiones sunt fidei; neque absque hæresis nota vocari in disputationem valent. Consequentia autem est legitima. Alterum ergo *P. Casnedi* fateatur necesse est: videlicet, aut errorem invincibilem non auferre libertatem, nec peccatum impedire (quod si adfirmet, in Lutheranismum, & Calvinismum incidit) aut, si concedit errorem invincibilem adimere libertatem, cogitur fateri, opus directum ab errore invincibili, esse honestum, & meritorium absque libertate. Hæc autem hæresis est Ianseniana. Sed aliis aculeis urgeamus paullisper adversarium. Qui laborat errore invincibili, peccare nequit: quia caret libertate. Ergo potiori iure non meretur ob libertatis defectum. Quid ad hæc? Aut error positivus invincibilis tollit libertatem, aut secus. Si secundum, ergo ignorantia invincibilis non excusat a peccato: & hic error est Iansenii. Si primum; ergo datur opus meritorium sine libertate: quæ est alia Iansenii hæresis.

LIV. Argumentatio, inquis, urget; at experientia adversatur eidem. Nam reapse videmus, hominem ignorantia invincibili obcæcatum opus libere elicere, nempe mentiri, peierare, furari &c. Si res ita se habet, ergo peccat. Si enim libere operatur malum, dubio procul peccat. Si mentiendo peccat, ergo mentiendo non meretur. Ceterum, ut æquivocatio auferatur, duplex distinguenda libertas est: altera physica, altera moralis. Qui operatur cum ignorantia invincibi-

li,

li, operatur libere physice, secus ethice, seu moraliter. Porro in eo genere necessaria libertas est in quo quis aut meretur, aut demeretur. Meritum, & demeritum sunt in genere moris. Ergo in hoc genere requiritur libertas.

LV. Postremum mirifica, & stupenda videtur adversariorum Theologia. Ignorantia invincibilis, omnibus fatentibus, impedit peccatum: & non impediet meritum? Si qui laborat errore invincibili, nequit ex hoc titulo peccare, potiori iure nequit ex eodem titulo mereri: plus enim ad meritum quam ad culpam exigitur. At, inquis, qui mentitur, ut salvet vitam proximi, iudicat se bonum opus exequi, & voluntas libere mendacium profert, repræsentatum ut honestum. Mera est hæc verborum illusio. Qui mentitur, & peierat, iudicat bonum opus exequi? Hoc iudicium verum est, aut falsum. Si verum, ergo periurium bonum est, bonum & mendacium. Si erroneum, aut vincibile est, aut invincibile, Si vincibile, peccatum est. Si invincibile; ergo aufert libertatem: ergo tollit meritum, & demeritum; quorum fundamentum libertas est. Hæc adeo evidentia sunt, ut nulla eludi cavillatione queant. Et sane incredibilis est adversariorum dialectica. Cum ceteris Catholicis sentiunt, ignorantiam invincibilem auferre libertatem. Fatentur quoque ad merendum, & demerendum libertatem requiri, nedum a coactione, verum etiam a necessitate. Deinde audent defendere, hominem laborantem ignorantia invincibili posse cum laude & merito illa ipsa opera exercere quorum obducitur ignorantia?

LVI. Retractet ergo P. Carolus Antonius *Casnedi* calumniam Iansenismi, & Baianismi, aspersam sententiæ SS. Augustini, Bernardi, Thomæ, Bonaventuræ, & graviorum Theologorum. Præter adductos S. Thomæ textus iubet alium hic afferre, quo Doctor sanctus ostendit, mendacium nullo modo bonum esse, quantumvis pia intentione directum: quod obstetricum AEgyptiarum exemplo evincit. *Obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia ex qua processit. Mendacium vero postea sequens non fuit meritorium.* 2. 2. quæst. cx. art. 3. ad 2. Contra, inquiunt PP. La-Croix, Casnedi, Terillus, fuit meritorium *per accidens* ratione ignorantiæ invincibilis; idest, fuit meritorium illud mendacium, quia non fuit liberum. Hæc autem hæresis est Calviniana, & Iansenianа. Non modo ergo P. *Casnedi* retractare suam calumniam debet, impactam SS. Doctoribus, verum etiam depurget necesse est suam doctrinam a nota Iansenismi, & Baianismi. Quam notam non dictatoria, ut ille præstitit, auctoritate eidem inurimus (absit enim hoc a nobis) sed vi tantum evidentis rationis: quæ censurandi methodus omnibus Theologis familiaris est & permissa. Libenter vero audirem a *P. Casnedi*, aut ab eiusdem strenuis defensoribus, quid responsi præbituri sint argumentationibus nostris. Nam adeo improbabilis, falsa, & laxa mihi est adversariorum opinio, ut iure ac merito scripserit doctissimus P. Ignatius

de

de Camargo Societatis Iesu, se mirari, quod P. Antonius *Terillus* cum aliis Probabilistis non erubuerit iactare pro sua opinione Theologorum omnium consensum; &, quod turpius est, talem opinionem affingere ausus sit D. Thomæ. Hæc sunt verba sapientis Iesuitæ. „ In eo quod Terillus affirmat de uniformi assensu „ Theologorum a centum saltem annis in ea sua doctrina tradenda, *fallitur manifeste*. Ceterum turpius fallitur, & *multo minus excusabiliter* cum idam audet „ D. Thomæ appingere, cuius circa mentem adeo crasse Terillus hallucinatus „ est .*. . ut vix de viro docto & sincere docente videri credibile potest.„ P. *Cafnedi* vero, & P. *La-Croix* cum ceteris qui Terillum ducem sequuntur, non alia excusatione digni sunt in allegando pro eorum laxa opinione S. Thomam, nisi quod nimia in Terillum fide decipi frequentissime soleant. Concludit P. Camargo, adeo certam esse sententiam nostram, ut de ea *nemo*, inquit, *dubitasset*, „ *nisi in mundum venisset Probabilismus, cuius doctrinæ opposita germen est*.

CAPUT VI.

De conscientia dubia.

I. PRimum omnium ipsum conscientiæ dubiæ nomen explicandum est. Conscientia, ut dictum est, dictamen practicum mentis est. Porro dictamen seu iudicium in se non est dubium, cum dubium sit iudicii suspensio, ut mox dicam. Dicitur itaque conscientia dubia *obiective*, seu *terminative*, quatenus circa ipsam rem dubiam habet homo varia iudicia practica in utramque partem, quæ sententiam super eadem re suspendunt.

II. Antequam veram dubii notionem prodo, vanas Tamburini, & aliorum finitiones dubii excludo. Docet quippe Tamburinus *Lib. I. in Decal. cap.* IV. dubium aliud esse positivum, negativum aliud. Dubium *positivum* vocat, quando leves dubitandi pro utraque parte rationes occurrunt, *negativum* vero, dum nulla occurrit dubitandi ratio. Sed hanc partitionem, finitionesque, ut falsa commenta, reiiciunt communiter graviores Theologi. Quando enim nulla occurrit dubitandi ratio, non dubium, sed nescientia, & ignorantia nuncupatur. Neque enim ego dubito, sint ne astra paria, vel imparia; sed id ignoro. Vana quoque est aliorum distinctio, qua dicunt, dubium negativum versari inter rationes leves; positivum vero inter rationes graves. Nam ratio levis non dubium inducit, sed scrupulum, aut suspicionem. Porro rationes leves spernendæ sunt. Nullus homo prudens ex levibus indiciis movetur ad dubitandum, sed illa contemnit. Ne tamen litem instituamus de vocibus, si cum P. Cardenas *I Part. disp.* VI. *num.* 115. dubium negativum appellare velis, quando anceps intellectus manet, iudicio suspen-

ſpenſo, eo quod propoſitis terminis nulla occurrit ratio gravis, ad prudenter iudicandum de alterutra parte, inclinat tamen intellectum ad ſuſpicandum, non valde repugnabo. Quoniam, ſive id neges, ſive adfirmes, nihil ad inſtitutum confert.

III. Dubium ergo poſitivum morale, de quo in præſens, eſt, quando utrinque occurrunt rationum momenta æqualia, quæ aſſenſum, ſeu iudicium ſuſpendunt in utramque partem. Ab æqualibus enim momentis agitur intellectus, & fluctuat, dum practica iudicia in utramque partem habet. En dubium poſitivum. At quia hæc iudicia in utrumque extremum paria ſunt, anceps hæret mens, ſuumque retinet iudicium, & ſententiam: & ſecundum iſtam rationem vocari dubium *negativum* poteſt, quatenus intellectus aſſenſum negat. Hæc eſt communis dubii notio quam Theologi graviores tradunt. S. Thomas quæſt. XIV. de verit. art. 1. *Quandoque intellectus non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem. Et iſta eſt dubitantis diſpoſitio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.*

IV. S. Antoninus I. Part. Sum. tit. III. cap. X. §. 10. reg. 6. *Qui agit ſcienter id de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, ſumendo proprie & ſtricte dubitationem, prout rationes ſunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem quam ad aliam.* Tunc itaque homo revera dubitat, ſeu anceps hæret, quando argumenta in utramque partem apparent vel æqualiter evidentia, vel æqualiter probabilia. Nec hanc fluctuationem, ſeu ſuſpenſionem tollit aliqua levis ratiuncula, quæ ſcrupulum inducit, quæque contemnenda eſt. Et quamvis dubium proprie inducat ſuſpenſionem iudicii, teneatque intellectum ſuſpenſum; quemadmodum duo pondera æqualia ſuſpendunt libram, ne in unam, vel aliam partem declinet, cum hoc tamen componitur quod intellectus poſſit ſupra ſe reflectere, ſeu formare iudicium reflexum, quo indicat ſe dubitare. Quare dubium proprie verſatur circa obiectum directe propoſitum intellectui, qui de eo nihil adfirmat, negatve, ſed manet ſuſpenſus & anceps in utramque contradictionis partem.

V. Ab hac ſuſpenſione dimovere intellectum valet ſola maior apparentia veritatis. Communiter contendunt, quod ſicut fieri nequit ut bilanx in alterutram partem moveatur, quamdiu pondera æqualia remanent; ita neque intellectus, atque adeo neque voluntas, uſquedum rationum momenta paria omnino ſunt. Quamobrem ſi bruto eſurienti proponerentur duo pabula omnino ſimilia, & æqualia in æquali diſtantia, ad neutrum moveretur, ut experientia comprobatum volunt in aſino Buridani. Verum hæc numquam probari experimento valent.

quia

quia fieri in praxi nequit ut pabula ita similia, & in aequali distantia appareant bruto famelico, ut non ab uno potius quam ab alio attrahatur. Et quidquid de bruto sit, in homine affectiones cordis intellectum divertunt, & libera voluntas pro ingenio illum divertere potest, ne consideret illud, & meditetur istud extremum. Cum enim humana voluntas sola infinita bonitate aequetur, a nulla re creata impelli necessario valet: idcirco semper valet intellectum a cuiuslibet obiecti consideratione retrahere, & ad alterius meditationem inclinare. Verum quidem est peccare voluntatem, si imprudenter, idest pro solo ingenio, & absque gravi momento divertat intellectum a consideratione unius, & in meditationem alterius impellat.

VI. Aliqui confundunt dubium cum iudicio incerto: quae duo diversa omnino sunt. Nam licet omne dubium sit incertum, non tamen omne incertum est dubium. Siquidem omnis assensus inevidens plus minusve incertus est, nec tamen dubius, seu dubium est; cum dubium assensum excludat. Aliunde enim dubium, & aliunde incertitudo arcessitur. Incertitudo oritur a momentis inevidentibus, dubium vero ab aequalitate in utraque parte rationum. Maneat ergo certum ratumque, dubium proprie dictum suspensionem assensus claudere in utramque partem ob aequales rationes. Et quia haec dubii finitio non levis momenti est, lubet eam confirmare auctoritate P. Francisci Suarez Theologi doctissimi, qui *disp. xl. de censuris sect. 5. num. 2.* haec scribit. *Aliud est dubitare, aliud assentire cum formidine. Dubium enim proprium est, quando post diligentem inquisitionem intellectus anceps, & quasi suspensus manet. Assensus autem licet sit cum formidine, est tamen determinatus ad alteram partem; atque ita tollit dubium, & praebet saltem opinionem.*

VII. Quaest. I. *Quotuplex sit dubium?* Resp. Communis divisio dubii est in dubium iuris, & facti; in speculativum, & practicum. Partitio in positivum, & negativum iam supra partim explosa, partim explicata est. Dubium *iuris* est, dum quis dubitat de lege, de praecepto, de voto, seu de quacumque re ad obligationem pertinente. Illud enim omne quod obligat, respectu illius rei ad quam obligat, legis naturam participat, vel praecepti, seu iuris. Dubium *facti* tunc est, quando quisquam dubitat, sit ne factum aliquid, puta utrum heri ieiunaveris, officium divinum persolveris, tali tentationi consensum praebueris. Eadem res potest esse materia dubii iuris, & facti sub diversa ratione.

VIII. Dubium *speculativum* proprie illud vocatur quod honestatem alicuius sive legis, sive operis spectat. Dubium *practicum* operis exercitium respicit. Dubitas, sit ne panis siligineus materia Eucharistiae, utrum licitum sit pingere die festo, an vestis tua sit. Haec dubia speculativa sunt, quibus perseverantibus, dubitas, utrum hic & nunc consecrandum sit in pane siligineo, utrum pingere hoc fe-

festo die liceat, & utrum retinere debeas vestem quam possides. Hæc sunt dubia practica. Dubitas, incurreris ne censuram, vel irregularitatem: & hoc est dubium speculativum. Et, hoc dubio perseverante, dubitas, utrum liceat celebrare, & hoc est dubium practicum. Plures recentiores illud vocant dubium speculativum quod opus respicit præcisum a circumstantiis; e contrario practicum quod illud opus considerat circumstantiis implexum. Sed eiusmodi notiones falsæ sunt. Opus cum suis circumstantiis diversum omnino obiectum est ab opere ab iisdem circumstantiis præciso: quare dubia quoque quæ eiusmodi obiecta spectant, diversa sunt. Quando ergo dubium practicum, & speculativum versantur circa eamdem propositionem, ambo illam respiciunt omnibus circumstantiis vestitam, cum hoc discrimine, quod dubium speculativum versatur circa solam honestatem, & naturam rei, dubium vero practicum executionem eiusdem considerat.

IX. Quæst. II. *Utrum operari cum conscientia dubia de peccato sit peccatum?* Resp. Dubitas, sit ne licitus hic contractus? &, manente hoc dubio, contractum celebras. Affirmant omnes te peccare. Quoniam, usque dum non deponis hoc dubium de iustitia contractus, sed anceps intellectus hæret, voluntas ita opus aggreditur, ut parata sit illud exequi, sive sit, sive non sit contra legem Dei: quæ voluntas suapte natura mala est, atque divinæ maiestati iniuriosa. Præterea non operatur ex bona fide: omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Postremum, qui dubitando operatur, proximo periculo se se exponit peccandi mortaliter, cum æque probabile sit peccatum, ac non peccatum. Quis tam rudis est qui non videat, eum parvi facere Dei amicitiam qui cum illius offensæ dubitatione opus aliquod aggreditur? Hæc est doctrina certa nedum penes omnes Theologos catholicos, sed ethnicos ipsos. Porro hoc dubium deponi nequit, nisi gravi aliquo, prudentique motivo, quod ad unam partem potius quam ad alteram intellectum inclinet.

X. Hinc colligas velim, quam grave periculum sit ne in opinionibus probabilibus dubii reapse & ancipites maneamus, licet aliquo affectu, vel cupiditate occulta potius quam ratione vere probabili & gravi, in unam præ altera partem inclinare videamur. Porro si dubitantes manemus, revera peccamus. Ad hanc solam considerationem expavescere debemus omnes, sed potissimum Probabilistæ, qui vanis, & ineptis commentis hoc dubium reponunt inter opiniones utrimque æqualiter probabiles, ex quibus pro ingenio eam eligunt quæ sibi magis arridet. Qua de re loco suo.

§. UNI-

§. UNICUS.

Discrimen quod P. Cardenas constituit inter dubium facti, & iuris, quod nempe illud per æquales testes non tollatur, istud vero æqualibus probationibus auferri possit, refutatur.

I. P. Cardenas, inter Probabilistas doctus & probus, ita Probabilismum defendit, ut nollet umquam ad praxim reduci, quemadmodum suo loco dicam. Quamquam enim acutior sit Tenillo, & solidior, tamen, quia veritatis amantior, sæpe cum Probabilismi dispendio veritati litat. Discrimen quod inter dubium iuris, & facti invexit, non leve infert Probabilismo detrimentum.

II. Docet ergo Cardenas *in Cr si tract. 1. disput. VI. cap. VI. art. 1.* in quæstione facti paria testium momenta in dubio rem relinquere, ita ut iudex nequeat sententiam in alterutram rogare partem, quando in utramque partem testes adsint æqualis auctoritatis. Oppositum vero evenire contendit in quæstione iuris; ita ut possit intellectus, pari rationum pondere suspensus, alterutri parti assensum præbere.

III. Primam partem omnes admittunt Antiprobabilistæ, eam tamen negant communiter Probabilistæ; ut affirmat ipse Cardenas *num.* 80. Illam vero invictis argumentis evincit, quorum aliqua hic perstringam. Et primo auctoritas Salomonis occurrit super infante quem ambæ meretrices sibi adiudicabant *III. Reg. cap.* III. Clamabat enim una: *Filius tuus mortuus est, meus autem vivit.* Contra testabatur altera. *Mentiris: filius quippe meus vivit, & filius tuus mortuus est.* Quia æqualis ponderis testimonia erant, dubius remansit Salomon: &, ut dubium excuteret, veritatemque extorqueret, divisionem præcepit infantis.

IV. Confirmat hanc veritatem utriusque iuris textibus. Nam in cap. *Ex litteris* de probationibus hæc habentur. *Quod si ambarum partium testes sint æque idonei, possessoris testes præferuntur, cum promptiora sint iura ad absolvendum quam ad condemnandum.* Ubi Glossa ait. *Quod hic dicitur, & in similibus, locum habet in dubiis, & obscuris.* Patet ergo rem esse dubiam, ubi testes facti sunt æqualis fidei. Consonat ius civile, uti docet Bartol. in leg. 1 ff. *Uti possid.* apud Tusch. lit. P conclus. 758. *Quando probationes sunt pares, favetur reo, quia in dubio pro reo pronuntiandum.* Et idem Tuschus *lit. P. conclus. 766. num.* 33. inquit: *Probatio dicitur dubia, quando sunt testes contrarii pro actore, & reo æquales numero, & qualitate.* Idem tradit Tiberius Decianus *Volum. II. respons.* LII. *num.* 21. & 25. *ex cap.* Ex litteris *de probat.* & apud eumdem Baldus in leg.

Data opera Cod. *Qui accus. non poss.* Romanus *in leg.* 1. *§. ultim.* & expressit Abbas in cap. *Licet §. In tertio*.

V. Hæc, & alia congerit Cardenas, ut priorem propositæ quæstionis partem evincat: & non advertit perdoctus Theologus, hæc omnia æque probare in dubio iuris. N[illegible] in allegatis locis fit expressa mentio dubii facti cum exclusione dubii iuris; sed absolute leges loquuntur, ergo comprehendunt omne dubium, sive iuris sive facti.

VI. Admittimus ergo ut certam primam partem; nempe, testimonia in dubio facti omnino æqualia & numero, & qualitate controversiam sub dubio relinquere. At hinc evidenter inferimus, idem dicendum esse in dubio iuris, quin ulla umquam assignari disparitatis ratio possit. Rationes cum rationibus conferamus. Inquit Cardenas *num.* 89. Si Berta nupsit Petro, & Ioanni, & ambo eam uxorem postulent; & Petrus producat tres testes, affirmantes matrimonium cum Petro prius initum fuisse, & tres alii eiusdem fidei asserant, matrimonium initum fuisse prius cum Ioanne: quis erit iudex qui in favorem Petri potius quam Ioannis sententiam ferat? Quis prudens non dubitabit de legitimo istius uxoris marito? Anceps remansit Salomon ipse ob æquale duarum meretricum testimonium.

VII. Iudicem adeunt Theologi quatuor, & testantur invalidum esse matrimonium Bertæ cum Petro. Negant apud Iudicem alii quatuor Theologi eiusdem omnino dignitatis, & fidei, matrimonium illud validum esse. Hoc dubium iuris est, spectat quippe valorem contractus, & sacramenti matrimonii. Quis iudex non dubitabit de valore istius matrimonii? Cur, amabo te, Iudex anceps manet, utrum Berta reapse contraxerit matrimonium cum Petro, quando tres testes eiusdem omnino dignitatis affirmant, & tres negant tale factum? Cur hoc? Quia, inquis, Iudex auctoritate testium in quæstione facti movetur, veluti bilanx ponderum quantitate. Porro sicut hæc suspensa hæret, si pondera sint æqualia; ita Iudex dubius remanere debet in quæstione facti, quando testimonia paria sunt. Hoc concedit Cardenas. Sed ab eo percontamur: quis movet Iudicem in quæstione iuris? Doctorum auctoritates, & rationum momenta, quibus evincitur iustitia, aut iniustitia contractus. Si igitur Doctorum testimonia, & rationum momenta sint omnino paria; cur anceps, & dubius non remanebit Iudex? Quænam discriminis ratio? Estne alia intellectus natura in quæstione facti, & alia in quæstione iuris? Quatuor testes affirmant factum, quatuor negant. AEqualia sunt & affirmationis, & negationis momenta rationum. Quatuor Doctores affirmant licitum contractum, quatuor affirmant usura inquinatum. AEqualis est Doctorum dignitas, paria rationum pondera. Ergo aut in nullo, aut in utroque dubius hærere debet Iudex. Hæret in primo, ergo & in postremo.

VIII. Quis est qui ineluctabilem argumentationis vim non sentiat? Ipse P. Cardenas

denas pressus, ut discrimen assignet, respondet *loc. cit. art. 2. num. 99.* a se stare experientiam. Incredibile videtur tam doctum Theologum adeo ineptum præbere responsum: quocirca eiusdem verba transcribenda sunt. Inquit ergo. „ In quæstio-„ ne de facto rationes utrinque æque probabiles producunt dubitationem. Ergo „ etiam in quæstione iuris idem debet esse, cum non sit maior ratio unius quam „ alterius: vel assignetur disparitas. Respondeo, In quæstione de facto, in qua „ conclusio probatur ab experientia, non teneri me maiorem disparitatem dare „ quam ipsam experientiam. Cum ergo experiatur, intellectum in quæstione de „ facto hærere dubium, quoties pro utraque parte videt fundamenta æque proba-„ bilia, id quod non experimur in quæstione iuris, in qua intellectus plerumque „ uni parti assentitur, quamvis rationes sibi proponantur ut utrinque æque proba-„ biles; inde sufficiens desumo disparitatis argumentum. “

IX. Colligat hinc lector, quanti sit Probabilismi vis, si valet Theologum, alioquin acutum, & doctum, ita excantare, ut rem evidentissimam obnubilare petteniter. Quis umquam audivit similem disparitatem? Et primum cur asserit, nos in quæstione facti experiri, dubium hærere intellectum, secus in quæstione iuris? Hanc experientiam ostentare de semetipso Auctor valet, secus de aliis. Ego sane oppositum intimo sensu experior, & mecum experiuntur omnes Antiprobabilistæ; & quod plus est, communiter Probabilistæ ipsi. Intellectus absque ostensione veri non movetur, nec hæret suspensus, nisi ob duo æqualia veritatis pondera. Cur ergo ob hæc æqualia pondera in quæstione facti anceps intellectus hæret, secus in quæstione iuris? Quia id experimur in prima, secus in secunda quæstione? Id iam negant communiter docti, qui istius diversæ experientiæ discrimen assignari postulant.

X. Accedit quod nulla sit facti quæstio cui non immisceatur quæstio iuris. Nam dum accedunt quatuor testes adfirmantes factum, & quatuor negantes illud, Iudex expendere serio debet, sint ne reapse æqualia eiusmodi testimonia. Conferre invicem astringitur utriusque partis conditiones, gradus, & omnibus collatis, sententiam rogare super probationum æqualitate. Hæc autem quæstio iuris est. Ergo aut in quaque iuris controversia anceps intellectus hæret, posita probationum æqualitate, vel si anceps in quæstione iuris non manet, nec anceps manebit in quæstione facti, quæ semper quæstionem iuris includit.

XI. Opponit P. Cardenas disp. xv. num. 287. *Videmus enim Theologos omnes, libratis utriusque partis contradictoriæ rationibus, in materia morali topica, adhærere uni parti ob rationes istius, non obstantibus rationibus oppositæ: inde clare inferimus rationes utriusque partis inter se libratas non producere necessario dubium. quandoquidem Theologi non dubitant, sed unam partem resolvunt.*

XII. Hanc quoque experientiam, ut commentitiam, reiicimus. Si illam in se

 sensit

sensit P. Cardenas, id evenit ex nubecula Probabilismi mentem obscurante, aut alio præiudicio ex educatione hausto. Ceterum cum de omnibus Theologis asserit, idem omnes sentire, evidenter fallitur. & istius suæ deceptionis non alium appello testem quam illum ipsum. Siquidem ille *loc. cit. art. 3. a num. 110. ad num. 114.* non alios Theologos pro sua opinione allegat quam Ioannem Sanchez laxissimum Casuistam ab Ecclesia proscriptum, & Cardinalem de Lugo. Quid quod vel ipsi Probabilistæ in quæstione iuris, dum utrinque sunt momenta æqualiter probabilia, syllogismum practicum efformant, quo, deposito dubio, iudicant unam ex partibus sibi præeligendam esse. Et, ut advertit etiam P. Muniessa, quando Theologi, libratis utriusque partis rationibus, adhærent uni parti, id præstant, quia iudicio aut directo, aut reflexo deprehendunt partem quam eligunt, non esse parem alteri, sed eidem prævalere. Quare subdit: *Profecto contra hoc potest forte Cardenas adducere experientiam aliquam de se, de aliis non ita crediderim: de me omnino nego.*

XIII. In quæstione ergo *facti* fatetur P. Cardenas, ancipitem intellectum hærere, posita æquali testium affirmatione, vel negatione. Ergo idem dicendum in quæstione iuris; cum nulla discriminis ratio excogitari valeat. Experientiam chimæricam, quam adversarius obtrudit, contra ipsum evidenter militat. Quandoquidem, ipso fatente, exceptis Sanchez, & Lugo, ceteri Theologi oppositam propugnant. Ergo oppositum experiuntur. Nisi velit dicere, contra propriam conscientiam Theologos sententias propugnare. En, lector, quam evidenter dirutum sit auctoritate ipsius Cardenas unum ex potissimis fundamentis Probabilismi. Siquidem iura omnia tum civilia, tum canonica docent, inquit Cardenas, intellectum hærere dubium, quando momenta in quæstione facti sunt æqualia. Porro, hac facta positione, nequit iudex ferre sententiam in alterutram partem, ut iura ipsa decernunt. Ergo idem dicendum in quæstione iuris: tum quod iura absolute loquuntur, nec meminerunt distinctionis iuris, & facti, ut supra indicavimus: tum quod ratio ita evidenter hoc probat, ut nihil in oppositum hiscere vel ipse Cardenas, vir alioquin acris acuminis, queat, nisi confugiendo ad experientiam; quam merum esse figmentum ostendimus. Quibus positis, corruit omnino unum ex potissimis fundamentis Probabilismi. Si enim intellectus dubius est inter opiniones utrinque æqualiter probabiles, ut ostensum est; necessario consequitur, minime posse alterutram eligere partem, ut allegata iura definiunt. Aut ergo abstinendum a sententia, vel id quod tutius est, eligatur oportet, ut fuse infra demonstrabo.

C A-

CAPUT VII.

Exponitur trita illa regula: In dubiis tutior pars est eligenda.

I. PRincipio termini exponendi sunt. *Tutior* duplici in sensu accipi potest, ut Theologi, & Canonistæ docent. Primo *comparative* ad partem oppositam tutam. Status religiosus *comparative* ad statum matrimonialem, vel laicalem tutior est, tutus tamen est etiam status laicalis. Secundo *adversative*, idest ad partem non tutam, sed dubiam. Quare hoc in sensu una pars tutior dicitur, non quia altera pars tuta sit, sed quia dubia est. (Quo in casu *tutior* pars unice *tuta* est:) opposita enim dubia est, atque adeo non tuta. Ne multa: in dubiis tutior pars est sola & unice *tuta*.

II. Revocanda in memoriam est distinctio dubii in *speculativum*, & *practicum*. De dubio practico, aut de utroque simul nunc sermo est.) Quid verbum *eligenda* prodat, exponendum quoque est. Quoniam eligi tutior pars potest aut ex *consilio*, aut vi *praecepti*. Catholicorum nemo negat, eligendam ex consilio esse partem tutiorem in dubiis. Illud in quæstionem vocatur, sit ne electio vi præcepti necessaria. Tandem vera notio dubii positivi semper præ oculis habenda est. Dictum est autem, dubium positivum proprie tale inter duas opiniones versari, æquali rationum pondere probabiles, de eodem omnino objecto. Ecce exempla. Sunt qui probabiliter opinantur, circumstantias graviter aggravantes intra eamdem speciem non esse confitendas: sunt alii qui probabiliter id adfirmant. Illi probabiliter opinantur, possidentem beneficium exigui reditus non teneri ad horas canonicas: isti probabiliter adfirmant. In conflictu harum opinionum anceps intellectus, & fluctuans hæret.

III. Animadvertunt quoque Theologi, non esse idem unam partem esse tutiorem, & esse probabiliorem. Nam pars tutior dicitur per recessum a peccato, etiam materiali. Pars probabilior per conformitatem ad legem. Puta opinio adfirmans, teneri Sacerdotem administrare Eucharistiam in gratia, est dubio procul pars tutior: quia recedit a periculo peccati etiam materialis. Opinio contraria poterit esse alicui probabilior; quia tamen non est omnino certa, & evidens, non est tutior: quia si esset falsa, saltem peccatum materiale contingeret. Respectu ergo peccati illa pars dicitur tutior, etiamsi esset minus probabilis, quæ magis a peccato recedit. Respectu autem veritatis, de qua in præsentia sermo est, illa opinio quæ est probabilior, est etiam tutior: tutior, inquam, ut Theologi advertunt, de veritate, prout minus falsitati est obnoxia. Opinor ego, obligationem esse pœni-

 tendi

tendi statim moraliter post culpam; alii communius opinantur oppositum. Mea opinio tutior & securior est quoad evitandum peccatum, sed tutior dici non potest quoad veritatem: quia contraria sententia, in hypothesi quod sit probabilior, conformior & vicinior est veritati. Nonnulla alia occurrerent dicenda super horum terminorum explicatione, infra tamen de iisdem sermo redibit. Et hæc quæ indicavi, satis nunc sunt. Quibus prælibatis,

IV Quæst. I. *Undenam desumpta sit regula præfata?* Resp. Hæc regula in variis canonici iuris locis habetur, præcipue cap. *Ad audientiam, de homicidio*, ubi hæc habentur. *Respondendum. Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit iniungere Presbytero memorato ut in sacris ordinibus non ministret.* Duo hic distinguenda sunt. Primum, quod Pontifex, tamquam principium certum, præsupponit, in dubiis tutiorem partem eligendam esse. Inquit enim: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* Ex hoc principio certo, & extra controversiam posito, infert, Presbyterum, de quo quæstio erat, abstinere debere ab altari. *Vos convenit iniungere Presbytero memorato ut in sacris ordinibus non ministret.* Toto ergo cælo aberrant illi qui comminiscuntur, Pontificem loqui in casu particulari, eiusque doctrinam non esse universim extendendam. Nam ex sola littera constat, doctrinam esse universalem, applicatam casui particulari. Quod cavillatur P. Moya ter proscriptus *Tom. I. tract. I. quæst. VI. num. 33.* regulam consilii esse, non præcepti, merum commentum est. Constat enim, lege tum divina, tum naturali abstinendum ab eo opere esse in quo dubium est, sit ne offensivum divinæ maiestatis, ut iam ostensum est supra. Qui vero in dubiis, tutiori, seu unice tuta modo explicato, parte neglecta, dubiam partem eligit, in tali dispositione animi se constituit, ut agere velit, sive sit, sive non sit peccatum: quod nemo ratione præditus negare valet peccatum esse. Quare Augustinus *Lib. adversus Donat. cap. V.* inquit: *Efficere id quod incertum est an sit peccatum, certum peccatum est.* Hæc doctrina communis est penes omnes Patres, de quibus hæc scribit Morinus Lib. de admin. sac. pœnit. cap. IV. *SS. Patres nostri mille & centum annorum spatio, in eo tantum laboraverunt, ut Sacerdotes docerent, in casu dubio securiorem partem semper esse eligendam.* Quid quod ipsi Ethnici solo lumine naturæ perfusi doctrinam hanc perspicue docuerunt? M. Tullius *Lib. I. Offic.* hæc scribit. *Bene præcipiunt qui vetant quidquid agere quod dubites æquum sit, an iniquum.* Verum plura infra de hoc, cum de Probabilismo sermo erit.

V. Quæst. II. *In quonam dubio locum habeat hæc regula?* Resp. Quidam æquo rigidius laudatam regulam interpretantur. Confundunt enim dubium cum incerto. Negant aliquod iudicium opinativum non certum esse regulam conscientiæ, licet sit probabilius. Hanc opinionem suo loco propulsabimus. Dico ergo, citatam regulam locum habere in dubio vero practico, quatenus relinquit intelle-

ctum

ctum ancipitem & fluctuantem inter duas partes. Nam si anceps intellectus non est, sed uni parti adhæret, formatque iudicium, licet opinativum, vere tamen probabile, ita ut eius probabilitas non elidatur ab alia probabilitate, tunc intellectus non est in dubio, licet non habeat omnimodam certitudinem: & ideo tunc locum non habet dicta regula.

VI. Similiter regula illa locum non habet in dubio speculativo, quod abigitur practico conscientiæ dictamine. Regula ergo illa locum habet in dubio practico: in quo controversia est de peccato: & tunc obligat sub præcepto. Consilii autem est relinquere quæ nobis videntur probabiliora, licet non certa & evidentia, & sequi tutiora. Hæc fusius suo loco explicabuntur adversus aliquos plus iusto rigidos.

§. UNICUS.

Qui conciliari possit hæc regula, In dubio melior est conditio possidentis, *cum alia iam explicata*, In dubio tutior pars est eligenda.

I. REgula hæc habetur in *l. 171. ff. de regulis iuris*, ubi hæc occurrunt: *In pari causa possessor potior haberi debet*. In iure autem canonico habetur *in VI.* & est regula 65. *In pari delicto & causa potior est conditio possidentis*.

II. De crasso, & enormi abusu quem istius regulæ, *Melior est conditio possidentis*, faciunt Probabilistæ in libro de Probabilismo sermo erit. In præsentia solum conciliatur cum altera explicata regula. Bona fide agrum possides. Titulum possessionis, seu dominii tui in dubium vocatur. Lis instituitur. Post serium examen iura sunt in utramque partem æqualia: nec post diligens examen ius aliquod occurrit quod uni præ altera parti faveat. In hoc casu possessio agri dubium explodit. Hæc enim possessio tollit æqualitatem, & agrum affert possessori. Secunda ergo regula optime conciliatur cum altera: *In dubiis tutior pars est eligenda*. Siquidem illa pars quæ ultra æqualitatem iuris cum altera parte, fruitur possessione, evadit tutior. Hac ratione vera quoque est altera regula: *In dubiis tutius est favere reo*. Quoniam, dum dubium versatur inter reum & actorem, tutius est reum dubium absolvere quam damnare: quia de duobus malis necessariis tutius est minus eligere. Porro minus malum est reum absolvere quam innocentem damnare.

III. Nec dubium superveniens interrumpit possessionem bona fide inceptam. Dubium sub initium possessionis impedit ne bona fide agrum possidere incipias. At, supposita bona fide inceptæ possessionis, & sufficienti tempore continuatæ, dubium

quod supervenit, obligat utique possessorem ad investigandum titulum legitimum suæ possessionis, secus vero ad eam dimittendam; sed eam retinere iure valet, si post diligens examen nullus certus titulus occurrat, quod res possessa sit aliena. Et licet dubium persistat, non ob id possessio, dummodo legitime bona fide præscripta, interrumpitur. Dixi legitime præscripta: quia si dubium occurreret ante legitimam præscriptionem, diceretur sub initium possessionis occurrere, ut ego quidem arbitror, atque adeo interrumperet bonam fidem. Verum de hoc clarius in tractatu de *iust. & iur.* Quandoquidem huc dumtaxat spectat in præsens oratio nostra, ut compertum fiat, dubium non interrumpere possessionem legitime præscriptam. Quo posito, iura decernunt, in dubio favendum esse reo: quia præter æqualitatem iuris super controversia agri fruitur ille possessione, quæ tollit inter litigantes æqualitatem. Ex quibus patet, has duas regulas, *Melior est conditio possidentis — In dubiis tutior pars est eligenda*, nullo modo opponi, sed ambas eodem spectare.

IV. Disputant hic acriter Probabilistæ, & Antiprobabilistæ, num citata regula, *Melior est conditio possidentis*, locum habeat in aliis morum controversiis, in quibus disputatur de honestate, & malitia operationis. Negant omnes Antiprobabilistæ. Ex Probabilistis affirmant Terillus, Çaramuel, Tamburinus, qui innumeros casus laxe resolvunt. Pro arbitrio humanæ libertatis possessiunculas iactant adversus Deum, tanta animositate, tanto ausu, ut vel ipsius humanæ prudentiæ metas prætergrediantur. Monstrosa, quæ excogitavit Terillus, & quæ alii ab eo transcripserunt, paradoxa infra manifestabimus. Ex Probabilistis Azorius, Vasquez, Perez, Sayrus, Salas, ipso fatente Castropalao, adversus alios socios Probabilistas defendunt, præfatam regulam nullum obtinere locum extra materiam iustitiæ. Nos infra pro dignitate rem hanc discutiemus.

CAPUT VIII.

De diligentia necessaria ad deponendum dubium, & de discrimine inter dubia rerum, & personarum; atque de epikeia in dubiis deponendis.

I. OMnes affirmant, diligentiam adhibendam esse in investigatione veritatis, ut dubium deponatur. Quis vero sit adhibendæ diligentiæ gradus, a nemine designatur, nec præscribi definite valet. Quoniam iuxta circumstantiarum varietatem diligentia hæc varias subit vices. Ut aliquas præscribam regulas, ad quas respicere lector debeat, primum omnium adverto, extrema declinanda esse in hac, sicut in ceteris materiis. Summam diligentiam requirere in quocumque

vel

vel levi negotio, & exiguam, communemque in gravi, & momentosa controversia adhibere, paris esset dementiæ.

II. Regula ergo prima est, spectandam esse materiæ gravitatem, & consectaria quæ inde proficiscuntur. Conditio etiam personæ dubitantis præ oculis habenda est. Nam si hæc scrupulis angatur, si sit conscientiæ optime moratæ, non parum deservit ad iudicium formandum super depositione dubii. Quare non omnes ad eumdem diligentiæ gradum tenentur. Homo doctus consulat doctiores, aut etiam æquales. Non debet anxia sollicitudine adire omnes, sed eos quos in gravi temporali negotio consuleret.

III. Regula secunda. Christiano ignaro satis erit consulere Parochum, vel Confessarium, quando nulla ratio prudens occurrit dubitandi de eiusdem probitate, & doctrina.

IV. Regula tertia. Spectanda est temporis circumstantia. Nam interdum res moram non patitur; & tunc divino invocato auxilio, quod prudentia suggerit, decernendum est.

V. Quarta regula est animi sinceritas, desiderium & studium inquirendæ, & assequendæ veritatis. Porro tunc adesse hanc animi sinceritatem, & studium veritatis assequendæ præsumitur, cum non proprium commodum, non propria utilitas, non ratio indulgendi propriis cupiditatibus, & appetitionibus quæruntur; sed omnes curæ illuc spectant, ut quæ Deo placent, exequamur. Contra vero illi sincere veritatem non inquirunt qui undique opiniones sibi faventes venantur, totque doctores consulunt, donec quempiam offendant qui pruriat auribus, qui appetitionibus humanis arrideat, decernatque, iuxta dictum S. Pauli ad Timoth. II. cap. IV. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Verum de hoc plura infra.

VI. Secundam propositæ quæstionis partem versat S. Thomas 2. 2. *quæst.* IX. *art.* 4. ubi inquirit, utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda. Affirmantem sententiam docet: & adducto S. Pauli ad *Rom.* XIV. textu, *Qui non manducat, manducantem non iudicet*, adiicit interpretationem Glossæ decernentis: *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda*. Ratio autem quam Angelicus præbet, hæc est. *Ex hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, iniuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est*.

VII. Adversus hanc doctrinam obiicit sibi S. Doctor auctoritatem Augustini *Lib. de doctr. christ.* inquientis, non esse in dubiis declinandum in alterutram partem.

Qui

Qui autem in meliorem partem dubia interpretatur, in alteram partem declinat. Cui obiectioni sic respondet Angelicus ad 2. *Dicendum, quod aliud est iudicare de rebus, & aliud de hominibus. In iudicio enim in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei de qua iudicamus, cui nihil nocet, qualitercumque iudicemus de ipsa, sed attenditur ibi solum bonum iudicantis, si VERE iudicet; vel malum, si FALSO: quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius. Et ideo unusquisque debet niti ad hoc quod de rebus iudicet secundum quod sunt. Sed in iudicio quo iudicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum, & malum ex parte eius de quo iudicatur; qui in hoc ipso honorabilis habetur quod bonus iudicatur; & contemptibilis, si iudicetur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat. Ipsi autem homini iudicanti falsum iudicium, quo bene iudicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipsius, sicut nec ad eius perfectionem pertinet secundum se cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum.*

VIII. Ex hac angelica doctrina clarius elucent iuris regulæ. Nam cum de rebus quæstio occurrit, servanda est regula iuris 45. *Inspicimus in obscuris quod verisimilius est.* Si vero dubia in utramque partem æqualia sint, locum habet altera regula: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Contra procedendum est in dubiis personarum, de quibus dubitatur, sint ne bonæ, an malæ. Tunc enim servanda est regula: *Melior est conditio possidentis.* Iure enim homo suam possidet famam: ab hac possessione deturbari nequit sola dubitatione. *In dubiis* enim *favendum reo est*, ut habet alia regula. Et quamvis verosimilius sit hominem esse malum, non propterea malum illum iudicare debemus, sed suspendere iudicium. Nec obest quod tunc verosimilius fallamur: quoniam licet hoc verum sit, tamen cum hic error mentis nostræ imperfectio physica dumtaxat sit, nihil reputanda est comparate ad malum morale, quod committere possumus, si innocentem damnemus iudicio nostro; quo in casu iustitiam lædimus. E contrario si absolvamus nocentem & reum, nullam iniustitiam committimus, sed solum physicam intellectus imperfectionem contrahimus. Sic scite Angelicus concludit loc. cit. ad 1. *Melius est quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono homine: quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo.* Vitandus tamen est etiam physicus mentis error, quoad fieri potest. Idcirco in his casibus suspendendum iudicium est; ut fusius infra explicabo, dum de iudicio temerario sermo erit.

IX. Tertiam quoque propositæ quæstionis partem resolvit Angelicus. Sed antequam eiusdem verba refero, notio epikeiæ delibanda est. Hæc porro est quædam iuris benigna declaratio, quatenus declarat, legislatorem in hoc aut illo casu noluisse

luisse ob peculiares circumstantias obligare. Differt ab interpretatione legis; quoniam interpretatio super verbòrum legis obscuritate versatur, & exponit verba legis hunc præ alio sensum habere; epikeia e contrario non dubitat de sensu legis. Dignoscit clarum habere sensum, & absolute tales personas sub eadem comprehendi: solum præsumit, hoc in casu noluisse legislatorem obligare ob peculiarem aliquam circumstantiam. Quibus positis,

X. Quæritur, utrum licitus sit epikeiæ usus in dubio legis humanæ, nempe civilis, aut ecclesiasticæ, si superior consuli possit? Affirmant Sylvester verb. *Papa*, Corduba *Lib. III. quæst.* XIII. & alii; quia voluntas possidet ante legem suam libertatem, quam non amittit in dubio legis. Ergo ea uti valet. Sed opposita sententia vera est, quam aperte defendit S. Thomas 1. 2. quæst. XCVI. art. 6. ad 2. *Si enim dubium sit, vel debet secundum verba legis agere, vel Superiorem consulere.* Ratio evidens est. Operari cum dubio, quando deponi valet, est peccatum. In proposita quæstione dubitas, voluerit ne legislator comprehendere hunc casum sub lege; & deponere dubium vales superiorem consulendo. Ergo epikeiæ usus in tali casu illicitus est. Possessio libertatis adversus legem commentitia est, ut infra probabimus. Accedit quod, si ad regulam illam juris attendere velimus, possessio stat pro lege, quæ certo lata est, & supponitur accepata, & solum dubitatur de peculiari obligatione in hoc casu. Eo ipso enim quod lex sit lata, & rite promulgata, & acceptata, voluntas humana amittit suam libertàtem adversus legem; & lex a die promulgationis possidere incipit: adversus autem hanc possessionem nullum ius retinet humana libertas.

XI. Quid, si superior adiri nequeat? Potiori iure tunc affirmant citati Auctores; sed falluntur. Tunc enim servanda sunt verba legis, ut conceptis verbis resolvit Angelicus. Et ratio data hoc idem convincit. Siquidem lex certa est, solumque dubitatur, utrum legislator voluerit comprehendere hunc casum particularem. Dubium autem neminem a sua deturbare possessione valet. Ergo usquedum non probatur, superiorem noluisse comprehendere hunc casum, legi parendum est. Nec impotentia adeundi superiorem aufert certam legis possessionem. Ergo servanda est lex.

XII. Quæst. I. *Sit ne adoranda Crucifixi imago, quando dubitatur, an sub eadem dæmon lateat?* Resp. Salmanticenses *tract.* XX. *cap.* VI. *punct.* 3. hanc proponunt quæstionem, cuius versandæ occasionem se accepisse asserunt a Seraphica Matre Teresia, cui Confessarius præceperat ut has imagines in visione apparentes contemneret. Referunt Thomam Sanchez *Lib. II. de matrim. disp.* XLI. *num.* 43. & Bardi *de consc. discept.* VI. *cap.* III. §. 22. docentes, licitum haud esse adorare imaginem Crucifixi apparentem, sub qua latere dæmonem dubitatur: quia adorans imaginem sub hoc dubio, se committit idololatriæ periculo; quod intrinsecus malum

ſum eſt. Quam ſententiam propugnant quoque Medina in *III. Part. quæſt.* xxv, *art.* 3. Vaſquez *diſput.* cviii. *cap.* v. qui pro eadem laudat D. Bonaventuram, Alexandrum, & Adrianum.

XIII. Laudati vero Salmanticenſes *loc. cit. num.* 16. hanc ſtatuunt concluſionem. *Per ſe licitum eſt apparentes imagines Crucifixi, aut Sanctorum adorare, etſi dubium ſit, an ſub illis delitеſcat dæmon, vel illas efformaverit.* Duas partes concluſio habet. Altera, quod dæmon imagines eiuſmodi efformaverit: altera, quod dæmon ſub eiſdem *delitеſcat*. Prima pars nullius apud me eſt difficultatis. Nec enim coluntur imagines propter artifices, ſed propter prototypon. Poſterior pars nonnullum faceſſit negotium. Et ne abyſſum invadam myſticarum viſionum, paucis rem expedio. Ego abſtinendum cenſeo ab adoratione imaginum ſub quibus dæmonia latitare dubium eſt. Nec refert quod colatur imago propter prototypon: quoniam ſi in ipſa imagine reſideat dæmon, exterior adoratio quæ fertur ad imaginem, fertur in ipſum dæmonem qui in imagine reſidet. At inquiunt Salmanticenſes, neminem Catholicorum adeo ſtolidum eſſe, ut intendat adorare quod ſub imagine latitat, ſed ſolum intendere omnes adorare Chriſtum repræſentatum in imagine. Reſp. ſermonem nunc non eſſe de intentione interiori adorationis, ſed de ipſa externa adoratione, quæ in imaginem recta tendit, atque adeo in ipſum dæmonem. Præterea quæro: ſi certus eſſes in præfata imagine a dæmone confecta dæmonem reſidere, coleres ne illam? Si neges; ergo neque ſi dubites in eadem dæmonem latitare, adorare eam vales. In hac ergo poſitione urget doctrina, qua docent omnes, illicitum eſſe operari cum dubio in cauſſa in qua diſputatur de peccato. Si affirmes, qua via ab idololatria excuſare adorationem hanc vales? Intentio quippe adoratoris efficere minime valet ut idololatria non ſit idololatria. Porro in noſtro caſu cultus qui tendit in imaginem, tendit in ipſum dæmonem: dæmon enim eſt in ipſa imagine. Præterquamquod quid neceſſitatis eſt eiuſmodi figmenta in ſomniis, aut viſionibus mulieribus apparentia adorare? Deum, & Crucifixum & in tot veris imaginibus, & abſque imaginibus in omni loco, & tempore adorare poſſumus. Hæc tamen obiter dicta ſint. Nec enim rem hanc fuſius pertractare conſentaneum iudico.

CAPUT IX.

De conſcientia ſcrupuloſa.

I. Conſcientia, cum ſit iudicium intellectus, preſſe accepta non eſt ſcrupuloſa, ſed ſic vocatur *reductive*, ut inquiunt, & *terminative*, quatenus ſuper ipſos ſcrupulos formatur iudicium, præſcribens modum ſervandum ab eo qui ſcrupulis angitur. Scrupulus, ſeu conſcientia ſcrupuloſa ſic definiri ſolet: *Eſt levis quæ-*

quædam suspicio peccati cum nimia operandi anxietate. Bona est definitio, quia scrupulum distinguit a quacumque alia re. Distinguitur a dubio, quod istud in suspensione judicii situm sit: ab opinione, quæ nititur gravi fundamento, atque adeo non est levis suspicio. Additur *cum nimia anxietate operandi*: hic enim est fere character scrupulosorum, qui semper angustiis premuntur, & torquentur. Scrupulus ergo potissimum in intellectu residet, & secundario in voluntate.

II. Ex hac scrupuli finitione, quam sit erronea vulgi opinio, patet. Vulgus enim loco scrupulosorum habet viros æternæ salutis sollicitos, qui summa vigilantia evitare student & peccata, & peccandi pericula, qui modeste incedunt, demisse induunt, frequentant Ecclesias, insanientis mundi illecebras, comœdias, tragœdias, ludos pecuniosos, & cetera oblectamenta detestantur, in timore & tremore ducentes dies suos. qui tamen timor non servorum, sed filiorum est: timor dissimilis a mundano, qui animum agitat, tristitia ac mœrore cor torquet, & discindit in partes; sed similis potius amori obsequioso, si ita loqui licet. Timor iste cælesti suavitate animum perfundit, sed simul calcaria addit ad currendam viam mandatorum Dei. Clavus est animæ fluctuantis, qui eam ambulare juvat a scopulis remotam, vigilantem efficit, ut sibi sit præsens. De his dicitur: *Beatus homo qui semper est pavidus*. Iniquum est scrupulosorum numero accensere similes Christianos, qui totis viribus in æternæ salutis negotium incumbunt, qui caute ambulant, & exacte Dei legem servare, atque per arctam angustamque viam, ut Christus præcipit, incedere gestiunt. Caussa cur mundani homines notam *scrupulosorum* optimis Christianis inurunt, ea est, quod istorum sanctitas illorum percellat oculos: quia lippi oculi sustinere virtutis splendorem nequeunt, quia istorum intaminati mores illorum reprehensio sunt, & redargutiones. Quia vero scrupulosi homines affines frequenter stultorum sunt, idcirco exquisita vafritie dæmon pervertit hominum judicia, linguasque regit, ut hac speciosa via detrahant Dei servis, illosque vel dementibus, vel meticulosis, infirmæque mentis hominibus annumerent. Admonendi ergo sunt istius calumniandi formæ homines mundi amatores, & ut abstineant a traducendis Dei servis, & ut excitentur ad cognitionem propriæ christianæ professionis, a qua turpiter valde deflectunt.

III. Scrupulorum caussæ plures assignari solent. Eas recenset S. Antoninus *I. Part. tit. III. cap. X.* Diversæ sunt juxta varietatem scrupulosorum. Aliæ sunt naturales, aliæ supernaturales.

IV. Prima est naturæ dispositio. Temperamentum quod frigido & melancholico humore abundat, pendet in suspicionem, & timorem. Suspicio tetro penicillo objecta depingit, amplificatque. Hæc horrida spectra timorem excitant. Timor cor torquet, animumque constringit. Hinc anxietates, sollicitudines vanæ, agitationes, & violentæ commotiones.

V.

V. Secunda caussa infirmitas capitis, & læsio imaginativæ, nimia corporis maceratio, diuturnæ vigiliæ. Hæ duæ caussæ Medicorum, non Theologorum, consilio & ope expelluntur.

VI. Tertia caussa a dæmone ipso ortum ducit. Potest enim diabolus permovere humores melancholicos, & spectra in imaginativam immittere. Qui excitantur a dæmone scrupuli, potissimum tempore suscipiendæ Eucharistiæ, aut vacandi divinis laudibus turbare animas solent, ne suavitatem eloquiorum Dei experiantur.

VII. Quarta caussa societas est, & familiaritas cum scrupulosis, si tamen sint similis naturæ, nempe timidi, meticulosi.

VIII. Quinta est ignorantia, ob quam nesciunt distinguere inter bonum & malum: quod potissimum accidit in rudibus, & mulieribus.

IX. Sexta caussa superbia est, qua quis proprio iudicio nimium fidit, & renuit subiici prudentis Theologi consilio. Deus etiam interdum permittit scrupulis vexari homines qui a licentiori vita ad meliorem se receperant frugem in criminum pœnitentiam. Vitam isti duxerunt multis flagitiis involutam. Post conversionem, peccatorum immensam multitudinem recordantur, unius culpæ mortalis horrorem dignoscunt, voraginem inferni meditantur, recogitant millies debuisse illuc detrudi; Infinitam Dei bonitatem & misericordiam, qui tanto tempore iræ suæ flagella distulit, & supplicia in favores transmutavit, contemplantur. His, & similibus considerationibus expergefacti sinus intimos conscientiæ, & animi penetralia lustrare omni studio conantur; quemadmodum is qui internis vulneribus sauciatus, etiamsi curetur, tamen facillime suspicatur serpere aliquam intestinam plagam.

X. Quæst. I. *Qui sunt characteres scrupulosorum?* Resp. Num. 2. istius capitis breviter descripsi christianos viros, qui exacte sanctam Dei legem servant. Nunc scrupulosorum characteres describendi sunt. Et primum scrupulosi proprie sunt qui legem Dei exacte, & proprii status munia, & debita non persolvunt. Miraberis forte, quod inauditam notionem tibi prodam. Tamen si rem serio reputaveris, mecum senties. Numquam ego aut raro novi homines vere pios & sanctos qui ineptis *scrupulosorum*, & consuetis suspicionibus angantur. Et ne tibi hoc loco paradoxi sit, distingue conscientiam puram, intaminatam, candidam, vigilantem, Dei eiusque legis amantem, quæ vel leves culpas & defectus cane peius & angue horret, sibi a qualibet vel minima Dei offensa summo studio cavet, proprios conscientiæ recessus penetrat, & profunda demissione Confessario omnia pandit, ab eiusque nutu pendet. Similes non minus distant a scrupulosis quam cælum a terra.

XI. Explicandum ergo est quomodo scrupulosi legem Dei exacte non servent, nec propria munia obeant. Scrupulosi, prout frequentissime accidit, idque longa experientia didici (excipiantur semper plures casus) pleni sunt amore inordinato,

atque

atque ex hoc inordinato amore scrupulis torquentur, suorum ipsorum amore flagrant, qua de caussa proprias appetitiones explere, suis indulgere cupiditatibus volunt. Scrupulis utuntur ut mediis huic fini assequendo idoneis. Scrupulos quippe sibi movent in rebus nullius momenti, puta super attentione in recitatione divini officii, aut aliarum precum. Scrupulis se torqueri aiunt, quod temere de proximo judicaverint, quod mente distracta Sacro interfuerint, aut illud celebraverint, quod suggestionibus internis prompte non restiterint, quod negligentes in hoc fuerint. Hæc sunt præter propter argumenta, circa quæ scrupulosi homines occupantur. Ut vides, hæc omnia nihil, aut parum incommodant humanæ naturæ. Confessarii autem minus experti hos scrupulos audientes, falsa misericordia compatiuntur clientibus suis, illos ut singulari pietate, & morum probitate ornatos habent. Hinc multa privilegia illis concedunt, quibus eximunt eosdem ab exacta, & severa divinæ legis observatione. Penes ipsos hæc axiomata frequentia sunt: *Scrupulosus est, ergo non tenetur. Cum scrupulosis diversa methodus servanda est*. Remedia plurima, quæ pro scrupulosis assignarunt Theologi, evincunt quod proposui, scrupulosorum characterem esse minus exacte legem, & propria munia implere, sive id legitima dispensatione accidat, sive culpa: qua de re nihil ad me.

XII. Ut rem manibus contrectes, hæc meditare. Si scrupulosus laicus sit, vix umquam scrupulis angitur, quod eleemosynarum gravissimam legem violaverit, quod opera misericordiæ non impleverit, quod nimia sollicitudine rem familiarem augere studuerit. Si claustralis sit, scrupulis vix torquetur, quod media nocte non celebret cum aliis divinas laudes, quod chorum negligenter frequentet, quod observantias regulares violet, quod corpus nimio studio foveat, quod sanitatem superstitiosa attentione, & vigilantia curet, quod aliis pravo exemplo sit, quod in ceteros laxitatem derivet. Hæc omnia flocci faciunt. Scrupulosi haberi amant, non quidem expressa malitia, sed intus perorante vaferrimo illo amoris proprii præstigiatore, ut in compensationem anxietatis, & molestiæ, quam ex una parte sustinent, obtineant exemptionem ab exacta legis observantia respectu illarum rerum quæ sensibus summopere placent: & isti sunt scrupulosi quos mundus deridet, eosque *Chietinos*, *Bigotos*, & *Bacchettonos* compellat.

XIII. Si prudens Confessarius curare velit ejusmodi infirmos sagaces, & versutos, quando se accusant distracto animo officium persolvisse, eos ad illud iterum recitandum flexis genibus obliget. Si dicant, se absque socio non posse solvere laudes, illis severe imponat ut in choro cum aliis easdem recitent. Earum postea legum observationem illis inculcet quarum nullum ipsi sibi scrupulum movent. Sub initium potissimum præcidendæ radices sunt. Aliqui principio innocenter scrupulosi haberi non dedignantur, post aliquo modo avent; & tandem vel nolen-

lentes in rete incidunt. Quædam occultissima philautia, ne dicam superbia, efficit ut similes homines scrupulosi existimari velint, ut appareant animæ delicatæ conscientiæ, & probatæ virtutis, ut sub hoc splendido pallio negotia sua promoveant, suisque rationibus consulant. Hæc signate, ut inquiunt, non deliberantur; at exercite & reapse frequentissime sensim sine sensu intus efficiuntur. Ut paucis rem expediam, peculiarem ego, & a ceteris diversam, scrupulosorum imaginem formavi. Hæc illorum nativa pictura omnium efficacissimum ad illos sanandos remedium erit. Simulatque in hoc speculo propriam imaginem meditati fuerint, hoc satis erit ut exuant figuram illam quæ tantum odii & invidentiæ, non existimationis, & gloriæ, ut olim putabant, illis parit. Regula Confessarii erit severe, non benigne, istos tractare; & experientia discet scrupulos actutum in fumum abire.

XIV. Nulla tamen regula est absque exceptione. Nota, quod usus regulæ est communis, appendicis rarior. Excipiuntur aliqui eorum quos *num.* 10. descripsi, qui videlicet exacte Dei legem observant, & summo studio devitare curant vel levissimas culpas. Evenire potest, raro tamen, ut aliqui istorum scrupulis torqueantur. Illi potissimum obnoxii sunt qui post solutiorem vitam in Dei semitam regressi sunt. Istorum scrupuli quandoque animæ purgandæ inserviunt. Isti communiter scrupulis dilacerantur, quod obliti plura peccata sint, quod circumstantias non expresserint omnes. Istorum unicum remedium est, ut seligant doctum & prudentem Confessarium, sub eius directione confessionem generalem diligenter perficiant. Confessarius illos instruat, patientia singulari utatur in tali confessione excipienda, ne continuam molestiam perferre debeat. Confessione hac generali diligenter peracta, vetet eis ne imposterum aures præbeant suggestionibus, quibus oblivio alicuius vel peccati, vel numeri, vel circumstantiæ obiicitur. Numquam post talem confessionem Confessarius permittat ut pœnitens qui in scrupulos propensus sit, iterum confiteatur. In hoc constans sit Confessarius: quia si semel facultatem impertiat, post confessionem unius criminis, innumeræ succedent, & ulterius semper de anfractu in anfractum devolvetur. Ut iugum pœnitentiæ dæmon aggravet, illudque immane efficiat, scrupulis lacerare pœnitentis animum pertentat, ut pœnitens, excusso iugo, desperationeque quadam illud ferendi oppressus, ad vomitum redeat. Hoc est consuetum præstigium, quo pervertere pœnitentes studet vaferrimus hostis. Quod ergo ad præterita peccata spectat, non audiat Confessarius pœnitentem; sed curet ut Deo ferventius quieto animo inserviat, & dignos pœnitentiæ fructus edat. Cetera remedia obvia sunt in Auctoribus. Lege potissimum Ludovicum Granatensem. Sed paucis quæ cursim indicavi, si opportune, & iuxta circumstantiarum varietatem usus fueris, facillime eiusmodi ægrotos curabis. Advertat tamen Confessarius, quod quandoque prodest benignitas, quandoque austeritas. Advertat, si pœnitens sit revera optimus Christianus, si impleat

pleat exacte legem Dei, & munia sui status, cum his benignus sit, & blandus; dummodo benignitas non foveat morbum, sed curet.

XV. Quæst.II. *Licitum ne est contra conscientiam scrupulosam agere?* Resp. Negat prima sententia duobus textibus iuris innixa. Primus habetur in cap. *Per tuas* de simon. ubi Clericus scrupulis vexatus super sacrorum ordinum susceptione, quam simoniacam suspicabatur, permittitur ministrare in susceptis ordinibus; vetatur tamen ne ulteriorem ordinem suscipiat, donec scrupulum excusserit. Alter textus habetur in cap. *Inquisitioni* de senten. excom. ubi mulieri scrupulis agitatæ super valore matrimonii præcipitur ut, scrupulis expulsis, licite petere debitum valeat.

XVI. Communis, veraque sententia oppositum docet. Ratio obvia est. Scrupulus non excludit judicium absolutum moraliter certum de honestate operationis. Ergo licitum est illum spernere, nihilque curare in morali animæ directione. Antecedens patet. Nam scrupulus secundum essentialem notionem ex levibus indiciis oritur. Ergo collidere nequit judicium oppositum, gravibus fultum momentis. Scrupulosi trepidant timore ubi non est timor. Scrupulus a dubio distinguitur. Dubium suspendit assensum, secus vero scrupulus, utpote a dubio distinctus. Scrupuli ergo sunt quædam veluti nubeculæ, quæ obscurare aliquantulum possunt judicium intellectus, nullo tamen modo illud præfocare valent. Idcirco nubes istæ exsufflandæ sunt, ne mentis animique serenitatem obnubilent.

XVII. Hanc sententiam defendunt communiter Theologi. S. Antoninus *I. Part. tit.* III. *cap.x.§.*10. Navarrus in *Manu. prælud.*IX.*num.*9. & alii plures, quos recensere non vacat.

DISSERTATIO II.

DE IGNORANTIA PELAGIANA, IANSENIANA, ET PROBABILISTICA.

PROOEMIUM.

Controversiam perdifficilem dispiciendam suscipio. Plura occurrent quæ omnibus Catholicis probantur: aliqua quæ Catholicos inter & hæreticos in discrimen adducuntur: multa denique de quibus penes ipsos Catholicos fervet dissidium. Eorum quæ omnibus accepta sunt, sermo præibit: post hæreticorum errores propulsabo: tandem Catholicorum disputationes ad severiorem criticen exigam. Nonnulla quæ fuse isti disputant in utramque partem, quæque ad mores formandos parum ducunt, paucis expediam. Quæ vero morum integritatem spectant, pro dignitate expendam. Ignorantiæ crimina vulgus parvi pendet; & tamen innumeros damnari ob ignorantiæ delicta, concors est Patrum sententia. Theologi vero Probabilistæ, quamquam absolute peccata ignorantiæ non negent, tamen notionem ipsius ignorantiæ tot fucis involvunt, ut peccata ignorantiæ reapse de medio auferant. Quare enixe lectorem rogo ut diligenti studio expendat ea quæ hac in dissertatione dicturus sum.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit ignorantia.

I. Quamvis ex iis quæ dicta sunt de conscientia erronea, constet quid sit ignorantia, nihilosecius lubet paucis eiusdem notiones delibare. Ignorantia, inquit S. Thomas 1. 2. quæst. LXXVI art. 2. *est scientiæ privatio*. Appellatur *privatio scientiæ*, ut distinguatur a nescientia. Hæc enim est eorum inscitia quorum cognitio homini debita non est, nec homo aptus est eadem cognoscere. Illa ergo dicitur homo nescire quæ ad illum non pertinent: illa dicitur ignorare quæ addiscere tenetur, valetque aut seipso, aut aliorum ministerio assequi.

II. Dividunt eam Theologi communiter primum in illam quæ est meræ privationis, & in aliam quæ est pravæ dispositionis. Prima includit solam privationem eorum quæ sciri debent; altera addit errorem, seu approbationem partis oppositæ. Puta, si ignoras hunc contractum esse usurarium, est ignorantia solius priva-

tio-

tionis. Si præterea existimas contractum usurarium esse licitum, habes ignorantiam pravæ dispositionis.

III. Insuper alia est ignorantia *iuris*, alia *facti*, alia *pœnæ*. Diximus supra, illam esse ignorantiam *iuris*, dum lex, vel præceptum ignoratur. Ignorantia *facti* admittit cognitionem legis, sed factum ignorat v. g. scis legem vetantem carnis comesturam die veneris, at ignoras hunc esse diem veneris. Posterior ignorantia quæ respicit diem, est ignorantia facti. Ignorantia *pœnæ* ea est quæ non cognoscit pœnam a lege latam: hæc tamen revocatur ad ignorantiam iuris.

IV Potissima ignorantiæ, tum iuris, tum facti, tributio est in vincibilem, & invincibilem. Ignorantia vincibilis, seu voluntaria, culpabilis, & consequens est quæ studio & diligentia debita vinci potest: & quia reapse non ponitur diligentia debita, qua vincatur, dicitur vincibilis. Ignorantia invincibilis, quæ etiam antecedens, & inculpata dicitur, ea est, inquit D. Thomas 1. 2. quæst. lxxvi. art. 2. *quæ studio superari non potest*. Præter has duas ignorantias alia est quæ appellatur concomitans, quæ ita actum voluntatis comitatur, ut absque illa perinde effectus sequeretur. V. g. tu occidis tuum inimicum, existimans occidere feram; at nihilominus occideres, etiamsi illum agnosceres. Hæc tamen ignorantia reducitur vel ad antecedentem, seu invincibilem, vel ad consequentem, seu vincibilem. Nam si tu in adducto exemplo debitam diligentiam adhibuisti ne inimicum occideres, ignorantia est invincibilis; si negligens fuisti, ignorantia est consequens, & vincibilis.

V. Hanc partitionem tradit Angelicus 1. 2. quæst. vi. art. 8. *Sciendum, quod ignorantia tripliciter se habet ad actum voluntatis. Uno modo concomitanter, alio modo consequenter, tertio modo antecedenter. Concomitanter quidem, quando ignorantia est de eo quod agitur; tamen, etiamsi sciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum ut hoc fiat, sed accidit simul esse aliquid factum, & ignoratum: sicut in exemplo posito, scilicet, cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit involuntarium, ut Philosophus dicit quia non causat aliquid quod sit repugnans voluntati, sed facit non voluntarium: quia non potest esse actu volitum quod ignoratum est. Consequenter autem se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria: & hoc contingit dupliciter, secundum duos modos voluntarii supra positos* (art. 3 ad 1.) *Uno modo quia actus voluntatis fertur in ignorantiam; sicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, secundum illud Iob* xxi. Scientiam viarum tuarum nolumus. *Et hæc dicitur ignorantia affectata. Alio modo dicitur ignorantia voluntaria eius quod quis potest scire, & debet. Sic enim non agere, & non velle voluntarium dicitur, ut supra dictum est* (art. 3.) *Hoc igitur modo dicitur*

 igno-

ignorantia, sive cum aliquis actu non considerat quod considerare potest, & debet, quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu proveniens; sive cum aliquis notitiam quam debet habere, non curat acquirere: & secundum hunc modum ignorantia universalium juris, quæ quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proveniens . . . Antecedenter autem se habet ad voluntatem ignorantia, quando non est voluntaria, & tamen est causa volendi quod alias non vellet; sicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus quam non tenebatur scire, & ex hoc aliquid agit quod non faceret, si sciret: puta cum aliquis diligentia adhibita, nesciens aliquem transire per viam, projicit sagittam, qua interficit transeuntem. Et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter.

VI. Plura disputant S. Thomæ interpretes de ignorantia concomitante, verum arbitraria fere sunt omnia, & nullius momenti: ideo missa facio.

VII. Ignorantia vincibilis, ut liquet ex allata S. Thomæ doctrina, alia est *affectata*, alia *crassa*, seu supina. Affectata est, ut dicit Angelicus, quæ scientiam respuit, ut liberius peccetur. *Noluit intelligere, ut bene ageret*: Psalm. xxxv. Crassa, & supina pro eodem sumitur. Crassa enim est quæ nullam omnino diligentiam adhibet, ut sciat ea quæ potest, & debet scire. Supina pariter nil prorsus curat scire ea quorum cognitio necessaria est. Et licet juxta communem loquendi modum crassa videatur aliquem gradum desidiæ majorem præferre quam supina, tamen non est tale inter utramque discrimen, quod diversa omnino sit utriusque notio.

VIII. Hinc colligas velim, dari ignorantiam vincibilem graviter culpabilem, quamvis non sit crassa, vel supina. Nam ignorantia crassa, seu supina est, quando aut nulla, aut valde exigua diligentia adhibetur ad discendum ea quæ necessaria sunt. Porro sæpe occurrit, vel occurrere ignorantia potest quæ non sit nec crassa, nec supina, seu quæ non omittat diligentiam, & nihilominus non adhibeat studium, sive diligentiam sufficientem ad evitandam culpam. Rem explico. Major vel minor diligentia requiritur, prout magis aut minus momentosum est negotium quo de agitur. In negotio magni momenti, puta in deliberatione justitiæ alicujus belli inter Principes, diligentia requiritur *ut octo*, idest in summo gradu. Quis adhibet diligentiam ut duo: hic peccat ex ignorantia crassa, seu supina: quia parum pro nihilo reputatur. Alter adhibet diligentiam ut sex: istius ignorantia non est vel crassa, vel supina: quia præcessit diligentia ut sex, seu gravis. At quia non fuit diligentia congrua gravitati negotii, ideo erit ignorantia mortaliter vincibilis; tametsi non sit nec crassa, nec supina. Hanc sententiam communiter defendunt vel ipsi Probabilistæ, ut testantur Salmanticenses *tract.* xx. *cap.* xiv. *punc.* 1. *num.* 6. ubi recensent Valentiam *Tom. II. disp.* vi. *quæst.* vi. *punc.* ii. Salas 1. 2. *tract.* xiii. *disp.* viii. *sect.* 10. *num.* 72. Thomam Sanchez *Lib. I. Sum.* *cap.*

cap. XVI. *num.* 7. Bonacinam *disp.* I. *quæst.* II. *punc.* I. Escobarium *Lib.* I. *sect.* 2. *problem.* 16. Prado *cap.* II. *quæst* XII. §. 2. *num.* 13. Sylvestrum verbo *Culpa*, Navarrum *cap.* XVII. *num.* 158. Curiel. I. 2. *quæst.* lxxvi. Sotum *in IV. dist.* XVIII. *quæst* III. *art.* 3. Salmanticenses Scholasticos *tract.* XIII. *Tom. IV. disp.* XIII. *dub.* I. *num.* 5.

CAPUT II.

De fide est dari peccata ignorantiæ. Errores Pelagii, Abaelardi, & Iansenii refelluntur.

§. I.

Errores Pelagii, & Abaelardi.

I. INnumera sunt Scripturarum testimonia quæ ignorantiæ delicta nobis manifestant. Levit. V. *Anima si peccaverit per ignorantiam .... offeret arietem immaculatum*. Item cap. IV. *Si peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ .... offeret capram immaculatam*. Rursus cap. XV. *Si anima nesciens peccaverit .... deprecabitur pro ea Sacerdos*. Salomon, tametsi cælesti perfusus sapientia, Deum precabatur Eccli. XXIII. *Ne accrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea*. Subdit Salomon, adeo spissas evasisse Chananæorum ignorantiæ tenebras, ut pro honesta lege haberetur error. *Convalescente consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est*. Sap. XIV. Pseudoprophetarum ignorantias redarguunt Isaias, & Ieremias.

II. Catholicorum nemo ignorantiæ peccata absolute negavit. Hæresiarcha Pelagius omnium primus ignorantiæ crimina de medio sustulit. Istius errorem damnavit Synodus Palæstina, teste Augustino *Lib. de gest. Pelag. cap.* XVIII. his verbis: *Oblivionem, & ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*. Pelagii errorem non Augustinus modo, verum etiam Hieronymus strenue acriterque de more labefactavit duobus dialogorum libris adversus Pelagianos, personis Critoboli, & Attici inductis. Adversus testimoniorum multitudinem, quam ex veteri testamento collegerat Hieronymus, ad peccata ignorantiæ evincenda, reponebat Critobolus Pelagianus nihil illa probare, quod desuetudine obsoleverint. Manichæismi hæresim exprobravit Hieronymus Critobolo, mosaicam legem inficianti, eique novi fœderis textus obiecit. Nam Ioannes *cap.* XVI. inquit: *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*. Subdit Paulus: *Prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci*:

I. ad Tim. I. Plurima alia ex novo testamento congerit S. Hieronymus, quibus evincit ignorantiæ crimina.

III. Errorem Pelagii ab orco revocavit Petrus Abaelardus, quem Guilelmus Abbas detulit ad Gaufridum Episcopum Carnotensem, & ad S. Bernardum, quos periculosi silentii postulavit. *Dico vobis, periculose siletis tam vobis, quam Ecclesiæ*. Silentii tamen reus non fuit Bernardus, qui *epist.* LXXVII. ad Ugonem de S. Victore Abaelardi, ignorantiæ peccata negantis, errorem invictis argumentis refutavit. Pauca isthuc transcribere lubet. *Is forsitan qui asserit non posse peccari per ignorantiam, numquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potius Prophetam irridet deprecantem, & dicentem*. Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. *Forsitan & reprehendet Deum exigentem pro peccatis ignorantiæ satisfactionem. Loquitur enim in Levitico ad Moysen dicens*: Anima si peccaverit per ignorantiam &c. . . . *Si ignorantia numquam peccatum est, cur dictum est in epistola ad Hebræos, quia in secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex intraret, non sine sanguine, quem offerret pro sui & populi ignorantia?* . . . *Si ignorantia peccatum nullum est, non ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei; quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quod erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, quod erat spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, & in hoc ipso quippe abundanter æmulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere*: Misericordiam consecutus sum &c. *sed mercedem recepi: quippe quem ignorantia a peccato reddebat immunem, insuper & æmulatio remunerabilem iudicabat. Si, inquam, ignorantia numquam peccatur; quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum? Quandoquidem non solum malum esse nescierunt, interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare Deo*.

IV. Aliorum PP. Origenis, Tertulliani, Basilii, Gregorii, Aquinatis, & ceterorum testimonia missa facio, ne in re explorata operam ludam.

§. II.

Error Iansenii indicatur. Illius falsa Pelagiani erroris interpretatio. Antonii Terilli, & Stephani de Champs expositiones ad crisim revocatæ.

I. Error Iansenii Pelagianorum errori directe adversatur. Nullum ignorantiæ peccatum agnovit Pelagius: ipsam ignorantiam invincibilem, involuntariamque peccatum esse contendit Iansenius. Hunc errorem accepit a Luthero qui *cap.* I. *Genes.* inquit. *Scholastici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excusabiles*:

les tanta caecitas est in Papae Scholis, & Ecclesiis. Lutheri errorem propugnat Hieronymus Zanchius Calvinista Lib. I. tract. theolog. cap. XII. *Quare falluntur Scholastici, cum talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo a peccato excusant, quia invincibilis est, ut loquuntur. Quamquam evincere possumus eam non esse simpliciter invincibilem, cum voluntarium Adae peccatum sit subsecuta.* His concinit Iansenius Lib. II. de stat. nat. cap. II. *Huius igitur legis naturalis ignorantia . . . sive sit invincibilis, ut in iis forsan quae magis a principiis distant conclusionibus naturalibus, & in variarum occursu subito circumstantiarum plerumque accidit, non excusat a peccato delinquentes.*

II. Ut altius doctrinae suae originem accessat Iansenius, contendit, Pelagium idcirco damnatum a Concilio Palaestinae fuisse, quod invincibilis ignorantiae peccata negaret. Hinc colligit, definitum in Concilio esse, iuris naturae ignorantiam a peccato non excusare. P. Stephanus *De Champs* invictis argumentis patefacit, Pelagium, eiusque discipulum Caelestium vincibilis, & non quidem affectatae, seu crassae, sed simplicis ignorantiae, de qua dictum est supra, peccata inficiatos esse. Iansenii interpretamenta futilia evincit.

III. P. Antonius *Terillus*, recentiorum Probabilistarum, quos *Reflexistas* vocant, facile princeps, subscribere renuit socii sui *P. De Champs* sententiae, quae nimis aspera sibi videtur. Inquit enim tract. de consc. quaest. XVI. num 52. *Aliqua istorum nimis dura videntur.* Comminiscitur, Synodum laudatam, Hieronymum, Augustinum non de vincibili tantum ignorantia, sed de invincibili etiam quoquo modo locutos esse. *Dico* (subdit loc. cit.) *illos locutos esse tam de ignorantia vincibili, quam aliquo modo de invincibili.*

IV. P. Michael Elizalde *Lib. V. quaest.* XVI. Antonium Terillum manus dare Iansenio hoc suo commento asserit, illique pudorem exprobrat, quod rationum momenta suffurari a Iansenio non dedignetur, ut propriam fulciat opinionem eo ipso tempore quo Iansenium traducit ut Lutheri, Calvinique plagiarium. „ Recentior quidam (inquit Elizalde) cum maxime Iansenium horreat, cum Iansenio hac in parte consensit. Eorum is unus est qui per voces, quod volunt, „ intelligendi licentiam ultro sumunt. Expedite, & categorice nihil respondet: „ & *De Champs* partim laudat, partim improbat . . . Quod si sibi triumphare visus est, ubi in Luthero, Calvinoque Iansenii dicta invenit, & profert, *cur ipse* „ *non erubuit* & cum Iansenio hac in parte concordare, & ex illo etiam arguere? " Ad severiorem criticen Elizalde revocat aeque *Terilli* ac *De Champs* doctrinam, probatque, utrosque paullulum defecisse a recta Pelagiani erroris interpretatione. Subdolam Terilli phrasim illam *aliquo modo* reprehendit, inquiens *loc. cit.* „ Haec sua ignorantia *aliquo modo* invincibilis, non est simpliciter invincibi„ lis. Ergo vincibilis. Ergo, si de vincibili sermo fuit, & de invincibili *aliquo*

„ *modo*, consequens est, solum de vincibili sermonem fuisse. Deinde ipse *cum Jan-*
„ *senio* his verbis, *secundum necessitatem*, usus est ad improbandum De Champs...
„ Concludere ergo debuit de ignorantia invincibili *simpliciter*, & non de invinci-
„ bili *aliquo modo*, & solum de invincibili quæ vere talis est, falsum est, eam
„ esse invincibilem *aliquo modo*." Contendunt *Terillus*, & *De Champs*, teste Elizalde, in hoc Pelagii, & Cælestii situm errorem fuisse, quod oblivionem, & ignorantiam negarent esse originalis culpæ pœnas, huncque dumtaxat errorem Concilium damnasse. Quæ sane interpretatio hæresim fovet Iansenianam, vimque elevat demonstrationum quibus Theologi catholici Iansenium refutant. Revolvantur integri duo libri dialogorum Hieronymi, & opera omnia Augustini adversus Pelagianos; & nullibi quidquam occurret quo evinci possit, in hoc potissimum errasse Pelagianos, quod negarent oblivionem, & ignorantiam esse pœnas originalis culpæ. Si illi culpam ipsam originalem inficiabantur; quid disputandum supererat, utrum ignorantia esset talis culpæ fructus. Sublata enim caussa, nulla est de eiusdem effectibus contentio. Quid quod tum De Champs, tum Terillus notam haud levem Hieronymo, Augustino, & Concilio ipsi inurunt, quasi ignoraverint Pelagianorum errorem, quem tot libris labefactarunt? Ad has ambiguas loquendi formulas, & peregrina interpretamenta confugiunt, inquit Elizalde *I. Part. Lib. V. quæst.* XVI. *§.* 3. laudati duo Theologi, ut longius a peccatis ignorantiæ abeant. *Dixi, aut somnia esse quæ contra Iansenium afferuntur, aut hos recentiores nimis exorbitare... Hoc ergo dicitur, ut dicatur, & ut longius a peccatis ignorantiæ admittendis eatur.* Firmum itaque ratumque constat, Pelagianos in hoc errasse, quod negarent peccata ignorantiæ actualia, seu, ut dicitur, personalia. Quod ne gratis adfirmare videamur, eorumdem verba transcribenda sunt. Inquiunt enim voce *Critobuli*, cuius personam in scenam S. Hieronymus *Lib. I. dialog. adv. Pelag.* producit, ut Pelagianorum caussam agat. *Rogo* (inquit Critobolus) *quæ est ista iustitia, ut in peccato tenear erroris cuius reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & eius rei quam nescio, pœnas luo? Et quid plus faciam, si sponte peccavero?* Similia repetit Critobolus apud S. Hieronymum Lib. II. *Numquid & de Evangelio poteris hoc probare, ut puniatur quisque pro eo quod nesciat, & ante pœnas luat quam reus sit conscientiæ?* Hæc sunt principia Pelagianorum, hæc sunt arma quibus adversus ignorantiæ tenebras deprælientur. Ubi hic culpæ originalis mentio? Pernegant, se peccare, cum nullis lancinantur conscientiæ aculeis. Illarum actionum pœnas dabimus (clamabat Critobolus) quarum ignoramus reatum? Inviti ne damnabimur? Porro si ob illa peccata damnamur quæ nescimus esse peccata, profecto nolentes, & immerentes ad supplicia deputamur æterna. Numquid sine libertate peccatum? Numquid absque cognitione libertas? His principiis universum vertitur Pelagianorum sistema. Quid ergo caussæ fuit

at

ut laudati Theologi errorem Pelagianorum sub peregrino aspectu referre, & ex parte diminuere ambiguo sermone curaverint? Hoc perspectum fiet infra, dum de ignorantia probabilistica disputatio instituetur, quam affinitatem summam cum doctrina Cntoboli, & Cælestii habere demonstrabimus.

§. III.

Ianseniani erroris exactior manifestatio, eiusdemque confutatio.

I. PEccare homines ignorantiæ peccatis, fidei christianæ veritas est. Porro, uti hoc fidei dogma integrum, atque illæsum consistat adversus Pelagianos, fartum tectumque custodiendum illud est ab altero, non minus exitiali, Iansenii errore. Ut planiorem suæ hæresi Iansenius sterneret viam, Pelagianum errorem penitus immutavit, ut vidimus. Hoc porro est Iansenii de ignorantia sistema. Inculpatam defendit iuris divini, humani, & factorum ignorantiam invincibilem; negat vero iuris naturalis ignorantiam, tametsi invincibilem, seu antecedentem, a culpa excusare. Principium, unde ille colligit, hanc ignorantiam iuris naturalis numquam carere culpa, ignorantiam vero iuris divini, & humani sæpe criminis esse expertem, potissima est hæresis Iansenianæ radix. Iuris naturæ cognitio in statu innocentiæ quammaxime congrua atque consentanea homini erat, atque adeo debita, secus vero iuris divini, humani, factorumque notitia. Horum ergo ignorantiæ meræ sunt negationes, vel nescientiæ, illius vero privatio poena est voluntarie in originali culpa Adæ contracta. Hæc itaque invincibilis iuris naturæ ignorantia, quod volita in Adamo sit, nullo modo a culpa excusat, sed ipsa culpabilis est: nec, deleta primigenia culpa, hæc aufertur. Peccant ergo homines, dum ignorantiæ invincibilis obducti caligine legem naturalem transgrediuntur.

II. Ab errore in errorem prolabitur Iansenius. Alterum siquidem principium, veluti istius veneficæ radicis pestiferum germen, constituit, extinctam videlicet in nobis esse indifferentiæ libertatem. Hæc enim libertas, non secus ac iuris naturæ cognitio, nobis in statu innocentiæ debita erat. Peccante Adamo, & posteris cum illo consentientibus, non sauciata modo, & extenuata hæc libertas remansit, sed mortua penitus, & extincta. Hæc duo errorum portenta tertium consequitur, impossibilitas nempe servandæ legis, & quod necessitas arbitrii, indifferentiæ opposita, non excuset a culpa, quam ut homines contrahant, satis est libertas illa quam in Adamo habuere, & cum illo peccantes amiserunt. Hæc est vera hæresis Iansenianæ imago. Hoc novæ doctrinæ spectrum prius in officina

Lu-

Lutheri, Calvinique delineatum, post fucato Iansenii penicillo quoquo modo obductum, ut facilius imperitis suaderetur.

III. Brevissima digressione pauca interserere lubet. Serio animadvertat lector, quanta aut imperitia, aut versutia, & invidentia illi teneantur qui cum Angelico-Thomistica de gratia, & libero arbitrio doctrina Iansenianum sistema confundere, hoc est cælum terræ, aquam igni miscere, non erubescunt. Iansenius cum Calvino extinctam in Adamo blasphemat indifferentiæ libertatem: unde inferunt, Dei gratiam necessitantem esse, seu necessitatem, non coactionem homini inferre. Et sane hæc duo connexa sunt. Sublata enim libertate ab homine, consequitur inevitabili connexione ut gratia, quæ extrinsecus collata illum permovet, necessitatem inferat. Si hæc gratia non præsupponit, non reperit in homine libertatem, qui fieri potest ut libere illum moveat? Cur Deus non libere, sed necessario bruta movet? Quia nulla adest in brutis libertas. Porro, ut scite S. Thomas perpetuo docet, Deus secundas caussas regit iuxta illarum naturam, necessarias necessario, contingentes contingenter, liberas libere. Iuxta Calvinum, & Iansenium homines ob culpam originalem non sunt liberi. Ergo libere a Deo moveri nequeunt, sed necessario, sic illorum exigente natura.

IV. Porro quis est Catholicorum, nedum Thomistarum, qui extinctum in Adamo liberum arbitrium effutiat? Omnes, ut dogma fidei, confitentur liberum supervixisse cum hominibus arbitrium cum indifferentia ad bonum, & ad malum, læsum quidem, sauciatum, infirmumque. Extenuatum, non extinctum, defendunt. Medicinalis Christi gratia hoc infirmum arbitrium adiuvat, roborat, permovet modo eiusdem indoli consentaneo, libero scilicet, quia libera est illius indoles. Quis dixerit, peritum medicum, cognito ægroti morbo, medicinam data opera porrigere quæ illum occidat? Divinus Medicus noster Deus humani arbitrii infirmitatem compertam habet. Gratiæ medicinam porrigit, morbo expellendo congruam. Si ipsius Adæ peccatum arbitrium non extinxit; numquid gratia divina illud interficiet? Si non occiditur per vulnerantem, inquit Prosper; numquid tollitur per medentem? Quod gravi infirmitati efficax natura sua porrigatur remedium, ideone ægroti natura detrimentum accipiet? Nonne stultus habetetur infirmus qui sapientis medici respueret medicinam, sanitati suæ reparandæ peridoneam? Ægroti ne, an medici est vim, & efficacitatem remedii expendere, & definire? Vitæ humani arbitrii radix in iudicii indifferentia sita est. Usquedum mentis ratio obiectum cum indifferentia proponit, nequit libertatis creatæ vita perire; quantumvis efficaciter, atque infallibiliter Deus permoveat voluntatem. Quin quo efficacior fuerit gratia permovens cum indifferenti boni eligendi, aut mali detestandi propositione, eo liberior est humana voluntas. Quis non videt, hoc Thomisticum sistema non minus a Iansenianno, Calvinisticoque distare,

re, ac cœlum distet a terra, & veritas ab errore? Quæcumque sit illa gratia quam Ianseniſtæ admittunt, de qua suo loco, necessitans sit oportet, eo quod non supponat in homine indifferentiæ libertatem. Gratia quam Thomistæ propugnant, nec lædit, nec lædere libertatem valet: quia adiuvat, corroborat voluntatem absque læsione iudicii indifferentiæ, quæ radix est libertatis. Uno verbo hæc gratia libertatem in homine supponit, sed quia infirma est, & vulnerata, eam sanat, illius reficit vires, atque ad egregia patranda facinora adiuvat. Fusius hæc omnia *Lib. III.* explicabuntur, dum de actibus humanis sermo erit. Duo ergo extrema vitanda, & Pelagianorum, eorumque gregalium Semipelagianorum, qui gratiæ necessitatem negabant; & Calvinistarum, atque Ianseniſtarum, qui de medio auferunt libertatem. Sed a diverticulo in semitam regrediamur.

V. Refellendus nunc Iansenii error est, quo contendit, ignorantiam iuris naturæ invincibilem non excusare a culpa. Et primum quidem eiusdem Iansenii principiis revincitur falsitatis. Noxiam propugnat ille iuris naturæ ignorantiam quamlibet, quod sit primi peccati pœna. At non minus peccati Adæ consectaria & pœnæ sunt motiones concupiscentiæ, iracundiæ, & appetitionum rebelliones: & tamen nisi aperte Lutheranus, & Calvinistis accenseri velit, præfati motus rationem prævenientes peccata non sunt, nec homini ad culpam imputantur. Corporalis cæcitas, insania, affectionum perturbatio, aliæque innumeræ humani generis infirmitates peccati originalis supplicia sunt. & tamen nec Iansenius ipse hæc peccatorum loco habet. Numquid quæ insanus perpetrat crimina, illi imputabit ad culpam? Quid plura? Nonne Iansenius ipse eorum quæ sunt divini, humanique iuris inculpatam defendit ignorantiam? Nonne a peccato infidelitatis excusat tot nationes, quæ mysteria credenda divina ignorant, vocanturque infideles negative? De qua infidelitate hæc scribit Doctor Angelicus 2. 2. quæst. x. art. 1. *Alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem; qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam .... Et secundum hoc infidelitas est peccatum. Si autem accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ. quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.* Hæc S. Thomæ doctrina confirmata est a S. Pio V. qui hanc 68. propositionem Baii damnavit: *Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Numquid negabit Iansenius, infidelitatem negativam esse primi peccati pœnam? Adferat rationem cur ignorantia iuris naturæ, secus ignorantia iuris positivi divini, humanique, & factorum sit peccati pœna. Forte quia illa, secus hæc, homini debita erat? Verum hæc disparitas futilis est. Numquid, Adamo non peccante, leges divinas, humanasque ignorassent

rassent homines? Nonne fatetur Iansenius ipse *Lib. III. de Stat. nat. puræ cap. x.* nullam in homine reperiri calamitatem, miseriamve quæ ab originali crimine non proficiscatur? Negabit ne, legis positivæ ignorantiam ærumnam esse, & calamitatem humanæ naturæ? Si hæc ergo a culpa immunem hominem reddit, quidni & iuris naturæ ignorantia, si æquo modo sit antecedens, & invincibilis?

VI. Ratio autem evidens, quæ penitus errorem Iansenianum convellit, hæc est. Quod involuntarium est, omnique destitutum libertate, nequit, salva iustitia, ad culpam imputari. Reponit Iansenius, id verum habere, si desit omne voluntarium, falsum, si adsit aliquod voluntarium. In operibus ex ignorantia invincibili factis deest voluntarium personale, secus voluntarium capitis, nempe Adæ. Voluntaria est ignorantia invincibilis in Adamo: idcirco opera ex illa producta sunt sufficienter voluntaria, ut imputari ad culpam valeant. At cur hæc ignorantia voluntaria est in Adamo, minime vero ignorantia facti, & iuris positivi?

VII. Ceterum, quia Iansenius discipulum se Augustini profitetur, rationibus, & aliorum Patrum auctoritatibus missis, ad Augustini tribunal appellanda caussa est. Augustinus autem *Lib. III. de lib. arb. cap.* XIX. adeo clare labefactat Iansenii errorem, ut nulla valeat tergiversatione illius testimonium eludi. Idcirco integrum illud exscribere lubet. *Hic occurrit illa quæstio quam inter se murmurantes homines reddere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando quam se accusare parati sunt. Dicunt enim. Si Adam, & Heva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur, & primo erraremus nescientes quid nobis esset faciendum; deinde, ubi nobis inciperent aperiri præcepta iustitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate, non valeremus? .... Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Recte enim fortasse quererentur, si erroris, & libidinis nullus hominum victor existeret. Cum vero ubique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim hominum ablatum est scire utiliter, quærere quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti, & confitenti ille subveniat qui nec errat, dum subvenit, nec laborat.* Plura alia ex Augustino referre possem, quæ prætereo.

VIII Lubet tamen hanc Augustini doctrinam altera D. Thomæ doctrina confirmare, & illustrare. Distinguit Angelicus duplicem culpam, alteram quæ inficit naturam, alteram quæ afficit personam. Culpa quæ naturam inquinat, originalis est, quæ ex Adamo in universum humanum genus diffusa cernitur. Ad hanc contrahen-

hendam satis fuit voluntas contenta in voluntate Adami; quemadmodum ad hereditandam iustitiam originalem, si in eadem perstitisset Adam, satis fuisset voluntas in eiusdem voluntate præhabita. E contrario ad culpam propriam perpetrandam necessaria est voluntas propria eiusdem personæ, sicut etiam ad merendum. Hanc doctrinam conceptis verbis Angelicus tradit in II. dist. xxx quæst. 1, art. 2. *Oportet quod secundum hoc quod aliquid rationem culpæ habet, secundum hoc ratio voluntarii in ipso reperiatur. Sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam, ita etiam est quedam culpa naturæ, & quædam personæ. Unde ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur: ad culpam vero naturæ non requiritur nisi voluntas in natura illa.* Clariora hæc sunt quam ut explicatione egeant.

IX. Obiicit 1. Iansenius nonnullos sacræ Scripturæ textus. David *Psal.* xxiv. inquit: *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* S. Paulus ad Hebræos ix. narrat, solum Pontificem intrare solitum in sancta sanctorum, ubi victimas offerebat pro sua, & populi ignorantia. Plures alios ex *Num. Gen.* & *Levit.* obtrudit, in quibus omnibus ignorantia vocatur peccatum. Ergo ignorantia non modo non excusat a culpa, sed ipsa peccatum est.

X. Hos, & plusquam centum alios textus allegant Hieronymus, & Augustinus, ut evincant adversus Pelagianos dari ignorantiæ peccata. Et nunc Iansenius audet eosdem obtrudere, ut probet ignorantiam invincibilem iuris naturæ a peccato non excusare? Advertere homo acutus debuisset, eiusmodi testimonia suum funditus diruere sistema. In his enim sermo semper est de ignorantia aut facti, aut iuris divini. Utriusque autem innocentem ignorationem propugnat Iansenius, si sit antecedens, & invincibilis. Si quid ergo ex his textibus inferre contendit, illud colliget, quod ignorantia facti, & legis positivæ, quamvis sit invincibilis, debeat esse vitiosa, quod nec ipse admittet. Breviter ergo respondetur, ignorantiam quamlibet quæ in Scripturis appellatur peccatum, esse ignorantiam vincibilem, seu consequentem, & voluntariam.

XI. Obiicit 2. celebrem textum S. Augustini, qui *Lib. de grat. & lib. arb. cap.* iii. inquit: *Sed & illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet; sed fortasse ut minus ardeat. Non enim sine causa dictum est: Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* In hoc textu, inquit Iansenius, distinguit Augustinus illos *qui scire nolunt*, ab illis *qui simpliciter nesciunt*, videlicet qui invincibiliter ignorant. Porro de his Augustinus asserit sempiterno igne concremandos esse.

XII. Resp. Tantum huic textui Iansenius fidit, ut si cetera deessent, triumphum

phum adhuc sibi canere videatur. Et tamen si textum hunc cum iis quæ illum antecedunt, conferamus, nihil ex eodem præsidii emere posse Iansenium palam fiet. Et principio Augustinus libro laudato Pelagianos confutat, & adversus eosdem ignorantiam legis evangelicæ peccatum esse docet. De hac potissimum disputatio cum Pelagianis erat. Porro immediate ante laudatum a Iansenio textum hæc præmittit Augustinus. *Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur:* Noluit intelligere, ut bene ageret. *Sed & illa ignorantia* &c. ut supra. Duplicem distinximus supra ignorantiam vincibilem. Altera est affectata, supina, & crassa: & hæc illorum propria est de quibus dicitur: *Noluit intelligere, ut bene ageret*, & hæc est prima ignorantia vincibilis, de qua hic loquitur Augustinus. Altera ignorantia vincibilis simplex, seu simpliciter talis: & ipsa culpabilis est, ut supra ostensum fuit. Et propter hanc asserit Augustinus, damnandos esse qui legem evangelicam ignorant. Quoniam id nesciunt negligentia, quod adhibita diligentia scire potuissent. Sed illud quod admirationem ingerit, est, quod Iansenius ex hoc libro ausus sit expiscari laudatum textum truncatum ab iis quæ præcedunt ibidem, quæque ab imis suffodiunt machinæ Iansenianæ fundamenta. Sub initium enim huius libri Augustinus convellit sistema & Pelagianum, & Iansenianum. Inquit quippe cap. 1. *Sed quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium*. En sistema Calvino-Iansenianum reprobatum. *Aut quando gratia defenditur* (pergit Augustinus) *negari existiment liberum arbitrium*. En hæresim Pelagianam reprobatam. Hos enim duos errores hoc in libro refellendos aggreditur. Continuo enim subdit cap. 11. *Ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret. Ideo enim data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet; sicut Dominus dicit de Iudæis: Si non venissem* &c. Audistin'? Excusationem habuissent, si promulgata non fuissent præcepta. Quapropter inexcusabilis asseritur eorum ignorantia, quod promulgatam legem addiscere tumente superbia neglexerint, ut immediate ibidem adnectit. *Quomodo dicit* (Apostolus) *inexcusabiles, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia: Si scissem, fecissem: ideo non feci, quia nescivi: aut, si scirem, facerem: ideo non facio, quia nescio? Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Sed sunt homines qui etiam de ipso Deo se excusare conantur.*

XIII. Nonne perspicue constat, Augustinum eo loci loqui de ignorantia vincibili tum *affectata* illorum qui lumen positive respuunt, tum simplici eorum qui desidia omittunt addiscere præcepta alioquin sibi obvia? Et ne longior æquo oratio fiat, paucis rem totam expedio. Hoc in libro Augustinus disputat adversus Pelagianos. Contendebant isti, nulla esse ignorantiæ peccata ob defectum libertatis: quæ enim igno-

ignorantur, dicebant Pelagiani, libere non eliguntur. Augustinus contra statuit, ignorantias nempe esse peccata, eo quod voluntarie & libere legis scientia respuitur. Hæc siquidem adiicit cit. cap. 11. *Si volueris, conservabis mandata, & spem bonam placiti. Apponet tibi ignem, & aquam, ad quodcumque volueris extendere manum tuam. In conspectu vita, & mors, & quodcumque placuerit dabitur ei. Ecce apertissime videtur expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri iubet Deus? Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium?* Si disputatio cum Pelagianis de invincibili, & antecedenti ignorantia fuisset, vana ac futilis esset argumentatio Augustini. Nam planum est, ipso fatente Iansenio, ignorantiam invincibilem auferre libertatem. Victoria ergo a Pelagianis stetisset, si Augustinus probandum suscepisset, ignorantiam invincibilem esse peccatum. Tantum ergo abest ut quidquam extundere Iansenius valeat ex hoc loco, ut evidenter duos illius errores, nempe liberum periisse arbitrium in Adamo, & ignorantiam invincibilem esse culpabilem, Augustinus ipse penitus convellat. Tanta quippe perspicacitate evincit Augustinus in hoc ipso libro, nullum esse peccatum actuale absque libertate propria personæ peccantis, ut nemo sana mente præditus id in dubium revocare ausit.

XIV. Obiicit 3. Iansenius. S. Augustinus *Lib. de gest. Pelagianor.* refert *cap.* XVIII. in Synodo Diospolitana propositiones damnatas Celestii Pelagiani, quarum septima hæc est: *Oblivionem, & ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Quam propositionem reprobavit Synodus, inquit Augustinus cap. XIX. *Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula dicit præsens Pelagius Monachus? Hoc enim reprobat S. Synodus, & sancta Dei Catholica Ecclesia.* Celestius eam ignorantiam a culpa immunem asserebat quæ est secundum necessitatem. Hæc autem est sola ignorantia invincibilis. Ergo Synodus Diospolitana erroris damnat sententiam quæ inculpatam defendit ignorantiam invincibilem.

XV. Ex iis quæ dicta sunt, responsio patet. Tamen, ut clarius constet quam sit ineptum sophisma, advertendum, non unum, sed plures fuisse Pelagianorum errores. Eorum capitalis error fuit negare peccatum originale. Hunc consequebatur alter, nullam scilicet ignorantiam subiacere peccato. Neque enim ut fetum originalis culpæ adfirmare poterant ignorantiam, si culpam ipsam inficiabantur. Contendebant ergo, ita ignorantiam necessario consequi ipsius naturæ conditionem, ut, etiam Adamo non peccante, homines ignorantiæ tenebris circumfusi forent. Patres autem, ut ab imis radicibus Pelagianorum evellerent errorem, eosdem urgebant ignorantiam quamque, etiam invincibilem, *subiacere peccato*, idest, esse pœnam, & effectum illius. Accedit quod Patres interdum, quin & ipsa Scriptura divina, peccatum vocant & concupiscentiam, & ignorantiam etiam invincibilem, non quod in se

in se peccata sint, sed quia sunt aut effectus, aut radix peccati, ut communis interpretatur Catholicorum sensus. Et ne gratis hæc asserere videar, textum affero ipsius S. Augustini, qui *Lib. III. de lib. arb. cap. XIX.* hæc scribit. *Nam illud quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis ducunt originem. Illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod huius membri motum consequitur, idest formam, tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: sic non solum peccatum illud dicimus quod PROPRIE vocatur peccatum, libera enim voluntate, & ab sciente committitur; sed etiam illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est. Sed etiam ipsam naturam aliter dicimus, cum proprie loquimur, naturam hominis, in qua primus in suo genere inculpabilis factus est, aliter istam, in qua ex illius damnati pœna & mortales, & ignari, & carni subditi nascimur.*

XVI. Ex hoc Augustini textu clare constant ea quæ supra dicta sunt. Nec alicuius momenti est quod reponit Iansenius, ignorantiam videlicet iuris naturæ ex Adami peccato proficisci. Nam si Adam in statu innocentiæ perseverasset, illius posteri nihil ignorantiæ eorum quæ ius naturæ spectant, contraxissent. Porro omnes cum eodem capite Adamo voluntarie peccaverunt. Ergo omnibus voluntaria est ignorantia quæ hoc peccatum consequitur. Nullius, inquam, momenti est oppositio isthæc. Siquidem iam cum D. Thoma, & S. Augustino dictum est, nedum ignorantiam iuris naturæ, sed etiam iuris positivi, germina esse pestiferæ radicis originalis culpæ. Voluntas posterorum in Adamo fuit voluntas naturæ, non personæ. Ideo satis est ad peccatum originale, quod naturam inficit, contrahendum; secus vero ad peccatum actuale: hoc enim absque voluntate personæ non perpetratur. Ignorantia autem iuris naturæ, sicut & concupiscentiæ, & aliorum appetituum rebellio, & cetera alia, volita fuerunt voluntate naturæ in Adamo. Quare præfata non sunt peccata, inquit Augustinus, & cum eodem omnes Catholici, proprie dicta; sed dumtaxat materialiter, & consectaria originalis culpæ.

XVII. Tandem Ecclesia Romana hanc Iansenistarum doctrinam proscripsit in duabus sequentibus propositionibus, quæ sunt duæ primæ inter damnatas ab Alexandro VIII.

1. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.*

2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

CAPUT III.

Utrum reapse detur ignorantia invincibilis iuris naturæ.

I. HActenus demonstratum est, ignorantiam invincibilem a culpa excusare. Illud nunc in iudicium adducitur, detur ne eiusmodi ignorantia. Quæstionem hanc summo partium studio versant recentiores Theologi. Aliqua sunt quorum nullum penes eos dissidium est. Præcepta namque naturæ iuris in tres tribuunt classes. In prima collocant universalia iuris principia, cuiusmodi sunt: *Faciendum bonum, vitandum malum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Ad hæc revocari nonnulla Decalogi præcepta valent, ut Deus est colendus, honorandi parentes. Alia quæ ex iis immediate proficiscuntur, & facili discursu cognoscuntur, ut sunt cetera Decalogi mandata. In tertia tandem classe collocantur illa præcepta quæ sunt conclusiones quædam remotæ ex præfatis mandatis difficili studio derivatæ. Convenit penes fere omnes, nullam dari ignorantiam invincibilem neque præceptorum universalium, neque aliorum quæ ex illis veluti sponte fluunt, seu quæ facili ratiocinio ex iisdem inferuntur. De conclusionibus remotis, atque cognitu difficillimis dissidium non leve inter eos fervet. Attamen clarius exponendus est litis agendæ status. Nemo negat, aut iure negare valet, aliqua iuris naturæ onera ignorari inculpate posse ignorantia speculativa, quando nempe contraria scientia haud est necessaria hic & nunc ad proprios mores formandos. Quis culpæ verterit Monialibus, Eremitis, ceterisque pluribus, si ignorent difficiles casus de contractibus, de legibus, quando nihil ad eos istorum notitia pertinet, cum nec contractus celebrare, nec legum casus resolvere, aut exequi debeant? Sermo ergo est de ignorantia illarum veritatum quarum notitia reapse necessaria hic & nunc est ad propriæ conscientiæ regimen, vel ad alios dirigendos. Caput hoc in sequentes tribuo §§. In sex primis utriusque partis argumenta promam: in septimo, quid ipse sentiam, declarabo.

§. I.

Auctoritatum momenta quæ evincunt nullam cuiusque iuris naturæ ignorantiam esse invincibilem, ex Scriptura sancta arcessita.

I. PRimum momentum repetitur ex ipsa divina Scriptura, quæ perspicue docet, legem æternam, seu naturalem extrinsecus tonare, atque omnium animis esse impressam. Inquit enim Salomon Prov. cap. 1. vers. 20. *Foris prædicat,*

in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat: in foribus portarum urbis Profert verba sua, dicens: Usquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ noxia sunt, capient, & imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.

II. Non minus clare hanc veritatem inculcat Salomon Sapient. cap. VI. vers. 13. *Clara est, & quæ numquam marcescit, sapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus: & qui vigilaverit propter illam, cito securus erit.*

III. Gravissima & terroris plena est sententia illa Salomonis Prov. XVI. vers. 25. *Est via quæ videtur homini recta, novissima autem eius deducunt ad mortem.* Nec minus formidabilis est altera sententia ipsius divini Servatoris nostri, arguentis Iudæos, qui sententiam sequebantur Scribarum, & Pharisæorum, idest legis doctorum, docentium licitum esse ea Deo vovere quæ parentum necessitati levandæ opportuna erant. Christus autem tum cæcos magistros, tum populum cæcum, magistros sequentem, increpat his verbis Matth. XV. vers. 14. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

IV. S. Paulus epist. ad Romanos cap. II. vers. 14. *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* S. Iacobus Apostolus in sua epist. cap. I. vers. 5. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui autem hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur.*

V. Plurima alia prætermittuntur omnibus pervia. Illud animadvertere iuvat, plura in Scriptura sancta, ut flagitia, damnari in quibus nos vix malitiæ volam deprehenderemus, nisi Scriptura ipsa nos edoceret. Quis, quæso, criminis expertem reputasset S. Iobum, adversus Deum tam aperte murmurantem, & fere blasphemantem? Quis existimasset, Eliphazium, Iobum increpantem, & ius divinum a Iobi querimoniis asserentem, a veritatis semita aberrasse! Consideratio est S. Gregorii Papæ *Lib. XXXV. Moral. cap. V. & VI.* ubi hæc scribit: „ Auditis cunctis sermonibus Iob, cognitis etiam responsionibus amicorum, libet ad æterni iudicis sententiam spectationem mentis nostræ convertere, eique dicere: Ecce, Domine, utrasque in conspectu tuo differentium partes audivimus: & Iob quidem in hoc certamine virtutis suæ facta resolvere, & amicos eius contra eum cognovimus tuæ iustitiæ gloriam defensare. Inter hæc autem quid mens nostra sentiat, agnoscis. Neque enim nos possumus eorum dicta reprehendere quos de-

„ fensio-

„ fensioni tuæ cognoscimus deservire. Sed ecce assistunt partes, expectant sententiam. Profer ergo, Domine, ex invisibili regula subtilissimum tuæ discretionis examen, & quis in contentione ista sit rectius locutus, ostende . . . Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob*. O Domine, iudicii tui sententia indicat, quantum a luce tuæ rectitudinis cæcitas nostra discordat. Ecce te iudice beatum Iob victorem esse cognoscimus, quem in te peccasse loquendo credebamus . . . . . Et quidem quantum ad humana iudicia, in verbis suis amici eius multo illo rectius dixisse crederentur. Sed veritas, aliam ex occulto regulam proferens, ait: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob*. Coram me, ait, idest intus, ubi sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. "

VI. Ex his apparet, quam verum sit Salomonis oraculum: *Est via quæ videtur homini recta, novissima autem eius deducunt ad mortem*. Eliphazius una cum sociis in interpretatione iuris naturalis remoti a primis principiis, & obscuri increpatus a Deo est, & Iob laudatus; cum tamen ad humanorum iudiciorum regulam, hic errans, ille rectus apparuisset, nisi Deus aliter iudicasset. Ne multa: passim in Scriptura ignorationes hominum improbantur. Vix textus occurrit in quo ignorantia iuris excusetur.

§. II.

SS. PP. momenta contra iuris naturæ invincibilem ignorantiam.

VII. UT prolixitatem nimiam vitem, non omnium, sed quorumdam tantum Patrum textus seligam. Et primum ex Augustino pauca producam. Lib. I. de peccat. merit. cap. XXXVI. *An nullum est ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum? Et quid ait illa vox*. Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris? *Etsi enim damnabiliora sunt quæ ab scientibus committuntur, tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, non legeremus quod commemoravi*: Delicta iuventutis &c.

VIII. Clarius hoc docet Lib. de spirit. & lit. cap. XXVIII. *Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere: si hoc est quod dictum est, quia* gentes quæ legem non habent, *hoc est legem Dei*, naturaliter quæ legis

 sunt

sunt faciunt, *& quia huiusmodi homines* ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, *idest, non omni modo deletum quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur impressum est.*

IX. Item Lib. II. de serm. Domini in monte cap. IX. *Quando illi valent intelligere, nullam esse animam, quamvis perversam, quæ tamen nullo modo ratiocinari potest, in cuius conscientia non loquatur Deus? Quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem nisi Deus? De qua lege Apostolus ait: Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, hi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis contestante conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium in die qua iudicabit Dominus occulta hominum.*

X. Tandem Lib. de quantit. animæ cap. XIV. *Magna, crede mihi, magna, sed sine ulla mole, de animo cogitanda sunt . . . Fieri autem non potest quadam divina providentia ut religiosis animis, seipsos, & Deum suum, idest veritatem, pie, caste, ac diligenter quærentibus, inveniendi facultates desint.*

XI. Lib. I. Retract. cap. XIII. *Illa quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur, non omni modo possunt sine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate utique facit quod, cum faciendum non sit, putat esse faciendum.* Et paullo infra, nempe cap. XV. *Nam & qui nesciens peccavit, non congruenter peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit: ita nec ipsius potuit esse sine voluntate peccatum . . . Quia ergo voluit, fecit; etiamsi, quia non voluit, peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit. Hoc enim factum est quod fieri non debuit.*

XII. Tertullianus Lib. de corona militis cap. VI. *Omne quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes; penes nos vero etiam elogium sacrilegii in Deum naturæ Dominum, & Auctorem. Quæris igitur Dei legem? Habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet provocare, ut cum in velamine feminæ. Nec natura vos, inquit, docet? Ut cum ad Romanos, natura facere dicens nationes ea quæ sunt legis, & legem naturalem suggerit, & naturam legalem.* Item Lib. V. contra Marcionem cap. XIII. *Si iudicabit Deus occulta hominum, tam eorum qui in lege deliquerunt, quam eorum qui sine lege: quia & hi legem ignorant, & natura faciunt quæ sunt legis: utique his Deus iudicabit, cuius sunt & lex, & ipsa natura, quæ legis est instar ignorantibus legem.*

XIII. Origenes *Lib. I. contra Celsum* scribit, *naturæ legem omnium mortalium animis insitam . . . Quapropter non est mirandum, Deum eorum quæ per Prophetas,*

tur, & Servatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, ut in divino judicio sit inexcusabilis habens mandatum legis scriptum in corde suo.

XIV. S. Ambrosius *epist.* xli. scripta ad Irenæum inquit. *Si legem naturalem, legem quam Deus Creator infudit singulorum pectoribus, homines servare potuissent, non fuerat opus ea lege quæ in tabulis scripta lapideis implicavit, atque innodavit magis humanam infirmitatem, quam elaqueavit, atque absolvit. Esse autem legem naturalem in cordibus nostris, etiam Apostolus docet, qui scribit: Quia plerumque & gentes naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, & cum legem non legerint, opus tamen legis scriptum habent in cordibus suis. Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur: quam debuimus vel futuri judicii metu servare: cujus testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cum semper pateat Domino, tum maxime in die judicii manifestabitur, quando occulta cordis in examen venient, quæ putabantur latere. Quorum tamen proditio occultorum sibi nequaquam noceret, si lex naturalis inesset pectoribus humanis. Est enim sancta, sine versutia, sine fraude, consors justitiæ, expers iniquitatis.* Maxime sunt perpendenda ultima Ambrosii verba, quibus asserit, occultorum proditionem in judicii die hominibus non nocituram, si *lex naturalis inesset pectoribus humanis*, idest, si ita præsens menti esset, ut homines ad illam animum intenderent, & reformarent.

XV. S. Isidorus Hispalensis Lib. II. Sent. cap. xvii. *Sunt qui ignoranter peccant; & sunt qui scienter; sunt etiam qui pro ignorantiæ excusatione scire nolunt, qui tamen non seipsos muniunt, sed magis decipiunt. Nescire simpliciter ad ignorantiam pertinet, noluisse vero scire ad contumacem superbiam: voluntatem quippe proprii domini velle nescire, quid aliud est quam velle dominum superbiendo contemnere? Nemo igitur se de ignorantia excuset, quia Deus non solum eos judicat qui a cognitione sua se avertunt, sed etiam illos qui nescierunt.* Et infra, videlicet cap. xxvii. *Sæpe quæ apud hominum judicium bona apparent, apud examen diligentissimi, & acutissimi judicis reproba deteguntur: ideoque omnis Sanctus veretur ne forte bonum quod agit, pro aliqua animi intentione, in oculis Dei reprobum sit.*

XVI. S. Bernardus Lib. de præcepto, & dispensatione cap. xviii. *Malitia parit ignorantiam, & ignorantia malitiam operit; ita ut sæpe nesciens & malum quod vult, non faciat, & bonum faciat, quod non vult.* Obscuratum *nempe* est insipiens cor eorum *qui istiusmodi sunt; & quasi jam* traditi in reprobum sensum, *bonum omnino nec diligere, nec dignoscere queunt. De talibus scriptum est* Impius, cum venerit in profundum malorum, contemnit. *Nam qui istiusmodi est,*

cavere profecto malum nec vult, etiamsi possit; nec si velit, scit. Verum plura supra dedimus ex hoc mellifluo Doctore.

XVII. SS. PP. chorum claudat S. Thomas, qui pluribus in locis negare aperte videtur, iuris naturæ ignorantiam esse invincibilem. Nam *quodlib.* VIII. *artic* 13. hæc scribit. *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem . . Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Textus iste valde apertus videtur.

XVIII. Perspicua quoque sunt quæ scribit *opusc.* VII. de decem præceptis sub initium. *Nunc* (inquit) *de scientia operandorum intendimus. Ad quam tractandam quadruplex lex invenitur. Prima dicitur lex naturæ. Hæc nihil aliud est nisi lumen intellectus insitum nobis a Deo, per quod cognoscimus quid agendum, & quid vitandum. Hoc lumen, & hanc legem dedit Deus homini in creatione. Sed multi credunt excusari per ignorantiam, si hanc legem non observant. Sed contra eos dicit Propheta in Psalm.* Multi dicunt. Quis ostendit nobis bona? *quasi ignorent quid sit operandum. Sed ipse ibidem respondet:* Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: *lumen scilicet intellectus, per quod nota sunt nobis agenda. Nullus ignorat, quod illud quod nollet sibi fieri, non faciat alteri, & cetera talia. Sed licet Deus in creatione dederit hominibus hanc legem, scilicet naturæ, diabolus tamen in homine superseminavit aliam legem, scilicet concupiscentiæ.*

XIX. Sed adeamus auream illam, & defæcatissimam fodinam, Summam nempe theologicam, in qua quæstionem hanc fusius, & enucleatius dispicit. Itaque 1.2. *quæst.* XCIV. *art.* 6 hæc scribit. *Ad legem naturalem pertinent primo quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota, secundario autem quædam secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali, deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut supra dictum est* (quæst. LXXVII. art. 2.) *Quantum vero ad alia præcepta secundaria potest lex naturalis deleri de cordibus hominum vel propter malas persuasiones (eo modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias) vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom.* 1.

XX. Nullus hic tergiversationi locus. Distinguit Angelicus præcepta universalia a particularibus ex illis derivatis. Prima nullo modo aboleri e mente humana posse docet. Particularia vero ignorantur propter pravas consuetudines, vel habi-

habitus corruptos. Porro ignorantia quam pariunt aut noxiæ consuetudines, aut appetituum perturbationes, nullo modo appellari invincibilis valet. Interpretationes Medinæ, & aliorum quorumdam Thomistarum in hunc locum minus aptæ videntur, immo ab ipsa Angelici Doctoris littera exploduntur. Ignorantia, inquiunt, iuris naturæ ex prava consuetudine, aut perversa educatione parta, noxia est in his qui consuetudinem invehunt, secus in his qui invecta consuetudine hac pro lege, & adversus legem naturalem utuntur. Hoc interpretamentum seipso corruit. Nulli quippe consuetudini, nulli præscriptioni obnoxia est naturæ lex. Hanc doctrinam confirmat Angelicus loc. cit. quæst. lxxvii. artic. 7. ad 2. *Ignorantia particularis, quæ totaliter excusat, est ignorantia circumstantiæ, quam quidem quis scire non potest, debita diligentia adhibita. Sed passio causat ignorantiam iuris in particulari, dum impedit applicationem communis scientiæ ad particularem actum; quam quidem passionem ratio repellere potest.*

XXI. Laudatis antiquis Patribus, & S. Thomæ subscribunt alii graviores Theologi. P. Gabriel Vasquez, quamquam adversæ sententiæ patronus, laudat pro hac opinione B. Albertum Magnum, Alensem, S. Bonaventuram, Guillelmum Parisiensem, Guillelmum Antisidorensem, Durandum, Gabrielem, Gersonem, Adrianum VI. Henricum Gandavensem. His addunt alii Hugonem a S. Victore, S. Antoninum, S. Raymundum, S. Bernardinum, Alphonsum a Castro, Molanum, Sambovium, Steyartium, Merendam, Toletum, Antonium Charlasium, Estium, Caietanum, Contensonium, Iacobum a S. Dominico, Natalem Alexandrum, Norbertum Delbecque, Mercorum, Carolum ab Assumptione, Bassæum, Cardinalem Norisium, Farvacquesium, Van-Roy, San-Terre, & plures alios. Pro relatis tamen omnibus me vadem non exhibeo.

§. III.

Rationes quæ naturæ iuris invincibilem ignorantiam improbant.

XXII. RAtio prima. Quicumque naturæ ordinem, quem lex æterna servandum iubet, deliberate perturbat, opus producit suapte natura malum. Sed qui violat naturalem legem, deliberate pervertit naturæ ordinem. Ergo peccat. Probatur consequentia. Principia universalia iuris naturæ, iisdemque proxime connexa, omnibus, nemine fere dissentiente, pervia sunt, & comperta. Ergo si hæc recte applicentur, naturæ ordo non perturbatur. Porro distorta applicatio non aliunde proficisci valet nisi ex humanarum appetitionum perversitate, ex concupiscentia, pravisque affectionibus, universalium principiorum lucem obnubilantibus, ex

erroneis persuasionibus, opinionumque perversitate. Ignorantia autem, ex tam iniquis enata radicibus, inculpata dici nequit. Ergo vincibilis.

XXIII. Ratio altera. Ignorantiæ victoria non viribus dumtaxat naturæ, sed potissimum gratiæ efficacitate metienda est. Quamquam enim naturæ vim iuris naturæ cognitio superet, tamen si ignorantia devinci gratia valet, vincibilis dicenda est. Vinci autem per gratiam cuiusque naturæ legis ignorantiam posse, Scripturæ sanctæ docent. Deus enim, inquit Evangelista Ioannes, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum — Deus vult omnes homines salvos fieri — Salvator est omnium, maxime fidelium — Petite, & accipietis; quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Ergo quemadmodum qui splendente sole oculos clausos tenet, ne videat, nulla dignus excusatione est, si præceps ruat, sic qui divinæ luci, super hominum vultus irradianti, obicem opponit, ne legem videat, sua culpa legem ignorat. Cæcus excusandus est, si lumen solis non videt, quia capacitate ad videndum destitutus. Humanæ vero mentis oculi, tametsi ex peccati originalis vulnere læsi sint, pluribusque tenebris circumfusi, evulsi tamen non sunt: illorum vis extenuata, non extincta est. Ergo si homines oblatæ, & collatæ gratiæ, qua ad cognitionem assequendam adiuvantur, resistunt, si illam respuunt, culpa propria, inscientiæ caligine obducuntur.

XXIV. Tertia ratio. Dum homo callere remotioris naturæ iuris obligationem debet, peccator est, aut iustus. Si peccator, sibi imputare debet quod cognitione, & gratia careat. Inexcusabilis enim est peccator omnis, inquit Augustinus *epist.* 105. ad Xistum. Iuste enim peccator gratia, quam suis propriis criminibus demeruit, privatur. Quod si divina abundante clementia præveniatur, aut hac præveniente gratia bene utitur, aut secus. Si primum, illuminabitur, si alterum, iuste pœnas dat, propriæque culpæ luminis superni defectum vertere debet. Si homo iste iustus sit; aut præstat quod viribus gratiæ potest, aut negligit. Si primum, facienti quod in se est viribus gratiæ, gratia non denegatur: si alterum; suæ desidiæ, negligentiæque imputet, si lumen non recipiat, quo tenebras excutiat ignorantiæ.

XXV. Quarta ratio. Peccata ignorantiæ, salva fide, negari nequeunt. Atqui nulla sunt ignorantiæ crimina quæ minus excusari valeant quam ea quæ naturæ legi adversantur: quippe istius iuris mandata hominum animis impressa sunt, neque deleri possunt sive universim, sive quantum ad particularem applicationem, nisi ob pravas consuetudines, & rebellis concupiscentiæ lenocinia, præstigiasque. Ergo aut neganda sunt ignorantiæ delicta, aut si admittantur, uti admitti debent, hæc sunt potissimum quæ adversus ius naturæ perpetrantur.

XXVI. Quinta ratio. Nulla Dei lex observatu homini impossibilis est. Ergo nulla ignorari invincibiliter potest. Prima propositio evidens est: impossibilia enim

nim Deus non iubet. Altera necessario primam consequitur. illa enim lex quæ cognosci nequit, observari non potest. Porro quæ, invincibiliter ignoratur, cognitionem humanam fugit, superatque industriam, & vires. Ergo lex quæ cognosci nequit, impleri non potest. Quod argumentum sub alio aspectu proponi potest. Omnia divina præcepta sunt possibilia: ergo sunt etiam cognoscibilia. Possibilitas enim executionis a cognitione pendet; parique incedunt passu possibilitas executionis, & notitia legis. Ergo alterutrum fatendum: aut præcepta naturalia omnia non esse possibilia, aut omnia esse cognoscibilia. Accedit quod frustra Deus rogasset legem illam quæ a subditis nec inveniri, nec cognosci potest. Perinde enim est ac si non esset, lex illa quæ cognosci non potest. Tum: aut lex ista promulgata satis est, aut secus. Si promulgata non est, vim obligandi non habet: si promulgata sufficienter sit, innotescere debet, vel saltem debita adhibita diligentia inveniri, & cognosci potest.

XXVII. Quæ omnia confirmari S. Augustini testimonio satis aperto valent *Lib. II. de peccator. merit.* ubi hæc scribit. *Cum voluntate humana, gratia adiuvante divina sine peccato in hac vita possit homo esse; cur non sit, possem facillime, ac veracissime respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, cur nolint, imus in longum. Verum .... sine præiudicio longioris inquisitionis dicam. Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit; sive quia non delectat ... Ignorantia ergo, & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, aut suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est quæ hominum adiuvat voluntates, qua ut non adiuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

XXVIII. Ex qua Augustini doctrina sic instaurari argumentatio valet. Ex eodem principio oritur difficultas servandæ, ac cognoscendæ legis. Sed difficultas exequendæ legis ex nostra malitia, aut desidia ortum ducit, iuxta Augustini doctrinam. Porro dici nequit, salva fide, quod aliquod Dei præceptum naturale ita superet humanæ voluntatis vires, ut impune illud violari queat. Ergo similiter nullum præceptum naturale ita excedit mentis humanæ vim, ut invincibiliter ignorari possit. Nam sicut gratia divina suave efficit quod non delectabat, ita quoque gratia Dei innotescere facit quod latebat: & sicuti nemo excusare iure se valet, quod gratia careat ad amandum quod amarum, & insuave est, ita excusare se nequit, quod careat gratia ad cognoscendum quod latebat.

XXIX. Postrema ratio ab absurdis gravissimis arcessitur. Admissa remotioris naturæ iuris ignoratione, concedi quoque debet inculpata ignorantia fere universi Decalogi, & a culpa excusari adulteria, periuria, mendacia, furta, fornicationes, solius circumstantiæ additione. Quamvis enim præfata crimina absolute pervia & obvia sint; tamen aliqua circumstantia involuta, cognitu difficilia evadunt. Catonem

nem uxorem propriam, Platonis doctrina imbutum, amicis communicasse, refert Augustinus *Lib. de fid. & bon. oper. cap.* VII. Et hanc mutuam uxorum communionem licitam reputatam fuisse apud Græcos, perhibet Tertullianus in *Apologet. cap.* XXXIX. Paganorum plures hanc communicationem inter humanæ benevolentiæ officia collocabant, inquit S. Epiphanius hæres. XXVI. *Vir concedens uxorem alteri, ait ad ipsam: Surge, & fac delectationem cum fratre.* Quid scelestius incesto cum patre, quidve notius? & tamen aliqua necessitatis salvandi humani generis circumstantia, adveniente honestatis velamine, obtegi potest. Mendacii malitiam natura humana detestatur, omnibusque etiam rudibus pudorem aspergit: & tamen ad proximi vitam salvandam licitum mendacium existimarunt Origenes, Cassianus, Chrysostomus, Dydimus, Eusebius Emissenus, aliique. Turcæ fornicationem simplicem ita licitam, honestamque reputant, ut nec suspicentur eam malitiæ fuligine tinctam. Quid de latrociniis Germanorum; quid de immolatione filiorum idolo Moloch a Chananæis habita pro legitima patriæ disciplina, quid de commercio Romanorum cum pueris dicam? Istorum omnium, aliorumque scelerum ignorantia inculpata admitti debet, semel concessa remotioris iuris præceptorum ignoratione invincibili. Hoc vero absurdum est monstrosum. Ergo nulla iuris naturalis, sive propinqui, sive remoti, ignorantia dicenda est invincibilis, ne cogamur defendere, inculpatam quoque esse dictorum scelerum ignorationem. Hæc sunt rationum momenta quæ afferuntur adversus iuris naturalis invincibilem ignorantiam.

§. IV.

Rationum momenta, quæ evincunt, dari posse ignorantiam invincibilem iuris naturæ.

XXX. Sententia quæ defendit inculpatam remotioris naturæ iuris ignorantiam, expressas Scripturæ, aut Patrum sententias in sui præsidium non allegat: tota potius est in interpretandis tum Scripturæ, tum Patrum textibus qui adversus eamdem afferuntur, & resolvendis argumentationibus quibus impetitur, ut mox videbimus. Omnia argumenta quæ in sui defensionem promit, ad hoc unicum revocantur.

XXXI. Non pauca iuris naturæ præcepta remota, tot & tam gravibus difficultatibus involuta sunt, ut oppositæ Theologorum, immo SS. Doctorum opiniones reperiantur de iisdem. Quæ sane opiniones contrariæ, vel contradictoriæ simul veræ esse nequeunt; sed alteram esse veram, alteram falsam necesse est. Quis porro inficias iverit, licitum esse sequi sententiam, quam Doctores sancti, & summa in Ecclesia auctoritate præditi docent? Aut quis asseruerit, Doctores sanctos

post

post diligens studium, sedulamque industriam, post oblatas Deo preces pro assequenda veritate culpam perpetrasse, quod eam non invenerint? Quod autem vera sit prima propositio, varias nempe, & oppositas esse sanctorum Doctorum opiniones circa remotioris iuris naturæ præcepta, probatur innumeris exemplis, inquit S. Antoninus I. *Part. tit.* III. *cap.* X. §. 10. ubi hæc habet. *Quod sint contrariæ opiniones inter Doctores sanctitate, & scientia maximos, in materia morali, aliquando etiam ad salutem necessaria, patet per exempla. Nam B. Thomas in IV. tenet, quod post lapsum in mortale non oportet aliquem statim confiteri sub præcepto, habita copia Confessoris, nisi in paucissimis casibus, qui ibi ponuntur dist.* XVII. *& cum eo tenet Ricardus. Sed Hugo de S. Victore, & B. Bonaventura sunt in hoc contrariæ opinionis &c. Neutra opinio illorum reprobatur; etsi B. Thomæ opinio communius teneatur; quæ tamen minus tuta videtur. Raymundus Decretista, & Sanctus in Summa tenet, quod participare cum excommunicatis excommunicatione majori in loquela, in cibo, & huiusmodi, in casu non concesso, sit mortale universaliter. Sed B. Thomas in IV. & Ioannes Andreas, & Archid. tenent contrarium. Et sic exempla innumera possunt poni.*

XXXII. Idipsum confirmat Conradus de contract. quæst. c. *S. Thomas in multis tenet partem minus tutam. In primis tenet ficte confessum non obligari ad reconfitenda peccata ficte confessa, sed quod confessio, fictione cessante, erit valida. Alii communiter tenent oppositum. Item tenent, quod excusentur qui non solvunt quotam decimæ, ubi invaluit consuetudo eam non solvendi. Canonistæ autem communiter docent, quod non excusentur, & quod opinio Theologorum in hac parte sit quasi hæretica.*

XXXIII. Ex quibus omnibus hanc argumentationem conficiunt. Doctores gravissima astringuntur lege tradendi doctrinas veras in iis potissimum quæ fidem, moresque spectant. Doctrina enim falsa in fidei, morumque materia maximum malum est: addit enim, vel detrahit legi Dei. Si severa sit, & falsa, addit: si laxa est, & falsa, demit. Severe autem Deus in Deuteronomio prohibet quidquam vel addere, vel detrahere de præceptis Dei. & Christus increpat, obiurgatque Scribas, & Pharisæos, quod irritum fecerint mandatum Dei propter traditiones hominum, & quod simul onera gravia, & importabilia imponerent in humeros hominum. Hæc omnia perspecta erant viris Dei. Quapropter S. Thomas docet, quod *omnis quæstio in qua de peccato mortali agitur, periculose determinatur, nisi veritas expresse habeatur.* Quod periculum errandi ut evitarent in obscuris quæstionibus mores, fidemve spectantibus, ferventiores Deo porrigebant preces, ut lumen necessarium ad non errandum reciperent; sedulamque navabant operam in veritatis investigatione. Hæc omnia præstitisse viros Dei, sentire nos convenit, & oppositum asserere absque evidenti fundamento, temeritate non vacat. Et nihilo-

hilosecius opiniones contrarias circa ius naturale obscurum, implexumque circumstantiis docent. Porro nisi ignorantia invincibilis illos excusasset, graviter deliquissent. Falsas quippe doctrinas publice evulgare, atque populis persuadere, res gravissima est, quæ a mortali culpa purgari nequit. Alterutrum ergo asserendum: aut ignorantiam invincibilem illos excusasse; aut mortaliter deliquisse, immo e vita cum hac gravi culpa decessisse. Neque enim illi umquam suspicati sunt se graviter deliquisse in suis doctrinis tradendis. Quælibet enim prudens suspicio satis fuisset ut illas publice retractarent, dirisque devoverent. Istius ergo criminis illos non pœnituit. Aut ergo illos damnatos asseras, aut innoxie suas docuisse sententias necesse est. Impium primum, & erroneum: ergo verum postremum. Porro si innocenter illi opiniones falsas docuere, quidni licitum erit illas sequi, & executioni demandare? Numquid quod S. Thomas, quod S. Bonaventura docuit, operari vetitum erit? Exitialior enim doctrina quæ spectat omnium fidelium mores, quam operationis privatæ, quæ sistit in privata persona, ignorantia extitisset. Sed innocens doctrinæ a Sanctis traditæ fuit ignoratio. Ergo potiori iure innocens sit oportet ignorantia in hominibus indoctis, qui auctoritate talium Sanctorum nixi præfatas sententias, ut propriæ conscientiæ regulas, amplectuntur.

§. V.

Responsa ad argumenta prioris sententiæ negantis, iuris naturæ ignorantiam esse invincibilem.

XXXIV. AD Scripturæ, & Patrum auctoritates respondent, intelligendas eas esse de primis legis naturæ præceptis, deque illis quæ facili ratiocinio ex iisdem deducuntur; secus de præceptis, seu conclusionibus remotis, abstrusis, cognituque difficillimis vel ab ipsis doctis.

XXXV. Argumenta a ratione petita, seu ex Scriptura, & Patribus collecta, elevare nullo negotio sibi persuadent paritate ignorantiæ iuris positivi. Quippe si argumenta facta iusto, firmoque nituntur ratiocinio, aut nihil evincunt; aut si quid inferunt, æque concludunt, vincibilem esse omnem iuris positivi, & factorum ignorantiam, ac illam iuris naturæ. Porro omnia argumenta facta adversus inculpatam iuris naturæ ignorantiam, ad hoc unicum revocantur, quod viribus gratiæ, quamquam non viribus naturæ, obtineri possit notitia cuiusque legis naturalis. Hoc ergo solvendum est.

XXXVI. Advertunt itaque, minime teneri Deum in omni eventu ad communicandam notitiam cuiusque operis, etiamsi intrinsecus pravi, & sua æterna, seu naturali lege vetiti. Ut enim id præstaret, miracula non raro patrare deberet.

Quod

Quod ignorantiæ facti exemplo declarari valet. Severe Deus prohibet accessum ad non suam; & tamen quandoque permittit ut quis invincibiliter non suam cognoscat, ut patet in Iacob. Permittit ut quis ignoret invincibiliter falsum esse quod iuramento confirmat & tunc iurator vere violat legem negativam primæ tabulæ, sed quia non violat voluntarie, ideo non imputatur ei ad culpam.

XXXVII. Hinc patet, nullius esse momenti distinctionem illam quam tradit Marius Diana Dominicanus in Tomo de regulis morum, quem assequi mihi adhuc non contigit, quemque laudat Christophorus a S. Ioseph *de reg. mor. Part. II. quæst. v. art. 10. num. 1053.* videlicet, in quæstione iuris naturalis sæpe involvi circumstantiam facti, atque adeo ignorantiam esse facti, non iuris. Immo heinc instaurari argumentatio in favorem ignorantiæ invincibilis ipsius iuris valet. Dum quis invincibiliter ignorat factum esse falsum quod iuramento confirmat, nonne tunc revera violat legem Dei? Cedo; hæc violatio imputatur ne ad culpam, an secus? Si secundum, ergo datur violatio materialis legis naturalis divinæ immunis a culpa. Si primum, ergo ignorantia invincibilis facti secum semper annexam habet criminosam transgressionem legis quæ factum prohibet: quare Iacob invincibiliter ignoravit factum Liæ, quæ sua non erat; sed tamen peccavit, quia violavit legem naturalem, vetantem accessum ad alienam. Ergo vel admittenda est ignorantia invincibilis legis naturalis in casibus abstrusis, & cognitu difficillimis, aut neganda est ignorantia invincibilis facti per eamdem legem naturalem vetiti, seu in eadem involuti: quia fieri nequit ut violetur factum vetitum per legem, quin violetur lex ipsa. Vana ergo præfata distinctio.

XXXVIII. Ut autem in semitam regrediamur; quemadmodum Deus ex sincera voluntate, qua prohibet recensita facta, non semper illuminat homines, quo illa dignoscant; sed permittit ut inculpate in ignorantiam facti incidant, & ex ignorantia facti legem materialiter violent: sic permittere potest ut homines facientes quod in semetipsis est, incidant in aliquam ignorantiam legis naturalis quantum ad conclusiones remotas, de quibus controversia est inter Doctores ipsos. Et qua ratione Deus impossibilia non iubet, etiamsi quis laboret ignorantia facti, eadem non præcipit impossibilia, licet quisquam ignoret aliquam conclusionem spectantem ad ius naturæ.

XXXIX. Et, ut punctum difficultatis clarius teneres, & sophismata diluas, distingue legem, vel præceptum a consectariis quæ ad hanc legem, vel præceptum revocari possunt. Deus legem suam, & omnia præcepta clare, & sigillatim promulgavit, explicuit; lumen quo illa dignoscantur, infudit; & principia tradidit quibus facile ea dignosci valeant. Idcirco verum habet quod nulla lex Dei, nullum illius præceptum est impossibile. Ceterum hinc minime sequitur, Deum debere communicare notitiam omnium conclusionum, & difficultatum quæ ex tali lege, aut præcepto oriri possunt. Innumeræ quippe quæstiones, attenta potissimum hu-

humanæ mentis imbecillitate, institui super quaque lege, vel præcepto possunt. Quamobrem, si Deus vellet omnium istarum difficultatum, quæstionumque notitiam communicare omnibus, ordinem providentiæ ordinariæ transilire deberet, & non raro miracula patrare. Quisnam, amabo te, esset finis Decalogi, si Deus exprimere omnes & singulas conclusiones vellet cuiuslibet præcepti, & omnes difficultates quæ suscitari ab humana mente in dies possunt? Quia igitur Deus regere homines disposuit modo eorum naturæ congruo: sicut legislatores humani paucis verbis leges suas concipiunt ad tollendam confusionem, quam parerent, si vellent ea omnia explicare quæ occurrere possunt; ita Deus ob altissimos fines, qui mentem fugiunt nostram, facta promulgatione legis, & præceptorum omnium, noluit casus omnes qui obscure, & implicite continentur in tali lege, vel præcepto, manifestare omnibus.

XL. Nulla est ergo Dei lex, nullum præceptum quod non sit sufficienter promulgatum communitati hominum. Id solum verum est, in lege Dei intimata, & promulgata expresse, & clare non contineri, sed tantum implicite, & obscure hunc aut illum casum, seu hanc aut illam quæstionem, quæ, spectata humanæ mentis imbecillitate, insurgere valet. Nulla ergo Dei lex, nullum præceptum est vel incognoscibile, vel impossibile: quia nullum est Dei mandatum lege æterna, seu naturali impositum, quod non sit sufficienter promulgatum. quamvis omnes difficultates, & quæstiones quæ ab hominibus vel institui possunt, vel percipi nequeunt, revelare Deus omnibus ob ineffabiles suæ providentiæ fines noluerit. Dum ergo opponunt, aliquam legem, aut præceptum esse impossibile, aut incognoscibile, vel non promulgatum; neganda hæc omnia sunt tamquam falsa. Solum enim aliqua difficultas, obscure in lege, vel præcepto contenta, est incognoscibilis, & huic vel illi non revelata; sicut nec legislatores humani explicant omnes quæstiones quæ ex eorum erui legibus valent. Quis vero dixerit, leges humanas non esse sufficienter promulgatas, eo quod multæ sunt difficultates in eisdem contentæ, super quibus homines lites sibi mutuo intentant? Voluit autem Deus esse eiusmodi disputationes ob eas quæ nos latent rationes.

XLI. Hinc collige, quam directe Antiprobabilistarum sententia sit Iansenistarum sistemati opposita: & e contrario quantum potius eidem accedat Probabilistarum inventum. Nam Antiprobabilistarum nemo aliquod Dei præceptum admittit impossibile, incognoscibile, non promulgatum. Quippe plures omnem cuiusque vel remotioris iuris naturalis ignorantiam excludunt; alii omnes Dei leges, omnia præcepta naturæ iuris & promulgata, & cognoscibilia, & possibilia defendunt. Solum admittunt inculpatam inscientiam aliquarum abstrusarum quæstionum quæ institui super iisdem præceptis valent. Probabilistæ contra, ipsa Decalogi præcepta incognoscibilia, non promulgata, impossibilia defectu notitiæ statuunt. Nam absque

que ullo linimento atheismum in rudibus non pauci defendunt, ut Molina, Arriaga, Caramuel, & alii. Porro præceptum istud cognoscendi, adorandi, colendi Deum est primum, potissimumque. Impossibile ergo est præceptum istud. Accedit itaque sistema istud sistemati Iansenistarum. Falleris, inquiunt. Nam Iansenistæ negant possibilitatem quorumdam præceptorum ex defectu & virium in voluntate, & gratiæ subtractæ. Hinc solum colligitur, hæc duo sistemata non esse omnino eadem, quod ut certum supponitur, sed discrepare in pluribus, & convenire in aliquibus non levioris momenti, & quasi in puncto præcipuo. Nam in hoc conveniunt quod præceptum aliquod gravissimum, & clarum sit impossibile; discrepant vero, quod Probabilistæ defendunt hanc impossibitatem ob defectum cognitionis in intellectu, Iansenistæ contra ob defectum gratiæ, & virium in voluntate.] Nec retorquere argumentum valent, quod etiam Antiprobabilistæ admittunt ignorantiam invincibilem iuris naturæ. Quoniam, ut dictum est, plures eam absolute negant: & alii admittunt ignorantiam inculpatam non alicuius legis, aut præcepti, sed solum alicuius difficultati[s], quæ obscure, & involute ad aliquod præceptum revocari valeat, ut plures dictum est. Idque prius dixerat P. Tyrsus Gonzalez, inclytæ Societatis Iesu Præpositus generalis de *recto usu opin. probab. dissert.* xi. *cap.* v. Hæc per modum diverticuli dicta sunt, & eo unice spectant, ut temperent sibi Probabilistæ ab imposturis, & calumniis, quibus sententiam probabiliorem lue Iansenιana inquinatam traducant. Nam, facta collatione utriusque magis & minus probabilis sententiæ cum Iansenianis erroribus, plus hæc quam illa illis accedit. quamquam absolute utraque ab eiusmodi erroribus distet, ut alibi, præcipue in dissertatione prima super historia Probabilismi, & Rigorismi italice scripta, ex P. Elizalde fusius ostendi. Quæ argumentatio suis circumscripta, uti est, limitibus, optima est, idque evincit quod probare intendit, quidquid morosi quidam critici oppositum mussitent. Sed illuc unde discessit oratio revertatur.

XLII. Iuvat, quæ diximus, auctoritate S. Thomæ confirmare, scilicet, leges, & præcepta naturæ omnibus esse pervia, quamvis difficultates abstrusæ humanæ mentis aciem fugiant. Inquit ergo Angelicus 1. 2. quæst. c. art. 1. *Sicut autem omne iudicium rationis speculativæ procedit a naturali cognitione primorum principiorum, ita etiam omne iudicium rationis practicæ procedit ex quibusdam principiis naturaliter cognitis, ut supra dictum est, ex quibus diversimode procedi potest ad iudicandum de diversis. Quædam enim sunt in humanis actibus adeo explicita, quod statim cum modica consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia & prima principia. Quædam vero sunt ad quorum iudicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cuiuslibet, sed sapientum: sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos*. Et post pauca subdit ibidem. *Quædam enim sunt quæ sta-*

tim

tim per se ratio naturalis cuiuslibet hominis diiudicat esse facienda, vel non facienda: sicut, Honora patrem tuum, & matrem: &, Non occides, non furtum facias: & huiusmodi sunt absolute de lege naturæ. Quædam vero sunt quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus iudicantur esse observanda: & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientibus instruantur.

XLIII. Ex hac doctrina plurimi inferunt cur inexcusabiles sint illi qui ob pravas consuetudines, vel perversitatem opinionum, quas cum lacte nutricis a magistris hauriunt, peccant contra præcepta quælibet legis naturæ satis promulgata, explicata, & obvia cuilibet rationi prædito; contra vero excusabiles sint qui sequuntur aliquam opinionem, etiam falsam, oppositam naturæ legi, quam vident a viris sapientissimis absque culpa propugnari super aliqua difficultate orta contra eamdem legem.

XLIV. Falsa ergo, inquiunt, & commentitia sunt absurda, quæ adversarii comminiscuntur; videlicet, ignorantiam invincibilem aliquarum difficultatum abstrusarum consequi ignorantiam invincibilem ipsarum legum, & præceptorum. Discrimen manibus contrectatur in legibus humanis sufficienter promulgatis omnibus compertis: quarum tamen difficultates, quas super eisdem movent peritiores, plures latent. Leges, & præcepta Deus omnibus denuntiavit, secus difficultates, & conclusiones abstrusas, & remotiores ob fines sibi notos.

XLV. Prima ergo ratio, num. 22. proposita, tota secundum istos corruit: ceteræ omnes pariter ex iis quæ dicta sunt, in fumum occidunt. Nam licet Deus facienti quod in se est ex viribus gratiæ, non deneget illuminationem ad suam legem & præcepta intimata, & promulgata cognoscenda, non tamen hanc illuminationem confert omnibus respectu omnium difficultatum quæ oriri possunt super suis legibus, & præceptis: quia harum difficultatum notitia non est simpliciter necessaria ad salutem assequendam: & ad harum difficultatum notitiam comparandam necessaria sæpe foret gratia extraordinaria & miraculosa, quam Deus iuxta ordinem suæ providentiæ conferre non decrevit. Homo ergo iustus absque sua culpa carere potest hac gratia extraordinaria; & consequenter invincibiliter ignorare præfatas conclusiones remotas, & difficillimæ cognitionis. Denique colligitur, nullam Dei legem esse frustraneam, cum nulla sit non promulgata communitati, & nota omnibus quantum ad id quod necessarium est necessitate medii ad salutem.

§. VI.

§. VI.

Responsa ad argumenta adducta in defensionem ignorantiæ invincibilis iuris naturæ remotioris.

XLVI. Paucis rem expediam: quia ad duo puncta revocantur omnia argumenta quæ allata sunt in favorem ignorantiæ invincibilis. Primum in eo situm est quod argumenta validiora a viribus gratiæ, omnibus non ponentibus obicem collatæ, arcessita retorquentur in adversarios. Nam sicut ignorantia cuiusque naturæ iuris vincibilis est per gratiam; ita quoque per eamdem gratiam vincibilis est ignorantia iuris positivi, vel factorum. Ergo aut nullius, aut utriusque iuris admittenda est ignorantia invincibilis.

XLVII. Respondent adversæ sententiæ patroni, latum esse inter utrumque ius discrimen. Nam lex naturalis innata est ipsi homini, naturæque innocenti debitæ: simul atque rationis compos homo evadit, subditus fit ipsius legis, eamque implere tenetur. Idcirco Deus facienti quod in se est, non denegat gratiam, qua cognoscat ea omnia quæ vi legis naturæ cognoscere tenetur. Cognitio vero factorum non est debita naturæ humanæ, nec homini innocenti: ideo pro hac assequenda Deus non tenetur conferre gratiam. Obiectum vero vetitum iure positivo, non est per se malum. Quare ignorantia eiusmodi iuris velat, & abscondit totam malitiam extrinsecus advenientem obiecto, illudque relinquit in sua indifferentia. Sic qui ignorat vetitum esse esum carnis aliqua die, licet velit carnes comedere, non ideo vult aliquid quod sua natura pravum sit, sed quod est indifferens. Contra qui vult obiectum lege naturæ vetitum, licet directe malitiam nolit, tamen quia directe vult obiectum quod natura sua malum est, consequenter indirecte vult malitiam illi obiecto insitam. Quare ignorantia eiusmodi obiecti non aufert ab eodem malitiam, quæ non est dicenda materialis, sed formalis. Quoniam cum cognitio eiusdem, naturæ innocenti sit debita, si homo propria personali culpa non posuisset obicem, Deus contulisset gratiam ad eam vincendam.

XLVIII. Ad præcipuum argumentum ab ignorantia Sanctorum opposita sentientium in iis quæ iuris naturæ sunt, respondent primum, non esse tam facilem in viris sanctis ignorantiam circa vel remotiores iuris naturæ conclusiones, quemadmodum adversarii opponunt. Nam vel in iis paucis in quibus circa hoc ius aliquando dissident, exponunt utique propria sensa, declarantque quid certum, quid probabile, quid dubium, quid periculosum sibi videtur. In his autem nil mali est. Porro in his controversiis securitatem non promittunt, sed contra admonent sequaces, & lectores ut sibi caveant, ut fugiant incertum, teneantque certum. Hinc S.

Thomas inculcat, quod *omnis quæstio in qua de peccato mortali agitur, periculose determinatur, nisi veritas expresse habeatur*. Et cum in *Suppl. quæst.* VI. *art.* 5. docuisset, peccatorem data opportunitate non astringi illico confiteri, sed differre confessionem posse; adiecit, *periculosum esse differre*. Idem præstat S. Raymundus. Securitatem non dat bona legitime præscripta retinenti, domino postea comparente, tametsi sententia permittens eiusmodi bonorum retentionem fundata in iure sit. Quid quod ipsa adducta exempla iuris positivi sunt, non naturalis?

XLIX. S. Augustinus vero sexcentis in locis in controversiis difficilibus ita propriam opinionem exponit, ut admoneat se securitatem non dare. *Homil.* XI. *inter* 50. inquit: *Dico in conspectu Dei timori vestro timorem meum. Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum*. Deinde respondent, in ipsis sanctis viris peccata venialia quandoque reperiri posse. Eorum ergo ignorantia iuris naturæ, si aliquando obtigit, licet in materia gravi, non fuit gravis culpa ob diligentiam adhibitam in investiganda veritate. Aliquando tamen levem irrepere potuisse negligentiam, quis inficiabitur? Nec est quod opponas, ignorantiam istam aut nullam fuisse, aut fuisse gravem: quia SS. Doctores publicas evulgabant doctrinas, in quibus error levis dici nequit. Vana est oppositio. Quoniam Doctores sancti principia generalia posuerunt, quibus lectores admonuere suos, ut in opinionum diversitate caute se gerant, idque seligant quod probabilius post sinceram investigationem, precesque Deo oblatas, sibi visum fuerit. Qui tanta cautione evulgant sententias suas, etiamsi in aliquo erraverint ob humanæ mentis imbecillitatem, & post sedulam, qua sibi ab errore caverent, adhibitam operam, non propterea eorum lapsus gravis, sed levis, & sæpe levissimus dici debet. Accedit, sermonem nunc esse de ignorantia in illo qui operari, non qui scribere debeat. Si unus Doctor errat, adest alius, a quo quis instrui potest. Verum de hoc discrimine infra.

L. Quæ dicta sunt, confirmare interest ipsorum Patrum auctoritate. S. Augustinus *Lib. de dono persev. cap.* XXI. hæc scribit. *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem*. Præterea *epist.* VII. subdit: *Plura fortasse quam etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem revocare, si possem*. Item epist. CCL. ad Paulinum alias XCV. *Ego in his quotidie me peccare fateor, & ignorare, quando, quove modo custodiam id quod scriptum est*: Peccantes coram omnibus argue. *Quis in his omnibus tremor, mi Pauline, sancte homo Dei? Quis tremor, quæ tenebræ? Nonne putamus de his esse dictum: Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ?* Quid plura? Nonne omnes viri sancti vel doctissimi cum Regio Psalmista clamant: *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*: & cum Salomone: *Est via quæ videtur homini recta, novissima*

ma autem eius ducunt ad mortem? Nihil ergo ex diversis Sanctorum opinionibus erui potest in favorem ignorantiæ invincibilis iuris naturæ. Nam Sancti ipsi hanc oppositionem refellunt, aientes se ignorantiæ obnoxios, & sequacibus suis minime securitatem spondere. Illud dumtaxat in Sanctorum defensionem dici potest, illorum videlicet ignorantiam, cui aliquando obnoxii fuere, venialis culpæ limites non transiliisse. Neque refert quod materia disputationis subiecta, gravis sit. Nam spectanda est eorum diligentia, qua usi sunt in veritatis investigatione; spectandæ preces Deo oblatæ, quibus auxilia ad præcavendos errores impetrarent: & his omnibus expensis apparebit, eorum ignorantiam, etiam in materia gravi, levem fuisse. Negotium facessere solet argumentum a contrariis Sanctorum opinionibus petitum, ob falsam præventionem, quod Sancti fuerint communiter a qualibet vel levi noxa immunes: quæ sane persuasio falsa est, & universæ Sanctorum doctrinæ opposita. Mitto aliarum difficultatum solutionem: quoniam ex iis quæ breviter indicata sunt, cetera alia leviora obiecta soluta remanent.

§. VII.

Nonnullæ animadversiones in utramque opinionem. P. Claudius La-Croix falso asserit damnatam esse priorem sententiam.

LI. SUmmæ impudentiæ, & temeritatis arguendus forem, si in tam abstrusa, & undique salebrosa controversia iudex sedere vellem. Quæ hactenus descripsi in utramque partem, summopere me premunt, & tantum non confodiunt. Dum audio Aquilinum Doctorem Augustinum sic fantem Lib. XXII. de Civit. Dei cap. XXIII. *Vigiliis continuis excubamus, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicuius erroris offundant, ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur . . . . Sciamus tamen quantalibet virtute præliandi vitiis repugnemus, vel etiam vitia superemus, & subiugemus, quamdiu sumus in hoc corpore, nobis deesse non posse unde dicamus Deo: Dimitte nobis debita nostra.* Dum audio Angelicum clamantem: *Omnis quæstio in qua de peccato mortali agitur, periculose determinatur.* Dum audio Paulum ipsum Doctorem gentium gementem, & plorantem: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Dum hæc, inquam, & alia quæ indicavi, tota mentis indagine meditor, totus contremisco, & pavor vel ossium medullas pervadit. Et ad hæc tremenda oracula non repente corruit universa Probabilismi machina? Summa ergo cautione, animique demissione paucis præmissis, quæ ipse sentio, aliorum iudicio subiicio, paratissimus

 melio-

meliora recipere. Hac loquendi moderatione semper utemur, quoties veritas evidenter imbecillitati nostræ non apparet.

LII. *Animadversio prima*. Antiquorum Patrum nemo, quatenus mihi constat, communis distinctionis, qua naturæ ius partitur in tres veluti ordines, seu classes, in principia nempe universalia, propinqua, & conclusiones remotas hinc deductas, meminit. Primus, quem ego scio, istius distinctionis vestigia Angelicus posuit. Porro Patres antiquiores omnes ignorantiam iuris naturæ criminosam asseruerunt, nulla distinctione facta. Quid quod Angelicus ipse, qui distinxit præcepta in universalia prima, & secundaria, nusquam expresse inculpatam asserit sive primi, sive secundarii iuris ignorantiam; sed contra aut culpam esse, aut pravarum consuetudinum fetum aperte docet?

LIII. *Animadversio secunda*. Certum est penes omnes, plurimas ignorantias iuris naturalis esse criminosas: & certum quoque est, difficillimum esse cognoscere, quænam sint invincibiles, & innoxiæ.

LIV. *Animadversio tertia*. Lucifer, & Adam pleni sapientia, & decore Deum e solio exturbare tentarunt. Infinita clementia, ut nos humiles ac demissos haberet; ut infirmitas voluntatis, mentisque imbecillitas ante oculos nostros obversaretur, ut continua pressi egestate panem peteremus quotidianum; ut cæci inter tenebrarum caliginem ambulantes lumen cæleste sine intermissione imploraremus; constituit nos veluti parvulos fluctuantes relinquere. Si rerum omnium nobis scientiam indidisset, non secus ac primi parentes, superbia elati forte in turpiores errores laberemur.

LV. *Animadversio quarta*. Promissiones divinæ inveniendæ veritatis a sedulis investigatoribus compertæ, fortes, & repetitæ sunt. Noluit nos ab ignorantiæ tenebris liberare, ut necessitas acquirendæ lucis continenter nos cogeret erigere oculos ad Solem illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum.

LVI. *Animadversio ultima*. Hæc omnia serio perpensa valde urgent, mentemque inclinant in sententiam negantem iuris naturæ ignorantiam expertem vel levioris culpæ. Accedit quod opposita sententia, licet recentiorum Theologorum, etiam graviorum, auctoritate nitatur, tamen Patrum antiquorum omnium destituitur subsidio. Quoniam, ut minus, illi hanc remotioris iuris ignorantiam in expressum examen non vocarunt. Distinctiones quoque quibus in hac opinione Patrum, & Scripturæ testimonia explicantur, acutæ quidem sunt, sed recentes excogitatæ.

LVIII. Hæc me diu ancipitem tenuerunt, & fluctuantem: atque post multam lectionem, seriamque meditationem, & (dicere etiam ausim) post repetitas preces, quibus super cæcitatis meæ caliginem lumen cæleste infundi a Deo imploravi, nondum ita perspicue rem teneo, ut absolutam rogare in alterutram partem

tem sententiam valeam. Quapropter dari ne possit vel in aliquo raro casu hæc ignorantia invincibilis, non audeo absolute definire.

LVIII. Ceterum negari nequit, quin adversa quoque sententia, negans cuiusque iuris naturæ ignorantiam esse invincibilem, sit admodum probabilis. Quare mirari satis non subit P. Claudii *La-Croix* animositatem, dum, ut proscriptam a Romana Sede, venditare non erubescit hanc antiquorum omnium, & gravissimorum recentiorum sententiam. Transcribamus illius verba ex *Lib. I. de leg. num.* 726. „ *Colliges* inter articulos Romæ anno 1685. die 8. Augusti confixos, quos defen„ derant Theologi aliqui Lovanienses, etiam *hunc tertium esse confixum*, qui pro„ pugnatus erat in Collegio Adriani die 12. Iulii: *Nullam admittimus ignoran„ tiam invincibilem iuris naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contra ius na„ turæ agit.* "

LIX. Qui falsitates adeo evidentes evulgat, dubitandum occurrit, possit ne ignorantiæ invincibilis scuto se se defendere. Vetitus est libellus anonymus plures continens theses, ut quisque videre potest in Indice librorum prohibitorum, in quo etiam recitata thesis continetur. Et quia vetitus liber est; ideo ne vetita omnia sunt quæ in eodem continentur? Plures articuli fidei continentur in libris Lutheri, Calvini, Iansenii. Ideo ne damnati, quod proscripti sunt libri? Ter damnatus est liber *P. Moya*, quem ut Magistrum passim laudat *P. La-Croix*. Ideo ne prohibita sunt omnia in eo contenta? Et quia damnatus liber est plures continens theses, *P. La-Croix* absolute denuntiat, damnatam esse gravissimam sententiam, nullam iuris naturæ ignorantiam invincibilem concedentem sententiam, quam post damnatum præfatum opusculum gravissimi Theologi propugnant, quos inter Marius Diana, Cardinalis Norisius, Palancus, Gennet, aliique multi? Quid quod gravissimi Theologi Romæ scribentes, ut Tyrsus Gonzalez, Christophorus a S. Iosepho, & alii, qui controversiam hanc ex instituto versarunt, non modo istius proscriptionis non meminerunt, sed contra, ut sententiam omnium antiquorum, laudatus Christophorus veneratur? Probabilistæ, dum laxas Probabilismi opiniones deridendas propinari inaudiunt, illico clamant, Innocentium XI. in suo decreto vetasse, opinionem quampiam inter Catholicos controversam conviciis, censurisque vexari. Hi vero benigni Theologi vitio sibi minime vertunt, illo pontificio contempto decreto, graviorum Theologorum sententias, excommunicationis obelo confixas, traducere. Hinc in antecessum lector colligat quam sit Probabilistis quibusdam fides adhibenda.

§. VIII.

Corollarium, in quo declaratur, qua ratione sint confitenda peccata ignorantiæ contra ius naturæ.

LX. Negari non potest, inquit præfatus Christophorus a S. Ioseph *II. Part. quæst.* v. *art.* 12. *num.* 1060. sententiam, inficiantem iuris naturalis invincibilem ignorantiam, *esse valde probabilem. Nam præter urgens fundamentum quod habet in Scriptura sacra, & SS Patribus, est omnium, vel fere omnium antiquorum, & etiam plurium gravissimorum Doctorum huius temporis, qui gravibus fundamentis illam propugnant.* Hinc talem construit argumentationem. Præfata sententia valde probabilis est. Probabile igitur est eum peccare qui agit contra ius remotum naturæ. Porro peccata probabiliter commissa confessioni subiicienda sunt. Si enim dubia, potiore iure probabiliter patrata pœnitentiæ sacramento delenda sunt. Doctrinam hanc tenent gravissimi Theologi a Rigorismo alieni, Nugnus *in addit. ad III. Part. quæst.* ix. *artic.* 2. *dub.* 4. citans D. Thom. *in IV. dist.* xvii. *quæst.* iii. *art.* 1. *quæst. unc.* 4. *& dist.* xxi. *quæst.* ii. *art.* 3. *ad* 3. Ricardus *dist.* xvi. *art.* 5. *quæst.* 1. Paludanus *in IV. dist.* xxvii. *quæst.* ii. Sotus *dist.* xviii. *quæst.* ii. *art.* 4. Navarrus *in Man. cap.* ix. *num.* 14. Victoria, Salas, & alii.

LXI. Ratio enim evidens apparet. Catholicus qui probabiliter iudicat se peccasse, nequit eucharistico refici pane, nisi pœnitentiæ sacramento deleat peccatum illud. Nam, ut digne convivio huic cælesti se sistat, probare seipsum debet, inquit Apostolus *I. Cor.* 11. Quæ probatio sacramentali fieri confessione debet, ut definit Tridentinum. Quæ ratio evincit ut in confessione exponenda sint vel ipsa peccata dubia. Quo efficacius vero concludit confitenda esse peccata de quorum perpetratione non dubitatur modo, verum etiam probabilis habetur sententia? Qui fieri potest ut is iudicium moraliter certum formet, nullius criminis sibi conscium esse qui probabiliter simul iudicat se peccasse?

LXII. Non me latent Probabilistarum distinctiunculæ, videlicet probabilitatem hanc nostram obiectivam esse, non subiectivam, directam, non reflexam: quæ vana commenta infra profligabimus.

LXIII. Interim te, amice lector, revoco ad Sanctorum omnium qui ex Ecclesiæ oraculo in cælo cum Christo regnant, praxim, & consuetudinem, nedum doctrinam. Isti omnes, ut ex eorumdem & scriptis, & historiis constat, lacrymis, corporis afflictationibus, & humili confessione ignorantiæ crimina expiare non cessabant. Et tamen, si validissimis coniecturis arguere licet, seduli illi erant, & diligentissimi in veritatis investigatione. Rarissima in illis negligentia. Abundantiore

tiore illi affluebant gratiarum, cælestis lucis, donorumque copia. Nihilosecius diu noctuque potissimum ignorantiæ (vix enim scienter peccabant) crimina deflebant. Et nos miseri, tenebrarum caligine undique circumfusi, affectionum, cupiditatum, concupiscentiarum illiciis fascinati, atque insanientis mundi præstigiis obcæcati, desides, ignavi, torpidique in inquirenda veritate, in meditanda Dei lege, ignorantias nostras, ut innocentes, & involuntarias, defendemus? Quid quod Probabilistæ errores istos vel æterno præmio coronandos asserunt?

LXIV. Ex his omnibus colligas velim, quam sit deplorabilis plurium Casuistarum, & Confessariorum deceptio. Dum isti audiunt, pœnitentes suos testari se numquam vel levem notitiam habuisse talis criminis, numquam vel leviter dubitasse de inhonestate patrati operis. quod si dubitassent, vel si scivissent vitiosam esse, numquam illud perpetrassent: si aliquem conscientiæ stimulum experti fuissent, ab eodem certo abstinuissent: dum, inquam, similia audiunt, continuo inferunt, ignorantiam fuisse invincibilem; licet opus patratum fuerit vel pollutio, vel sacrilegium, vel quid simile. Non advertunt eruditi homines, hæc omnia locum habere etiam in ignorantia vincibili. Si enim ignoranter quis peccat; nec notitia, nec conscientiæ morsus comitantur opus. alioquin non ignorantiæ, sed malitiæ crimen esset. Testari, & quidem sincere Christiani possunt se nullam omnino notitiam, nullamque dubitationem vel suspicionem habuisse talis criminis, nullumque expertos fuisse conscientiæ morsum. At quid inde? Propterea ne testari possunt omnem se adhibuisse diligentiam, ut veritatem assequerentur? Adfirmare ne valent, Deum in pœnam alicuius negligentiæ, vel occultæ superbiæ, vel alterius criminis, non denegasse lumen necessarium ad veritatem assequendam? Ineptissima ergo sunt Christianorum testimonia, ut probetur, ignorantiam esse inculpatam. Testari Christiani possunt se per ignorantiam peccasse, verum hoc illorum testimonium non infert, eorumdem ignorantiam fuisse invincibilem. Quæ omnia fortius urgent ut hæc peccata confiteantur, & ut de iisdem dolere, & pœnitentiam congruam agere debeant.

CAPUT IV.

DE IGNORANTIA PROBABILISTICA.

Hæc vi ratiocinii evidentis eadem est ac Pelagianorum: scelera immaniora a malitia depurgat: & paradoxa incredibilia, atque monstrosa eam consequuntur.

QUAE hactenus de ignorantia Pelagiana, Ianseniana, deque iuris naturæ invincibili inscientia disputavimus, levia sunt, si cum IGNORANTIA PRO-

BABILISTICA conferantur. Siquidem quæ de ignorantia Probabilismus invexit in mundum, adeo a' sona sunt, adeo communi sensui repugnantia, adeo æternæ humani generis, quatenus imbecillitati meæ apparet, saluti infesta, ut nihil excogitari exitialius possit. Post natum Probabilismum non modo ignorantiæ peccata de medio sublata sunt, sed ipsis atrocibus effrontis malitiæ criminibus ignorantiæ velamen prætenditur. Negat Probabilismus te peccare per ignorantiam posse sine cognitione. Si blasphemes, peiures, fureris; non peccas, si te peccare non advertis. Si in dubiis controversiis maior tibi lux affulgeat, eamque respuas, ut oppositum, minusque splendidum radium sequaris, etiamsi erres, invincibiliter te errare Probabilismus docet. Hæc, & alia longe graviora sistema probabilisticum consequuntur. Idque in caussa est cur & dissertationem, & caput hoc inscripserim *de ignorantia probabilistica*. Ne vero quidquam per exaggerationem dictum appareat, opiniones quas de ignorantia Probabilistæ excogitarunt, propriis ipsorum verbis transcribam. E vestigio palam faciam, ignorantiam probabilisticam eamdem esse cum pelagiana, immo ultra progredi, & insolentiora paradoxa parere: post, quam sit hæc probabilistica ignorantia Scripturæ divinæ, Patribus, Theologis, & rationi adversa. Nemo nunc non videt, summi esse momenti hæc quæ discutienda puncta aggredimur. Seriam ergo attentionem tuam, lector optime, postulant. Ut in progressu istius disputationis ipse periculum facies, ex perspicua huius controversiæ declaratione salus æterna plurimum pendet, eorum maxime qui manifesta crimina perpetrare non solent. Quot sunt quibus a natura inest virtutis indoles, vel qui ratione status, professionis, & societatis manifesta crimina detestantur, ut proprio decori, & statui repugnantia? Ceterum nihil in evangelicæ doctrinæ schola proficere curant. Humilitatis exercitium negligunt, conscientias dirigunt, legum quæstiones facile resolvunt, quamvis in plura distracti negotia. Tranquillam placidamque vitam ducunt, nullumque sibi movent scrupulum. Cur? Quod peccata manifesta non perpetrent; quod, dum non advertunt se peccare, se peccare minime credunt. His enim persuasionibus vere pestiferis præventi, fallacique spe lactati, & Casuistarum quorumdam lectione fulti, occultissimam alunt superbiam, ambitionem, & alia spiritualia vitia. Quamobrem verissimam deprehendes SS. Patrum doctrinam, magnam nempe Christianorum partem ob ignorantiæ crimina damnari. Propositam quæstionem ut perspicue dispiciam, confusione sublata, in varios tribuam paragraphos.

§. I.

§. I.

Opinio Probabilistarum, qui numquam peccari docent absque advertentia actuali, neque ignorantiam esse invincibilem sine præfata advertentia, & cognitione, exponitur.

I. PRincipio referenda est Probabilistarum sententia. Eam Probabilistarum voco, non quod omnes Probabilistæ, potissimum antiquiores, eam docuerint (siquidem inter alios communiter Thomistæ etiam illi qui temporum calamitate in Probabilismum lapsi sunt, nobiscum sentiunt) sed quia recentiores Probabilistæ, P. Antonii Terilli sequaces, eam adoptarunt. Primus omnium qui illam peperit in lucem anno 1581. prout colligere ex Scriptoribus licuit, fuit P. Gabriel Vasquez in *1.2.disp.*CVII.*cap.* III. *a num.6. & disp.*CXXIII. *cap.*II. *num.6. & disp.* CXXIV *cap.* II. *num.* 5. „ Congerit (inquit Martinez de Prado *Tom.I. cap.*II. *quæst.* „ VI.) decem & octo Doctores, quos legi, & nullum ei faventem inveni. “ Et ego id ipsum expertus sum (inquit Christophorus a S. Ioseph.) Et Montesinos *Tom.II. in* 1. 2. *quæst.* lxxiv. *quæst.* 1. *num.* 14. hæc habet. „ Citat Vasquez pro sua „ sententia Alex. D. Antoninum, & alios plures, quos consulto prætermitto, quo„ niam existimo eos nobiscum sentire, ut statim dicam. “

II. Hæc præmittere volui, ut constet, antiquorum neminem docuisse laxissimam, quam relaturus sum, opinionem. P. Vasquez, in antiquorum, & Patrum lectione valde versatus, dum aliquam suam peculiarem opinionem defendit, eorumdem suffragia pro se allegat, nullis citatis verbis, aut quibusdam aliud significantibus transcriptis. In hac quæstione audet citare vel ipsum D. Thomam, qui conceptis verbis oppositum docet.

III. Priusquam ad rem accedo, aliud prælibare debeo, quod supra indicavi, videlicet P. Antonium Terillum *quæst.* XVI. *de consc. num.* 44. asserere, Pelagianos ideo in Concilio Palæstino, seu Diospolitano damnatos fuisse, quod negarent ignorantiam ab originali culpa proficisci. Quam interpretationem in fide magistri adoptavit P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 737. his verbis. „ Melius dicitur, quod „ Synodus agat contra Pelagium, qui negabat peccatum originale, & consequen„ ter dicebat oblivionem, & ignorantiam non habere originem ex peccato origi„ nali. *Videri potest Terillus de consc.* “ Ratio istius evidenter falsæ interpretationis est, quod recentiores Probabilistæ reapse negant peccata ignorantiæ, ut evidenti ratiocinio mox palam fiet. Quamobrem ne videantur in errorem Pelagii, & Celestii incidere, comminiscuntur Celestianos damnatos esse, non quod negarent

rent peccata ignorantiæ, ſed ob hoc ſolum quod negarent ignorantiam, & oblivionem ſubiacere peccato originali. Synodus Dioſpolitana damnavit Pelagianos, & quod negarent peccatum originale, & quod conſequenter negarent ignorantiam, & oblivionem ſubiacere peccato originali. Hæc omnia vera ſunt, ut advertunt etiam P. Stephanus De Champs, Cardinalis Noriſius, & communiter omnes qui hac de re ſcripſere. Sed præter hæc ſacra Synodus damnavit quoque hunc alium errorem, quo Pelagiani negabant peccata actualia vincibilis ignorantiæ, ut laudati De Champs, Noriſius, & ceteri docent, & evidenter colligitur ex Auguſtino, & Hieronymo, ut mox videbimus. His prælibatis, rem ipſam ingrediamur.

IV. Sententia ergo recentiorum Probabiliſtarum in hoc vertitur quod abſque actuali conſideratione aliqua clara vel obſcura malitiæ actionis numquam peccetur. ſeu aliis terminis docent, ignorantiam non eſſe vincibilem, ſeu criminoſam, niſi adſit actualis reflexio, & advertentia ſuper malitia operationis. Hæc eſt illorum ſententia. Et quia res eſt ſummi momenti, ex qua horrenda profluunt abſurda, convenit illorum verba tranſcribere.

V. Plures in hanc rem textus Probabiliſtarum adduxi in hiſtoria *Probabiliſmi*, *& Rigoriſmi*, vulgari ſermone ſcripta, *diſſert* 1. Paucos nunc tranſcribam. P. Georgius Rodes *Tom. I. diſp.* 11. *quæſt.* 1. *ſect.* 1. *§.* 2. *pag.* 423. hæc habet. „ Ut ignorantia vincibilis dicatur, & imputetur ad culpam, tria exigi vulgo ſolent. *Primum*, ut non ſit antecedens, aut concomitans, ſed vere conſequens, ideſt, ut ſit volita. *Secundum eſt ACTUALIS ADVERTENTIA* malitiæ illius. Tertium eſt notabilis negligentia ſciendi ea quæ poſſimus, & teneamur ſcire. “ Clarius adhuc ſe ſe explicat. *Quæcumque ACTU non cogitas eſſe peccata, vel certe nullo modo dubitas, non ſunt etiam ULLO MODO peccata, etiamſi ANTEA SCIVERIS illa eſſe peccata.*

VI. P. Claudius La-Croix *Lib. V. num.* 16. „ Certum eſt ad peccatum prærequiri aliquam advertentiam ad legem Dei, & ad malitiam obiecti. “ Item *num.* 21. „ Si ſupponas adeſſe abſolutam inadvertentiam, ita ut nullo modo *cogitetur* de malitia huius obiecti, quamvis *ignorantia, vel incogitantia* ſit culpabilis, opus ex ea ſequens non habet malitiam ſpecialem, niſi PRAECISE illius negligentiæ, vel neglectus ſciendi, & advertendi, nec erit imputabile ratione ſui. V. g. ſi quis hic & nunc abſolute, attamen vincibiliter, ignoret malitiam mendacii, peccat quidem mentiendo, non tamen contrahit *malitiam ſpecialem mendacii*, ſed *tantum* negligentiæ, & neglectus in cognoſcenda, vel advertenda illa malitia. Ignorantia abſoluta, ſive ſit vincibilis, ſive invincibilis, facit æqualiter non cognoſci malitiam: ergo etiam non contrahi; cum non ſit *volibilis*, ideoque nec contrahibilis per voluntatem, niſi ſit cognita per intellectum. *Videri poteſt Terillus de conſc. quæſt.* XVII. “

VII.

VII. Hæc est communis inter recentiores Probabilistas doctrina, inquit laudatus La-Croix. Hoc ipsum testatur omni exceptione maior P. Tyrsus Gonzalez de licito usu opin. diss. ix. num. 13. *Multi PROBABILISTAE ad peccandum contra legem Dei requirunt advertentiam actualem ad malitiam, vel periculum malitiæ; ac proinde existimant neminem posse peccare, agendo contra legem, quin cognoscat se peccare: quos late impugnavi Tom. IV. disp. vi. a num. 92. ad 156. ostendens posse aliquem per errorem culpabilem ortum ex sua culpa personali peccare mortaliter contra legem, etsi in eo instanti nullo modo cognoscat se peccare, immo quamvis certo existimet se bene agere*.

VIII. Hanc opinionem defendunt Vasquez, Thomas Sanchez, Lugo, Granados, Bonacina, Diana, Oviedo, Tannerus, Gaspar Hurtado, Ioannes Sanchez, Escobar, Salas, Terillus, La-Croix, & plures alii Probabilistæ Reflexistæ. Omnia istius sententiæ argumenta ad hoc unum revocantur. Peccatum nullum est, nisi sit voluntarium. Voluntarium autem sine cognitione haberi nequit. Ergo, deficiente actuali advertentia, seu cognitione aut clara aut confusa, nullo modo peccari potest. Singulæ propositiones sunt manifestæ, & catholicæ. Quis in disputationem revocare audet, cognitionem radicem esse cuiusque actionis liberæ, & voluntariæ? Similiter quod nemo sine libertate peccare valeat, est veritas catholica. Ergo evidens est, numquam peccari posse absque actuali cognitione, quæ est prima libertatis origo. Alia quæ opponunt, leviora sunt, & huc omnia recidunt.

§. II

Descripta sententia Probabilistarum eadem prorsus est cum sententia Pelagianorum.

IX. UNus inter alios Pelagianorum, & Celestianorum error fuit, negare ignorantiæ peccata; ut testantur Hieronymus, Augustinus, ceterique Patres, & Theologi, quemadmodum iam indicavimus. Cur autem hæc Pelagiani negabant peccata? Quia nullum, aiebant, sine libertate crimen; nulla sine cognitione libertas: ergo nullum sine cognitione peccatum. En verba Celestii, seu Pelagii, voce Critoboli expressa a S. Hieronymo Lib. I. dialog. advers. Pelag. cap. x. *Quæ est ista iustitia, ut in peccato tenear erroris, cuius reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & eius rei quam nescio, pœnas luo? Et quid plus faciam, si sponte peccavero?* Hoc idem docet citata Probabilistarum sententia. Ergo eadem est ac Pelagianorum. Cur enim Pelagiani ignorantiæ delicta negabant? Non alia sane ratione nisi quia sine conscientiæ remorsu, & cognitione nemo peccare valet. Probabilistæ negant absque actuali malitiæ cognitione pec-

ca-

catum committi posse. Ergo eadem est Pelagianorum, & Probabilistarum sententia.

X. Verum, ut ad incitas Probabilistas redigam, hanc formo argumentationem. Catholica veritas est, peccare homines peccata ignorantiæ. Quoties splendet lux advertentiæ actualis, evanescunt continuo ignorantiæ tenebræ. Probabilistæ asserunt necessariam actualem cognitionem, seu advertentiam, considerationemque, ut ignorantia vincibilis, seu criminosa evadat. Ergo Probabilistæ, non secus ac Pelagiani, de medio auferunt ignorantiæ peccata. Cedo. quid ignorantiæ adversatur? Cognitio, inquis. Qui ergo fieri potest ut ille ignoranter peccet qui reapse cognoscit, & considerat se se peccare? Si cognoscit se peccare, quomodo peccatum ignorat? Quod si peccatum non ignorat, sed cognoscit, ignorantiæ delictum non perpetrat. Ergo Probabilistæ, qui defendunt numquam peccari posse absque actuali advertentia, & cognitione saltem confusa, de medio auferunt omnia ignorantiæ peccata. Edisserant, quæso, nobis Probabilistæ, quandonam homo ignorantiæ delictum perpetret. Dum negligit addiscere veritatem? At hoc negligentiæ, desidiæque crimen est. Si ergo numquam peccatur absque actuali reflexione, seu consideratione; nullum est ignorantiæ, & inconsiderationis crimen. Præterquam quod si numquam peccatur, cognitione actuali sublata, neque ipsa negligentia addiscendi veritatem peccatum erit, nisi homo advertat, consideretque se omittere debitam diligentiam. Nam illico instauratur argumentatio Pelagianorum, & Probabilistarum. Illa negligentia nequit esse criminosa, nisi sit libera. Non potest esse libera, nisi præcedat cognitio, quæ fons est, & origo libertatis. Ergo si cognitio deest, nec ipsa negligentia criminosa erit. Alterutrum ergo fateantur Probabilistæ necessum est: aut nulla reperiri ignorantiæ peccata (& hic error est manifestus adversus veritatem catholicam) aut non requiri actualem cognitionem ut homo per ignorantiam peccet. Postremum concedere recusant. Affirment ergo primum oportet. Ergo vi evidentis ratiocinii colligitur, sententiam Probabilistarum, & Pelagianorum eamdem omnino esse.

§. III.

Absurda horrenda quæ præfatam Probabilistarum ignorantiam consequuntur.

XI. SI homines actuali cognitione destituti numquam delinquunt, dum inconsiderate periuria, blasphemias, convicia, maledicta in Deum, Sanctosque iaculantur, nullo modo peccant. Dum proximi famam calumniis proscindunt, dum illius flagitia occultissima pandunt, nullum perpetrant crimen. quia non adver-

vertunt se peccare. Qui ira, furoreque perciti sanguinem effundunt humanum; qui concupiscentiæ lenociniis obcæcati, & immanis lasciviæ helleboro, seu veratro insaniunt, & aliorum thalamos violant, maculantque, qui virginum castitatem, & pudicitiam contaminant, qui nefandos puerorum concubitus exercent, nullius flagitii sontes erunt: quod minime advertant in tanta scelerum caligine, obnubilata ratione, se Deum offendere, aut quidquam iniquitatis perpetrare. Quid de hæresum, & infidelitatis criminibus dicam? Tantum abest ut hæretici plurimi existimaverint se veram Dei religionem contemnere, & conculcare, ut potius sacrificiis Deum colere, propria expiare delicta, divinamque iustitiam placare crediderint. Numquid Circumcelliones peccare reipsa cognoscebant, dum se præcipites e rupibus agebant? Cognoscebat ne Nestorius se peccare, dum Patriarchatu Constantinopolitano voluit sese abdicare potius quam proprium abiurare errorem? Qui vivicomburium sustinuerunt, ut proprias propugnarent sententias, advertebant ne se peccare? Nerones, Caligulæ, Domitiani, aliique humani generis immanissimi tyranni considerabant ne se aliquid mali agere, dum sanctos Dei servos tanta suppliciorum feritate excruciari curabant? Quid plura? Si absque actuali cogitatione super actionis malitia nullum perpetratur scelus, quisque in sua secta salvus evadet. Immo quo obstinatiores, cæcioresque, eo erunt sanctiores, atque innocentiores.

XII. Reponunt Probabilistæ, hos omnes peccare, non dum *actu* flagitia exercent, sed tantum ob neglectum addiscendi veræ religionis notitiam. Ita respondet P. Claudius La-Croix *loc. cit.* nomine aliorum Probabilistarum. *Quamvis ignorantia, vel incogitantia sit culpabilis, opus ex ea sequens non habet malitiam specialem, nisi PRAECISE illius negligentiæ, vel neglectus in cognoscenda, vel advertenda illa malitia.* En probabilisticæ doctrinæ arcanum: en blandientis benignitatis suavissimum iugum. Ariani, Iconoclastæ, VViclefistæ, Ussitæ, Lutherani, Calviniani, Sociniani in suarum opinionum perversitate imbuti aliique peccarunt quidem peccatum negligentiæ in addiscenda catholica doctrina, ceterum, dum furore abrepti sacras dilacerant imagines, dum sacrilegi vasa sacra polluunt, sacrosanctum Christi corpus calcant, dum virginum gynæcea, Monachorumque cœnobia solo æquant, dum altaria diruunt, templa profanant, & sacra omnia contaminant, hæc & alia horrenda scelera *non habent specialem malitiam, nisi PRAECISE illius negligentiæ, vel neglectus in addiscenda, vel advertenda malitia*? Nullus dubito quin lectores omnes præfata omnia per exaggerationem dicta crederent, nisi propria Probabilistarum verba allata in medium essent.

XIII. Absona sunt, & immania ea quæ hactenus ex ignorantia probabilistica deduximus consectaria, quidquam tamen horroris amittunt, si iis quæ sequuntur, comparentur. Siquidem hactenus vidimus, tum solum ignorantiam probabilisticam cri-

criminosam esse, cum lux malitiæ menti affulget. Si enim nulla adsit malitiæ notitia, tum cuiusque culpæ ignorantiam expertem aiunt. Existimabam nil insolentius excogitari posse. Pugnant enim hæc duo invicem, ignorantia, & cognitio, adeo aperte, ut extrema magis opposita non videatur ab humana mente confingi posse. Et tamen quid portentosius meditandum occurrit. Quandoquidem non modo Probabilistæ in mutuam societatem coniungunt notitiam veritatis, & eiusdem ignorationem, sed ultra pergunt, & conciliatricula probabilitate cum maiori veritatis notitia coniungunt eiusdem invincibilem atque insuperabilem ignorantiam. Ut rem inauditam felicius teneas, hæc recogites velim. Licitum tibi est, inquiunt Probabilistæ, in conflictu duarum opinionum, probabiliore reiecta, minus probabilem amplecti. Falsam esse hanc minus probabilem supponamus. In hac hypothesi reipsa violas Dei legem, ut fatentur omnes. Hæc tamen violatio culpæ tibi minime vertitur. Cur, quæso? Quod labores ignorantia invincibili, insuperabili. Ita ne vero? Ecqui fieri valet, inquis, ut sit invincibilis mea ignorantia, si lumen splendidius mihi manifestat operationis meæ iniquitatem? In conspectu maioris cognitionis, quæ malitiam patefacit, invincibilis erit ignorantia mea? Dubitas ne? Rationem ausculta. Invincibilis est ignoratio tua: quoniam licet maiori illi veritatis luci quæ legis transgressionem ostendit, oculum dextrum claudas, aperis tamen oculum sinistrum minori, & subobscuræ luci, quæ honestam operationem repræsentat. Huc dumtaxat obtutum defigis, in exilium pulsa illa maiori probabilitate, seu maiori luce veritatis. Perpende vim uberrimam huiusce syllogismi. *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur. Sed qui prudenter operatur, non peccat. Ergo qui probabiliter operatur, non peccat.* Nugatorium hoc ratiocinium suo loco dispellam. Et, missis iocis, cedo: si ego nunc reapse iudico verosimilius esse, actionem meam criminosam esse, qui fieri valet ut, si errem, error meus invincibilis dicatur? Ignorantia quæ maius lumen respuit, invincibilis est? Quis tantum paradoxon obtrudet? Probabilismus? Si tam immane commentum Probabilismus edocet; Probabilismum hunc, iratis diis, devoveo, ut inventum communi sensui adversum. Nam Theologi omnes eam asserunt invincibilem ignorationem quæ industria, diligentia, & studio superari nequit. Quis porro dixerit, me ignorantiam malitiæ operationis meæ superare non posse hoc ipso tempore quo verosimilius iudico, opus quod ago, pravum esse? Sed, Theologis missis, quid prodit vox ista, *Invincibilis*? Quod vinci nequit. Bene habet. Quis ergo ratione præditus adfirmaverit, me vincere non posse hanc ignorantiam, dum maiorem lucem reiicio, quæ me istius ignorantiæ victorem constituit? Quis non videt, quis manibus non contrectat, hanc iactatam *invincibilitatem* ignorantiæ in conspectu splendidioris luminis, seu maioris probabilitatis, chimæricam esse, & fabulosam? Quod si commentitia est hæc invincibilis ignorantia, chimæricus sit

ne-

necesse est Probabilismus, qui hac ignorantia, con validissimo fundamento, sustinetur.

XIV. Postremum ignorantiæ probabilisticæ absurdum eo recidit, ut non solum opus natura sua flagitiosum, vi talis ignorantiæ culpæ non imputetur; sed præterea honestum, & vita æterna dignum evadat. Si, dum mentiris, periuras, furaris, & feneraris, iudicas sub præfatæ ignorantiæ velamine talia flagita honesta esse, & licita, præsuppositis aliis conditionibus, præmium æternum mereris. Quæ si vera doctrina foret, ignorantia, non malum, sed privilegium esset; gratesque Adamo reddendæ, quod tantum beneficium in seram derivaverit posteritatem. Quis umquam in animum sibi induxisset, hanc probabilisticam ignorantiam ea mirifica vi pollere, qua valeat vel ipsa gravissima scelera in virtutes transmutare; & flagitia, æterna pœna digna, efficere cælestis præmii fecunda? Plura addere possem, quibus, quam monstrosa sint absurda quæ talem ignorantiam consequuntur, evincerem. Verum infra de hoc sermo redibit.

§. IV.

Auctoritate sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum ostenditur peccari posse absque actuali cognitione, & advertentia.

XV. PLura supra tum ex Scriptura, tum ex Patribus dedi, ut evincerem, admittenda esse ignorantiæ peccata. Verum quia caussa hæc summi momenti est, quæ non tam ex humano ratiocinio, quam ex divinis oraculis pendet; idcirco in maiorem veritatis declarationem nonnulla alia ex Scriptura, & ex Patribus transcribere libet. In hoc paragrapho pauca sacrarum litterarum testimonia referam, in sequentibus Patrum suffragia expendam.

XVI. Quæ de peccatis ignorantiæ *Lib. Levit. cap.* IV. *&* V. Deus decrevit, supra indicavi. Nonnulla in præsentia ex Evangelio, & epistolis S. Pauli cursim delibabo. Christus Dominus *Ioan. cap.* XVI. discipulos alloquens hæc fatur. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, nec me.* Non modo non elucet hic malitiæ cognitio, seu advertentia actualis; sed prævalet opposita persuasio honestatis: & tamen certum est istos peccasse.

XVII. S. Paulus Apostolus fusius ignorantiæ delicta describit epist. ad Rom. cap. I. *Quod notum est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis manifestavit . . . . . Sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt . . . . . Non intellexerunt, quoniam*

qui

qui talia agunt, digni sunt morte. Nulla hic intelligentia actualis: & tamen ibidem Apostolus ait: *ita ut sint inexcusabiles*. D. Thomas in commentariis in hunc locum hæc inter multa scribit. „ *Evanuerunt* &c. ostendit quod eis *ex culpa est i-* „ *gnorantia* subsecuta. Et primo opponit intentum: secundo manifestat proposi- „ tum . . . Primo ergo proponit culpam, quæ est ignorantiæ causa, cum dicit, „ *Evanuerunt* . . . . secundo ponit ignorantiam subsecutam, dicens: *Et obscuratum* „ *est* &c. idest *per hoc quod obscuratum est, factum est cor eorum insipiens*, idest „ *lumine sapientiæ privatum*."

§. V.

Testimonia Hieronymi, & Augustini adversus opinionme requirentem actualem advertentiam ad peccandum.

XVIII. DUobus integris libris S. Hieronymus sexcentis Scripturarum oraculis demonstrat, peccari sæpe posse per ignorantiam, seu absque actuali advertentia. Vidimus supra, Critobolum Pelagianum eadem omnino objecta opposuisse Catholicis quæ nunc Probabilistæ exaggerant adversus Patrum, & Theologorum doctrinam Nihil præter libertatis defectum opponebat Critobolus, ut ostensum est: & nunc aliud illius testimonium affero ex *Lib. II.* S. Hieronymi, ubi sub initium iterum clamant Pelagiani. *Si Deus tales homines condidit, ut oblivione, & ignorantia peccato carere non possint; perspicuum est hominem posse, si voluerit, non peccare. Id enim fecit quod vitare non potuit, Ubi autem aufertur possibilitas, aufertur & vitium. Nemo enim in eo condemnatur quod facere non potuit* Obvium erat responsum, quod reponere Hieronymus poterat, nempe, sublata possibilitate absoluta, & antecedenti auferri vitium; secus ablata potestate consequenti, & voluntaria in caussa, ut infra dicetur. Hoc tamen prætermisso responso, sic increpat Critobolum. *Sæpe dixi, te non intelligere conatus meos, neque considerare, ut argumenteris; quia Deus iusserit: pro oblivione, & ignorantia, quasi pro peccato offeruntur sacrificia: sive hoc male iuxta te, sive hoc bene iuxta me Deus præcepit; meum est observare quod iussit, tuum Dei iussa reprehendere*. His præmissis, ex novo testamento documenta promit, quibus hoc pacto adoritur Critobolum. *Unum*, inquit, *proferam testimonium, cui contradicere non poteris. Vas electionis perspicue loquitur Rom.* VII. Quod enim operor, non cognosco. Non enim quod volo, operor, sed quod nolo, illud facio. *Si hoc Pauli testimonio non moveris, audi aliud eiusdem, cui contradicere non potes* . . . , Nihil mihi conscius sum, nec tamen in hoc iustificatus sum. *Qui hoc dicebat, nullius utique peccati con-*

conscius erat. Sed quia legerat, Delicta quis intelligit? & sunt viæ quæ videntur homini iustæ, novissima autem earum respiciunt profundum inferni.... *idcirco temperavit sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset*. Totum Hieronymi studium in his duobus libris huc pertinet, ut nimirum ex divina Scriptura evincat, peccari per ignorantiam. Hoc, inquit, adeo verum est, ut etiamsi non possemus intelligere modum quo hæc peccata committuntur, adhuc illa confiteri deberemus. Quoniam divina oracula adeo aperta sunt, ut hoc in controversiam revocari nequeat. Et reapse stultitiæ arguit Critobolum argutantem. *Rogo, quæ est ista iustitia, ut in peccato tenear erroris cuius reatum non habet conscientia*? Cui hoc Hieronymus responsum regerit. *A me sententiæ, & dispositionis Dei causas requiris? Respondet stultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ, Eccl. cap. III.* Altiora te ne quæsieris .... *Audi Apostolum evangelica clangentem tuba Rom. cap. II.* O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! ... *Audi ergo breviter testimonia Scripturarum, ut stulta, immo impia sciscitatio tua in perpetuum conticescat*. Lib. I. Si plura cupis, consule laudatos duos libros.

XIX. Non pauca supra ex S. Augustino transcripsimus. Alia nonnulla in præsentia addimus. Obiicit sibi Doctor sanctus *Lib. I. Retract. cap. IX.* tritum Pelagii, seu Celestii argumentum. *Quis peccat in eo quod nullo modo cavere potest? Peccatur autem. Caveri igitur potest. Quo testimonio in quodam libro suo Pelagius usus est. Cui libro cum respondissem, titulum libri mei esse volui de natura & gratia*. Hoc idem Pelagii sophisma reperit ibi paullo post recitata verba ipsa quæ scripserat Lib. III. de lib. arbitr. cap. XVIII. *Et libro tertio cum dixissem illud quod & Pelagium de meis opusculis usum fuisse commemoravi: Quis enim, inquit, peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem. Caveri igitur potest. Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus*: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. *Ait & Propheta*: „ Delicta iuventutis meæ, & „ ignorantias meas ne memineris." Et tandem concludit cit. Lib. III. de lib. arb. cap. XVIII. *Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit, & qui recte facere, cum posset, noluit, amittat posse, cum velit.* Lege quæ ibidem scribit *cap.* XIX. quorum plura dedi supra.

§. VI.

SS. Ioannes Chrysostomus, Basilius, & Gregorius Magnus necessitatem actualis advertentiæ, ut erroneum commentum, reiiciunt.

XX. D. Patriarcha Chrysostomus sententiam nostram uberrima sua eloquentia defendit, & munit pluribus in locis. Aliqua tantum cursim indicabo. Hom. VI. in cap. II. Matth. *Nec de his tantum puniendi sumus quæ scimus, verum etiam quæ nescimus.* Nihil, *inquit Apostolus*, mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. *Quin & pro his quæ per ignorantiam, & scientiam admittimus.* Item *homil. XXXV. in cap. V. Ioan.* super illis verbis, *Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei*, hæc habet. *Sapienter primum arguit, quia non legebant. Secundum ignorantiam, quia non cognoscebant Deum: quia ex diligentia lectionum nascitur scientia Dei. Ignorantia autem negligentiæ filia est.*

XXI. S. Basilius in Regul. brevior. reg. 58. *Sane iudicium Domini in his qui ex ignorantia peccant, perspicuum est illis verbis: Qui non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et orat. 3. de peccato. *Christus eum qui ex ignorantia peccat, non omnino iudicat liberum esse a pœna.*

XXII. S. Gregorius Papa Magnus *Lib. V. Moral. cap. VI.* hæc habet. *Est autem & aliæ viæ nostræ absconsio, quia nonnumquam ea ipsa quæ recta nos agere credimus, an in districti iudicis examine recta sint ignoramus. Sæpe enim, sicut & nos superius diximus, opus nostrum causa damnationis est, & profectus putatur esse virtutis. Sæpe unde placari iudex creditur, inde ad irascendum instigatur Salomone testante, qui ait* Est via quæ videtur homini recta, novissima autem eius ducunt ad mortem. *Unde sancti viri, cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur.*

§. VII.

SS. Bernardini, Laurentii Iustiniani, & Antonini testimonia contra actualem advertentiam in peccatis.

XXIII. S. Bernardinus *Tom. II. Quadrag. post Dominicam Palmar. art. I. cap. I.* hæc scribit. „ Nullum maiorem amicum diabolus habet in præsenti „ sæculo nequam *quam ignorantiam*. Hoc enim sigillo clauduntur, & decipiuntur „ infidelium mentes, Saracenorum, Turcarum, Iudæorum, *& innumerabilis mul-*

„ *titu-*

„ *titudo Christianorum*. Proinde Ricardus in quodam sermone ait: *Portæ inferi duæ* „ *sunt: una est ignorantia boni; alia est concupiscentia mali*. & iterum *dist.* „ XXXVIII. scriptum est. Ignorantia est cunctorum errorum mater. Unde Isido- „ rus ait. Ignorantia mater est vitiorum, & nutrix. Ignorans quotidie peccat, & „ ignorat. Unde Gregorius in Moralibus ait. Qui candorem lucis ignorat, etiam „ obscura pro lucidis approbat. Unde Augustinus super Psal. Nemo est insanabilior „ eo qui sibi sanus videtur .... Excæcat conscientiam amor temporalis substan- „ tiæ. *Quot enim hodie conficiunt usurarios contractus, vendunt tempus & cetera simi-* „ *lia operantur, ut illis videtur, cum bona conscientia*. " Nullam hæc vel cavil- losam excipiunt interpretationem, sed feneratoribus fucatis altius sunt meditanda.

XXIV. S. Laurentius Iustinianus *De casto connubio Verbi, & animæ cap.* XVII. „ Quis diligens inquisitor de intelligentiæ valebit evacuare fonte inundationem „ ignorantiæ, quam habet in se boni, & mali, veri, & falsi, commodi, & in- „ commodi? .... Virtutis namque defectio ignorantiæ errorem detegit, vel ma- „ litiæ abundantiam, utraque vero damnabiles, utraque Deo odibiles. Hæc de „ virtutis bono; de malo autem quid? Malum in se semper peccatum est. Nam „ peccatum est divinæ legis prævaricatio. Nullus autem invenitur qui hac careat „ ignorantiâ. Hinc est quod Propheta ait: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis* „ *munda me, Domine*. O quam sæpe virtus putatur vitium, & vitium virtus! „ Nam ira zelus, præsumptio auctoritas, libidinosa voluptas fraternus amor, gula „ discretio, remissio humilitas, accidia compunctio, rancor iustitia, avaritia pru- „ dentia, insensibilitas fortitudo, rectitudo crudelitas, malitia sapientia, mansuetu- „ do timiditas, audacia libertas &c. nuncupatur. Sunt millia huiusmodi, quorum „ humanum genus plenum est ignorantia. *Non autem hoc magnum esset, si in so-* „ *lis talis ignorantia dominaretur peccatoribus .... Aliam quoque habent non mi-* „ *nus noxiam veri, & falsi ignorantiam ii etiam qui dicuntur iusti. Quis autem* „ *sermone enodare valet, quantum deficiant in hoc? O quoties veluti cæci spiritum* „ *sequuntur erroris, fallaciis irretiuntur diaboli, ipsum lucis Angelum arbitrantes,* „ *& suas perficientes voluntates, præcipitantur in foveas, nescimus discernere, nec* „ *quidquam recte diiudicare! Desideriis virtutum sine ulla se accommodant disciplinæ* „ *regula, omnique spiritui credunt &c.* "

XXV. S. Antoninus *I. Part. tit.* IV. *cap.* XIV. *§.* 3. „ In his quæ sunt de ge- „ nere malorum, potest esse duplex ignorantia, scilicet iuris, & facti: & si adest „ ignorantia iuris vel divini, vel naturalis, vel eorum quæ scire tenentur secundum „ statum suum: opus malum, factum ex tali ignorantia, non excusat a toto, etsi „ a tanto. Et in his verificatur illud Apostoli I. Cor. XIV. *Si quis ignorat, igno-* „ *rabitur* .... Exempla sunt in Paulo, qui persequebatur Ecclesiam Dei, arbi- „ trans exinde obsequium se præstare Deo; sed, ut ipse dicit, ignorans fecit: nec

„ propter hoc se excusat, sed accusat de peccato, I. Timot. 1. Similiter & filiæ „ Lot, cum inebriaverint patrem, ut ex eo conciperent, quamvis putaverunt sibi „ licere, credentes totum mundum submersum, sicut & Sodomam, non excusantur „ a peccato incestus propter ignorantiam illam; sed fuit ignorantia iuris naturalis. „ xv. quæst. v. *Inebriaverunt*.

„ Quantum ad ignorantiam facti tenenda est distinctio Decretistarum, quæ po- „ nitur dist. l. cap. de his 1. extra *de homicid.* cap. *Sicut dignum*, videlicet, quod „ aut quis in facto quod agit, dat operam rei illicitæ, aut licitæ: & si dat operam „ rei licitæ, puta quia solatiatur in aliquo ludo periculoso, unde sequitur mors, „ vel mutilatio, quamvis illud malum non velit, unde secutum est, ei imputatur „ & quoad peccatum, & quoad irregularitatem, & quoad pœnam iudicialem. Si- „ militer si cæcus sagittam, vel lapidem iaceret, ei imputaretur. Si vero dat ope- „ ram rei licitæ, tunc aut adhibuit debitam diligentiam, aut non: & si non ad- „ hibuit debitam diligentiam, non excusatur a peccato, licet malum sequens sit „ contra eius voluntatem; puta, si quis proiiciat tegulam de tecto ad ipsum repa- „ randum, & non ponat aliquod signum ante domum, nec dicit aliquid, cum pro- „ iicit, & sic unum interficiat transeuntem per viam. Aut si quis proiiceret lapi- „ dem ad animalia bruta, & non respiciens transeuntem per viam, casu interfice- „ ret aliquem contra voluntatem suam, ei imputaretur ad peccatum, & pœnam „ iudicialem: quia non adhibuit diligentem sollicitudinem ad opus illud iactatio- „ nis. “ Quamvis hæc perspicua sint, non dubitavit Gabriel Vasquez pro sua allegare opinione S. Antoninum. Ex recitato textu, in quo evidenter asserit, peccari absque actuali cognitione, colligere potes qua sinceritate ceteros antiquos laudet.

§. VIII.

Doctrina D. Thomæ adversus opinionem requirentem actualem advertentiam ad peccandum, expenditur, & a vanis asseritur commentis.

XXVI. QUa facilitate, & confidentia P. Gabriel Vasquez pro sua opinione S. Antoninum, eadem sanctum quoque Thomam allegare ausus est. In hoc secundo minus quam in primo excusandus est. Tanta quippe perspicuitate & evidentia opinionem probabilisticam P. Vasquez S. Thomas refutat, ut in meridiana luce cæcutiat opus est qui oppositum adfirmat. Plura seligam ex iis quibus Doctor sanctus nostram confirmat sententiam. Quodlib. VIII art. 13. *Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur, quod est secundum*

com-

conscientiam. Quod est secundum conscientiam, non est cum advertentia, aut remorsu, quod adversetur legi divinæ. 1. 2. quæst. VI. art. 3. ad 3. *Eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut & actus voluntatis; ut scilicet sit in potestate alicuius considerare, & velle, & agere: & tunc sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium; ita etiam non considerare*. Non considerare ergo, voluntarium est, cum tempus urget considerationis. Quod confirmat 2. 2. quæst. LIV. art. 4. *Defectus recti iudicii ad vitium inconsiderationis pertinet, prout scilicet aliquis in recte iudicando deficit ex hoc quod contemnit, & negligit attendere ea ex quibus rectum iudicium procedit. Unde manifestum est quod inconsideratio est peccatum*. Quid ad hæc Probabilistæ cum Vasquez? Ipsa inadvertentia est peccatum: ergo datur peccatum sine advertentia. Si enim ipsa omissio advertentiæ est criminosa; quis ratione præditus obtrudet necessitatem advertendi actualiter, ut peccetur? Hanc eamdem doctrinam confirmat in *II. Sent. dist.* XXXIX. *quæst.* III. *art.* I. *ad* 3. ubi explicat, qua ratione infideles persecutores iustorum peccaverint, tametsi nec cognitione prælucente cuiusquam malitiæ, nec synderesi mordente. *Quia privato lumine fidei excæcati sunt, non remurmurat eorum synderesis his quæ contra fidem sunt. Vel dicendum, quod synderesis semper remurmuret malo in universali, sed quod hæretico non remurmuret in particulari, contingit propter errorem rationis in applicatione universalis principii*.

XXVII. Obiicit P. Vasquez *disp.* CVII. *cap.* III. textum S. Thomæ ex 1. 2. *quæst.* LXXXVIII. *art.* 5. *ad.* 2. ubi hæc habentur: *Dicitur enim ira diuturna, & delectatio morosa propter approbationem rationis deliberantis*. Afflictæ caussæ patronis semper familiare fuit cavillis rem agere, cum ratione nequeant. S. Thomas plusquam triginta articulos habet, in quibus non obiter, sed ex instituto discutit ignorantiæ peccata, evincitque sæpe peccari absque actuali advertentia. Ex tanta doctrinæ messe nec spicam colligere Vasquez potuit in sui præsidium. Sed, ut fucum faceret imperitis, nonnulla verba excerpsit ex articulo in quo Angelicus inquirit, *utrum circumstantia possit facere de veniali mortale*. Et in responsione ad secundum argumentum habet laudata verba, quæ nec remote opponuntur doctrinæ quam ex eodem Angelico retuli. Utique delectatio morosa, ut sit peccatum mortale, debet esse voluntaria, & ut sit voluntaria, debet deliberante ratione approbari. Porro hæc ratio deliberans quandoque est actualis, quandoque interpretativa, seu virtualis. De hoc modo quo ratio deliberans concurrit, nec verbum ibi S. Thomas habet. Inepta ergo est hæc oppositio.

§. IX.

Rationum momenta quæ evincunt, peccari posse absque actuali advertentia, seu cognitione malitiæ.

XXVIII. ANtequam rationum momenta propono, illud in mentem revoco quod alias supra indicatum est, omnes nempe Catholicos adfirmare, ad quodcumque peccatum etiam ignorantiæ prærequiri aliquando aliquam cognitionem actualem vel in universali, vel in particulari, vel in se, vel in alio. Quæstio in eo vertitur, num semper sit necessaria actualis cognitio, & advertentia clara, vel obscura malitiæ, ut quis peccet. Potiora argumenta adversus nimium laxam, ut benignissime loquar, opinionem supra sparsim indicata sunt. Nunc ea in unum colligam, aliisque juncta exhibebo.

XXIX. Si ad peccandum necessaria foret actualis advertentia, nulla essent ignorantiæ crimina. Qui enim advertit se peccare, non ignoranter, sed scienter peccat. Tunc quippe malitia ignoratur, dum malitiæ notitia deest. Hæc pervia sunt cuique sensu communi non destituto.

XXX. Altera ratio. Communi Theologorum sententia homines sæpe peccant ex conscientia erronea culpabili. Sed natura, & essentialis notio conscientiæ vincibiliter erroneæ pugnat cum advertentia, cum cognitione, dubio, & scrupulo. Quando enim dubium adest, dubia conscientia ab omnibus appellatur; & scrupulosa, si scrupulus occurrat. Erronea ergo conscientia essentialiter caret cognitione malitiæ. Quamobrem dicebat Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

XXXI. Reponit Vasquez, dictum Apostoli interpretandum esse de peccatis præteritis scienter commissis, quorum oblivisci Paulus potuit; secus de peccatis ignoranter perpetratis. Nulla ergo ignorantiæ peccata dantur. Quæ opinio aut hæretica, aut hæresi contermina est. Quare hæc interpretatio opposita est omnium ad unum Patrum consensui, immo apertissimæ ejusdem Apostoli doctrinæ. Ille enim testatur se persecutum esse Ecclesiam Dei, Deique misericordiam obtinuisse, quod ignoranter id fecerit.

XXXII. Tertium rationis momentum. Homines probi & justi vix scienter peccant; & tamen hi frequenter delinquunt: siquidem *septies in die cadit justus*, & tamen isti raro se peccare advertunt. Quare communis est Patrum doctrina, sanctos hos viros per surreptionem, & per incogitantiam peccare. Id Augustinus de se testatur in suis Confessionibus: *Eo insanabilius peccabam, quo me peccare nesciebam.*

bam. Nec minus certum est mortalia, & immania scelera, ut sunt idololatriæ, hæreses, furta, & alia absque actuali cogitatione ab improbis perpetrari.

XXXIII. Quarta ratio. Ideo necessaria est actualis cognitio, ut peccatum sit voluntarium. Atqui id opus non est, eo quod sine actuali malitia, seu advertentia voluntarium peccatum esse queat. Hæc doctrina tota est D. Thomæ, ut vidimus. Satis quippe est ad peccandum voluntarium indirectum, & interpretativum. Porro sicut ad hoc voluntarium indirectum, & interpretativum haud requiritur expressa actualis voluntas seu volitio, sed sufficit virtualis, in eo sita quod homo possit, & debeat velle: ita non requiritur actualis advertentia. Audiamus iterum S. Thomam 1. 2. quæst. VI. art. 3. ad 3. *Eodem modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut & actus voluntatis, ut scilicet sit in potestate alicujus considerare, & velle, & agere: & tunc sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium; ita etiam non considerare.* Clarius explicat ibidem *art. 7. ad 3.* quomodo voluntarium hoc situm sit in ipsa potestate volendi, considerandi, aut non considerandi. *Non totaliter tollitur cognitio* (inquit. Cur?) *quia non tollitur potestas cognoscendi; sed solum consideratio actualis in particulari agibili. Et tamen hoc ipsum est voluntarium, secundum quod voluntarium dicitur quod est in potestate voluntatis, ut non agere, & non velle: similiter autem & non considerare.* Hoc pluribus confirmari exemplis posset, nisi nimia obstaret prolixitas. Qui potest, & tenetur vetare malum, si non vetat, censetur ei consentire. Qui tacet, cum potest, debetque negare, censetur virtualiter concedere; ut omnia iura clamant. Similiter qui potest, debetque notitiam implendæ legis comparare, illamque negligit; vel omittit advertere, consuetudine prava, vel turpi affectione, cupiditate, libidine impeditus, peccat. Quandoquidem ignorantia hæc voluntaria est, ut perspicue S. Thomas docet Lib.III. Ethic. lect.III. *Talis autem ignorantia non causat involuntarium: quia ignorantia hujusmodi non potest homini habenti usum rationis provenire nisi ex negligentia: quia quilibet tenetur adhibere sollicitudinem ad sciendum quid oporteat eum facere, vel vitare. Unde si ipsa ignorantia reputatur voluntaria, dum homo eam non vult vitare, sicut tenetur, consequens est quod nec illud quod per hujusmodi ignorantiam fit, involuntarium judicetur.*

XXXIV. Quintum validissimum, & ineluctabile rationis momentum. Infidelitas, & hæreses immania scelera esse, fatentur Catholici omnes, simulque æternum perire qui Pseudoprophetas, Pseudoapostolos, Pseudochristos sequuntur; ut ex Tomis Conciliorum, & epistolis Romanorum Pontificum colligitur. Hæc propositio fidei dogma est, nisi velimus dicere, quemquam in sua secta salutem assequi. Porro si vera est doctrina adversariorum, repente corruit præfatus fidei articulus: ergo reiicienda. Probo antecedens. Intellectus verum spectat, non secus ac voluntas bonum. Ergo quemadmodum voluntas nil appetit nisi sub ratione boni; ita intel-

 lectus

lectus in omni suo assensu verum respicit. Idque in omnibus sensibus patet: visus colorata, auditus sonum, odoratus odorem, palatus saporem appetunt. Atqui hæreticus hæresi, infidelis infidelitati assentiuntur. Ergo hæreticus credit, judicatque veram esse hæresim. Ergo actu non judicat se peccare. Quis enim existimat se peccare in eo quod reputat verum esse? Accedit quod hæretici non modo se a culpa exemptos reputant, verum etiam hæretica dogmata propugnando arbitrantur se obsequium præstare Deo, ut Evangelistæ, Patres, & eorumdem hæreticorum experientia testantur. Consequitur ergo necessario, hæreticum assentiendo suæ hæresi actu non cogitare, non advertere ad malitiam suæ hæresis, immo honestum sanctumque reputant Calvinistæ sacras lacerare imagines, & sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum contemnere. Idem omnino existimabant Ariani, Eutychiani, Nestoriani, & quotquot fuerunt hæretici. Quod sic confirmat Augustinus Lib. X. Confess. cap. XXIII *Multos expertus sum qui velint fallere; qui autem falli, neminem*. Omnia ergo hæreticus se non falli, sed verum defendere judicat. Fallitur itaque decipiturque, quin vel cognoscat, vel advertat se decipi, vel falli. Alterutrum ergo fateantur oportet Probabilistæ. Aut hæreticos non credere suos errores, eisque firmiter non assentiri; & hoc pugnat cum experientia, cum communi sensu. Vivicomburium ne sustinerent intrepide, si falsum judicarent id pro quo incendium perferunt? Aut hæreticos non peccare suis adhærendo erroribus.

XXXV. Sed adhuc pressius urgeamus adversarios. Cedo: credunt ne firmiter Probabilistæ propriam sententiam probabilem esse? Aiunt certe. Porro nos quoque existimamus nostram, non probabilem modo, sed probabilissimam, verissimam, oppositamque laxissimam. Alterutra ergo pars fallatur necesse est, quin advertat se falli, aut decipi. Quod omnium prorsus error sit invincibilis, seu insuperabilis, quis dicere ausus fuerit?

XXXVI. Præterea, cum rustici assentiuntur erroribus Arianorum, Nestorianorum, Calvinistarum, Albigensium, Lutheranorum, dum suis Pastoribus, & Episcopis firmum assensum præbent, actu ne cogitant se decipi, atque perverti? Nonne Pastores isti rabidi lupi sunt, ovium vestibus contecti? Quæro, rustici advertunt ne, dum his lupis fidem adhibent, lupos eos esse? Si adverterent lupos esse, numquid illis adhærerent? numquid ab iisdem animas devorari suas sinerent? immo ultro in eorum fauces irruerent? Hæc ne excogitare monstra Probabilismus audet?

XXXVII. Narrat P. Elizalde *Lib. V. quæst.* VII. §. 4. Theologum quemdam hæc omnia floccifacere. Quid, inquiebat, litterarum rudes percipere valent, sint ne in Christo duæ, an una natura? Ipsi ne, quid natura sit, quid substantia, quid essentia, quid transubstantiatio, quid Trinitas, quid Incarnatio, tenent? Theologus hic, quæ ejusmodi ridet, non ridendus ipse, sed lugendus; non confutandus, sed

sed medicis, ut sanetur, tradendus. Si hæc scitu, credituque necessaria rusticis, populoque non sunt; quorsum laboravit Ecclesia, ut pestiferos errores convelleret? Numquid Missionarios apostolicos ad subducendum luporum faucibus gregem mitteret? Quid contra errores turpes, non ita pridem ex Epicureorum hara haustos, adlaboratum est? Quid, si recens Epicurus resumat illa axiomata, omnia esse munda mundis, tractandum humanum corpus ut vile mancipium, permittendumque ut instar bruti nefandis, turpibusque rebus immisceatur? Si nihil ejusmodi peccant, dum non advertunt, a magistris suis decepti, se peccare, derelinquendi ergo in suis erroribus sunt. Verum Paulus Apostolus vel ipsos Ethnicos, sub Paganismi cæcitate degentes, ut inexcusabiles, redarguit. Quo ergo inexcusabiliores sunt Christiani homines? Quoties hæc obtigerunt in Ecclesia, numquam, inquit Elizalde, dubitatum de culpa fuit, sed illico scelesti pœnas dedere.

XXXVIII. Ab hara Epicuri ad mensas nummulariorum, avarorum, simoniacorum paullulum declinemus. Existimant ne usurarii, avari, decoctores, simoniaci, peccatum esse pauperum exprimere sanguinem, furari, sacra emere? Nihil minus. Quin adeo persuasi sunt, ut dementium loco habeant qui oppositum prædicant. Istis satis erit: *Doctor dixit*, inquit Elizalde *loc. cit.* Probabile est. Si probabile, honestum. Multi saltem hæreticorum, ut veras, aut probabiles, suas existimant hæreses: & tamen peccant hæresibus assentiendo. Ergo non semper excusat certitudo existimata, aut probabilitas sophistica. Ergo sæpe peccatur absque actuali advertentia. Ultra urgere argumentum possem, nimirum, Atheos, Epicureos, Heliogabalos, & alia hominum portenta, qui libidinum monstra in deliciis habebant, qui cum pueris connubia inibant tuta tranquillaque conscientia, nullum perpetrasse scelus. Audiant qui in Confessariorum, & Theologorum sinu imprudenter quiescunt, Dominum per Ezechielem *cap.* XIV. dicentem: *Qui posuerit immunditias suas in corde suo . . . & venerit ad Prophetam, interrogans per eum me: ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum . . . juxta iniquitatem interrogantis.*

XXXIX. Sexta ratio ab invecto Philosophismo repetitur. Peccatum philosophicum ab Ecclesia damnatum hoc est. *Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum, quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Qua ratione hoc proscriptum dogma distingui possit ab adversariorum opinione, plane non video, nec ullus, Probabilismi anticipationibus non præventus, videbit. Hac quippe constituta positione, quod numquam peccetur, nisi adsit actualis cognitio malitiæ, quod numquam Deus offendatur, quando deest

est actualis advertentia offensæ divinæ, necessario consequitur peccatum philosophicum. Clarius res exponitur. Operatio quæ non est formaliter mala, non potest esse offensa Dei. Sed iuxta adversarios nullus actus est formaliter, & imputabiliter malus, nisi eiusdem malitia advertatur. Ergo iuxta adversariorum opinionem nulla datur offensa Dei absque actuali advertentia Dei. Hoc autem purum putumque est peccatum philosophicum. Ergo aut tenere opinionem debent de necessitate actualis advertentiæ ad peccandum; aut errorem de philosophico peccato deglutire coguntur. Plura hac de re dicta sunt *dissert. 1. super Historia Probabilismi, & Rigorismi* italice scripta: & plura infra dicturi sumus. Absurda horrenda quæ heinc consequuntur, ibidem explicuimus.

§. X.

Resolvuntur adversariorum obiecta.

XL. Omnia quæ adversarii opponere valent, inter disputandum profligata sunt. Claritatis gratia iterum ad incudem revocantur.

XLI. Obiiciunt 1. nonnullos Scripturæ divinæ textus. Ioan. IX. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum*. Item Ioan. cap. XV. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*. Tandem Paulus ad Rom. V. *Usque ad legem peccatum in mundo erat, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*.

XLII Resp. Ad primum respondet Augustinus *tract.* XLIV. in Ioan. sub finem. *Dixit eis Iesus*: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, *cum sit cæcitas ipsa peccatum*. Si cæci essetis; *idest, si vos cæcos adverteretis, si vos cæcos diceretis, & ad medicum curreretis. Si ergo ita cæci essetis*, non haberetis peccatum, *quia veni ego auferre peccatum*. Nunc ergo, quia dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet. *Quare? Quia dicendo*, Videmus, *medicum non quæritis, in cæcitate vestra remanetis*. Ad secundum dicitur, loqui ibi Evangelistam de ignorantia mysteriorum fidei, quæ invincibilis esse potest, sicut & inadvertentia cuiusque iuris divini, & humani potest interdum esse invincibilis. De hac nunc non est sermo. Ad 3. respondet Augustinus in exposit. quarumdam prop. ex epist. ad Rom. proposit. 28. *Quod autem ait*: Usque ad legem enim peccatum in mundo fuit; *intelligendum est, quousque veniret gratia. Contra enim eos dictum est qui arbitrantur per legem auferri potuisse peccata. Dicit autem Apostolus, manifestata esse peccata per legem, non autem ablata, cum dicit*: Peccatum autem non deputabatur, cum lex non esset. *Non enim ait*, Non erat, *sed* non deputabatur. *Neque cum lex data est, ablatum est; sed deputari cœpit, idest apparere*. Tanta erat mentium humanarum cæcitas, scelerum caligine obducta, ut peccata vix digno-

gnoscerentur. Lege data, veluti nova illapsa luce, peccata apparere, & dignosci coeperunt.

XLIII. Obiiciunt 2. Augustinus de libero arbitrio *Lib. III. cap. xix.* inquit: *Peccatum, quod proprie vocatur, libera voluntate ab sciente committitur.* Resp. Peccatum ab sciente commissum gravius absolute est peccato ignorantiæ. Præterquamquod omne peccatum ab sciente committitur aliquo in sensu. Requiritur enim scientia, seu notitia, saltem virtualis interpretativa, seu requiritur notitia in caussa, sicut & voluntarium. Mirum est hæc ab adversariis opponi posse; cum Augustinus integris fere libris ignorantiæ crimina dari evincat. Quod de Chrysostomo opponunt in *homil. xiii. in cap. vii. ad Roman.* ubi inquit: *Nemo præ ignorantia peccavit*: non minus festivum est. Quoniam tum Chrysostomus, tum ceteri Patres plures ignorantias invincibiles quæ a peccato excusant, admittunt. Sed quid inde? Propterea ne infertur, negare Patres ignorantiæ delicta?

XLIV. Obiiciunt 3 S. Thomas *quodlib. iii. artic.* 8 inquit: *Cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum.* Resp. Dum quis ignorat fornicationem esse peccatum, alia voluntate facit fornicationem, alia peccatum. Voluntate formali & expressa fornicatur, voluntate tantum virtuali, indirecta, seu in caussa facit peccatum, quod actu ignorat. Hunc esse angelicæ doctrinæ sensum, evincunt innumera alia eiusdem testimonia, quibus asserit, nullam ignorantiam excusare a culpa fornicationis. Nam 2. 2. *quæst.* cliv. *art.* 2. *ad* 1. ait: *Apud Gentiles fornicatio simplex non reputabatur illicita propter corruptionem naturalis rationis.* Item subdit III. Part. quæst. lxxx. art. 4. ad 5. *Hoc quod habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter. Uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam iuris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale.* Vide quæ supra ex S. Thoma allata sunt.

XLV. Obiiciunt 4. Adversariorum capitale fundamentum a ratione petitum in hoc totum vertitur. Nulla actio criminosa est, nisi sit voluntaria. Sed voluntaria esse nequit, nisi sit cognita. Nil quippe volitum, nisi præcognitum. Ergo nullum peccatum sine actuali advertentia eiusdem. Resp. Mirum est homines in Theologia, Patrumque doctrina versatos tam crasso irretiri sophismate posse. Nil quippe exploratius in Theologia Sanctorum, quam duplex voluntarium; aliud directum, indirectum aliud. Alia ergo cognitio voluntarii directi, & formalis; alia voluntarii indirecti, & virtualis. Illa expressa, & actualis; hæc implicita, in caussa, & virtualis. Hanc doctrinam pluribus S. Thomæ textibus confirmavimus. Quare, ne actum agam, repetere illos non expedit. Secunda propositio eodem modo distinguenda est. Voluntaria actio esse nequit, nisi cogni-

ta

„a vel actualiter, aut virtualiter, in se, vel alio; concedo: semper actualiter; & in se; nego.

XLVI. Obiiciunt 5. Vasquez, Terillus, eiusque discipulus La-Croix *Lib. V. num.* 16. ubi hæc habet. „ Rationes nostræ sunt 1. Nil volitum, nisi præcognitum „ ergo &c. Neque cognitio illa est in potestate voluntatis: alioquin ad volitio„ nem illius prærequireretur alia præcognitio; & sic daretur processus in infini„ tum. 2. Nemo peccat in eo quod vitare nequit. Sed vitare non potest id quod „ non præcognoscit: ergo &c. *Confirmatur*. Si ego pecco, dum nullam habeo co„ gnitionem legis prohibentis, pecco, dum mihi impossibile est vitare peccatum. „ Ergo *homini iustificato volenti* &c. quæ est 1 Iansenii propositio. 3. Si non „ prærequireretur cognitio malitiæ, ignorantia invincibilis non excusaret a pecca„ to, sed excusat: ergo. Unde a contrario sic argumentor. Secundum adversarios „ ignorantia legis, & malitiæ potest dici vincibilis, & esse culpabilis, quamvis „ nulla adfuerit cognitio legis, vel malitiæ. Sed quando nulla adfuit cognitio le„ gis, ignorantia est invincibilis. Ergo ignorantia invincibilis erit culpabilis. *Con„ firm.* Nam adversarii, ut fatetur Eliz. § 9. non possunt ostendere, quid plus ad„ sit, quando talis ignorantia est, quam quando est invincibilis, si ad vincibi„ lem nulla prærequiratur cognitio. *Videri potest Terillus d. num.* 15. „ Ecce Magistrum.

XLVII. Veniam petimus ab adversariis respondendi primum, hæc esse pura putaque Critoboli, Celestii, seu Pelagianorum argumenta, millies a SS. Hieronymo, & Augustino labefactata, & contrita. Recitare volui argumenta adversariorum totidem fere verbis, quibus illa obtrudit *P. La-Croix*, non quod digna solutione sint; sed ut iterum compertissimum fiat Probabilistas invexisse in mundum *Ignorantissimum* in primo coniunctum gradu cum *Philosophismo*. Quod 1. loco opponit, iam solutum est *num. praeced.* Processus in infinitum non datur: quia quodlibet peccatum ignorantiæ ortum ducit ex cognitione. Diximus enim necessariam esse præcognitionem in caussa, atque adeo virtualem malitiæ, secus actualem. Confirmatio inepta est. Quando ignorantia est vincibilis, impedimentum vitandi peccatum, seu impossibilitas est consequens, & volita; ideo peccatur, ut mox fusius dicam. Quod mussitat de Iansenismo, infra expendam.

XLVIII. Quod 3. loco obtrudit, clarius confirmat errorem fidei contrarium. Si non prærequiritur actualis cognitio legis, ignorantia invincibilis non excusat. Sed excusat. Ergo prærequiritur cognitio legis. Audistin'? Tunc ignorantia legis est invincibilis, & excusat, quando adest cognitio legis? Quia, inquit, si non adest cognitio legis, non excusat. Excusat: ergo adest cognitio legis. Eo ergo deventum est, ut transgressio legis, etiam cum cognitione peracta, sit innoxia? Invincibilis est ignorantia, etiam dum adest legis cognitio? Hunc prodere sensum viden-

dentur P. La-Croix verba. At hunc eum non intendisse sensum ipse fateor. Minus solum perspicue expressit quæ animo concepit. Paucioribus ergo verbis illius argumentum proponam. In hoc distinguitur ignorantia vincibilis ab invincibili, quod hæc absque cognitione, illa cum cognitione actuali sit. Si enim ignorantia vincibilis absque cognitione actuali consisteret, iam esset invincibilis, atque adeo excusaret, & non excusaret. Excusaret, quia invincibilis non excusaret, quia vincibilis. Nonne hæc vera, & legitima argutatio La-Croisiana?

XLIX. Non est ergo ambigendum, P. La-Croisium cum suis aliis Auctoribus de mundo auferre omnia peccata ignorantiæ; & apertissime errorem, ut ego quidem arbitror, defendere Pelagianorum: illosque, non dico, provoco, sed oro ut discrimen verum assignent inter propriam, & Celestii opinionem. Nam ignorantia invincibilis est innocens, & cuiusque culpæ expers. Ut vero ignorantia sit vincibilis, P. *La-Croix* cum suis Probabilistis necessario requirit cognitionem actualem. Porro *cognitio actualis malitiæ, & ignorantia actualis eiusdem malitiæ* sunt duo contraria, seu contradictoria, non minus aperta quam lux, & tenebræ, quam est, & non est. Ne autem videamur declinare vim sophisticæ cavillationis, paucis verbis nostra vera doctrina perstringitur, in cuius conspectu magis eluceat contrariæ opinionis, ne dicam erroris, gravitas.

L. Dicimus ergo, ignorantiam quamlibet sive vincibilem, sive invincibilem in suo essentiali conceptu includere privationem actualis cognitionis. Si hæc cognitionis actualis privatio sit omnino antecedens, & absque voluntate, & culpa hominis; dicitur invincibilis ignorantia, quæ a culpa excusat. Si contra privatio actualis cognitionis sit consequens, & volita in caussa ob culpam ipsius hominis; ignorantia vincibilis est, & a culpa non excusat, sed culpabilis ipsa est, & peccati caussa. En apertum discrimen, quo nos vincibilem ab invincibili ignorantia distinguimus. Perperam ergo, & per summam iniuriam nobis imponit *La-Croix*, quod nesciamus designare, *quid plus adsit*, quando ignorantia est vincibilis, quam quando est invincibilis. Quia nos adstruimus, uti Probabilistæ, notionem essentialem ignorantiæ sitam in cognitionis actualis privatione; ideone vincibilem cum invincibili ignorantiam confundimus? Illam ex culpa, seu negligentia voluntaria hominis, hanc absque eiusdem culpabili aliquo neglectu oriri dicimus, & confiteri omnes debent. Audi S. Thomam hæc quæ hactenus diximus, conceptis verbis confirmantem lec. VII. in cap. 1. Epist. ad Rom. *Tunc ignorantia culpam excusat, quando sic præcedit, & causat culpam, quod non causatur a culpa .... Si vero ignorantia causetur ex culpa, non potest subsequentem culpam excusare. Unde si quis per ebrietatem homicidium committit, non excusatur a culpa: quia peccavit se inebriando. Unde secundum Philosophum meretur duplices maledictiones.* Alleget nunc intrepide La-Croix pro se S. Thomam.

LI.

LI. Ad Iansenismum, quem nimis pueriliter obtrudit, dicimus, inconsiderate hanc a Probabilistis moveri camerinam. Scite P. Elizalde scribit Lib. V. quæst. XII. §. 2. *oscitantium hominum* esse præfatam oppositionem. Dispendium operæ facerem, si omnia discrimina quæ præfatus Elizalde inter Iansenianum errorem, nostramque doctrinam assignat, recensere vellem: quodlibet enim sufficit ad inane sophisma convellendum. Et tamen P. La-Croisius de supercilio decidit: *Quæ ad hæc respondet Eliz. plane non satisfaciunt*. Non ergo *plane* satisfaciunt? At sin minus *plane*, saltem partim elident argumenti vim. Sed cur *plane* non satisfaciunt? Quid? Non illi sat est auctoritas dicentis? Debuisset P. La-Croix aut silere, aut referre responsa Elizalde. Sed (sit venia verbo) Auctor iste sæpe deficit in referendis Auctorum sententiis. Silerem ego, nisi debitum admonendi imperitos urgeret sæpe, ut Auctoris istius, Probabilismi fucis præventi, relationibus nullam adhibeant fidem. En in hac ipsa quæstione ineluctabile argumentum. Siquidem *num. 16. cit.* suam sententiam doceri ab omnibus, ait his verbis: *Ita docent omnes communissime. S. Augustinus, S. Thomas* &c. An in quæstione gravissima, unde tanta in populum christianum segnities, desidia, superbia, præsumptio, humilitatis, & divini timoris ruina, ac horrenda scelera proficiscuntur, evidentem falsitatem narrare lectoribus inadvertentia excuset, aliorum esto iudicium. Interim ne gratis falsitatis postulare videar P. La-Croix, licet supra indicaverim Theologorum multitudinem pro nostra sententia, lubet nihilominus hæc subdere. Salmanticenses Scholastici viri sapientissimi *Tom. IV. tract. XIII. disp. V. dub. 6. §. 1.* nostram, seu, ut illi inquiunt, *Angelici Doctoris* sententiam propugnant. Eiusdem Angelici producunt alia loca plurima, ubi eamdem veritatem ille docet. Post allegant sequentes Theologos, *Caietanum*, *Sotum*, *Sylvestrum*, *Durandum*, *Cordubam*, *Conradum*, *Medinam*, *Coranum*, *Alvarez*, *Montesinos*, *Gregorium Martinez*, *Araviam*, *Loream*, *Suarez*, *Valentiam*, *Salas*, *pluresque alios tam ex Thomistis quam ex extraneis*. His adde *Collegium Salmanticense Morale*, *Christophorum a S. Ioseph*, *Tyrsum Gonzalez*, *Elizaldam*, *Camargum*, *Mannessam*, *Baronium*, *Contensonium*, *Vincentium Ferrerium*, *Antoine*, *Henricum a S. Ignatio*, *sapientissimum Palanco*, *Genettum*, *Van-Ros*. Ne multa, adde omnes ad unum Antiprobabilistas; adde Scripturas, & Patres omnes. Et cum hæc ita se habeant, P. La-Croix pro sua sententia scribere non erubuit: *Ita omnes communissime*. Revera *τὸ communissime*, & *τὸ omnes* mirum in modum produnt Auctoris peritiam & veritatis propagandæ studium.

LII. Obiiciunt alias duas auctoritates S. Thomæ. 2. 2. *quæst.* LXXXIX. *art. 3.* inquit Angelicus, hominem excusari a crimine periurii, si non advertit se iurare. Alibi pœnas dedit P. La-Croix ob istius auctoritatis oppositionem. 30. circiter articulos, ut alias advertimus, habet Angelicus, in quibus ex professo versat contro-

ver-

versiam de ignorantia. Probabilistæ nostri nec verbum ex his locis afferre valent. Alia lustrant loca, ut aliquod verbum decerpant. Brevissime dicimus, communiter ad peccatum duo requiri, nempe mentis cognitionem, & liberam voluntatis electionem. Idcirco Angelicus, & Theologi, & Patres, quando non agunt de peccatis ignorantiæ, sed de peccatis scitis, & malitiæ, hæc duo præfiniunt. Similiter Angelicus *quæst. xv. de verit. art. 4. ad* 10. ad peccatum mortale delectationis morosæ requirit advertentiam; quod verum habet: nam necessaria est advertentia communiter actualis, & interdum sufficit virtualis. Quare tam S. Thomas, quam alii veteres, immo omnes, quando de aliis peccatis cognitis agunt, duo indicata exigunt. Ut illorum mentem assequamur in hac controversia, videndum, quid doceant in locis ubi de peccatis ignorantiæ sermonem habent. Cur huic iustissimæ methodo non insistunt Probabilistæ? Quia vident his in locis S. Thomæ propriam ipsorum damnari opinionem. Verum de hoc satis.

§. XI.

IGNORANTISMUS cum PHILOSOPHISMO conlatus. Malorum multitudo quæ illum consequuntur. Cautissime Probabilistæ legendi.

LIII. Dictum est supra, *Ignorantismum*, parentem naturalem, & legitimum esse *Philosophismi*. Mutuo hæc duo nunc conferimus, ut quodnam pejus sit, indicemus. Caussa, sicut in physicis, sic & in morum regulis potior effectu est. Si enim malitia istius a caussa proficiscitur, uberior in illa quam in hoc sit oportet, sicuti abundantiores aquæ in fonte sunt quam in rivulis. Verum ne invidiam aliquam conflare Probabilismo videar, lubet nonnulla transcribere ex viro sapiente P. Ignatio de Camargo. Scribit ergo perdoctus hic Iesuita Part. I. Lib. II. contr. IV. art. 6. num. 530. *Hic est IGNORANTISMUS, (idest doctrina de ignorantiæ peccatis apud recentes Probabilistas) Probabilismi nescias an partus, an alumnus, an filius, an comes, aut germanus frater. Id certum, sine illo PROBABILISMUM vivere non posse, sed & illud certum præterea, per illum* (IGNORANTISMUM) *fieri vulnus immedicabile: quia fit propemodum insensibile: & morbus insensibilis est incurabilis, ut olim aiebat Bernardus*. Hactenus inclytæ Societatis Iesu Theologus. Hanc doctrinam passim inculcat Augustinus: *Et insanabilius peccabam, quo me peccare nesciebam*. Quæ hac de re scribunt ceteri Patres, iam indicavi.

LIV. *Ignorantismum* primam esse malorum totius humani generis originem, Scriptura ipsa testatur. P. Michael Elizalde, sapientissimus Societatis Iesu Theolo-

logus, atque vere piissimus, quamquam illum flocci faciant Probabilistæ, eique tetricam Rigorismi larvam impingant, fuso calamo *Ignorantissimi* mala describit. Nos pauca recensebimus. Et principio ignorantia, absolute etiam spectata, & ab ordine morali seiuncta, malum est hominis, quem maximo veritatis notitiæ bono privat; quia veritatis, & sapientiæ bonum ceteris bonis præstat, ut inquit Salomon Sap. cap. VII. *Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus* &c. Ignorantia homini adimit vitam intellectualem, corporali præstantiorem. Nam plus mali homo perfert, si sanus amentia vitam intellectus amittat, quam si corporis mortem obeat. Itaque physice etiam spectata ignorantia grave malum est ipsi homini plus minusve, prout maior aut minor illa fuerit.

LV. Quid, si ignorantia comparate ad Deum spectetur? Hæc quippe hominem privat Dei cognitione, & fide, quæ est fundamentum totius recti ordinis, quo homo ad Deum assurgit. Fac quempiam gregalem hominem se reputare aut Regem, aut Deum. Quid amentius? Multitudo gentium, etiam sapientum, saxa, cæpas, serpentem, solem, lunamque ut deos adorabat. Quo ista minus homine sunt, inquit Elizalde, eo est amentia maior. Qui se Regem reputat, ridetur: non irridentur isti, qui sapientes. Qui ergo Deum ignorant, aut quibus Deus non est Deus, insipientiores valde sunt illis quibus aut ignoratur pater, aut pater non est pater, aut Rex non Rex: quos tamen ceteri norunt. Quid, si tu te alium a te existimares? Et tamen monstrosius est reputare Deum tuum, non Deum tuum, sed alium a te. Nam plus tibi est Deus tuus, quam tumetipse tibi. Quandoquidem si te habes, & Deum non habes, miser es: contra, si te non habes, & Deum habes, beatus es, & felix.

LVI. Ad proximum comparata ignorantia, vinculum destruit societatis. Nam sicut divina fides est primum fundamentum hominis ad Deum, ita prima humanæ societatis basis fides humana est; ut demonstrat Augustinus *Lib. de utilitate credendi*. Humana autem fides sermonis veritate nititur; qua falsata, non secus ac adulterata moneta, dispereunt commercia, & societates. Qui animum intendit, duo percipit. Alterum est oraculum Iacobi *cap.* III. falsam malamque linguam iniquitatis universitatem appellantis. Alterum Probabilistarum, restrictionum mentalium, quibus nativus verborum sensus adulteratur, & Babylonica inducitur confusio, ob quam alter non percipit alterum. Quid, si describere vellem ignorantiæ mala, relate ad artes, scientias, principatus, & regna? Hinc necessario consequitur axioma illud, *omnium scilicet malorum matrem esse ignorantiam*. Omnes quippe virtutes a recta pendent ratione. Rationis autem rectitudo veritas est, cui ignorantia opposita est. Vitia quoque omnia a recta aberrant ratione, & ignorantia reguntur.

LVII.

LVII. Porro, ut ad morum ordinem accedamus, prima in hoc genere malorum origo fuit ignorantia, qua dæmon decepit Evam, Paulo Apostolo teste I. ad Timoth. II. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*: seseque per ignorantiam excusavit, inquiens: *Serpens decepit me*. Scelus omnium immanissimum, atque atrocissimum, quo Dei Filius cruci affixus fuit, per ignorantiam perpetratum esse, Salvator ipse testatur: *Pater ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt*. Apostolorum, discipulorumque persecutio, in Christianos omnes furor, & efferata vindicta nonne ab ignorantia eruperunt? Saulus, licet ingenii acumine, & doctrinæ fama celebris, nonne ignorantia occupatus totis enitebatur viribus, ut veram Dei Ecclesiam destrueret? Ipsum audire præstat hæc I. Timoth. I. de se scribentem. *Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci*. Hoc idem Christus in suo Evangelio inculcat his verbis. *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*. Quid quod Christiani magi, & evangelica lex superstitione polluta, & miracula præstigiorum loco habebantur? Quæ est nunc Iudæorum apud nos degentium religionis nostræ existimatio? Quæ Ecclesiæ Romanæ miraculorum apud hæreticos opinio? Verum quid in his immoramur? Gentium, & nationum errores, seu errorum portenta describenda sunt. At vix dicendi finem inveniret oratio. Satis est hominis spectare naturam, quem Philosophi definiunt animal esse rationale. Verum si morali christiana definiendus homo esset, dicerem, inquit Elizalde, esse animal rationale semivivum relictum, seu animal rationale ignorantia, & concupiscentia vulneratum, sauciatum, graviterque infirmum, cuius vires non extinctæ, sed extenuatæ sunt, cuius mentis lumen obscuratum, cuius voluntatis amor perturbatus est. Nihil miser non patitur, nullum non perpetrat scelus, si gratia desit Redemptoris.

LVIII. Oculos nunc converte in hæresum monstra. Nam si inter persecutiones, & martyria crevit Ecclesia, inter hæreses adeo decrevit, ut Constantii tempore ingemuerit magna pars Orbis sub funestissima Arianismi caligine. Schismate sublatus est Oriens fere totus, magnamque partem Mahumetismus deglutiit. Posteriores hæreses quam vineæ partem devastare neglexere? Hæc malorum clades, quam ignorantia Ecclesiæ intulit, & affert in dies.

LIX. Cursim mente percurre provincias, & regna, quæ humanum effundunt sanguinem, bellorum immani furore expressum. Mirum dictu est, & tamen verum, bellum nullum esset, ignorantia sublata. Bellum quippe reapse utrimque iustum esse nequit. Haud repugnat, Principum aliquos ita esse efferatos, ut scientes bella velint iniusta; at compertum est subditos militesque neque de-

bere, neque posse arma capessere ad præliandum, evidenter cognita belli iniustitia: quia scientes rei iniustæ operam darent. Ignorantia ergo sublata, communiter bella cessarent, aut saltem adeo frequentia non essent. Idque experimento confirmatur libellorum, quos *manifesta* vocant, quosque præmittere bellatores solent, ut sanguini fundendo iustæ necessitatis fucum prætendant, sintque persuasi subditi de iustitia belli, qui his præmissis non examen subire, sed Principi præcipienti parere debent. Quæ denique defectionis a propriis Principibus, aut in eosdem Principes arma convertendi caussa, nisi error, & ignorantia?

LX. Quorsum hæc omnia? Ut evidenti demonstratione evincam prohibendæ, seu prohibitæ ignorantiæ necessitatem. Si enim Deus furta, adulteria, homicidia, usuras prohibuit, ut hominum societati, & civitatum recto provideret regimini, quo severius prohibere ignorantias debuit, quæ maius malum sunt hominis, sive in se spectati, sive quantum ad Deum, ad proximum, ad societatem, ad Ecclesiam, ad communitatem quamque? Et ut paucis omnia comprehendam; qua æterna voluntate Deus præcipit veritatis inquisitionem, & legis suæ observantiam; eadem prohibet ea omnia quæ impediunt executionem eiusmodi. Quæ enim voluntas præcipit finem, eadem vult ea quæ fini assequendo conducunt, vetatque impedimenta contraria.


LXI. Hæc dicta sint, ut necessitatem simul, & congruentiam evincam prohibendi tum errores, tum ignorantias. Ceterum, quod reapse illas Deus vetaverit, ex Scripturis, Patribusque hactenus adductis demonstratum est. Superfluum tamen haud existimavi hæc adiicere, ut, extrema, ac universali malorum gravitate ostensa, desidia, torpore, ignaviaque depulsis, diligentiam, vigilantiam, studiumque vitandæ ignorantiæ, & veritatis investigandæ excitarem, ut humilitatis, divinique timoris spiritum foverem, & tremendam illam securitatis, & facilitatis præsumptionem reprimerem.

LXII. Si vera forent quæ Probabilistæ de *Ignorantismo* adversus Scripturas, & Patrum omnium traditionem invexerunt; omnes fere virtutes, sed potissimum Dei timor, humilitas, vigilantia, precum frequentia, veritatis investigatio in nihilum occiderent. Sed utinam iam, spectata Christianorum multitudine, non occidissent. Homines cuiusque professionis, sive civilis, sive sacræ, suam sibi formarunt Theologiam, qua ea omnia, exceptis quibusdam nimium monstrosis criminibus, quæ sibi commoda sunt, licita quoque & sancta constituunt. Quæ fucandorum vitiorum ars illis potissimum familiaris est qui semi-Theologi dicuntur. Hi enim probabilisticæ ignorantiæ lenociniis, atque præstigiis obnubilati, ita firmiter existimant se non peccare, dum nullo conscientiæ morsu tanguntur, aut non advertunt, ut veluti *rigoristas*, ze-

lotes, *imprudentes*, ne dixerim *stultos* nos detestentur, qui oppositum asserimus. Ne gratis hæc asserere videar, audi quæ scribit P. Ignatius de Camargo *Lib. I. contr. 1. artic. 3. num. 22. pag. 13.* „ Sciat interim lector, nos paucis abhinc annis ad sanctæ Inquisitionis tribunal semel & iterum fuisse delatos (irritis tamen, Deo favente, nostrorum delatorum conatibus) eo quod e suggestu in publica concione propositionem hanc docuerimus: *Accidere aliquando potest ut quis non reputans se peccare, immo potius existimans obsequium se præstare Deo, gravissime tamen delinquat*. Comperi etiam sub idem tempus a quibusdam magistris, Probabilismi sui nimis amantibus, sed non ita nimis callentibus, gravissima censura notatam, & e publicis thesibus prælo mandandis deleri quoque jussam hanc assertionem: *Non semper licitum est agere secundum conscientiam dictantem aliquid esse honestum, quantumcumque judicium certum appareat*. “ Et sane istorum miseranda conditio est. Nulla istis Scripturæ sanctæ, Patrumque notitia affulget. Si asceticos, quos vocant, libros legunt, & in eorum meditationibus horæ medietatem insumunt; quem profectum capiunt? Non sane aliam, quam emittendi aliqua suspiria, desideria, & aliquas recitandi preces, quæ parum aut nihil iisdem incommodant. Ceterum ejusmodi librorum Theologiam mysticam, spiritualem, ipsosque libros *spirituales* appellant, qui, inquiunt, consilia, non præcepta evangelica, qui perfectionem sanctitatis, non viam necessariam præceptorum, quæ ducit ad vitam, explicant. Quare dum aut propriam, aut aliorum conscientias dirigunt, in iis quorum magnopere interest, missis his libris *spiritualibus* nuncupatis, accedunt ad suos Casuistas. Hic reperiunt unde suis blandiri desideriis valeant. Istorum librorum lectione muniti, ac si doctrina e cælo infusa illustrati essent, stantes pede in uno, vel graves quæstiones resolvunt, omnia decidunt, definiunt; derident que, ut meticulosos, tetricos, fanaticosque, quos oppositores sentiunt. Istorum plures ipse agnovi, & suspexi. Suos pœnitentes interrogant: *Agnovisti, advertisti* ejusmodi operationes esse peccata? Si audiant sibi responderi: *Non agnovi, non adverti*: quid ergo times? inquiunt. Perge porro. Quando non advertis te peccare, non peccas.

LXIII. En tibi patefactam potissimam tot usurarum, fraudum, iræ, vindictæ, voluptatum, ambitionis, fastus, mollioris vitæ, aliorumque criminum radicem? Illud *nescivi*, *non adverti*, post Probabilismum invectum obstinatiores efficit mercatores in usuris, advocatos in dolis, judices in ignorantia, Theologos in præsumptione, Confessarios in laxitate, opifices in fraudibus, divites in avaritia, mulieres in impudentia, luxu, & vanitate. Illud *nescivisti*, *non ad-*

advertisti, seu *Ignorantismus probabilisticus*, humilitatis studium, precum exercitium, christianæ vigilantiæ, divini timoris, aliarumque virtutum fundamenta ab imis suffodiunt. Caute ergo præfatos libros lege. Noli animam tuam universo mundo pretiosiorem his fidere magistris indiscriminatim. Absit ut omnium illorum libros contemnam. Sed eo oratio pertinet, ut istorum lectio Scripturæ divinæ, Patrum, & graviorum Theologorum lectioni jungatur, ut preces, cautio, & desiderium acquirendæ veritatis controversiæ resolutionem præcedant. Hæc pauca adversus *Ignorantismum probabilisticum* delibasse satis sit.



DIS-

DISSERTATIO III.

DE IGNORANTIA EXPELLENDA, ET VERITATE ASSEQUENDA.

CAPUT I.

Quodnam medium tenendum sit inter extrema ignorantiæ.

I. HActenus labefactavimus extrema ignorantiæ pelagianæ, iansenianæ, & probabilisticæ. Nihil facilius quam in quacumque controversia, consultatione, deliberatione sive physica, sive morali, sive civili extremas refellere opiniones; sed medium tenere punctum, cui adhærendum sit, designare, hoc opus, hic labor est. Addo, quandoque id vires humanæ mentis excedere, uti in nostra, quæ præ manibus est, quæstione reipsa evenit. Ut viam mihi parem ad ea quæ dicenda sunt in abstrusissima, & alias scitu perquam necessaria quæstione, nonnulla in memoriam revoco. Primum, de fide esse dari peccata ignorantiæ. Alterum, modum quo hæc peccata perpetrantur, humani ingenii aciem, captumque fugere. Quod adeo verum est, ut eximius Doctor P. Franciscus Suarez ex hoc solo capite sibi suspectam asserat recentiorum Probabilistarum opinionem, quod ostentent perspicuam explicationem modi quo committuntur ignorantiæ crimina. *Ex hoc ipso* (inquit in I. Part. disp. IV. sec. 3. num. 22.) *quod* hæc opinio *exponit difficultates in hac materia, apud me reddit hunc modum suspectum, & non admittendum*. Utinam similia scripsisset de scientia media, conciliante humanam libertatem cum gratiæ efficacitate. Scimus, homines esse liberos, fide credimus hanc libertatem gratia Dei moveri: verum utriusque extremi claram concordiam ignoramus; & sententia quæ nullo negotio tantum arcanum facile exponit, suspecta sit oportet. Scimus, primum Angelum, & primum hominem peccasse, at via qua in eosdem ingressum peccatum sit, nos latet. Illud nos in his, & similibus quæstionibus solatur, quod neque scientia emolumentum, neque inscientia detrimentum multum parit. Secus autem in controversia de ignorantiæ peccatis accidit. *Vix*, inquit P. Michael Elizalde Lib. V. quæst. XI. §. 3. *hæc opinio de necessitate cognitionis actualis ad peccandum prodiit, quando sapientissime, fortissime ei* SUAREZ *obstitit, sed apud vulgus Casuistarum laxiora, mundoque placentiora videmus plerumque prævalere: quia non tam vera, quam facilio-*

ta, placentioraque sæpe sequuntur. quæ mox SECTATORUM MULTITUDO probabilia, ut putant, tutaque faciat. Unde Suarez apud recentiores ferme relictus est solus. Et tamen hunc ipsum magna confidentia pro sua allegat opinione P. Claudius La-Croix: nec mirum, cum ausus fuerit laudare Aquinatem, Augustinum, sanctosque Patres.

II. Tertium, quod haberi præ oculis debet, illud est, nullum nunc a Probabilistis argumentum moveri quod a Critobolo Pelagiano, seu a Celestio oppositum non fuerit, unaque resolutum a Hieronymo, ab Augustino, & potissimum a S. Thoma, qui legi potest in *II. dist.* XXII. *quæst.* II. Item 1. 2. *quæst.* LXXVI. ubi argumentum a libertate petitum sub omni aspectu sibi proponit, & resolvit.

III. Quarto constat, difficultatem libertatis adversus peccata ignorantiæ omnes utriusque sententiæ patronos æque torquere. Nam omnes fatentur dari ignorantiæ peccata: omnes admittunt præter invincibilem, etiam vincibilem conscientiam erroneam. Probabilistæ, requirentes actualem cognitionem ad hoc ut vincibilis ignorantia sit, destruunt, non solvunt nodum. Nam, ut probatum est, repugnant hæc duo, cognitio, & ignorantia. Hæc pauca delibavi, ut viam mihi sternerem ad ea quæ sequuntur, explicanda. Caput istud in sequentes tribuo §§. ut sigillatim aliqua præcipua puncta discutiam.

§. I.

Occultæ viæ per quas ignorantiæ peccata animam invadunt.

I. PRima, & universalis ex una parte, & ex alia occultissima via per quam animam peccata omnia, nedum ignorantiæ, ingrediuntur, est latebra illa abscondita amoris proprii, inquit Angelicus 1. 2. quæst. LXXVII. art. 4. *Manifestum est quod innatus amor sui est causa omnis peccati.* Hæc venefica radix per totum sese effundit hominem, universamque harmoniam, ordinemque perturbat. Hinc turba illa passionum, & affectuum quæ mentem a veritatis abstrahit contemplatione, voluntatemque ab amore honesti sejungit, atque ad delectabilia, & carnalia prosequenda inclinat. *Passio* (inquit Angelicus loc. cit. art. 1.) *non potest directe trahere, aut movere voluntatem, sed indirecte potest.* Duplicem *ibidem art.* 2. assignat modum quo passiones viam aperiunt, per quam delicta animæ recessus subeunt. Prima est distractio mentis. Qui enim impotenter se ipsum amat, mentem in proprium bonum deflectit, impeditque veri considerationem. Pravæ consuetudines habitusque corrupti, sunt altera latebra peccatorum ignorantiæ. Et quamvis passionum istarum caligo mentem obnubilet, impediatque actualem libertatem; non propterea excusat a peccato ob libertatem in caussa, inquit *ibidem art.* 7. Sedu-

ducimur ergo appetitionibus nostris, dicentes malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Passionum latebras, per quas ignorantiæ, & malitiæ peccata irruunt in animam, ad tres revocat S. Thomas *loc. cit. art.* 5. adducto textu ex Epist. I. Ioan. cap. II. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Subdit deinde Doctor sanctus: *Ad ista tria reduci possunt omnes passiones, quæ sunt causa peccati. Nam ad duo prima reducuntur omnes passiones concupiscibilis; ad tertium autem omnes passiones irascibilis: quod ideo non dividitur in duo, quia omnes passiones irascibilis naturaliter conformantur concupiscentiæ animali*. Oculos converte in harum passionum tenebras, quæ peccata absque ulla actualis cognitionis luce sæpe pariunt. Meditare concupiscibilis mancipia, insanos nimirum amatorculos, qui diu noctuque furentes, domos circumeunt, accedunt, recedunt, inhiant, expectant, sollicitant, promittunt, decipiunt, decipiuntur; pecunias, sanitatem, famam, vitamque ipsam profundunt. Isti ne ad peccati malitiam, ad divinam legem *actu* reipsa advertunt? Et si non advertunt, non peccant? Ita ne vero. Audi Angelicum 1. 2. quæst. LXXVII. art. 1. *Quando una potentia intenditur in suo actu, altera remittitur, vel etiam in suo actu impeditur.... Manifestum est autem quod passionem appetitus sensitivi sequitur imaginationis apprehensio .... Unde videmus quod homines in aliqua passione existentes, non facile imaginationem avertunt ab his circa quæ afficiuntur*. Legesis integrum articulum 2.

II. Ad concupiscibilem quoque revocatur divitiarum, seu bonorum fortunæ cupiditas, quæ maiora, quam concupiscentia, incommoda derivat, graviusque ordinem pervertit, atque insanabilius vulnerat, & trucidat. Latrones pauci sunt, si latrocinium tum solum dicatur committi, cum fores infringuntur surreptis scriniis. Ceterum si furtum spectetur, ut est iniusta aut acceptio, aut retentio rei alienæ; pauci ab hoc furto manus innocentes habent. Interroga omnes nummularios, advocatos, mercatores, an usuras, monopolia, iniustitias, fraudes, dolosque exerceant: omnes uno ore respondebunt se iustitiæ litare, contractus æquos inire, cuique suum tribuere. Quis est nobilium, divitum, seu potentum, qui conscientiæ sibi vertat, in annos & annos debitorum solutionem cum creditorum maximo detrimento differre? Quid de illis qui odio, ira, invidia, & furore ardent? Quibus isti insidiis, maledictis, calumniis, dicteriis proximi famam non lædunt, fortunis, honorique non insidiantur? Qua arte & vafritie non student æmulos suos aut impedire ne ascendant, aut de gradu, de dignitate detrudere, quos infensos habent?

§. II.

Casuistæ propriis ipsorum principiis iterum refelluntur.

I. DAri peccata ignorantiæ absque actuali cognitione, ostensum hactenus est. Nunc adiicere novum argumentum liceat, quod semper sapiens, & interdum etiam opportune festivus P. Michael Elizalde repetit ex titulis librorum Casuistarum. Non minus est efficax ac robusta quam lepida argumentatio, qua evincit peccari absque actuali cognitione. Transcribamus eiusdem verba ex *Lib. V. quæst.* XI. §. 2. „ Omnes itaque Theologi morales, & etiam puri Moralistæ, & „ *citra Theologiam Casuistæ*, & gregarii quique, uti videre est in Diana, Tamburino, Bonacina, Basaeo, Escobar, Ioanne Sanchez, & similibus, vel titulis ad hanc „ rem positis, vel sub titulo de conscientia distinguunt conscientiam aliam esse rectam, „ aliam erroneam, aliam dubiam, aliam scrupulosam.... Ergo conscientia erronea non „ est dubia, nec scrupulosa. Ergo in conscientia erronea non subest cognitio ulla dubitativa de malitia pollutionis, quam conscientia erronea tamquam bonum di„ ctat; alioqui dubie eam dictat, & dubitando bona esset, vel mala. Ergo con„ scientia non esset erronea, sed dubia. Ergo re, non opinative, sed demonstrative sequitur in conscientia erronea nullam habuisse dubitationem de malitia eius „ rei quam tamquam bonam conscientia erronea dictat. Atque ipsi etiam Casui„ stæ hoc modo conscientiam erroneam declarant. Similiter sequitur: Ergo con„ scientia erronea non est conscientia scrupulosa. Ergo in conscientia erronea nulli sunt scrupuli de malitia rei quæ per errorem bona existimatur, aut etiam „ obligatoria.“

II. Hæc sane demonstratio est ineluctabilis contra Probabilistas. Ipsi enim distinguunt conscientiam in rectam, & erroneam. Hæc conscientia erronea obligat; & qui agit contra eam, secundum omnes peccat. Porro si conscientia erronea admitteret cognitionem de malitia actionis, iam peccatum non esset contra illam agere: quin peccatum esset eam sequi, ut patet cuique ratione prædito. Si dubium adsit, iam non est erronea, sed dubia. At conscientia dubia non obligat ut illam sequamur; sed ut eam deponamus, vel ab opere abstineamus. Quis dixerit, errorem esse dubitationem, vel dubitationem errorem? Per errorem ergo formatur conscientia erronea, & per dubitationem conscientia dubia. Et hoc docent Theologi omnes. Ergo *palmariter*, concludit Elizalde, patet in nulla conscientia erronea reperiri aut cognitionem, aut dubium, aut scrupulum.

§. III.

§. III.

Universæ quæstionis difficultas paucis resolvitur, extremis laxitatis, & rigoris reiectis. Quæ cognitio in caussa sit necessaria ut ignorantiæ crimina imputentur.

I. Dictum est, ignorantiæ peccata fugere humanæ mentis captum. Si perspicue explicari possent, iam non ignorantiæ, sed cognitionis, seu malitiæ peccata essent. Difficillimam esse explicationem modi quo ignoranter peccemus, diximus alias, iterumque repetimus. Extremum laxitatis ignorantiæ pelagianæ, & probabilisticæ fuse supra reiecimus. Explosum quoque fuit extremum rigoris iansemani.

II. Alterum nunc expendendum est extremum nimii rigoris in hac quæstione quorumdam Catholicorum, nempe Sinnichii, Contensonii, Henrici a S. Ignatio, aliorumque. Contendunt isti, nullam inadvertentiam iuris naturæ, aut cuiusque iuris, quæ aliquam personalem culpam præsupponat, esse inculpatam. Quæ sane doctrina absolute accepta æquo rigidior videtur. Quid enim durius, aut severius quam ita constituere hominem, qui v. g. ab initio vitæ peccavit, in negligentia discendi ea quæ scire tenetur, ut toto deinceps vitæ cursu peccare debeat, etiam dum nullo modo recordatur talis negligentiæ, factusque est impotens expellendæ ignorantiæ, totiesque formaliter peccet, quoties vi illius culpæ negligentiæ, a quinquaginta, aut sexaginta annis perpetratæ, ex conscientia errante male materialiter operatur, cum existimatione recte agendi? Et, quod ad ultimum tetricæ severitatis, & immoderati rigoris accedit, est quod homo his erroribus præventus nequeat sinceram suarum culparum pœnitentiam agere. Homo enim qui ignoranter existimat se bene fecisse mentiendo, non habet unde se talis mendacii pœniteat; nec propositum concipere potest sub tanta tenebrarum caligine abstinendi ab opere quod rectum honestumque putat. Quin, admissa erroris hypothesi, propositum abstinendi malum esset, quia oppositum conscientiæ erranti, quæ bonum indicat opus illud, quod tamen absurdum supra refutatum est. Nam neminem sincere pœniteret sui erroris quem Deus in iis quæ ad salutem necessaria sunt, non illuminet. Quare nullus est qui, usque dum vivit, nequeat quorumcumque scelerum pœnitentiam agere. P. Tyrsus Gonzalez *Tom. IV. select. disp.* VI. *sec.* 7. fusius hoc absurdum exaggerat, ut P. Muniessa advertit. Adversarii tamen responso dato illud diluere contendunt. Ut ut de hoc sit, adhuc laudata doctrina mihi non probatur ob ea quæ mox dicam.

III. Videtur ergo primo dicendum, negligentiam addiscendi aliquam legem sub ini-

initium vitæ non posse semper influere in peccata ignorantiæ materialiter commissa, etiam sub vitæ finem; sed evenire posse videtur quod illa ignorantia, seu inadvertentia vincibilis, evadat invincibilis. Raro hoc accidit; attamen, quod evenire possit, permulti non vident cur repugnet. Nam, ut cognitio in caussa reddat opera sequentia mala formaliter, & imputabiliter, debet moraliter persistere, seu virtualiter, ut sana & vera docet Theologia. Potest autem accidere ut interrumpatur illa cognitio, & inadvertentia vincibilis, & culpabilis, fiatque innoxia & invincibilis. Et hæc satis sint adversus extremum nimii rigoris.

IV. Illud nunc est reliqui, ut explicetur, quæ cognitio requiratur, satisque sit ut actio voluntaria in caussa dicatur. Nam verum est axioma: *Nil volitum quin præcognitum*. Nullum voluntarium absque cognitione illius quod peragendum est, vel in se, vel in caussa. Disputant Theologi, necesse ne sit præcognoscere in caussa malitiam actionis in specie, & in individuo, aut satis sit illam præcognoscere in confuso. Concors quippe sententia est, eo modo actionem esse voluntariam quo est cognita: si sit cognita explicite, & actualiter, est voluntaria directe & expresse: si sit cognita solum in caussa, non in se, est voluntaria indirecte & virtualiter. Neque satis est præcognoscere caussam, quatenus physica est; sed requiritur ut præcognoscatur in genere moris. His præmissis,

V. Vera, & omnium Patrum sententia est, non requiri ut præcognoscatur in caussa malitia actionis exercendæ in specie, vel individuo; sed satis esse ut præcognoscatur in confuso. Idque constat ex iis quæ dicta sunt. Quoniam si necessaria foret hæc expressa, & peculiaris cognitio, nulla darentur ignorantiæ delicta. Satis est igitur ut caussa cognoscatur mala. In hac cognitione malitiæ confuse continentur peccata quæ hinc proficisci valent. Et usque dum virtualiter viget, & persistere præsumitur illa prima cognitio caussæ, in qua confuse sequentia præcontinentur peccata, tamdiu ignorantiæ delicta imputabilia sunt.

VI. At, inquis, quid, amabo te, est hic virtualis influxus in peccata sequentia? Quid hoc voluntarium interpretativum? Quid hæc cognitio confusa? Respondeo, primam negligentiam posterioribus negligentiis nutriri, atque in istis vivere. Neglexisti sub initium ea addiscere quæ ad tuam professionem, & communem christianæ legis, & peculiarem tui status pertinent: vincibilis fuit sub initium inadvertentia. Temporis decursu in hac negligentia quiescere persistis, & veluti somnolentus vix excitari pateris. Placet sopor ignorantiæ, quia favet concupiscentiis, appetitionibus, variisque desideriis. En quomodo prima illa inadvertentia moraliter vivit in posterioribus: quoniam numquam sincere, & ex toto corde te excitare a sopore, numquam hominem Dei quærere, numquam Theologum, Confessarium sapientem adire voluisti. Sagacissimus ille amor proprii commodi, & boni, negligentiam desidiamque alit nutritque. Hæc est vita moralis illius pri-

mæ

mæ negligentiæ, hic virtualis influxus, hæc indirecta voluntas. Nondum, reponis, clare teneo modum hunc quo ignorantiæ delicta cum libertate, & voluntate deliberata consocientur. Audi ergo perspicuum aptumque responsum quod tibi S. Hieronymus porrigit, hoc ipsum argumentum resolvens Lib. I. dialog. advers. Pelag. *A me sententiæ Dei, & dispositionis Dei causas requiris. Respondet stultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ*: Altiora te ne quæsieris &c. . . . O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius! .. Pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? .. *Nec enim in lege ratio quæritur, sed auctoritas*. Centies argumentum voluntatis, & libertatis sibi S. Thomas opponit, & semper recurrit ad voluntarium in caussa, seu consequens ad inconsiderationem, ad potestatem considerandi, numquam ad cognitionem actualem.

VII. Nonnulla hic breviter delibabo. 1. 2. *quæst.* VI. *art.* 8. sigillatim explicat ignorantiam antecedentem, concomitantem, & consequentem. De hac, quæ est unica quæstionis nostræ materia, hæc scribit in corp. *Consequenter autem se habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria: & hoc contingit dupliciter, secundum duos modos voluntarii ... Uno modo quia actus voluntatis fertur in ignorantiam; sicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, secundum illud Iob* XXII. Scientiam viarum tuarum nolumus: *& hæc dicitur ignorantia affectata*.

VIII. De hac ignorantia patet, quod non requiratur cognitio. *Alio modo* (pergit S. Doctor) *dicitur ignorantia voluntaria eius quod quis scire potest, & debet; sic enim non agere, & non velle, voluntarium dicitur, ut supra dictum est. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, sive cum aliquis actu non considerat quod considerare potest, & debet, quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu proveniens, sive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere: & secundum hunc modum ignorantia universalium iuris, quæ quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proveniens*.

IX. Concludit autem ibidem hoc pacto. *Cum autem ipsa ignorantia sit voluntaria aliquo istorum modorum, non potest causare simpliciter involuntarium .... in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset scientia præsente*. Legesis S. Doctorem 1. 2. *quæst.* LXXVI. *art.* 3.

X. Si quæ hactenus dicta sunt, memoria collegeris, eaque serio tecum reputaveris animo, nullus dubito quin finem, cuius gratia hæc fuso calamo tractavi, sis assecuturus. Is porro non est, ut clare percipias modum quo peccata ignorantiæ perpetrantur, sed ut evidenter tibi persuasum sit, peccari sæpe per ignorantiam, quin advertatur, aut sciatur. Alterum etiam deprehendes, me ab extremo cuiusque rigorismi declinasse, & ea perspicuitate quam implexa materia fert, controversiam, nisi me amor fallit, explicuisse.

§. IV.

§. IV.

Refellitur ineptum sophisma, doctrinam hanc scrupulorum aculeis animas pungere. Qua ratione conscientia erronea vincibilis deponi valeat.

I. INscii ergo peccabimus? Nullo morsu conscientiam pungente æternas dabimus pœnas? Si hæc consistunt, ubinam interna illa animi quies, mentis serenitas, divini servitii lætitia, & gaudium? Hæc sunt momenta ob quæ Probabilistæ, Scripturæ sanctæ, & SS. Patrum doctrina deserta, novum invexerunt *Ignorantismum*, universæ retro antiquitati incognitum. Verum zelus iste benignitatis, licet a bono fine, piaque intentione faciliorem reddendi salutis viam, suavioresque efficiendi mores, orsa ducat sua, tamen secundum scientiam non est; quin eo tendit ut prima christianæ Theologiæ fundamenta suffodiat.

II. Ut ergo tecta sophisticæ cavillationi occurramus, respondemus, doctrinam a nobis traditam divinum perciere timorem, superbiam deprimere, amoris proprii vaferrimam astutiam eludere. Fatemur, nos ipsos timore & pavore repletos esse, dum hæc scribimus. Quid inde? Ideo ne falsa doctrina nostra? Ideone occultanda, aut silenda, prætereundaque? Dicant nobis Probabilistæ, quos hæc puerorum crepitacula permovent. extremum illud, & terribilium omnium tremendissimum universale judicium, in quo opera, cogitationes, omissiones, verba otiosa, abusus divinæ gratiæ, & donorum cælestium, cetera vel occultissima crimina discutientur, omni sublata clementia, solaque justitia prævalente, aufert ne scrupulos? Est ne aliqua probabilistica suaviloquentia quæ dulcem efficiat ejusdem considerationem? Quid de electorum paucitate? Quid de tam immensa multitudine infidelium, perambulantium in tenebris, & in umbra æternæ mortis? Non ergo hæc prædicanda, non altius exaggeranda ob scrupulorum excitandorum periculum? Sed quid ultra conterimus ineptum sophisma?

III. Deponi conscientiam erroneam vincibilem posse, concors est Theologorum omnium sententia. Ratio qua deponi valeat, negotium summum facessit. Crambem enim recoquunt Probabilistæ clamantes: Ut conscientia erronea vincibilis sit, necesse est ut opposita scientia superari queat. Hoc autem absque aliqua cognitione actuali fieri nequit. ignorantia enim sola cognitione tollitur: hac sublata, ignorantia invincibilis, & insuperabilis est. At toties dictum est, hoc principale fuisse argumentum Critoboli Pelagiani, millies a Patribus convulsum. Paucis rem expedio, ne actum agam. Deponi conscientia vincibilis potest. quia, cum sit consequens, inest voluntati absoluta potestas eam auferendi. Afferamus verba S. Thomæ, qui nullam intactam reliquit in hac controversia difficultatem. Præfatum sophis-

phisma sibi obiicit 1. 2. *quaest.* VI. *art.* 3. cui respondet ad 3. *Eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut & actus voluntatis, ut scilicet sit in potestate alicuius considerare, & velle, & agere: & tunc sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium, ita etiam non considerare.* Tota ergo impotentia deponendi hanc conscientiam est consequens, atque adeo voluntaria. Porro cum hac impotentia consequenti consistit absoluta, & expedita voluntas antecedens, quae excutere hanc ignorantiam valet. Nec urget quod reponis, nempe cum homo laboret ignorantia vincibili, peccat eam sequendo, quia vincibilis est, peccat eidem resistendo, quia conscientia vincibilis obligat. quocumque ergo se vertat homo, peccabit. Necessario ergo homo peccat.

IV. Hoc quoque argumentum sibi obiicit S. Thomas 1. 2. quaest. XIX. art. 6. *Voluntas discordans a ratione errante est mala. Si ergo voluntas concordans rationi erranti sit etiam mala, videtur quod omnis voluntas habentis rationem errantem sit mala & sic talis homo erit perplexus, & ex necessitate peccabit, quod est inconveniens. Ergo voluntas concordans rationi erranti est bona.* Poterat ne clarius proponi Pelagianorum argumentum. Audi nunc solutionem. *Ad tertium dicendum, quod sicut in syllogisticis, uno inconvenienti dato, necesse est alia sequi; ita in moralibus, uno inconvenienti posito, ex necessitate alia sequuntur: sicut supposito quod aliquis quaerat inanem gloriam, sive propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur, sive dimittat, semper peccabit. Nec tamen est perplexus: quia potest intentionem malam dimittere. Et similiter, supposito errore rationis, vel conscientiae, qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est quod sequatur malum in voluntate. Nec tamen est homo perplexus, quia potest ab errore recedere, cum ignorantia sit vincibilis, & voluntaria.* Eamdem omnino responsionem exhibet in *II. dist.* XXXIX. *quaest.* III. Quando ergo suppositio antecedens ignorantiae est voluntaria, nullum est inconveniens, necessario peccatum sequi. Plurima afferri exempla possent; sed allatum a S. Thoma sat est. Constituisti audire Sacrum ob inanem gloriam die festo: sive audias, sive non audias, peccas. Et tamen non excusaris, quia libere posuisti antecedens, & libere illud removere vales. Similiter removere in nostra caussa vales negligentiam, qua inducta est ignorantia, & inconsideratio; & negligentiae praeteritae substituere diligentiam, vigilantiam, sedulitatem: cohibere potes pravam consuetudinem, habitus corruptos, & amoris proprii commodi versutiam deludere. Tandem potissimum remedium expellendi ignorantiam est fervens oratio, & humilis, assiduaque impetratio divini luminis. *Illumina tenebras meas, ne unquam obdormiam in morte. Vias tuas edoce me. Da mihi intellectum, Domine.* Verum de hoc infra.

V. Opportuna est proverbii triti applicatio quaestioni nostrae, nimirum eamdem esse viam Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Qua ergo via quis Athenis Thebas

bas perrexit, eadem, inquit Elizalde, Thebis reverti Athenas valet. Eisdem ergo viis, & gradibus, sed directe contrariis, incedendum est ad expellendas ignorantias. Faciendo quod non debuisti, in ignorantiæ tenebras prolapsus es. Fac quod debes, & in semitas regredieris veritatis & iustitiæ. Nullum est peccatum ignorantiæ, ut dictum alias est, iterumque repetendum, quod non præcedat peccatum scienter perpetratum. Apage ergo Probabilistarum quorumdam nugas, & crepitacula, quibus clamant, impossibilem esse peccatorum ignorantiæ pœnitentiam, sublata actuali consideratione. Apage, inquam, inepta commenta. In tua quippe constitutum facultate est desinere esse superbum, desidem, tui, mundique æquo amantiorem: in tua est potestate, Dei amore flagrare, orare, vigilare, humiliari, lumen impetrare, divina opitulante gratia. Hæc fac, & tenebræ ignorantiæ disperibunt. Sæpe meditare illud. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.*

VI. Ne vero in ipsis depellendis ignorantiis erres, advertas velim, hanc expulsionem haud fieri mentis aciem intendendo, & vi intellectum defigendo: quoniam his conatibus non veritatem invenies, sed mentis potius infirmitatem contrahes. Vias, quas indicavi, humilitatis, purgationis conscientiæ, vigilantiæ, & caritatis percurre; & lumen veritatis offendes.

CAPUT II.

Ignorantia quomodo in se peccatum est, & caussa peccati, & ab eo distincta. Plures quæstiunculæ resolvuntur.

I. Quamquam nullum est peccatum sine voluntate libere concurrente; tamen non sola voluntate peccatur: nam aliis quoque potentiis, & potissimum intellectu, multa & gravissima scelera perpetrantur, ut hæresis, infidelitas, & id genus alia, opposita præceptis affirmativis credendi, & negativis prohibentibus dubitationes, & dissensus contrarios: idque affirmant Theologi omnes, paucis quibusdam recentioribus exceptis. Intellectus quippe potentia est, ut vocant, elicitiva infidelitatis, & hæresis; tametsi a voluntate movente pendeat.

II. Plura consideranda occurrunt in peccatis ignorantiæ. Primum illorum caussæ, nempe negligentia addiscendi, voluntas ignorandi, peccata superbiæ, avaritiæ &c. ex quibus oriuntur ignorantiæ, quæ aut sunt peccatum, aut caussa peccandi. Animadvertit S. Thomas 1. 2. *quæst.* LXXII. *art.* 7. duo differre posse aut specie completa, ut bos, equus, homo; aut incompleta, ut peccata cordis, oris, & operis, quando omnia hæc tria concurrunt. Ignorantia interdum derivatur a superbia, tam-

tamquam a specie completa, seu inchoante peccatum. Ipsa quoque ignorantia aliquando est species completa in se, ut infidelitas, hæresis, iudicium temerarium &c. aliquando est species incompleta, ut ignorantia operandorum, usuræ, libidinis &c. Quoties caussæ ignorantiæ, vel ignorantia ipsa non habent in se speciem completam peccati, non plura, sed unum efficiunt peccatum; ut si quis negligens addiscere legem prohibentem usuram, ineat contractum usurarium, unum in specie usuræ peccatum committit. Itaque negligentia, ignorantia vincibilis, & usura sunt unum peccatum eiusdem speciei usuræ; ac si scienter commissum esset. Non ergo sola negligentia, ut contendunt Probabilistæ, est peccatum, sed & ipsum opus, ignoratum ob negligentiam, peccatum est. Nam iuxta Probabilistas peccatum ignorantiæ vincibilis eiusdem speciei est ac peccatum scienter commissum. Si quis negligens in addiscendo leges furti, usuræ &c. obeat, antequam furtum, usurasque exerceat, profecto non erit neque fur, neque usurarius.

III. At quando caussa ignorantiæ est species completa, ut sunt peccata hæresis, iudicii temerarii &c. tunc peccata ignorantiæ sunt speciei distinctæ. Id patet ex Apostolo Paulo, qui ad *Rom. cap.1.* constituit ingratitudinem, & superbiam caussa ignorantiæ, & cæcitatis. *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* &c. Quid heinc? *Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam: similiter autem & masculi* &c. Caussa ignorantiæ ingratitudo, & superbia; peccatum vero ignorantiæ sodomia. Quis dixerit, sodomiam, [redacted] superbiam eamdem efficere peccati speciem? Et tamen iuxta Theologiam recentiorum, potissimum P. La-Croix, Ethnici Romani peccaverunt *præcise* in caussa superbiæ, secus in sodomia, propter superbiam ignorata. Similiter superbia, & avaritia excæcavit Scribas, & Pharisæos: hi seduxerunt populum: tum Filium Dei crucifigendum tradiderunt, eius discipulos Stephanum, & Iacobum morte affecerunt, ignorantes se peccare. Probabilistæ respondent, eos habuisse actualem cognitionem; Christus testatur: *Nesciunt quid faciunt*. Probabilistæ reponunt, conscientiæ *morsum* expertos fuisse, Christus affirmat, illos credidisse *se obsequium præstare Deo*. Iudæorum ergo ignorantia vincibilis fuit, & criminosa. Præter ergo peccata superbiæ, & avaritiæ, quæ fuerunt ignorantiæ caussæ, horrendum deicidium perpetrarunt *nescientes quid agerent*. Homicidia perpetrarunt lapidibus Stephanum obruendo, & Iacobum interficiendo; licet obsequium se præstare Deo arbitrarentur.

IV. Quid ad hæc Probabilistæ? Veritate divina testante, Iudæi ignorabant se peccare. Ubi ergo libertas, ubi voluntarium; cum nil volitum quin præcognitum? Si hoc illorum, & Pelagianorum argumentum quidquam valet; Iudæi non peccarunt, dum Stephanum lapidarunt, Iacobum occiderunt, & Iesum crucifixerunt. Hoc autem asserere error est manifestus. Verum de his plura iam dicta sunt supra.

pra. Sed iuvat, opportunitate data, eadem repetere, ut ubique appareat, quam sit in suis *annexis*, & *connexis* infelix, vanum, & monstrosum Probabilismi commentum.

V. Ut clarius ea quæ dicturi sumus, percipias, duplex distinguenda ignorantia est; altera habitualis, altera actualis. Habitualis est privatio debitæ notitiæ; actualis est privatio actualis considerationis, quæ pressius dicitur inconsideratio. Habitualis non est peccatum formaliter in se, sicut nec alii habitus vitiosi, sed est caussa peccati: quoniam, ut commune habet proverbium, habitibus nec meremur, nec demeremur. Actualis vero peccatum est in se. siquidem omnis omissio voluntaria actus debiti peccatum est. Ignorantia vincibilis est omissio actus debiti. Ergo est peccatum.

VI. Quæst. I. *Quandonam ignorantia est peccatum in se, & ratione sui distinctum ab opere quod infert?* Resp. Scientia moralis theologica interdum est debita absolute, & ratione sui, interdum vero debita est propter directionem aliarum operationum. Primo modo debita est potissimum Christianis notitia articulorum fidei proxime & immediate, ut istarum veritatum lumine intellectus illustretur. Et quamvis ex hoc lumine ceteræ quoque operationes dirigantur; tamen immediate propter illas non infunditur, sed ut perficiatur intellectus, & captivetur in obsequium fidei. Igitur Christiani scire tenentur articulos fidei, præcepta Decalogi, septem sacramenta. Alii vero, ut Parochi, Magistri, Prælati, Doctores, maiori debent esse notitia imbuti. Secundo modo astringuntur habere notitiam pro regimine, & moderamine suarum operationum quæ proprium statum spectant. V. g. coniugatus debet scire quæ pertinent ad suum statum coniugalem dirigendum. Quando ignorantia est illarum rerum cuius notitia absolute, & propter se necessaria est, peccatum distinctum est ab aliis peccatis quæ ex illa sequuntur. Ratio clara est. Quando operatio absolute, & ratione sui debita est, eiusdem omissio absolute, & in se criminosa est. Hac ratione omissio Sacri, in se peccatum est, quia auditio eiusdem absolute debita est. Quare negligentia addiscendi, & ignorantia legis sciendæ absolute constituunt unum peccatum secundum se. Contra vero ignorantia rerum quarum notitia debita est tantum pro aliarum operationum regimine, licet evadat peccatum in se, non tamen absolute peccatum est distinctum ab ipsis peccatis quæ talem ignorantiam consequuntur. Obvia res est.

VII. Quæst. II. *Quando incipiat peccatum ignorantiæ eorum quæ quis scire tenetur?* Resp. S. Thomas, qui præ ceteris peccata ignorantiæ dispicit pluribus in locis, & potissimum 1. 2. *quæst.* LXXVI. *art.* 2. quærit, sit ne ignorantia peccatum in se; & ex textu D. Pauli I. ad Cor. XIV. *Si quis ignorat, ignorabitur*, infert. *Ergo ignorantia est peccatum*. Adversus hanc doctrinam obiicit sibi, quod si ignorantia esset peccatum, cum hæc continue in homine maneat, continue homo peccaret.

Cui

Cui obiectioni sic respondit. *Sicut in aliis peccatis omissionis solo illo tempore homo actu peccat pro quo praeceptum affirmativum obligat; ita est etiam de peccato ignorantiae. Non enim continue ignorans actu peccat, sed solum quando est tempus acquirendi scientiam quam habere tenetur*. Quando ergo veritates absolute sunt ab homine sciendæ, tunc incipit peccare cum se occasio offert addiscendi, negligitque notitiam comparare. Quare si pluries divisim occasio addiscendi occurrit, pluries etiam peccat. Porro *omnes* (subdit Angelicus loc. cit in corp.) *tenentur scire communiter ea; quae sunt fidei, & universalia iuris praecepta; singuli autem ea quae ad eorum statum, vel officium spectant*. Quando e contrario ignorantia est illarum rerum quarum notitia regimen aliarum operationum immediate spectat, ut est notitia huius diei festi, ut Missa audiatur, & a labore abstineatur, peccatum ignorantiæ tum incipit cum tempus instat præcepti implendi. Incipit quoque ignorantiæ crimen, cum quis se se deliberate periculo exponit ignorandi legis obligationem.

VIII. Quæst. III. *Qua via ignorantia vincibilis fiat invincibilis, amittatque rationem peccati?* Resp. Ignorantia consequens peccatum originale, post baptismum remanet pœna peccati, non peccatum, ut Augustinus docet *Lib. VI. cont. Iulian. cap.* XVI. Ignorantia personalis vincibilis, & criminosa vi sinceræ pœnitentiæ cum aliis peccatis deletur. Nec enim in peccatoris iustificatione peccata scita, seu malitiæ deleri possunt, quin deleantur etiam ignorantiæ delicta. Remanet ergo in Christiano iustificato ignorantia illa (si tamen remaneat, & lumen cum gratia iustificationis non infundatur) per modum pœnæ, sicut in renatis ignorantia consequens peccatum originale. Post iustificationem, si remanet, nec est peccatum, nec caussa peccati, vel solum est caussa peccati materialis, secus formalis: & hoc sensu dicimus ex vincibili fieri invincibilem. Quod si quæras, quibus indiciis deprehendi possit huiusmodi transitus, respondeo, de his indiciis locutum me esse *dissert. I. cap.* III. *quæst.* VI. Repeto in præsens, me valde ac summopere timere, eiusmodi ignorantiæ delicta in illis non remitti qui peccata venialia quam facile perpetrant, mendaciola frequenter effutiunt. Proponunt in sacramento pœnitentiæ non perpetrare certa crimina gravia, & manifesta; parum vero, aut nihil solliciti sunt ea scire, & exequi quæ proprium statum, & officium spectant. Nolunt a consueta vivendi ratione remissa, & quasi laxa recedere, sed vetustæ insistere viæ. Omnes tamen confessionem, sanctamque communionem frequentant. Recentiorum benigna Theologia interrogat, num morsum conscientiæ experiantur. Nullo se pungi remorsu, isti respondent. Et hoc posito, ignorantiæ tenebræ densiores in dies fiunt. Hinc iterum collige, hanc de *remorsu, & advertentia actuali* in peccatis ignorantiæ doctrinam perditionis plurimorum originem esse.

CAPUT III.

Quodnam discrimen ignorantiam inter & errorem. Consectarium manifestæ falsitatis PROBABILISMI.

I. NOtitia discriminis quo ignorantia ab errore distinguitur, quammaxime necessaria est. heinc enim Probabilismi falsitas apparere incipit. Porro ignorantia, ut diximus, privatio est notitiæ veritatis necessario sciendæ. Error contra assensus est intellectus, quo falsitas pro veritate, aut veritas pro falsitate approbatur. Ignorantia innocens esse potest, error difficilius a peccato excusatur. Hæc tota est S. Thomæ doctrina quæst. 111 de malo art. 7. in cor. *Error autem est approbare falsa pro veris: unde addit actum quemdam super ignorantiam. Potest enim esse ignorantia sine hoc quod aliquis de ignotis sententiam ferat; & tunc est ignorans, & non errans. Sed quando iam falsam sententiam fert de his quæ nescit, tunc proprie dicitur errare. Et quia peccatum in actu consistit, error manifeste habet rationem peccati. Non enim est absque præsumptione quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, & maxime in quibus periculum existit.* Ne vero in addiscenda erroris notione decipiaris, advertas velim, quod hæc Angelici verba, *Quia peccatum in actu consistit, error manifeste habet rationem peccati*, hunc produnt sensum, quod error proprie habet rationem peccati. Error quippe actus est intellectus; peccatum autem in actu situm est. Ceterum etiam error inculpatus esse potest, si debitam diligentiam præsupponat; vitiosus autem est, quia destitutus est prævia necessaria discussione. Inculpatus vero, & invincibilis dicitur, quando, adhibita omni possibili diligentia, approbat falsa pro veris.

II. Consectarium falsitatis Probabilismi ex hac doctrina satis evidenter colligitur. Quisque ignorare absque culpa potest, quænam ex duabus opinionibus utrinque probabilibus vera, aut falsa sit. At sententiam ferre super rebus ignoratis vix a culpa carere potest. Quod clarius explico. In conflictu duarum opinionum probabilium super eadem re, una falsa sit oportet, & altera vera. Utra autem vera, falsave sit, tu ignoras. Ignorantia hucusque innocens esse potest. At si sententiam rogas in favorem opinionis minus probabilis, quam veram esse ignoras, immo minus veram probabiliter esse aperte fateris: error tunc præsumptuosus est, adeoque culpabilis. Nec est quod reponas, fieri posse quod & probabilior, immo probabilissima sententia falsa sit, dum indicatur vera: & non minus Antiprobabilista quam Probabilista confitetur se ignorare veritatem. Verum habet. At error Probabilistæ culpa-

culpabilis est: quia temere pronuntiat sententiam veritatis in favorem illius opinionis quam minus veram iudicat. *Non enim est absque præsumptione quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, & maxime in quibus periculum est.* Hæc doctrina absolute vera est. Duæ sunt evitandæ culpæ viæ. Prima est suspensio sententiæ. Altera, si sententia roganda sit, omnem adhibere diligentiam ut præsumptionem evites, & temeritatem. Quis porro dixerit temerariam, & præsumptuosam non esse sententiam latam in favorem partis a qua tu ipse probabilius falsitatem stare quam veritatem, iudicas? Antiprobabilista ergo excusatur, si errat: quia post exactam diligentiam fert sententiam super illam opinionem quam probabilius veram esse iudicat; Probabilista autem fert sententiam super illam opinionem quam probabilius iudicat esse falsam. Idcirco error istius noxius, illius innocens est. Quando vero sententiæ sunt æque probabiles, aut suspendendus assensus est, ut error vitetur; aut si ferendæ sententiæ necessitas urgeat, tutior pars eligenda est, ne error temeritatis, & præsumptionis caussa sit.

CAPUT IV.

Cæcitatis mentalis notio: illius caussæ, & effectus.

I. IGnorantiæ error, errori cæcitas mentis succedit. Aliqua ergo de cæcitate dicenda sunt, ut clarius pateat quo tandem recidat illa prima, & continuata negligentia addiscendæ divinæ legis. De cæcitate Casuistæ, & Probabilistæ vulgares aut nihil, aut parum loquuntur, quod illorum sistemati minime expediat. Notitia tamen cæcitatis istius, explicatio, & promulgatio apprime necessaria est: quo enim gravius malum est, & pestilentius, eo est scitu magis necessarium, ut homines illud præcavere, & antidotis sese munire contra illud valeant. De cæcitate fusum habet sermonem S. Thomas pluribus in locis, potissimum vero 2. 2. *quæst.* XVI. *art.* 1. 2. & 3. & 1. 2. *quæst.* LXXIX. *art.* 1. 2. 3. & 4. P. Michael Elizalde *II. Part. Lib. V. quæst.* XIV. Ex utroque pauca delibabo, ut expulsa segnitie, sopore, & desidia, excitetur timor, humilitas, vigilantia, & diligentia comparandæ notitiæ veritatis.

II. Notio cæcitatis quam S. Thomas perhibet 2. 2. quæst. XV. art. 1. in cor. *Est privatio eius quod est principium mentalis, seu intellectualis visionis. Quod quidem principium est triplex. Unum quidem est lumen naturalis rationis: & hoc lumen, cum pertineat ad speciem animæ rationalis, numquam privatur ab anima .... Aliud autem principium intellectualis visionis est aliquod lumen habituale, naturali lumini rationis superadditum: & hoc lumen interdum privatur ab anima: & talis privatio est cæcitas, quæ est pœna, secundum quod privatio luminis gratiæ quædam pœna ponitur. Unde dicitur de quibusdam Sapien.* 2. Excæcavit illos malitia eorum.

 Ter-

Tertium principium visionis intellectualis est aliquod intelligibile principium, per quod homo intelligit alia &c.

III. Primum ergo principium visionis intellectualis est lumen naturale animæ, quod numquam ab eadem per peccatum aufertur; minuitur tamen, & obtunditur, ut docet idem Angelicus 1. 2. *quæst.* XCIV. *art.* 6. Alterum lumen, in cuius privatione cæcitas mentis proprie sita est, lumen gratiæ est habituale, non actuale. Quare qui carent actuali lumine piarum cogitationum, cæci non dicuntur. Hæc duo lumina subiectiva appellari queunt, quod menti hæreant. Tertium lumen obiectivum est, quod Angelicus vocat principium intelligibile, quo intellectus alia intelligit. In hoc principium potest intellectus aciem suam intendere, aut non intendere. Dupliciter autem intendere non potest, vel expresse oculos lumini claudendo; vel propter intensiorem applicationem ad alia quæ magis deperit. Hæc sunt verba quæ continuo ibidem subdit S. Doctor. *Cui quidem principio intelligibili mens hominis potest intendere, vel non intendere & quod ei non intendat, contingit dupliciter. Quandoque quidem ex hoc quod habet voluntatem spontanee se se avertentem a consideratione talis principii, secundum illud Psal.* XXXV. Noluit intelligere, ut bene ageret. *Alio modo per occupationem mentis circa alia quæ magis diligit, quibus ab inspectione huius principii mens avertitur, secundum illud Psal.* LVII. Supercecidit ignis, *scilicet concupiscentiæ*, & non viderunt solem. *Et utroque modo cæcitas mentis est peccatum.*

IV. Rem totam paritate visus corporalis percipere potes. Nam deficere facultas videndi potest vel subtractione luminis subiectivi, seu virtutis videndi, vel quia obiecta tenebris operiuntur. Sic mentis cæcitas accidit, vel quando subtrahitur lumen habituale ex parte intellectus, aut quando removetur principium intelligibile ex parte obiecti. Hinc collige discrimen inter ignorantiam & cæcitatem. Nam ignorantia non privat intellectu, quemadmodum illo privat cæcitas. Et ad hanc cæcitatem alludit Psalmista Psalm. CXV. *Quibus non est intellectus:* & Evangelista Matthæus cap. XV. *Adhuc & vos sine intellectu estis!* Ignorantia ergo retinet intellectum, seu principia intelligendi: cæcitas ipsa principia aufert, si sit plena: quæ tamen raro accidit. Nam vel ipsam Iudæorum cæcitatem dimidiatam Paulus appellat Rom. 11. *Cæcitas ex parte contigit in Israel.*

V. Porro, ut clarius teneas quid sit hoc tertium principium intelligibile, a S. Thoma inductum, scito illud esse Dei verbum aut scriptum, aut traditum, esse ipsam legem Dei in sanctis Scripturis contentam. Hoc est principium obiectivum intelligibile, per quod ea quæ Deum, & nos, & proximum spectant, intelligimus. Remotio autem istius principii contingere potest vel quoad mores, vel quoad fidem, vel quantum ad utrumque. Quare ethnici, & infideles, qui hoc principio carent, in summa versantur cæcitate.

VI.

VI. Et quoniam ad ædificationem, instructionem, ac pietatem perciendam, non ad acumen, aut eruditionem vanam ostentandam hæc scribimus, ad praxim doctrinam revocabo, & sensibili penicillo repræsentabo velum illud cæcitatis quod ex privatione principii intelligibilis, seu obiectivi, tot Catholici mentis oculis libere prætendunt. Præter igitur lumen habituale gratiæ ex parte intellectus est aliud lumen obiectivum, dictum ab Angelico principium intelligibile, verbum nimirum Dei. Porro quot Catholici cuiusque status, & professionis, suis opinionibus cum nutric . lacte haustis assueti, sponte hoc lumen repudiant. In speculum sanctarum Scripturarum, in quo omnia ad salutem necessaria cernuntur, oculos intendere nolunt. Cur? Quia speculum istud evangelicum, a Deo nobis traditum, viam paradisi arctam, angustam, spinis septam, præruptis anfractibus circumdatam repræsentat. In hac montes superandi, hostes, & grassatores devincendi sunt, pericula undique imminent. Si quando oculos in speculum istud intendunt, veluti pueri horribile aliquod spectrum aspicientes, perterrefacti e vestigio alio oculos divertunt: adeunt alia specula, non a Deo, sed ab hominibus conficta, quæ hanc eamdem paradisi viam repræsentant floribus aspersam, lacte & melle manantem, quæ viatores continenter oblectat, qua conviviis opipare instructis ad palatum fatur andum, qua theatris, & spectaculis ad sensus omnes demulcendo. Hæc specula sunt libri quorumdam recentium Probabilistarum, qui sane legem Dei fucis, & calamistris hominum ingenio, & appetitionibus accommodarunt. Porro tot Christiani cuiusque conditionis, in tot opinionum perversitate educati, speculum Scripturarum a Deo datum respicere nolunt, quin nec Scripturas istas a Dei ministris sibi repræsentari, & exponi patiuntur. Si quandoque audiunt Dei verbi Concionatores, & Theologos, qui sanctam Dei legem absque fucis & coloribus interpretentur, illos amplius audire detrectant, atque traducunt ceu *Rigoristas*, austerioris doctrinæ exaggeratores, & libros sanioris doctrinæ perhorrescunt. Istorum cæcorum turbam quisque dignoscere valet. Privatio vero istius principii intelligibilis infert privationem luminis ex parte intellectus.

VII. Cæcitatis velamen, quod paucis perstrinxi, vividioribus coloribus depingit Isaias Propheta cap. XXIX. *Obstupescite, & admiramini, fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non a vino: movemini, & non ab ebrietate. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas, & Principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Audi quæ sequuntur. *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent, Lege istum: & respondebit, Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei, Lege: & respondebit, Nescio litteras,*

VIII. Quæ sequuntur, tremendiora sunt, & pressius punctum tangunt. *Et dixit Dominus: Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me,*

cor autem eius longe est a me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis: ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium.

IX. Quid quod Servator noster divinus hæc eadem Isaiæ verba repetit, exprobratque Iudæis Matth. XV. *Bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum . . . . Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

X. Non minus perspicue laudatus Isaias Propheta istius tremendæ cæcitatis caliginem describit cap. VI. *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava, & oculos eius claude; ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat.*

XI Hunc quoque textum refert Evangelista Ioannes cap. XII. *Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur . . . . Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum; ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Similia habet Marcus cap. IV. *Ut videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant.*

XII. Pugnantia prodere sacri textus videntur. At facilis est eorum intelligentia, si serio perpendantur. Videbant Pharisæi, Scribæ, & populus Christum; videbant signa, & prodigia. At ignis superbiæ, avaritiæ, & invidiæ continuo illos excæcabat. A multo siquidem tempore falsæ opiniones, erroneæque sententiæ in Synagoga obtinebant: futurum nempe Messiam terreni principatus dominum, & asseclas suos divitiis, felicitate temporali, & patrimonio amplo cumulaturum credebant. Semetipsos legis magistros, eruditos, doctos, sapientes reputabant; filium vero fabri, ut vilem homuncionem, litterarum ignarum, & sapientia destitutum contemnebant. His præoccupati opinionibus miracula, ceu arte dæmonis conficta, & phantastica, respuebant. En quomodo videbant, & non videbant. Excæcatio isthæc similis ei est quam Naas Ammonites inducere tentavit in populum Iabes Galaad *In hoc feriam*, inquit, *vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros*. I. Reg. cap. XI. vers. 2. Duos veluti oculos habet mens humana, dexterum, quo contemplatur cælestia, sinistrum, quo meditatur terrena. Funesta superbiæ, avaritiæ, invidentiæ caligo eruerat Scribis, & Pharisæis, ac universo populo, doctores suos sequenti, oculos dexteros, idcirco non videbant: habebant vero oculos sinistros nequissimos, quibus terrena spectabant. Ambrosius alicubi istos vocat *hebetes ad divina, acutos ad vana.*

XIII. Non valde absimilis est, proportione servata, cæcitas quam a duobus fere

re sæculis Probabilismus invexit, concludit sapientissimus Iesuita P. Michael Elizalde *Lib. V. quæst.* XIII. §. 3. „ Habebant enim inter plurimas eam falsam opinionem, quod Messias cumulaturus ipsos esset felicitate temporali . . . . Habebant „ etiam aliam, qua supponebant se doctos, litteratos, sapientesque esse, quibus „ magis esset standum quam fabri filio, sibi contrario, qui nuspiam litteras didicisset. Atque ex his falsis, sibi ex passione, & consuetudine veris existimatis, „ inferebant omnia contraria esse falsa, & phantastica . *quemadmodum in his ipsis* „ *causis nostris vulgarium Probabilium assertores quidquid suæ opinioni, quo nihil forsitan in scholis patentius falsum est, quidquid, inquam, contradicit, non* „ *phantasticum, & sophisticum pronuntiant. Et idem est in hac alia causa de peccatis ignorantiæ.* “

XIV. Incredibilem vim affectionum, consuetudinis, educationis ad excæcandam mentem colligit etiam Elizalde ex tanta scholarum diversitate circa ipsa prima & universalia principia : *Quodlibet est, vel non est : Impossibile est idem simul esse, & non esse* In his alius Thomistæ, alius Scotistæ intellectus est, alius plurimorum recentiorum, ubique obtrudentium distinctiones, & *entia media*, non tot, quin plura, de quibus nec dicere liceat, *Sunt*, nec negare liceat, *Non sunt*. Quæ omnia duobus effatis Aristoteles explicuit : altero, quo dixit, principia mole esse minima, sed a paucis intelligi, altero, quo statuit homines iudicare, quemadmodum consuescunt, seu ad normam moris, & consuetudinis ; paucosque esse qui consuetudine non ducantur . Quod etiam Seneca sæpe inculcat, & Augustinus passim inclamat, assimilatque consuetudinis vim ad excantandam humanam mentem, despumanti torrenti, qui, fractis aggeribus, cuncta secum abripit. Cuiusque factionis asseclis sua videntur clara, & perspicua. Iudæis post tot signa, & miracula, post tantam sæculorum seriem, Christus est scandalum, & stultitia . Christi Vicarius Lutheranis, & Calvinistis Antichristus est.

XV. Caussæ nunc tantæ cæcitatis explicandæ sunt. Duas assignant Theologi, hominis cæci voluntatem, & Deum. Aliquo modo Deum ipsum ad hanc cæcitatem concurrere, testantur Prophetæ, & Evangelistæ . Isaias : *Excæca cor populi huius*. Ezechiel : *Ego Dominus decepi Prophetam illum*. Ioannes : *Excæcavit oculos eorum*. Paulus : *Excæcavit eos malitia sua*. Communis Theologorum explicatio horum, similiumque textuum est, Deum caussam esse cæcitatis permissivam ; cæci vero voluntatem caussam positivam.

XVI. Hanc interpretationem, inquit Melchior Canus *Lib. II. de loc. theolog. cap.* IV. ita exosculor, ut minime periculum iudicem, *si permissioni nonnihil addamus : quod nec actio proprie Dei sit, nec sola permissio. Ita enim, ut reor, Scripturæ sacræ intelligentiam germanam, solidam, expressamque tenebimus*. Ratio cur doctissimo *Cano* non videtur sola permissione consistere germanum Scripturæ sensum,

 est,

est, quod hinc consequitur, Deum excæcare omnes qui in peccato decedunt ex hac vita: quod nec Scriptura, nec ratio recipit. Præter ergo nudam permissionem, addit Canus satanæ ministerium, vi cuius dicitur Deus efficere quod minister peragit. *Quemadmodum quæ iudicis administer, dum iussam eius sententiam exequitur, facit, ea suo modo a iudice quoque fieri sane intelligimus.*

XVII. *Canus* refutat Caietanum, asserentem Deum caussam esse cæcitatis ut est malum pœnæ, secus ut malum culpæ: additque, se ignorare, num Theologia recipiat argutias adeo formales. Sed, ut advertit prius Elizalde, licet laudandus sit sapientis *Cani* conatus in re adeo ardua; tamen secundus illius modus quem adiicit ad salvandam Scripturæ energiam, nihil prorsus lucis affert. Siquidem fac Deum uti dæmone ad excæcandum impium. Quid inde? Continuo quæstio insurgit, permittat ne Deus dæmoni, an cum ipso reapse concurrat ad cæcitatem inducendam. Si dæmoni tantum permittit Deus, nihil habetur quo salva consistat divinorum textuum energia, pro qua dimicat *Canus*. Sive enim dæmoni, sive ipsi cæco excæcationem inducendam permittat, perinde est. Si asseratur, Deum quidquam in dæmonis ministerio operari, aut eidem aliquid iubere, absurdum consequitur, Deum positive in ipsam cæcitatem influere. Quare merito Elizalde displicent illa duo verba adhibita a sapiente *Cano*, nimirum *utitur*, & *roboratus*. Nam Deum uti dæmonis ministerio plusquam nudam permissionem prodit: idque confirmat evidentius aliud verbum *roboratus*. Si enim dæmon, *Dei auctoritate roboratus*, cæcitatem efficit, aliquid accipit in hoc robore significatum. Tertius quoque modus, quem ex S. Hieronymo adducit *Canus*, licet obdurationis, non tamen cæcitatis explicationi confert. Utique lutum in conspectu solis obduratur, & cera liquescit: sic illustrationis gratiæ resistens obduratur, consentiens mollior ac tenuior efficitur. Cæcitas vero luminis subtractione, sicuti nox, tenebræque solis recessu inducuntur. Accidit tamen ut aliquo modo dici possit, ipsum solis conspectum magis excæcare lippos, infirmosque oculos, fortiores illuminare. sicque, ut Athanasius docet, ad solis Iustitiæ e cruce splendentis conspectum magis obtenebrantur Iudæi improbi, magisque illuminantur fideles. Hæc opponit Elizalde adversus *Cani* interpretationem. Dicet fortasse quisquam: Eccur sapientissimi Scriptoris domestici interpretationem ab extranei Theologi oppugnatione non asseris? Respondeo, quia ipse vere sapiens, & doctus *Canus* id mihi vetat; cum toties dicit, non pro partium studio, non pro factionis propriæ decore, sed pro unica veritate in litterarum studia incumbendum esse. Vitio sibi ipse non vertit carpere Caietanum, eloquentia quidem, & politioribus litteris inferiorem, sed ingenii acumine, & scientiarum vastitate sane æqualem, & (sit venia verbo) superiorem, ut opera illius demonstrant. Quod si liberius interdum per Scripturarum campum excurrit; nec Canus limites adeo in scribendo angustos sibi

bi circumdedit. Si Caietanus nimium subtiliter sub obscuris formalitatum scholasticarum arcanis abscondit interpretationem illorum textuum; ita tamen caute loquitur, ut vix, ac ne vix quidem capi in sermone valeat. Et forte interdum haud dedecet quæ Deus arcana esse voluit, arcanis obtegere. Clarior enim, & undequaque energiæ illarum locutionum respondens interpretatio, præter illam quam Patres omnes dedere, adhuc non apparuit: & quæ sapiens Canus adiicere voluit, consistere minime videntur. Si quid imbecillitati occurreret meæ, quo doctissimi atque elegantissimi Theologi, mihique pluribus titulis venerandi, in re perardua conatus propugnare possem, perlibenter profecto id præstarem, idque efficiendo ingenio, officioque indulgerem. Sed hæc omnia præter rem.

XVIII. Paucis S. Thomas 1. 2. *quæst.* lxxix. *art.* 3 sua perspicuitate, revera angelica, quod mens humana excogitare hactenus potuit in horum textuum prodendo sensu, exprimit. Duo distinguit, ut advertit etiam præfatus Elizalde, in cæcitate impii, motum animi malo inhærentis, & gratiæ subtractionem. Posterioris Deum, prioris hominem caussam esse docet. *Excæcatio, & obduratio duo importat. Quorum unum est motus animi humani inhærentis malo, & aversi a divino lumine: & quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis . . . Aliud autem est subtractio gratiæ, ex qua sequitur quod mens divinitus non illuminatur ad recte videndum: & quantum ad hoc Deus est causa excæcationis, & obdurationis.* Animum intende in illud verbum *inhærentis*, ut colligas, non quodlibet peccatum cæcitatem inducere, sed plura crimina concurrere ad hanc telam texendam. Peccator vero, qui textor est velaminis, non ex infirmitate peccatum amplectitur, sed iniquitati inhæret, seu in eadem permanet, & veluti quiescit. Ne multa. Deus purus permissor est cæcitatis, homo solus eiusdem formator. Dæmon quoque concurrere ad excæcationem dicitur, quatenus instigat ad culpam. Sed de hoc plus quam satis.

XIX. Concors est Theologorum sententia, cæcitatem non excusare a culpa. Quare D. Thomas 2. 2. *quæst.* xv. *art.* 1. opponit sibi illud Ioan. ix. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Cui respondet: *Cæcitas quæ excusat a peccato, est quæ contingit ex naturali defectu non potentis videre.* Superfluum existimo Patrum testimonia allegare in re apertissima.

XX. Quoniam adducti divini textus tum ex antiquo, tum ex novo testamento, de cæcitate Iudæorum aperte loquuntur, videndum breviter est, accidere ne Christianis similis mentis cæcitas possit, & soleat. De quo funesto eventu qui ambigeret, cæcum e vestigio se proderet. Ubi enim eædem caussæ, iidem quoque effectus sunt. Cæcitatis matres sunt superbia, avaritia, luxuria, tumor mentis, ambitio. Matres istæ regnant in pluribus Catholicis. Ergo & filiæ, cæcitas, & obduratio. Perspicue docet Apostolorum Princeps Petrus *II. Epist. cap.* 1. cæcos

illos

illos esse qui non ministrant in fide virtutem, *in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem . . . Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter fratres magis satagite* &c. Consule caussas quibus Iudæi veluti compulerunt Deum ad subtrahendum lumen, quibusque ipsi defixi tenebantur in luto scelerum suorum. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Animadvertas, quæso, serio velim, Deum semper prius obiurgasse Doctorum, & Magistrorum cæcitatem. Prius cæcos ductores, post cæcos ductos increpat. Secundo tecum serio reputa, Christum non invehi in homicidas, in sacrilegos, blasphematores, similesque, sed primum in hypocritas, Deo labiis appropinquantes, corde autem longe abeuntes. In his prima cæcitatis mater superbia. cuius typum præfert Pharisæus inquiens: *Gratias tibi ago, Domine* &c.

XXI. Post in Magistros, Doctoresque ardentis zeli sui spicula intorquet, quod *doctrinas, & mandata hominum*, divina neglecta Scriptura, evulgent pro lege Dei. Absit ut quispiam se legem Dei reiicere asserat. Omnes Deum credentes, legem Dei defendere, & explicare se iactant. Sed legem hanc fucis, & lenociniis illitam, adulteratamque non pauci sane proponunt, ut fuse exaggerat P. Antonius Terillus in *præfat. ad Opus de consc.*

XXII. Opportuna hic est doctrina S. Thomæ, qua mentis cæcitatem ab hebetudine mentis distinguit. Hebetudo mentis in rudi populo frequens est; cæcitas in doctis: siquidem hebetudine intellectus vigor obtunditur, & debilitatur: quod Doctor sanctus explicat 2. 2. *quæst.* XV. *art.* 2. similitudine sensuum. *Hebes*, inquit, *acuto opponitur. Acutum autem dicitur aliquid ex hoc quod est penetrativum: unde & hebes dicitur aliquid ex hoc quod est obtusum, penetrare non valens. Sensus autem corporalis per quamdam similitudinem penetrare dicitur medium &c. Ille autem dicitur hebes circa intelligentiam qui ad cognoscendam veritatem rei pertingere non potest, nisi per multa ei exposita . . . Sic ergo hebetudo sensus circa intelligentiam importat quamdam debilitatem mentis circa considerationem spiritualium bonorum.*

XXIII. Diximus supra, principia intelligentiæ ex parte intellectus esse Dei gratiam, quæ quod latebat, patefacit, & quod amarum erat, suave efficit; ex parte vero obiecti esse Scripturam sanctam, Ecclesiam catholicam, Romanum Pontificem, Patres. Qui hæc principia aut simul, aut divisim contemnit, aut ab aliquo istorum recedit; is profecto errat circa prima principia. Ergo cæcus. Primum ergo cæcitatis signum est neglectus Scripturarum, aut traditionis, aut obedientiæ de-

bitæ Christi Vicario Romano Pontifici. Videant ergo, serioque perpendant illi qui pontificia mandata, constitutiones, bullasque aut vanis interpretamentis eludunt, aut flocci faciunt. Parum enim distant a contemptoribus subdoli interpretes: & si rem spectes, utri maius malum inferant, non facile dixerim. Ab illis cavere facile est, secus ab istis. Lubet confirmare quæ scribo auctoritate sapientis Elizalde: cuius lectione, & doctrina fateor, fateborque semper me valde profecisse. *Quo interea in loco bullæ apostolicæ, etiam doctrinales, apud hos ipsos sint, res ipsa demonstrant. Nuper condemnatio illa prodiit pure doctrinalis quadraginta quinque opinionum: & interea non sine mœrore audias, non unum, sed plures dicentes, vel rem intimatam non esse, vel a sæculari Senatu approbatam non esse, ac similia valde dolenda: quæ quonam pertineant, ipse nescio, sed horreo.* Dementia porro esset asserere, licitum haud esse pontificiis diplomatibus resistere in fidei bullis, secus in morum præceptis. Videant ergo qui bullas adversus errores Baianos, & Iansenianos extollunt, &, ad hoc quod attinet, strenue agunt: bullas vero, constitutiones, & decreta adversus ritus superstitiosos, adversus laxissimas morum opiniones, vanis commentis eludunt.

XXIV. Alterum cæcitatis signum est fingere sibi viam quæ ad cælum ducat latam, planam, deliciis, & voluptatum floribus aspersam: iugum Christi suave repræsentare in sensu falso, & erroneo, quatenus sit carni, & vanis desideriis attemperatum; & non sensu vero, prout cælesti gratia, & caritatis oleo delibutum suavissimum est amantibus, leve, & blandum: arctam Christi viam & angustam, bellum illud carni, & sanguini a Servatore nostro denuntiatum, mundi videlicet, pomparum, luxus, vanitatis abnegationem, carnis, sensuumque conflictationem, referre, tamquam Rigoristarum commenta: & se recipere ad quosdam Casuistas, indicatos a Terillo in sæpius laudato prologo ad tractatum de conscientia probabili, qui Scripturas distinctiunculis ineptis emolliunt, qui Patrum sanctorum sententias ut figuras concionatorias sibilant, illorumque auctoritatem elevant, atque inauditas opiniones, quæ viam Dei spatiosam efficiunt, quæ conscientias laxant, in vulgus spargunt.

XXV. Notionem cæcitatis, eiusdem caussas, & signa breviter perstrinxi. Remedia nunc essent præscribenda, nisi inter disputandum indicata fuissent. Unum in calce capitis huius brevissime exponam: quo adhibito, cæcitatis tenebræ continuo dissipantur, quo non posito tenebræ in dies spissiores fiunt. Saluberrimum, efficaxque remedium perhibet Christus Redemptor noster Matth. XXIII. vers. 26. *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, ut fiat id quod deforis est, mundum.* Cordis igitur affectiones prius purgandæ, dominandi, ambiendi, refulgendi in hoc mundano theatro desideria, & ceteræ corrupti animi occultissimæ propensiones abolendæ sunt. *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est.* Hæc evangelica

gelica doctrina ipsi ethnico Philosopho perspecta fuit, asserenti, quod qualis quisque est, talis ei videtur finis. Vapores crassi ex putrida cordis vallo surgunt, nubemque formant. nubes decursu temporis in tenebras obscurissimas immigrant, solemque intellectus obtenebrant. Cordis itaque sinus omnes, vel secretiores, mundandi sunt, ut cæcitatis caligo penitus abigatur. *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est.* Et quoniam pauci sunt qui calicem hunc interiorem, vino prostitutionis, & fæcibus ambitionis, avaritiæ, superbiæ plenum, evacuare velint; idcirco obnubilatum intellectum habent, idcirco colloquia spiritualia, paradisi, inferni sermones fastidiunt. Oracula sanctarum Scripturarum, ac si solis Anachoretis, Monachis, aliisque paucis qui sanctiorem vitam agunt, denuntiata essent, parvi faciunt. Norunt & ipsi hæc cum suorum pugnare moribus: adhuc tantum habent luminis. Verum, ut sub cæcitatis nube tranquille quiescere valeant, adeunt interpretes suos Casuistas, qui Scripturarum rigorem deliniant. Oculis tuis subiicere volo quæ ad Christianorum instructionem Paulus Doctor Gentium scribit ad Ephes. v. *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio .... Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.... Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis. non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei ... Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Qui lectioni Casuistarum assueti sunt, si hanc divinam instructionem offendunt, eam veluti parergon ineptum transiliunt, & cito ad humana ratiocinia oculos convertunt. Idque multos ab hinc annos advertit, & deploravit sapiens P. Elizalde Lib. V. quæst. xiv. § 8. *Nausea quædam, & alienatio videtur plurimos occupasse, & quibus libri alii sapiunt, Scripturæ desipiunt, & fastidio sunt: & nihil est, si textum afferas, quem etiam transiliunt, dum libros legunt: ac me terræ filium libentius legunt quam Isaiam, vel Paulum. Si ergo, ut cum D. Thoma constituimus, cæcitas sita est in privatione principii intelligibilis, & hoc principium intelligibile universale sunt Scripturæ Dei: tu vide, quo ista abiectio, & derelictio, & ignoratio Scripturarum pertineat.*

CAPUT V.

Veritas divinæ legis omnibus obvia est: facile inveniri potest ab iis qui quærunt illam.

De veritatis inventione celebris fuit inter Academicos disputatio. Nihil sapientem debere approbare ut verum, nihil respuere ut falsum, constituebant. Quod delirium labefactarunt adversarii, inferentes sapientem Academicum truncum esse, quod nec bonum prosequi, nec malum declinare valeat. Hoc ut eliderent argumentum Academici, excogitarunt probabile, seu verisimile, de quo infra. Verum morale inventu possibile esse, omnes testantur nationes quæ religionem quampiam ut bonam professæ sunt. Nulla quippe religio a suis professoribus mala creditur: ergo nec falsa. Contra, si ut bona colitur, ergo ut vera. Quare nec ipsi Academici corde credebant quod ore adfirmabant. Nec refert quod plurimi non inveniant: nam nunc tantum dicimus, homines communiter existimare se posse verum invenire: alioquin nullam colerent religionem. Quod autem reapse plurimi non reperiant, non impedit quominus credant se invenire illam posse. Et revera nemo disputaret, nemo laboraret in veritatis inquisitione, si persuasum omnibus esset, verum inveniri non posse. Quin facilius inventu credunt quam reapse sit. Nam moralem Theologiam vel ineptiores profitentur, qui naturales scientias versare non auderent. Nec refugium ad reflexiones quidquam iuvat. Nam si scientia directa falsa est, reflexiones sunt de subiecto non supponente. Hæc omnibus comperta sunt. Id vero negotium facessit, qua ratione, viaque inveniri verum queat. Materiam hanc plurimis, gravissimisque involutam difficultatibus, pro dignitate versat celebris P. Elizalde. Nonnulla ex pluribus quæ ipse docet, perstringemus, & in sequentes §§. digesta dabimus.

§. I.

Testimoniis sacræ Scripturæ ostenditur, veritatem inveniri posse viribus gratiæ, non naturæ.

I. Disputationes quas de gratia Theologi acri contentione instituunt, valeat nempe omne verum, vel aliquod, vel nullum intellectus sibi relictus invenire, prætereo. Alibi fuse ostensum est, voluntatem nostram infirmam esse, non mortuam; adeoque aliquod bonum opus morale ordinis naturalis efficere posse, & consequenter intellectum illud proponere. De vero nunc morali, quatenus ad salutem conducit, sermo est. Istius veritatis inventionem gratia Dei nos assequi posse & Scripturæ, & Concilia testantur.

II.

II. Scripturæ quidem. Nam Deus per Ieremiam *cap.* XIV. *ait: Dabo eis cor, ut sciant me*. Ioannes cap. XV *Sine me nihil potestis facere*. S. Paulus Apostolus II. ad Cor. III. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*. S. Iacobus Apostolus cap. I. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans*. Istius rei conscius regius Propheta David continenter huius veritatis scientiam iugibus lacrymis implorabat Psal. CXVIII. *Doce me iustificationes tuas. Revela oculos meos. Beatus quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*. Alia plurima in Psalmis isthuc pertinentia, & cuique obvia habet.

III. Concilia quoque hanc eamdem veritatem confirmant. Milevitanum cap. IV. *Quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus; anathema sit. Cum enim dicat Apostolus*: Scientia inflat, caritas vero ædificat: *valde impium est ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat, non habere. cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut ædificante caritate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam: ita etiam scriptum est: Caritas ex Deo est*. Sicuti ergo nefas est asserere, caritatem, qua bonum diligimus, Dei donum non esse; ita erroneum est asserere, donum Dei non esse, ea scire quæ appetere, aut vitare debeamus. Similia docet Concilium Arausicanum II. can. XXII. *De his quæ hominum propria sunt, nemo habet de suo nisi mendacium. si quis autem habet homo veritatem, atque iustitiam, ab illo fonte est quem debemus sitire*. De viribus ergo hic sermo est quibus verum assequi morale possumus, quodque moribus formandis idoneum est. Alioqui concidunt hi canones adversus Pelagianos lati.

IV. Sed iterum Paulum sanctum detonantem illi audiant qui mundanæ sapientiæ comparandæ plus iusto inhærent; qui dies, menses, & annos insumunt in rebus nihili, in numerorum supputatione, in circulis circinandis, in figuris pingendis; Dei vero sapientiam negligunt, & fastidiunt; qui iactant se illam tenere, divitesque esse thesaurorum sapientiæ Dei, cum sint pauperes, & cæci. Sapientiam Philosophorum Corinthi degentium redarguit Paulus I. Cor. cap. I. II. & III. *Perdam* (inquit cap. I.) *sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? Ubi Scriba? Ubi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Plura habet cap. II. *Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ... Non enim iudicavi me scire ali-*

aliquid inter vos, nisi Iesum Christum . . . Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis . . . . Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non huius sæculi, neque Principum huius sæculi. Legas velim integra hæc tria capita, si sapientiæ divinæ comparandæ desiderio flagrare aves, atque famem istius scientiæ acuere. Hæc sola lectio nauseam, fastidiumque humanæ sapientiæ tibi ingeret, dolebitque, te tandiu in siliquarum pastu inhæsisse, optimis sapidisque frugibus contemptis. Mundana quippe sapientia non in eum ad quem institutus homo est, finem dirigit. Finis quippe in quem Deus hominem condidit, Deus ipse est. Finis ad quem assequendum Philosophi homines instruebant, in bono publico civitatis, in tranquillitate, bonoque cuiusque civitatis membro situs erat. Utique humanæ vitæ finis, a Philosophis præstitutus, nonnulla similia habet cum vero hominis fine, ut non esse occidendum, mentiendum, furandum, decipiendum; sed servandam iustitiam, fidem, religionem colendam, fovendam societatem, & id genus plura. Verum in harum quoque veritatum investigatione homo sibi relictus vel sapientissimus frequenter deficit. Hoc, aut illud verum attingit, bonumque prosequitur; ut infirmus passim claudicans, & veluti homo ambulans inter caliginem, non adeo densam, ut penitus solem occludat, sed talem quæ plerumque viam veritatis abscondit. Heinc est quod plurimi litterarum humanarum fascibus onusti, & vastæ eruditionis supellectili referti, cælestis scientiæ expertes sint, contra vero plures, terrena destituti sapientia, in doctrina Dei, & Sanctorum exculti sunt, ut Augustinus *Lib. VIII. Confess. cap.* VIII. testatur. *Quid patimur? Quid est hoc? Quid audisti? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne, & sanguine.* Quid egit Augustinus? In manus sumpsit, quem? Doctorem gentium Paulum, & in silentio legere cœpit capitulum illud: *Non in comessationibus, & ebrietatibus &c.* Augustini vestigiis insiste. Paulum lege, non eos Auctores quorum plura principia utinam, inquit sapiens Elizalde *lib. VII quæst.* III. in sæculo sæpe non sisterent, nec tempore terminarentur, nec clauderentur secundum elementa mundi magis quam secundum rationes æternas.

§. II.

Scripturæ, & Patrum auctoritates, quæ evincunt, veritatem ordinis naturalis, divinique inveniri ab omnibus facile posse.

V. UT sana doctrina integra consistat, advertendum ducimus, tum hic, tum in sequentibus nos a quibusdam eventibus raris, & præter ordinem occurrenti-

rentibus abstrahere. Id solum ostendendum suscipimus quod plerumque, & communiter fit, aut fieri potest. Veritatem ergo quæ pertinet sive ad communem Christianismi professionem, sive ad peculiarem cuiusque statum, inveniri communiter ab omnibus posse, Scripturæ, & Patres adfirmant. Plurimi eam ignorant, quod vel investigare eam nolint, aut se illam scire arbitrentur, vel quod nec se scire existiment, nec quærere velint; ut scite scribit Augustinus Lib. de utilit. cred. cap. XI *Tria sunt alia hominum genera, improbanda profecto, ac detestanda. Unum est opinantium, idest eorum qui se scire arbitrantur quod nesciunt. Alterum eorum qui sentiunt quidem se nescire, sed non ita quærunt, ut invenire possint. Tertium eorum qui neque se scire existimant, nec quærere volunt.*

VI. Porro, ut id quod proposui, sanctarum Scripturarum testimoniis evincam, illud primum promam quod Deuteronomii habetur *cap.* XXX. *vers.* 11. quodque dilectionem, & cultum Dei præcipit. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, & opere compleamus? Neque trans mare positum; ut causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum; & e contrario mortem, & malum. ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius.*

VII. Alterum habetur Lib. Sap. cap. VI. vers. 13. *Clara est, & quæ numquam marcescit sapientia, & facile videtur ab iis qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus: & qui vigilaverit propter illam, cito securus erit. Quoniam dignos seipsa circuit quærens, & in viis se ostendit illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis.*

VIII. Tertium testimonium est Eccli. XXXII. vers. 18. *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius: & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui insidiose agit, scandalizabitur in ea. Qui timent Dominum, invenient iudicium iustum, & iustitias quasi lumen accendent.* De Christo Domino hæc vaticinatus est Isaias cap. II. vers. 3. *Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Et reipsa mulier Samaritana hæc de Christo testatur Ioann. IV. *Scio . . . . cum venerit ille, annuntiabit nobis omnia.* Tandem Christus ipse Matth. VII vers. 7. *Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* Summopere ponderanda est illa expressio *omnis*. Si enim omnis qui quærit, invenit ergo qui-

cum-

cumque non invenit, non quærit, & quicumque non quærit, reus est, si non invenit. Collige hinc, quam difficile sit ignorantias esse omnino invincibiles. Quid quod Patres omnes textum hunc, ut sonat, interpretantur? S. Augustinus Lib. I. de prædest. Sanct. cap. VIII. *Ipse unus Magister, & Dominus, cum dixisset* Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. *Quid est* Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me, *nisi nullus est qui audiat, & discat a Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit, & didicit, venit, profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, neque didicit. Nam si audisset, & didicisset, venisset. Neque enim ullus audivit, & didicit, & non venit, sed omnis, ut ait veritas, qui audivit, & didicit, venit.* Similiter ergo omnis qui quærit, invenit. Neque enim ullus quæsivit, & non invenit. S. Joannes Chrysostomus hom. XVIII. in cap. VII. Matth. *Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit . . . . Quidquid desideratis invenire, quærite, & invenietis, & quidquid clausum vobis videtur, pulsate, & aperietur vobis, gratia vos prosequente: petite precibus die ac nocte orantes.*

IX. Magnopere perpendenda est animadversio sapientis P. Elizalde *Lib. VII. quæst.* VII. §. 3. in laudatos textus. Non repugnarem, inquit, alicui limitationi, si designari confinia possent. Sed cum limites definiri nequeant, periculum est ne si vel tantillum exceptionis admittatur, omnia arbitraria remaneant. Aristoteles ipse docet, parvum a principiis discessum magnum, maximumque progressu evadere. Exemplum Catholici in conflictu cum Manichæo rem apprime declarat. Quia enim sub initium disputationis culicem a Deo factum non esse Catholicus concessit, procedente disputatione, cælum ipsum a Deo conditum non esse tandem annuit, & in universam Manichæorum hæresim prolapsus est. *Propter istam ergo*, inquit Elizalde loc. cit. *limitationis semel captæ incertitudinem, & ad omnia sensim propagationem, illam prorsus negare tutius existimavi. In doctrina scilicet, & in moribus locum habet quod scriptum est:* Qui spernit modica, labitur in magna . . . *Nulla itaque videtur admittenda limitatio in jure naturali, & divino. Etenim principium, cui pro invenienda vero innitimur, non humanum ingenium est, vigorque, & robur naturæ, sed promissiones divinæ, Deique potentia, & gratiæ vis, & magnitudo. At promissiones divinæ, & explicationes Sanctorum universalissimæ sunt, & nihil excipiunt, & Dei potentia magna ubique. Ergo nihil excipiendum est.*

X. Firmat aliis animadversionibus suam sententiam Elizalde. Quo enim jure una excipitur veritas, eodem excipi & altera potest. Quo posito, lusoriæ sunt promissiones divinæ. Et quemadmodum nulla est veritas divini, naturalisque juris quæ quæsita inveniri nequeat, ita nulla est persona quæ ab ea invenienda sit excepta. Nec enim sua Deus promissa coarctavit vel ad doctos, aut ad unam alteramve nationem, aut ad Religiosos, sed omne prorsus humanum genus complectitur, omnibus

gratiæ suæ lumen impartitur: quod vel ipsi recentiores Theologi propugnant, aientes, Deum absque ulla exceptione omnibus conferre gratiam ad ea omnia facienda quæ proprio congruunt statui. Porro eadem omnino universalitate Deus promittit gratiam cognitionis, ac gratiam effectionis: nec una promissio universalior altera est. Si itaque admittunt gratiam adiutorii, & virium omnibus, & ad omnia conferri; fateantur oportet, gratiam quoque luminis omnibus, & ad omne verum morale naturale, divinumque assequendum impertiri. Accedit quod limitationes universam doctrinam suspectam efficiunt. Quandoquidem rem totam reducere ad humanas vires videntur, & veritatis inventionem per maiorem aut minorem ingeniorum, & mentium vim, penetrationem, aut hebetudinem resolvere. Hinc est tam frequens mentio ineptorum, idiotarum, rudium, doctiorum. Et hac via, quæ mere humana est, in homine collocans spem suam, non tam plures, quin plurimi sunt, qui veritates invenire nequeunt. *Nec enim gigas salvabitur in multitudine virtutis suæ*. Addendum, quod si respectus habeatur ad aptos, & ineptos, idoneos, & obtusos, magis spectanda est diversitas inter Christianos veros, & falsos, ac rursus inter Iudæos, Mahumetanos, & Ethnicos; ac denique inter barbaros & silvestres, ac civiles politosque. Adiiciatur vis educationum, religionum, institutionum, & alia plurima impedimenta expendantur. Quare, omnibus bene expensis, plus Christianus excedit in facultate inveniendæ veritatis moralis barbaros plurimos, quam excedant præstantissimi magistri rusticos agricolas. Qua ergo facilitate dicitur, Christianum aliqua vera moralia invenire non posse; eadem dici potest, reperiri barbaros qui nihil invenire valeant. Quare concludendum videtur, quod sicut Deus omnibus, vel ipsis iuxta potissimum adversarios excæcatis, & obduratis, auxilia sufficientia offert, & confert ad efficienda opera præcepta; ita quoque impertiat gratiam illustrationis. Nec est quod reponas, gratiam impertiri a Deo ad ea efficienda quæ cognoscuntur, secus ad ignota. Nam exceptio arbitraria est, eo quod textus respectu tam cognitionis quam efficientiæ universales sint. Quid enim magis rationi absonum quam Deum velle nos aliqua facere, simulque nolle nos eadem scire? Ergo quæ voluit Deus a nobis fieri, voluit ea a nobis cognosci.

§ III.

Aliis argumentis evincitur facilis assecutio veritatis moralis.

XI. QUi populorum ruditate, idiotarum hebetudine, magistrorum penuria, rerum sciendarum sublimitate, & difficultate, legis divinæ ignorantiam excusant, Deum ipsum criminantur. Latuere ne divinum Legislatorem hæc omnia? An suam tulit legem, & præcepta, antequam expenderet subditorum vires, cuius-

cuiusque habilitatem, locorumque distantiam? Alterutrum ergo dicendum: aut neminem a legis observantia ignorantiæ invincibilis titulo immunem esse, aut Deum suam intimasse legem, subditorum capacitate, viribus, & eventibus peculiaribus inconsultis. Denique adducendus in medium esset aliquis sacer textus quo Deus declaraverit, obtusos, rudes, barbarosque populos exemptos ab observantia legis & præceptorum esse. Nullus autem ex Scriptura sancta textus adduci valet. Tantum enim abest Deum, inconsultis subditorum viribus, sua intimasse præcepta, ut e contrario conceptis verbis in Deuteronomio declaraverit se omnia aptasse, & attemperasse hominum imbecillitati. Quod ex analogia providentiæ naturalis ad moralem confirmari potest. AEque Deus est naturam condens, & largiens gratiam: & quo ordo gratiæ altero potior est, eo quoque eminentius splendet. Philosophi omnes deprædicant, nihil naturæ deesse, omnia ad suum comparandum finem expedita, congrua, & efficacia in promptu occurrere. Si quid præter rectissimum ordinem accidit; non naturæ auctori, rectorique, sed secundis caussis adscribendum, docent sapientes Philosophi. In superiore ergo gratiæ ordine nihil frustra egisse Deum, nullum præceptum frustra promulgasse, dicendum est. Natura non deficit in necessariis: ergo neque gratia. Inter necessaria primum occupat locum legis exequendæ cognitio In hoc ordine Deus, & homo una operantur. Ergo defectus istius ordinis homini, non Deo tribuendi. Nec est quod opponas, naturam sua implere munia non in singulis individuis, sed in universæ speciei collectione. Ergo etiam, ut rectus ordo gratiæ consistat, sat erit ab aliquibus legem sciri. Ex ignorantia utriusque ordinis cavillatio oritur. Non omnis materia anima rationali informatur, sic ordinis pulchritudine exigente. Monstra quoque in natura contingunt: quia ad universi ordinis integritatem conferunt. Nulla in ordine gratiæ monstra. Omnes, & singulos vult Deus salvos fieri: omnibus, & singulis auxilia sufficientia præbet. Et ut ad naturæ ordinem regrediamur, metallis in visceribus terræ, piscibus sub immensa Oceani mole immersis, avibus per aerem volantibus, infinitis propemodum animantibus in silvis, in speluncis, in terræ cavernis sigillatim providet: & Deum hunc deesse credendum est in illuminandis hominibus, ut legem quam iisdem imposuit, agnoscant, serventque? Quid locorum distantias opponis? An Deus non ubique præsens? Quid hebetudinem obtrudis? An non omnipotens Deus, qui infirma & stulta eligit, ut confundat fortia? Quid doctorum penuriam exaggeras? An desunt Angeli? An non in manu Dei sunt hominum corda? Quid denique mussitas, absque miraculis plurimos illuminari non posse: miracula autem sine necessitate haud esse multiplicanda? Ecqua maior necessitas quam hominum salvandorum? Salvat autem Deus homines fide sua, lege sua, gratia sua. Hic est ordo certissimus, nobisque compertus. Alterutrum ergo asserendum: aut salvandos homines esse cum legis fideique ignorantia, atque adeo

pervertendum ordinem certissimum, nobisque manifestum, ut isti contendunt: aut patranda miracula, ut primus ordo consistat integer. Quis non adfirmabit hoc secundum?

XII. Disputatio Augustini adversus Porphyrium plenam adfert huic caussæ lucem. Nihil enim nunc obicitur quod efficacius non opposuerit Augustino Porphyrius. Hæc sunt Porphyrii argumenta adversus evangelicum textum, quo Christus se viam vitæ, & salutis asserit. *Item alia* (inquit Augustinus epist. CII. alias XLIX. quæst. II.) *proposuerunt, quæ dicerent de Porphyrio contra Christianos tamquam validiora decerpta. Si Christus, inquiunt, se salutis viam dicit, gratiam, & veritatem, in seque solo ponit animis in se credentibus redditum, quid egerunt tot sæculorum homines ante Christum? Ut dimittam, inquit, tempora ante Latium regnatum, ab ipso Latio quasi principium humani nominis sumamus. In ipso Latio ante Albam dii culti sunt. In Alba æque religiones, ritusque valuere templorum. Non paucioribus sæculis ipsa Roma, longo sæculorum tractu sine christiana lege fuit. Quid, inquit, actum de tam innumeris animis, qui omnino in culpa nulla sunt? Siquidem is cui credi posset, nondum adventum suum hominibus commodarat. Orbis quoque cum ipsa Roma in ritibus templorum caluit. Quare, inquit, Salvator qui dictus est, se se tot sæculis subduxit? Sed ne, inquit, dicant, lege Iudaica vetere hominum curatum genus, longo post tempore lex Iudæorum apparuit, ac viguit angusta Syriæ regione, postea vero prorepsit etiam in fines Italos, sed post Cæsarem Caium, aut certe ipso imperante. Quid igitur actum de Romanis animabus, vel Latinis, quæ gratia nondum advenientis Christi viduatæ sunt usque ad Cæsarum tempus?*

XIII. Patet ex allatis argumentis, nihil nunc efficacius opponi posse in ignorantiarum præsidium? Quid, quæso, respondebunt Probabilistæ Porphyrio? Num cælum ascendisse Romanos, Albanosque? Iure ergo Iulianus, Porphyrii argumentis deceptus, Christo vale dixit, fidemque maiorum suorum, ac religionem resumpsit? Sed, hac nunc argumentatione missa, quæ respondet Augustinus transcribamus. Ut prolixitatem vitem, plura omittam, quibus veluti gladio iugulat Augustinus paganos. Inquit enim: *Primo ipsi dicant, utrum profuerint hominibus deorum suorum sacra, quæ constat certis temporibus constituta? Quæ si negant aliquid profuisse ad animarum salutem, nobiscum ea destruunt, & esse inania confitentur. Nos quidem etiam perniciosa monstramus; sed parvum non est ut ipsi interim prius inania fateantur.* Plurima id genus in paganos regerit. Post argumento facto in defensionem christianæ religionis, sub quæstionis finem hoc præbet responsum. *Quamdiu parvus, & infirmus est intellectus hominis, divinæ debet credere veritati. Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum Orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, ut eis apparere, ut prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat? Neque enim incredibile est, tales fuisse tunc omnes, quales*

ab

b eius adventu usque ad hoc tempus tam multos fuisse, & esse mirantur: & tamen ab initio generis humani alias occultius, alias evidentius, sicut congruere temporibus divinitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent, defuerunt, ab Adam usque ad Moysen, & in ipso populo Israel, qui speciali quodam mysterio gens prophetica fuit, & in aliis gentibus, antequam venisset in carne. Cum enim nonnulli commemorantur in sanctis Hebraicis libris, iam ex tempore Abrahae, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec ex adventitia societate in populo Israel, qui tamen huius sacramenti participes fuerint; cur non credamus etiam in ceteris hac atque illac gentibus, alios fuisse, quamvis eos commemoratos in eisdem auctoritatibus non legamus? Ita salus religionis huius, per quam solam vera salus veraciterque promittitur, nulli umquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanae usque in finem, quibusdam ad praemium, quibusdam ad iudicium praedicatur. Ac per hoc & quibus omnino annuntiata non est, non credituri praesciebantur, & quibus non credituris tamen annuntiata est, in illorum exemplum demonstrantur; quibus autem credituris annuntiatur, hi regno caelorum, & sanctorum Angelorum societati praeparantur. Quod dignis annuntiata sit semper fides, indignisque negata, iuxta iam nota in materia divinæ gratiæ principia accipiendum est. Neque hic explicare vacat, totam dignitatem effectum fuisse præcedentis auxilii, & gratiæ; quia alterius loci disputatio est.

XIV. Augustini doctrinam perspicuam de more nobis reddit S. Thomas, & argumentum a Porphyrio propositum pressius urget. Siquidem *de verit. quæst. xiv, art. 11.* hunc sibi obiicit casum. *Illud non est ponendum, quo posito, sequitur inconveniens. Sed si ponamus quod sit necessarium ad salutem, quod aliquid explicite credatur, sequitur inconveniens. Possibile est enim aliquem nutriri in silvis, vel inter lupos, & talis non potest aliquid de fide explicite cognoscere: & sic erit aliquis homo qui de necessitate damnabitur: quod est inconveniens. Et sic non videtur quod sit necessarium aliquid explicite credere.* Constituta in corpore articuli necessitate, & temporum ante, & post Salvatoris adventum diversitate assignata, respondet. *Dicendum, quod non sequitur inconveniens, posito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in silvis, vel inter bruta animalia nutriatur. Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, CERTISSIME est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria; vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Act. x.* Duo cursim animadverte. Primo ad divinam providentiam confugit, & ab humanis ratiociniis recedit. *Hoc ad divinam providentiam pertinet.*

Secundo, tamquam luculentissimam veritatem, divinam providentiam iis promittit qui sequuntur rationis ductum. *Certissime tenendum est &c.* Asserit argumento 5. multos Gentiles ante Christi adventum salvos factos esse ex fide implicita in Christum. Et 2. 2. *quaest.* II. *art.* 7. *ad* 3. docet multis Ethnicorum Christi adventum revelatum fuisse. *Dicendum, quod multis Gentilium facta fuit revelatio de Christo, ut patet per ea quae praedixerunt. Nam Iob* XIX. *dicitur: Scio quod* Redemptor meus vivit. *Sibilla enim praenuntiavit quaedam de Christo, ut Augustinus dicit. Invenitur etiam in historiis Romanorum, quod tempore Constantini Augusti, & Irene matris eius, inventum fuit quoddam sepulcrum, in quo iacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat:* Christus nascetur ex Virgine: & ego credo in eum. O sol sub Irene, & Constantini temporibus iterum me videbis. *Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos.* Hanc D. Thomae doctrinam tradit etiam Alensis *II. Part. quaest.* CXXIX. *memb.* 8. & Gabriel in *II. Sentent. dist.* XXXII. *quaest.* II. *art.* 3. *dub.* 1.

XV. Haec Sanctorum doctrina innumeris confirmari historiis fide dignis potest. S. Augustinus *Lib. I. de doctr. christ. cap.* I. narrat, Antonium sanctum Monachum Aegyptium Scripturas divinas nulla hominum instructione didicisse; & servum barbarum christianum, *de quo a gravissimis, fideque dignissimis viris nuper accepimus, qui litteras quoque ipsas nullo docente homine, in plenam notitiam, orando ut sibi revelarentur, accepit.* Nonne, inquit Gabriel, Cornelium Centurionem instruxit Petrus Apostolus? *Memento* (subdit Chrysostomus in cap. XVI. Luc. conc. III.) *Eunuchi Reginae Aethiopum, qui cum esset barbarus &c. Novit propensum illius animum Deus, studiumque amplectens, misit illi Doctorem illico. Verum non adest Philippus; sed Spiritus, qui moverat Philippum, adest.* Non minus celebris est illuminatio Gentilis illius, quae describitur in vita Ioannis Tauleri Doctoris illuminati. Legantur Acta S. Francisci Xaverii Indiarum Apostoli. Quis Columbum in Indias direxit? Auri comparandi fiducia, si oculis corporeis res cernatur. Classes quae illuc petierunt, omnia alia praeter Evangelii propagationem moliebantur. Infiniti homines hac, illac per mundum vagantur: errantes scientibus, & contra commiscentur: illi praedam, isti anhelant dominatum: hi captivi, illi domini. Et in cunctis Deus gloriam suam, & hominum salutem quaerit.

§. IV.

§. IV.

Explicatur principium illud: Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. *Hinc infertur dari posse pro aliquo tempore ignorantiam invincibilem iuris tum naturalis, tum divini positivi. Alia consectaria.*

XVI. Distinguenda sunt duo præceptorum genera: primum eorum quorum notitia necessaria est necessitate medii; alterum eorum quorum cognitio necessaria est necessitate præcepti. Illorum ignorantia nulla excusare valet. Comedere necessarium est necessitate medii ad vitam: sive culpa, sive absque culpa non comedas, mortem occumbas necesse est. Posteriorum ignorantia invincibilis excusat. Quacumque ergo caussa careas iis quæ necessitate medii ad salutem requiruntur, & iustificationem, nullo modo iustificationem obtinere vales.

XVII. Concors est Theologorum sententia, omni tempore necessariam fuisse fidem unius Dei, & Christi mediatoris. Ante eiusdem adventum implicita, post explicita Christi fides necessaria est ad salutem. Convenit pariter penes antiquos, gravioresque Theologos, facienti quod in se est ex viribus gratiæ, Deum gratiam non denegare. Et vi istius principii antiqui communiter docuerunt, nullam dari ignorantiam legis, sive naturalis, sive positivæ divinæ; ut testatur Ioannes Gersonius *lect.* IV. *de vita spirit. corol.* 3.

XVIII. Huic doctrinæ obstare videtur S. Thomas, inquit Elizalde *Lib.VII. quæst.* XI. *§.*7. de quo hæc scribit: *Quantum sit in uno Thoma momentum, norunt sapientes, & quo sapientiores, eo magis. Et quibus ille nihil est, mihi ipsi nihil sane sunt.* Vix eum ego nominare valeo, quin in eiusdem laudem, & encomia erumpam, non persuasionibus domo delatis, aut instituti præiudiciis occupatus, sed illius operum assidua lectione devictus. Quod alii Patres eloquentia, & sermonis sublimitate uberrime effundunt, hic duobus aut tribus verbis cumulatissime expedit. Quot verba, tot fere sententiæ. Verbum nullum quod caussæ manifestandæ plurimum non conferat. Sed hæc præter rem. Porro Doctor sanctus infidelitatem negativam admittit, atque adeo ignorantiam invincibilem: & tamen constanter ubique defendit, facienti quod in se est, Deum non denegare gratiam. Controversiam hanc versat 2. 2. *quæst.* X. *art.* I. & *ad Rom.* X. *lect.* III. ubi hæc habet. *Illi qui loquentem Dominum per se, vel per eius discipulos non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis; non tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet iustificentur ab aliis peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel male vi-*

vendo addiderunt, & pro his merito damnantur. Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio Act. x. & Paulum Macedonibus Act. xvi. Sed tamen hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum. Pugnantia loqui videtur Doctor sanctus. Nam si facienti quod in se est, Deus gratiam non denegat; qui fieri potest ut negative infideles reperiantur? Nam si propria culpa carent, negative infideles non sunt. Quod si negative infideles sunt; iam sequitur, Deum non conferre gratiam facienti quod in se est. Hæc negotium facessunt; tamen si notionem infidelitatis spectes, facile diluuntur. Aliud quippe est quod quis peccet gratia divina abutendo; aliud, quod peccet peccatum infidelitatis. Tunc quis contra fidem peccat, cum fidei sibi propositæ resistit, inquit Angelicus 2. 2. quæst. x. art. 1. *Quis credidit auditui nostro? Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis. Et secundum hoc infidelitas est peccatum.* Infideles ergo qui auxilia divina recipiunt ad Deum amandum, colendumque, si eis abutantur, peccant: & propter hunc divinæ gratiæ abusum Deus non revelat fidei arcana per Angelum, Prædicatorem &c. At culpa hæc non est infidelitatis: quia non resistit fidei, cum nondum sit ei proposita. Hæc facile conciliantur Nec maiorem postulant explicationem. Nam hæc infidelitas mysteriorum fidei restringitur ad silvicolas, & inter bruta enutritos, quos in exemplum adducit Angelicus. Inter fideles autem, in sinu Ecclesiæ degentes, nullam dari docet ignorantiam invincibilem articulorum fidei, quos Ecclesia credendos proponit. Prætereamus ergo silvicolas, & ceteros omnes spectemus. In his Doctor sanctus nullam ignorantiam admittere videtur Invincibilem legis, sive naturalis, sive divinæ positivæ. Legatur in *II. Sent. dist.* xxxix. *quæst.* iii. *art.* 2. & *quæst.* xvii. *de verit. art.* 4. & *quodlib.* iii. *art.* 13. & *in cap.* xiv. *Epist. ad Rom. lect.* 2. & 1. 2. *quæst.* xix. *art.* 6. ubi casum proponit sequentis conscientiam erroneam contrariam legi Dei. Et perpetuo definit, hunc peccare eam sequendo. *Illud*, inquit, *quod agitur contra legem Dei, semper est malum: nec excusat per hoc quod est secundum conscientiam.* Lege omnia citata loca, & eamdem offendes doctrinam. Nec confundas peccatum infidelitatis cum peccato ignorantiæ vincibilis. Sed semper præ oculis habeto, quod infidelitas debet resistere fidei propositioni. Si mysteria non proponuntur, non peccatur contra fidem. Quoties vero gratia Dei quis abutitur, quamquam non evadat infidelis positive, peccat tamen, & idcirco suspenditur donum fidei.

XIX. Ex allata doctrina infertur, ad tempus dari posse ignorantiam invincibilem fidei, & naturalis divinique iuris. Nam si facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam fidei &c. illo ergo tempore quo quis sua expleat munia, invincibiliter notitia fidei, legisque caret. Hæc veritas a nemine in discrimen vocari

tari iure potest. Nam præstare quod in se est, respondere divinæ vocationi, quærere, investigare, petere, implorare, quæ Deus præcipit, non in instanti & momento fiunt. Quamdiu ergo in his peragendis quis non deest parti suæ, tamdiu caret absque culpa scientia legis, & fidei.

XX. Aliud consectarium infertur. Corduba vir doctus testatur, communem opinionem antiquorum esse, gentes omnes peccare non credendo, nullamque infidelitatem negativam reperiri. *Nos sane* (inquit Elizalde Lib. VII. quæst. xiv. §. 8.) *in eam valde propendemus, & ne prorsus teneamus, D. Thomæ, qui tanti nobis est, auctoritas maxime revocat. Consultum tamen est afferre multa, quibus bene auditis, riteque perpensis, sapientiores diiudicent.* Nonnulla hic delibabo.

XXI. Omnes gentes quæ aliquam religionem profitentur, deosque colunt, sunt infideles, non negative, sed positive. Nam idololatria infidelitas positiva est, & peccatum enorme. Ergo gentes omnes religionem profitentes sunt infideles positive. Clarius rem habeto. Aut illi audierunt legem Christi, aut secus. Si primum, nemine dissentiente, sunt infideles positive. Si secundum, videntur infideles esse negative. Nam si nihil de Christo audierunt, nequeunt habere actum quo nolint in Christum credere. Idque verum habet. At istorum voluntas non credendi est voluntas colendi religionem propriam, & adorandi falsos deos. Porro voluntas ista mala est. Ergo infidelitas quoque criminosa, & positiva. Ergo actus tam intellectus, quam voluntatis, quibus hi credere nolunt, mali sunt, & inexcusabiles. Quod ut clarius percipias, adverte, eodem actu quo quis colit falsos deos, dissentire fidei veri Dei. Porro si ignorantia veri Dei inculpata esset, cultus falsus deorum noxius esse non posset. Quoniam falsum dignosci nequit nisi per verum. Ergo quoties inculpate ignoratur verus Deus, toties innoxie adoratur falsum numen. Verum nunc haud est quæstio de infidelitate negativa veri Dei, sed Christi Domini.

XXII. Compertum itaque est, infidelitatem unius veri Dei inexcusabilem esse. Ergo omnes idololatræ astringuntur, patriis diis abiuratis, propriaque religione contempta, verum Deum, veramque religionem investigare. Quod si fecerint, Deus non denegabit donum fidei in Christum. Clarius. Vera fides pluribus constat. Primo unius Dei, atque etiam Remuneratoris cognitione. Nam accedentem ad Deum oportet hæc duo credere: omnis autem homo potest ad Deum accedere. Deinde addit alia, nempe cognitionem Trinitatis, Christi &c. Hæc porro pedetentim infidelis convertendus deprehendit, & gradatim addiscit. A principio unius Dei Remuneratoris, ad Trinitatem, post ad Christum, postremum ad ceteros articulos accedit. Inventioni annexa est prosecutio, & finis inventio. Ergo quemadmodum ei qui moveri non vult, nec iter aggredi, crimen est non solum quod moveri non cœperit, sed etiam quod non pervenerit quo pervenire opor-

oportebat, & totum unum peccatum est; ita infidelis qui verum Deum quaerere negligit, & ultro pergere in investigatione verae religionis recusat, non modo peccavit, quod non inceperit, verum etiam peccavit, quod non pervenerit ad veram religionem Christi. Siquidem in cognitione veri Dei Remuneratoris clauditur fides confusa aliorum quae sequuntur arcana. Haec confusa notitia satis est ad peccatum saltem ignorantiae vincibilis.

§. V.

Iudicium nostrum super iis quae dicta sunt.

XXIII. QUAE hactenus hoc in capite dicta sunt, evincere videntur, nullam absolute dari invincibilem ignorantiam iuris naturalis, & divini. Si sincere, ut teneor, iudicium meum prodere debeam, adeo mihi valida, & luculenta sunt argumenta, quae omnem ignorantiam invincibilem cuiusque divinae legis excludunt, ut pro dignitate respondere me fatear nescire. Facilius vero me expedirem ab iis quae in defensionem opponuntur ignorantiae. Sanctorum Doctorum in iis ipsis quae iuris naturalis, & divini sunt, sententiae contrariae unicum est recentiorum argumentum, in quo ultimum ipsi praesidium collocant. Verum licet haud sit contemnendum, immo magni faciendum, tamen, si ad Scripturarum, & eorumdem Sanctorum doctrinam serio expendatur, non ea quam adversarii existimant, evidentia fruitur. Ineluctabile hoc illi reputant argumentum his decepti praeiudiciis: altero, quod piaculo sibi vertant existimare, sanctos istos Doctores vel leviter peccasse; altero, quod si isti peccarunt, eorum culpa non potuit non esse gravis: quoniam regulas morum tradiderunt universo populo christiano, quem decipere, vel errandi viam eidem aperire grave sane crimen est. Argumentationem istam sancti ipsi Doctores in antecessum refellerunt. Et quod ad primum attinet, ipsi Sanctorum celebriores, ut David ex veteri, Paulus ex novo testamento, pro repellendis ignorantiis Deum continenter orabant: haec ignorantiae crimina summopere verebantur; ut ex eorum allatis testimoniis palam fecimus. In sententias varias interdum abiere, etiam super iis quae iuris sunt naturalis, & divini positivi. Esto. Quid inde? Ergo omnes non sunt assecuti veritatem. Hoc illi ipsi fassi sunt. Ergo non fuerunt suarum opinionum diversitate errandi occasio; quoniam lectores admonent dari ignorantiae peccata. Si omnem veritatem moralem assecuti Sancti fuissent, impeccabiles dicendi Sancti forent: quod nec adversarii adfirmabunt. Peccarunt ergo & Sancti: nam septies in die cadit iustus. Cedo: quaenam peccatorum genera tribuenda Sanctis prudenter sunt? Nonne leviora, nonne minoris malitiae, & contumaciae? Quaenam haec? Sane peccata ignorantiae, subreptionis, & infirmitatis, minusque voluntaria. Alter-

utrumque ergo fatendum: aut sanctos Doctores communiter non peccasse; quod Scripturæ sanctæ repugnat: aut peccata commisisse ignorantiæ, quæ, utpote minus libera, minusque voluntaria, excusantur, sin minus a toto, saltem a tanto. Porro cum horum omnium SS. Doctores admoneant christianum populum, altiusque inclament, periculose illas definiri quæstiones in quibus de peccato mortali disputatur, nisi veritas expresse habeatur, nemini fuit errandi occasio; quamvis illorum aliqui assecuti veritatem non sint. Immo, cum doceant, ob occultas culpas, ob negligentiam, secretasque affectiones sæpe veritatem non inveniri, omnem errandi occasionem abstulerunt. Quis est qui non intelligat, argumentum, quod ineluctabile adversarii reputant, suam excipere non spernendam responsionem?

XXIV. Quænam ergo est sententia nostra post adeo prolixam disputationem? Paucis eam habeto. Primum confiteor ignorantiam meam, me neutram partem evidenter tenere; licet & serio expenderim utriusque partis argumenta, & Deum oraverim, ut veritatem assequerer. Ergo, subdis, ex ore proprio datur ignorantia invincibilis; cum post & improbum studium, & frequentem orationem veritatem non sis assecutus. Consequentia nulla est. Oravi, sed forte non ut oportuit: studui, sed non ea intentione, & diligentia qua debui. Idcirco vereor, & magnopere vereor ne vincibilis sit ignorantia mea. Et testimonium hoc verum est. Alterum quod fateor, est, argumenta quæ probant nullam dari iuris, maxime naturalis, &, quasi dixerim, divini positivi ignorantiam, mihi satis urgentia videntur, quamquam recentiorum responsa mihi sint comperta.

XXV. Omnibus itaque mature expensis in eam propendeo sententiam quæ absolute negat dari per totam vitam ignorantiam invincibilem iuris naturalis. Dixi per totam vitam: quia occurrere reipsa ignorantiam invincibilem iuris tum divini positivi, tum naturalis pro tempore aliquo intermedio, nec vocari in controversiam potest, ut dixi §. superiori *num.* 17. Quis inficias ibit, pueros, catechumenos, & alios plura difficilia invincibiliter ignorare, dum facilia addiscunt? Disputatio ergo est de ignorantia invincibili alicuius veritatis naturalis obscuræ & difficilis per totam vitam. Ut dixi, in opinionem negantem ut probabiliorem propendeo, aqua tamen hæret: idcirco oppositam opinionem non improbo, sed potius a pronuntiando iudicio absoluto supersedeo. Quid quod si etiam ultro concedamus dari in aliquo raro casu ignorantiam invincibilem alicuius obscuræ veritatis iuris naturalis, non propterea aliquod emolumentum colligere inde possunt Probabilistæ, qui illam ignorantiam esse invincibilem contendant quæ respuit maiorem notitiam, ut adhæreat minori?

XXVI. Recentiorum ergo *Ignorantismum* velis remisque insectemur, ceu monstrum undequaque venenum emittens mortiferum. Te in iudicem appello, lector be-

benevole. Cedo: quæ ex Scripturis, Patribusque indicavimus documenta, an non concludunt evidentissime, frequentia esse ignorantiæ crimina? Vix in iisdem aliquod excusationis vestigium. Ergo luce meridiana clarius patet Probabilistas aberrare a veritate. Isti invincibilem propugnant ignorantiam, quoties conscientia non pungit, & mens non advertit. Quid plura? Invincibilem defendunt ignorantiam eo ipso tempore quo luce maiori perfunduntur, dumque verisimilius errorem deprehendunt. Hinc familiares, communes, & passim obvias inducunt invincibiles ignorantias in cuiusque status, & professionis homine. Quæ ignorantiæ eo sunt peiores, quo universaliores. Relaxant porro disciplinam tum ecclesiasticam, tum monasticam; & radices humilitatis, timoris, & vigilantiæ ab imis præcidunt: mentis tumorem, superbiam, otium, soporemque nutriunt, ut alias dictum est.

§. VI.

Leges ipsæ humanæ a plerisque, communiterque invincibiliter non ignorantur. Nonnulla de factorum ignorantiis. Regulæ iuris explicantur.

XXVII. HActenus de legis naturalis, & divinæ ignorantia, & facilitate easdem sciendi disputatum. In hoc ultimo §. pauca de humanarum legum ignorantia delibanda sunt. Leges humanæ, prout a naturali, & divina distinctæ, ius canonicum, & civile comprehendunt. Porro quod adeo frequentes non sint, ut recentiorum plures arbitrantur, legum humanarum invincibiles ignorantiæ, ex ipso humanorum iudiciorum usu patet. Nam admittuntur quidem in foro humano ignorantiæ invincibiles, quando valida produntur argumenta, ceterum numquam ibi præsumuntur; sed omnes legum transgressores iudicantur rei, pœnaque digni. Igitur legum humanarum iudices, homines communiter scire leges ad se, propriumque statum pertinentes, iudicant. Si enim communiter homines innocenter nescirent leges ad proprium statum attinentes, communiter tribunalia præsumerent, eos reapse illas ignorare. Illud quippe communiter præsumitur quod communiter evenire solet. Ergo, cum e contrario tribunalia communiter pœnis subiiciant legum transgressores, præsumantque eos leges calluisse, legitime infertur, communiter, & a plerisque vincibiliter ignorari leges.

XXVIII. Huic argumento respondere communiter solent, id verum habere in foro exteriori, secus in interiori. Quæ distinctio pro arbitrio, & fere semper absque fundamento usurpatur. Qua siquidem ratione dicitur, valere argumentum factum in foro exteriori, secus in interiori, eadem dici potest, in interiori, secus in exteriori urgere. Sicuti verum cum vero, & ratio cum ratione non pugnat,

gnat, ita nec rectum cum recto judicio. Quare si in foro exteriori præsumitur communiter, homines scire leges ad se pertinentes; idem etiam in foro interiori præsumendum est.

XXIX. Quæ de legibus dicta sunt, eadem de legum sensu dicenda veniunt: quod videlicet sensum legum plerumque, & communiter homines assequi valeant. Leges sunt veluti sermones voluntatem Principum prodentes. Nonne audacissimus, stultusque haberetur ille qui negaret, Principes etiamsi sapientissimos posse claro perspicuoque sermone, nulla egente interpretatione, mandata sua subditis denuntiare? Atqui reipsa Principes communiter sapientissimos, prudentissimosque viros seligunt, qui severe, matureque leges concipiant, quæque subinde claris perspicuisque verbis exprimant, condant, promulgent. Quid plura? Nonne homines solo sermone societatem, fœdera, & commercia exercent? Quis dixerit, necessariam fore interpretem in assequendo sensu patrii sermonis? Si ergo homines in mutuis colloquiis de rebus etiam difficilibus sese intelligunt, interprete semoto, quanto magis intelligere valent legum sensum, si leges clariores sunt vulgari sermone? Quid quod libri cujusque facultatis, oratorii, historici, theologici, philosophici leguntur absque interprete, & intelliguntur? Ut quam sit hoc mirandum, intelligas, huc animum intende. Viri præstantissimi, sapientissimique magno ono, & improbo studio leges condiderunt; & in eisdem condendis id potissimum præ oculis habuerunt, ut ab omnibus intelligerentur. In hunc finem sermone conciso, presso, verbisque obviis usi sunt, ut obscuritatem, ambiguitatem, occasionemque cavillandi, & litigandi eriperent. Et tamen leges solæ sunt quæ non intelliguntur, quæ semper duobus gravidæ contrariis sensibus apparent, duasque ut minus pariunt contrarias opiniones, & secundum alterutram vivere impune licet? Unde tam monstrosum portentum? Audi.

XXX. Aristoteles *Lib. I. Reth. cap. 1.* hæc scribit: *Maxime igitur convenit ut quæ recte positæ sunt leges, cuncta ipsæ explicent, & quam minima judicibus relinquant.* Idque probat tripliciter. *Primum quia unum aut paucos prudentes qui leges ferre possint, facilius est invenire quam multos. Deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, judicia brevissime conficiuntur, difficile est ut bene a judicibus justum, & conducibile distribuatur. Illud autem omnium maximum est, quod legislator iuris est. Senator vero & judex de præsentibus jam determinatisque judicant. Unde fit ut, cum & ament & oderint, sua quoque utilitas connexa sit & non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas, vel dolor judicia sua obumbret.* Hæc documenta cedro digna in omnium legislatorum animis imprimi deberent. Nihil præclarius, nihil sapientius excogitari potest. Cuncta ergo quæ occurrere communiter possunt, exprimere legislator, & pauca, immo paucissima, &, si fieri posset, nulla relinquere judicibus debet. Cur? Quia

sa

facilius est paucos legislatores prudentes quam plurimos invenire. Qui condunt leges, pauci sunt, qui super iisdem iudicant, plurimi: quoniam leges perpetuæ sunt; interpretes vero legum infiniti propemodum. Altera Philosophi ratio valida est. Leges diuturna consideratione, & sapientum examine conduntur. Iudicia, & interpretamenta brevissima, atque adeo errori obnoxia. Illud autem, concludit sapientissime Aristoteles, omnium maximum est, quod legislatores, dum quod iuris est, statuunt, rerum æquitatem spectant a personis abstractam; contra iudices, & interpretes præsentia iudicant. Dum autem in hominum capita, fortunas, aut appetitiones intorquendus est legis gladius, in aciem continuo prodeunt impotentiores affectiones, amor, & odium, spes, & timor, voluptas, & dolor, aliæque secretiores passiones, quæ iudicia omnia pervertunt, leges vel luculentissimas obscurant. Ad hæc aurea documenta animum illi intendant qui legislatorum prudentia, & benignitate abutuntur, dum ex illorum concessione dispensandi cum subditis ex rationabili caussa, indiscriminatim a legis observantia omnes absolvunt. Sed de hoc alibi.

XXXI. Ex his patet, verum germanumque sensum legum communiter obvium plerisque esse: quod sic demonstratur. Sensus opinionum, & interpretationum vel est communiter pervius plerisque, aut secus. Si secundum; ergo superfluæ sunt opiniones, interpretationesque, aut edendæ interpretationes interpretationum, & opiniones opinionum in infinitum. Si primum, ergo & legum sensus obvius plerumque est potiore iure. Legislatores enim sapientia, & prudentia præstant opinatoribus, & leges opinionibus, ac iudiciis. Perspicui ne, eloquentes, acuti, providique erunt opinatores, atque interpretes, legislatores vero inepti, barbari, rudes, qui exprimere sensus suos, scriptisque consignare nesciant?

XXXII. Accedit quod leges communiter observari debent: ergo & cognosci. Si enim sciri nequeunt, profecto nec observari. Ergo lex quæ communiter observari potest, & debet, communiter cognosci potest, & debet. Ergo idem de eiusdem sensu consistit, ut scite advertit S. Hieronymus in epist. ad Galat. cap. 1. *Nec putemus in verbis Scripturarum esse evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis*. Spiritus itaque, & anima legis sensus est. Verba instrumenta sunt, quæ sensum ad mentem deferunt. Leges quæ plures efferrent sensus, nocerent magis quam prodessent communitati: quia duabus partibus contrariis faverent. Nihil lege in utramque partem, veluti regula Lesbia, vertibili futilius atque ineptius. Leges autem communiter feruntur. Ergo communiter homines eas & scire, & intelligere valent, & debent. Quod ut evidentius pateat, cui demens non esset legislator ille qui ad Italos leges ferret lingua theutonica, ad Illyricos lingua italica, ad Græcos lingua latina, ad Hispanos lingua gallica? Et tamen pauci eruditi linguarum callen-

lentiores easdem intelligerent. Sed quia communiter homines easdem ignorarent, eas, ut futiles, omnes deriderent. Hinc Ulpianus in l. *Sed & pupil.* 11. *§. de quo ff. de inst. act.* quærit, rogandæ ne leges sint litteris græcis, an latinis? Respondet: *Puto fieri secundum conditionem loci, ne quis causari possit ignorantiam litterarum*. Et tamen peius est leges ita esse conditas, ut sensus habeant implexos, ambiguos, & in utramque partem flexibiles, quam si Italis datæ essent lingua theutonica, aut Germanis lingua italica. Quoniam sic latæ, si non prodessent, non obessent, quia non intellectæ. E contrario intellectæ in contrariis sensibus obsunt plurimum, bella civilia, seu lites, iurgia, & dissensiones pariunt, & omnem legum finem auferunt.

XXXIII. Argumenta hæc, inquis, decretoria videntur. At experientia, quæ mille prævalet argumentis, oppositum evincit. Innumeræ scilicet occurrunt, & oppositæ legum interpretationes, & contraria iudicum iudicia super una & eadem lege. Aristoteles in sua tertia ratione hoc inane sophisma iam penitus labefactavit. Legislatores communiter æquitatem, iusque abstractum spectant, & a præoccupationibus immunes sunt: ad perpetuitatem enim leges condunt, in eosque illas dirigunt quos ignorant. Interpretes iudices homines præsentes habent, quos amant, aut fastidiunt, a quibus sperant, aut timent. Spiritus contentionis, amor factionis, superbia ceteris præstandi, & aliæ plurimæ occultissimæque caussæ sunt, quæ tantam interpretationum, opinionum, & sententiarum varietatem, & oppositionem inducunt. Perspicuæ sunt leges, & communiter omnibus perviæ; sed amor, vel odium tenebras eisdem prætendunt. Plura hic de iudicibus, de advocatis dicenda forent; sed alibi sedem habent.

XXXIV Colligas hinc velim, nec legum humanarum adeo frequentem esse invincibilem ignorantiam, ut recentiores præsumunt; nec tamen adeo raram, ut est illa legis naturalis & divinæ. Quoniam, ut dictum est, Deus in ferendo leges suas omnium hominum vires, potestatem, infirmitatem, locorum distantiam, idiotarum hebetudinem, & cetera omnia impedimenta præsentissima habet: vires quoque conferre, quibus leges serventur, in promptu ille habet. Quare fieri minime potuit ut Deus voluerit lege sua comprehendere hominem aliquem qui eam servare nequiret. Non sic legislatores humani, qui leges suas universim ferunt, absque cognitione particulari hominum, & eventuum contingentium. Idcirco non adeo rara istarum legum ignorantia est, sicut ignorantia legis naturalis, & divinæ.

XXXV De ignorantia factorum pauca verba. Non omnis facti ignorantia invincibilis, & peccati expers est, ut ex Levitici adductis supra locis patet. Peccata per oblivionem in iure punita legimus. Cap. *Cum in tua, qui Matri. accus. pos.* XII. *quæst.* II. Non me latet iuris regulam præscribere, circa facta ignorantiam

tiam præsumendam esse. Sed hæc de quibusdam factis occultis, & non notoriis intelligenda est: & etiam quod frequentior sit factorum quam iurium excusabilis ignorantia. Universa iuris distribuens iustitia circa facta versatur, præmia dignis, supplicia reis partiens. in eligendis, excludendisque a dignitatibus, & gradibus merita singulorum expendit. Et tamen plura peccata, & gravia perpetrantur ob negligentem inquisitionem, & ignorantiam digniorum. Colliges hinc, quam dementes ii sint qui die veneris carnes manducant, ieiunia violant, divinum officium obliviscuntur; & quasi de propria gaudentes ignorantia sibi plaudunt, & alii audientes invident illorum fortunæ, quod absque culpa potuerint & onus officii negligere, & carnibus se reficere. Hæc consequens lætitia argumento evidenti est, vincibilem in crassa negligentia fuisse ignorantiam. Non ergo omnis factorum ignorantia vincibilis est. Quo graviora sunt facta, eo potior adhibenda diligentia, ut ignorantia vitetur. Quare qui in plateam sagittam iaculantur, aut e fabrica lapidem proiiciunt, aut raro, aut numquam excusantur a culpa sive homicidii, sive percussionis: quia communiter negligentes sunt. Nec semper clamor satis est in re adeo gravi, sed visus diligentia requiritur. Factum quod narrat S. Gregorius *Lib. IV. Dialog. cap. xl.* aures vel obtusiores attigere deberet. idcirco illud transcribere decrevi. „ Dum adhuc (inquit) essem iuvenculus, atque „ in laico habitu constitutus, narrari a maioribus, atque scientibus audivi, quod „ Paschasius huius Apostolicæ Sedis Diaconus, cuius apud nos rectissimi, ac luculenti de Spiritu sancto libri extant, miræ sanctitatis vir fuerit, eleemosynarum maximis operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor sui. Sed hic „ in ea contentione, quæ, inardescente zelo fidelium, inter Symmachum & Laurentium facta est, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium post „ unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque ad diem sui exitus persistit, illum amando, atque præferendo, quem Episcoporum iudicio præesse sibi „ Ecclesia refutavit. Hic itaque, cum temporibus Symmachi, Apostolicæ Sedis „ Præsulis, esset defunctus, eiusque dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus „ attigisset, statim sanatus est. Post multum vero temporis Germano Capuano „ Episcopo, cuius superius mentionem feci, medici pro salute corporis dictaverant, ut in Angulanis thermis lavari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, „ prædictum Paschasium stantem, & obsequentem in caloribus invenit. Quo viso vehementer extimuit; & quid illic tantus vir faceret, inquisivit. Cui ille „ respondit: Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia „ in partes Laurentii contra Symmachum sensi. Sed, quæso te, pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens, „ me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus stringit, „ & post paucos dies rediit, sed iam dictum Paschasium in loco eodem minime in-

„ invenit: quia cum non malitiæ, sed ignorantiæ errore peccaverit, purgari post „ mortem a peccato potuit. "

XXXVI. Obganniant morosi critici, libros Dialogorum Gregorii fabulis infarctos. Hoc factum, etiamsi esset credulitate æquo faciliori exceptum, nihil adimeret roboris argumentationi hinc eruendæ. Siquidem adest sanctissimi, maximique Pontificis auctoritas in eo quod ius seu doctrinam spectat. Nam aperte Gregorius pœnas caloris iussse Paschasium asserit, quod ignorantia deceptus Laurentium Symmacho ad Pontificatum prætulerit. Pro certo ergo habuit, peccata ignorantiæ, etiam circa facta, punienda esse. Canant nunc recentiores suarum probabilisticarum ignorantiarum receptui. Si Paschasius pauperum cultor, sui contemptor, prodigiorum patrator, secreta aliqua affectione decipi potuit, & ignorantia obductus Laurentium præferre Symmacho in Pontificatu; & ob hanc venialem utique culpam debuit pœnas dare: quid nos miseri, pauperum contemptores, nostri amatores, inquit Elizalde, timere non debemus? Apage ergo ignorantias probabilisticas, omnia excusantes. Expergiscere, & antequam in rebus facti sententias roges, rei veritatem, & circumstantias serio expende, animi tui occultiora arcana ad crisim revoca, ultimos cordis recessus penetra, si vis reatum vincibilis ignorantiæ vitare. In calce huius §. duas iuris regulas circa ignorantias brevissime explico.

XXXVII. Regula iuris 13. *Ignorantia facti, non iuris excusat*. Duplex factorum genus. Aliud proprium, alienum alterum. Ignorantia alieni facti excusat: quia cum hæc sint innumera, & ad te non pertineant; rationabiliter præsumeris ea ignorare. Atque ut in foro hæc ignorantia appareat vincibilis, debet pars adversa rationes allegare. Contra ignorantia facti proprii in foro non excusat: quia nemo prudens præsumitur ea ignorare quæ ad semetipsum pertinent. Quare ut hæc ignorantia invincibilis asseratur, argumentis probari debet. Idque patet ex cap. *Ab excommunicato* xli. de rescript. & l. *Quamquam* 7. pr. ff. ad S. C. Vell.

XXXVIII. Regula 47. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur*. Hæc regula optime concordat cum prima. De sola ignorantia facti loquitur, ut communiter Iurisconsulti cum Glossa interpretantur. Quia eorum quæ iuris sunt, scientia, non ignorantia præsumitur; ut ex ultima prioris regulæ parte liquet. Immo ad solam ignorantiam facti alieni restringitur, ob rationem in explicatione prioris regulæ datam. Addunt communiter interpretes istius regulæ, eorum quæ publica sunt & notoria, scientiam, non ignorantiam præsumi, nisi ignorantia probetur: eorum contra quæ occulte fiunt, ignorantiam præsumi, nisi probetur scientia. Limitant tamen regulam ad ea facta quæ vi proprii officii scrutari nemo tenetur. Regula tamen generalis certa præscribi nequit ob varias multasque circumstantias.

XXXIX. Præfiniri solum probabiliter potest, ignorantiam eorum quæ raro, aut fere numquam contingunt, esse communiter invincibilem; eorum vero quæ frequenter eveniunt, quæque ad nos, quatenus aut homines, aut Christiani, vel Religiosi, vel ministri sumus, pertinent, vincibilem plerumque ignorantiam esse. Noemi ignorantia, qua se inebriavit, invincibilis fuit: quia numquam prius vel in se, vel in alio vini vim expertus fuerat. Pari ratione, si quis assuetus potare etiam abundanter, quin umquam se inebriari expertus sit, si casu bibendo inebrietur, invincibilis est ignorantia, vincibilis contra, si ebrietatem expertus, iterum ad potandum intemperanter accedat. Eodem pacto ratiocinandum est de scientia occasionum peccandi, item de oblivionibus, aut ignorantiis in recitatione officii, in peccatorum confessione occurrentibus. Hæc enim omnia ad propriam professionem pertinent: idcirco si frequenter occurrant obliviones, & ignorantiæ, nisi aliqua peculiaris ratio obsit, sunt vincibiles. Regula certior in distinguendis ignorantiis est bona voluntas, sed quæ sit vere bona. Nam sunt voluntates bonæ non bonæ, segnes nempe, pigræ, quæ velleitates nuncupantur, quarum plenus infernus dicitur. Voluntates vere bonæ sunt efficaces, diligentes, vigilantes, & anhelantes æternæ salutis portum, non secus ac avari, ambitiosi, & mundi amantes curant res suas. Istarum ignorantiæ invincibiles communiter habendæ sunt.

CAPUT VI.

Via, & debitum inveniendæ veritatis moralis.

I. HActenus ostensum est Scripturarum, Patrumque documentis, veritatem ad fidem, moresque pertinentem inveniri posse ab his qui quærunt illam. In præsentiarum via aperienda est quam quisque calcare debet, ut e tenebrarum labyrintho exeat, seque in semitam restituat veritatis. Debitum quoque grave, quo quisque astringitur ad veritatem hanc quærendam, & investigandam, explicare debemus. Librum integrum toties laudatus P. Michael Elizalde in hac adornanda sparta insumit. Plurima ibi versat ad pietatem ciendam, & ad excutiendum humani generis soporem, stuporemque efficacissima. Instituti nostri ratio non sinit ea omnia pertractare. Quare, pluribus omissis, ea seligam quæ magis ad præstitutum mihi finem conducere novero.

§. I.

§. I.

Recedendum a via probabilistica, ut veritas inveniatur.

II. PAradoxon mihi videre videor, quod proposui, apparere tibi. Opinionum probabilium mundus plenus est, & recessus a via probabilistica, ut veritas reperiatur, suadendus suscipitur? Admiratio cessabit, si sensum propositionis explicavero. Viam opinionum illam voco quam Casuistæ, & Probabilistæ invexerunt in mundum, ut libro sequenti fusius explicabo. Quænam hæc? Illa in qua duæ Probabilistarum acies mutuo diffidentes de peccato, & non peccato, de vitio, & virtute disputant: & nunc pares cum paribus, nunc manipulus cum integra legione deprælantur: & utramque viam, tametsi oppositam, ad cælum ducere defendunt. Viam probabilisticam eam voco quæ orsa sua non ducit a Scriptura sancta, a Patrum sanctorum documentis, sed ab hominum inventis. Viam probabilisticam eam voco quæ bivia est, sibique opposita, in qua una Probabilistarum pars negat illam ad cælum tendere, adfirmat altera & media unica cerebri reflexione utramque sursum ascendere docent, tibique commodiorem seligendam permittunt. Viam probabilisticam voco plurium Moralistarum libros, qui, quasi e Luciana schola prodeuntes, pleni sunt in omni fere controversia similibus decisionibus. *Quæritur, utrum ad jejunium tenearis? Adfirmant Layman, Sporer, Gobat. Negant Caramuel, Diana, Tamburinus. Utraque opinio probabilis est.* Vix aliqua occurrit in universa casuistica Theologia controversia in qua similes non invenias resolutiones. Viam probabilisticam denique illam voco in qua hæc passim offenduntur. *Lex dubia non est lex. Lex Dei controversa non est satis promulgata. Possessio stat pro libertate. In dubiis benignior pars est amplectenda.*

III. Ex hac sola viæ probabilisticæ notione compertum habes, recedendum ab ea esse, si semitam ingredi veritatis aves. Verum utique habet, nos conjecturis probabilibus, seu via probabilitatis posse ad veritatem accedere, quando in ea non sistimus ut in termino, sed per eam ultro ad veritatem assequendam, quatenus fieri potest, aspiramus. At docti juniores, te in via probabilistica detinent, nihil de veritate curantes. Si enim veritas illis cordi esset, solam probabilitatem quam propius veritati accedere cognoscunt, tibi suaderent amplectendam. Contra vero statuunt. Duas probabilitates directe contrarias tibi proponunt. Si altera vera, altera necessario falsa est: & tamen illi utramlibet tibi porrigunt, commodioremque tuis appetitionibus seligi a te posse docent. Ergo luce meridiana evidentius est, Probabilistas nihil de veritate esse sollicitos, sed ab ea prorsus præscindere; & loco veritatis probabilitates reflexas oppositas præfinire, veluti regulas lesbias, quas pro ingenio & in salutis negotio, & in civili commercio, & in humana societate

tibi accommodare, & aptare valeas. Adeo verum est, Probabilistas sistere in sola probabilitate, & parum, aut nihil curare de veritate, ut nos, qui veritatem necessariam esse dicimus ad operationem honestam, & meritoriam vitæ æternæ, appellent, quid? VERISTAS, ut legere poteris apud P. Casnedi *Tom. II. disp. XI. sec. XI. num. 310. & seq.* de quo plura infra. Iure igitur concludimus, recedendum a via probabilistica esse, ut veritas inveniri possit. Probabilitatem non repudiamus, sed amplectimur, tamquam instrumentum, seu medium, in quo minime sistimus, sed eo utimur, prout veritati inveniendæ deservit, & quo magis veritati accedit, pressius amplectimur, & quo magis a veritate recedit, eo nos ab eodem pedem referimus.

IV. Quæ hactenus indicavimus, illustrantur. Via probabilistica eo tendit, ut fideles doceat quo pacto valeant absque peccato mundo placere, concupiscentiæ voluptatibus vacare, theatris, comœdiis, & promiscuis conversationibus interesse. Eo spectat, ut fidelibus arcanam quamdam vivendi methodum pandat: ut eos dirigat, qua ratione possint duobus servire dominis, unoque pede in cælum ascendere, alteroque per terram ambulare: ut eos instruat, quo modo possint divitiis augendis, dignitatibus honoribusque assequendis tuta conscientia incumbere; quomodo possint mentiri, occidere, lucrari ex mutuo, pomposas induere vestes, quin mortaliter peccent; quomodo possint se legibus Ecclesiæ subducere, quin peccent. Hæc & similia via probabilistica docet suos asseclas. Porro quam sit hæc via adversa & opposita evangelicæ viæ, quam nobis aperuit Christus, nemo non videt. Nam via Christi via est veritatis, & vitæ. Lex Dei, lex evangelica non solum præcipit declinare a malo, sed etiam facere bonum. Lex evangelica non solum non est lex vitiorum, sed est lex virtutum. Vi istius legis amoris homo vel esse, vel aspirare ad statum gratiæ astringitur. Ergo recedendum est a via probabilistica, quæ in hominum opinione pedem figit, quæque in sola quadam versuta mali fuga tota occupatur; quæ tandem docet vivendum aut secundum, aut contra sanctam Dei legem. Si enim opinio probabilis sit falsa, est contra legem Dei, si vera, iuxta Dei legem. Sed via probabilistica utrasque opiniones tibi sectandas proponit. Ergo æque te instruit vivere contra, ac secundum divinam legem. Ludricam illam reflexionum scenam, vi cuius incerta in certa, falsa in vera, vitia in virtutes transmutantur, veluti ædificium super maris arenam excitatum, suo loco in pulverem amandabimus.

V. Quid quod ipsi Probabilistæ hanc viam falsam, & perditionis viam reputant, quoties pecuniarum, proximique bonis nocendi periculum imminet? Via, inquiunt, utriusque contrariæ opinionis, aut servandi, aut violandi legem Dei, secure ad cælum ducit, nisi prævideas in hoc conflictu opinionum crumenam esse molestandam, proximumque præiudicandum. Tum enim, incertis dimissis, certiora & pro-

probabiliora sectanda. Si sola divina lex spectetur, utramlibet sequere opinionem: quia si minus probabilis falsa erit, violatio legis vi reflexionis probabilisticæ materialis quoque reputabitur. Si ab eis perconteris: Eccur violatio divinæ legis materialis est, si sola spectetur, formalis vero, si honor, pecunia, lucrum accedant? Non aliud respondent, nisi quod securior arripienda est via, ubi proximi damnum agitur; benignior vero, seu laxior, quando sola divinæ maiestatis offensa spectetur. At numquid non eodem modo voluntaria est, & libera legis divinæ violatio, sive occurrat, sive non occurrat pecuniarum iactura? Eodem quippe modo est præcognita. Ergo eodem modo voluntaria: ergo eodem modo peccatum est. Lubet huc transcribere pauca sapientis P. Elizalde verba ex Lib. VIII. quæst. 111. §. 1. *Iam magni animarum Rectores distinguunt, & dicunt, violationem voluntariam legis Dei citra salutis, pecuniæ, & similium præiudicium non esse peccatum; esse vero, ubi salus, pecuniave interest. Eccur autem ita? Alio hoc resolvi nequit, nisi quod LEX DEI PER SE NIHIL EST. Salus porro, & pecunia magnæ res sunt. Infero Ergo tenemur relinquere hanc viam. Probo. Quia tenemur relinquere tales Doctores.*

VI. Tandem hæc obligatio recedendi a via probabilistica contrariarum opinionum confirmari posset infinitis rerum humanarum exemplis Numquid mercatores, nautæ, milites, lusores ipsi contrariarum opinionum incertitudini fortunas suas committunt? Nonne omnes in corporum cura, in connubiis ineundis, in bellis, in negotiationibus, pericula, & incertitudinem, quoad fieri potest, fugiunt? Sapienter Franciscus Arias describit infinitas opiniones, quibus involutus mundus erat ante Christi adventum. Legantur soli libri Marci Tullii *de natura deorum*, ubi in unum collectæ sunt monstrosæ illæ, innumeræque sapientum opiniones contrariæ in hac materia. Orto Sole iustitiæ super terram, tenebræ illæ dissipatæ sunt, evanuerunt opiniones, deorum pluralitas sublata est, ex nobiliori, ampliorique mundi theatro, deque uno Deo una sententia est. Quamdiu libro Salvatoris unice Christiani studuerunt, una fuit aut veritati, aut verisimilioribus adhærendi sententia. Neglecto hoc Redemptoris libro, quemadmodum ante illius adventum mutuis contrariis opinionibus mundus conflictabatur, ita fere post evoluta quindecim & amplius sæcula ab eiusdem adventu, de morum integritate, sicut tunc de deorum pluralitate, infinitarum dissidentium opinionum pugna & bello mundus christianus discinditur in partes. Invecto siquidem Probabilismo, unus Doctor gravis satis est ad pariendam, & stabiliendam in mundo opinionem. Hæc sola semel parta, & doctrinis salutaribus adscripta, aliam parit, & hæc aliam, adeo ut una sola opinio ita fecunda & prægnans evadat, ut brevi familiam centum opinionum progignat, ut consulenti vel unicum Dianam palam est.

VII. Relinquendam viam probabilisticam, & insistendum unice contrariæ semi-

tæ, alio argumento penes omnes Catholicos invicto evincitur. Nos Catholici negamus extra Ecclesiam Catholico-Romanam quemquam posse cælum assequi. Concedunt Mahumetani, Lutherani, & plures alii sectarii, nos Catholicos in nostra religione posse salvos fieri; quamquam illorum religio, ut ipsi aiunt, præstantior sit. Ex qua concessione sic arguunt Catholici. Temeritatis, & stultitiæ plena res est, in salutis æternæ negotio conficiendo negligere medium quod iuxta omnes certum est, ut aliud eligatur cuius certitudo, & securitas saltem est in quæstione. Idque in omni temporali corporis, pecuniarum, honoris negotio patet. Ergo temeritas, & stultitia est religionem Romanam respuere, in qua iuxta omnes salus obtineri potest, ut altera quæcumque seligatur, in qua quæstio, est, utrum in eadem quisquam salvus fiat. Hæc argumentatio aut nulla est, aut evincit viam probabilisticam diris esse devovendam. Siquidem iuxta omnes via veritatis est via tutissima salutis. Via probabilistica in sensu explicato iuxta omnes Antiprobabilistas est via perditionis; quamquam Probabilistæ eam tutam adfirment. Ergo aut adversarii, repudiata via probabilistica, astringuntur in nostram demigrare viam; aut argumentatio narrata Catholicorum adversus sectarios nulla est. Ne multa: in controversia religionis tenemur, dimissis incertis, certa amplecti: ergo idem in caussa morum. Nec minoris periculi est in una ac in altera caussa incertitudo. Quid hiscere Probabilistæ ausint quod reponere Lutherani nequeant? Quæ obtrudere adversarii solent, nec nostram viam esse viam veritatis, & certitudinis, cum & opinio probabilis, & probabilissima falsa esse queat; alibi resolventur. Nugæ enim sunt, quæ seipsis in fumum abeunt: nam de ea certitudine & veritate nobis est sermo quæ hic in terris haberi potest. Hæc autem, si non semper habeatur in re, sat est ut, quoad fieri valet, eidem propius accedamus. Et hanc dicimus esse viam illam quæ secundum omnes utriusque sententiæ patronos securius ad cælum ducit.

§. II.

Via inveniendæ veræ religionis, & veritatis moralis evangelicæ eadem est. Hæc non est in rerum examine sita.

VIII. Fides catholica non in sola fide speculativa mysteriorum sita est: quin, teste Iacobo, hæc fides operibus bonis destituta, mortua est. Fides ergo nostra integre accepta æque agenda, ac credenda suo ordine servato comprehendit; ita ut doctrina morum sit pars doctrinæ fidei; immo doctrina fidei nequit integre consistere absque doctrina morum, quæ est pars doctrinæ fidei. Porro sicut Deus infinita sua sapientia ita disposuit fidem, religionem, & Ecclesiam suam, ut omnes

omnes eam invenire possent; sic legem suam talit taliter cognoscibilem, ut quisque eam reperire valeat. Ergo sicut omnes reperire valent veram religionem, veramque Ecclesiam; ita assequi possunt veritatem moralem; cum non minus hæc quam illa notis signisque visibilibus vestita a Deo sit.

IX. Porro, ut de notis fidei disserere primum incipiam, in memoriam revocanda est Augustini doctrina, qua ostendit, viam assequendi veritatem articulorum fidei, non esse viam examinis, & discussionis. Si quis veritates de prædestinatione, de gratia, de libero arbitrio, de unitate personæ Christi, de duabus naturis, de Trinitate personarum, de Papatu, aliisque articulis assequi via examinis vellet; prius finiret, inquit Augustinus, vitam istam: alter in principio, alter in medio examinis diem ultimum clauderet, ut reapse evenit. Accedit quod Deus fidem suam non solis Theologis revelavit, suscipiendamque præcepit; sed omnibus, viris, & feminis, Principibus, & subditis, nobilibus, & agricolis, acutis, & ineptis, doctis, & indoctis; neque hos omnes Theologos esse voluit. Ergo alia via præter examen assignanda est, qua veritates fidei inveniantur. Atqui eadem omnino ratio evincit respectu legis, & veritatis moralis: quoniam Deus quemadmodum fidem, ita legem, & præcepta sua non solis Theologis, sed omnibus recensitis intimavit. Ergo superest alia via, qua citra examen inveniri lex, & moralis veritas possit. Hæc autem via debet esse notarum aliquarum, & signorum, sicut in fide. quoniam sicut credere non possumus quæ Deus dixit, nisi sciamus quæ dixerit; ita neque servare, & custodire præcepta valemus, quin cognoscamus quæ præceperit.

X. Porro istorum omnium ratio est, quia veritas fidei non est doctrina humani ratiocinii, aut examinis, vel naturalis investigationis; sed doctrina divinitus tradita, & talibus notis, ac signis ornata, ut falsitatis revincat ceteras sectas, & seipsam credendam prodat. Sed talis quoque, proportione servata, est veritas moralis evangelica, quæ naturalem investigationem excedit. Ergo simili modo investiganda est veritas moralis evangelica, ac veritas fidei.

XI. Explicandæ nunc essent notæ, & signa veræ religionis, veræque Ecclesiæ. Verum hoc nimium me ab instituto revocaret. Fuso calamo hæc signa, notasque Theologi explicant in tractatu de fide. Consule potissimum P. Michaelem Elizalde in Libro inscripto *Forma veræ religionis quærendæ, & inveniendæ*. Pauca ex eodem delibabo.

XII. Prima ergo, potissima, & quasi dixerim, unica via inveniendæ veritatis sive fidei, sive morum, ea est quam perhibet S. Paulus Apostolus II. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi*. Articuli credendi, & moralis evangelica a Deo sunt, ut dictum est. Deo credendum esse, omnes affirmant: ergo hoc factum primum omnium quærendum, investigandumque est, videlicet revelaverit ne Deus hos articulos,

præscripseritque hæc præcepta, hæcque consilia. Hoc peracto, res tota resplendet. *Scio cui credidi*. Hanc arripuit Augustinus viam, eamque nobis sequendam proponit Lib. de utilit. credendi cap. VIII. *His igitur constitutis . . . . edam tibi, ut possum, cujusmodi via usus fuerim, cum eo animo quærerem veram religionem quo nunc exposui esse quærendam*. Porro, antequam hanc viam inventæ a se veritatis Doctor S. explicet, patefacit viam per quam a vera catholica religione desciverit, & in Manichæorum hæresim inciderit. Inquit ergo Lib. cit. cap. I. *Nosti enim, Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant, terribili auctoritate separata, mira & simplici ratione introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos fere novem, spreta religione quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi, ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent, se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa, & enodata veritate? Quis non his rationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus, & garrulus, qualem me tunc illic invenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas; & ab eis promissum apertum, & sincerum verum tenere, atque haurire cupientem?* Huc animum intendant qui omnia Moralis evangelicæ documenta humanis implicant ratiociniis. Honoratus, & Augustinus aniles fabulas reputabant dogmata nostra. Et tamen a peccato immunes sese existimabant tunc; sicuti docent qui tollunt peccata mundi.

§. III.

Via inveniendæ veritatis evangelicæ sive fidei, sive morum, est via auctoritatis.

XIII. Augustinus, errore Manichæorum deprehenso, eidem se subducere constituens fluctibus agitabatur Academicorum. *Sæpe mihi* (inquit Lib. de utilit. cred. cap. VIII.) *videbatur inveniri non posse, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragia ferebantur*. Animos quasi despondebat Augustinus, se verum inventurum. At animum erexit, & suæ conversionis tamquam primum fundamentum præjecit, veritatem inveniri ab omnibus qui illam quærunt, posse. Viam illam quærendi, & inveniendi est quæ latet homines. Quid ille egit, ut hanc inveniret? Audi illum hæc omnia narrantem cit. Lib. de utilit. creden. cap. VIII. *Sæpe rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quærenda modus lateret, eumdemque ipsum modum ab aliqua divina auctoritate esse sumendum. Restabat quærere quænam illa esset auctoritas, cum in* tan-

tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis silva, cui demum inferi multum pigebat: atque inter hæc sine ulla requie cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisque ab istis (Manichæis, & Academicis) *quos iam deserere proposueram. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacrymosis, & miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id sedulo faciebam.* Hoc itaque primum omnium constituendum est, veritatem inveniri posse. *Quærite, & invenietis.* Promissa tua sunt, Domine. *Et quis falli timeat, cum promittit veritas?* inquit idem Augustinus *Lib. XII. Confess. cap. 1.*

XIV. Res tota ergo deducitur ad modum, seu viam qua hæc veritas invenienda sit. Hanc autem viam auctoritatem esse illius qui credenda, & agenda præscripsit, constat. Hoc porro pacto Augustinus evincit hanc unicam esse inveniendæ veritatis viam. Sic ergo adoritur Manichæos præfato *Lib. de utilit. cred. cap. XII.* & paullo ante. *Nam qui dicunt, nihil esse credendum nisi quod scimus, id unum cavent nomen opinationis, quod fatendum est turpe, ac miserrimum. Sed si quis diligenter consideret, plurimum interesse, utrum se scire quis putet, an quod nescire se intelligit, credat aliqua auctoritate commotus; profecto erroris, & inhumanitatis, atque superbiæ crimen vitabit.* Post sic arguit adversus Manichæos. *Quæro enim, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant? Non enim ratione ullo pacto sciri potest, sed interposita matris auctoritate de patre creditur, de ipsa vero matre, plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, & sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur.*

XV. Credendi necessitate demonstrata e vestigio resumit argumentum, stultorum, & sapientum diversitate præmissa. *Nam* (subdit) *nemini dubium est omnes homines aut stultos, aut sapientes esse. Nunc autem sapientes voco, non cordatos, & ingeniosos homines, sed eos quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis, Deique firmissime percepta cognitio, atque huic cognitioni vita, moresque congruentes: ceteros autem cuiusquam modi artibus, inertiisque affecti sunt, quolibet victu probandi, sive improbandi, stultorum in numero reputaverim. Quæ cum ita sint, quis mediocriter intelligens non plane viderit stultis utilius, atque salubrius esse præceptis obtemperare sapientum, quam iudicio suo vitam degere? Nam omne factum, si recte factum non est, peccatum est. Nec recte factum esse ullo modo potest quod non a recta ratione proficiscitur.*

XVI. Duo hinc collige. Unum, salubrius atque utilius stultis esse sapientum obtemperare præceptis quam proprio iudicio vitam degere. Alterum principium est, rectitudinem rationis esse virtutis mensuram. Veritatem autem esse rationis re-

rectitudinem, tam compertum est, quam exploratum est, intellectum ad verum esse ordinatum. Laudatum *caput* XII. concludit Augustinus his verbis. *Nihil igitur nobis restare admodum vides, quamdiu stulti sumus, si nobis vita optima, & religiosa cordi est, nisi ut quæramus sapientes, quibus obtemperando, dominationem stultitiæ neque ita multum sentire, dum inest nobis, & evadere aliquando possimus*. Non solum ergo ineunda est auctoritatis via, ut mysteria credenda reperiantur, sed etiam ut *vita optima & religiosa* ducatur.

XVII. Beati Probabilistæ! inquit P. Elizalde *Lib. VIII. quæst.* V. §. 5. quibus inexplicabilis silva dissidentium opinionum, quæ mentem sublimem Augustini obruebant, minime occurrit, sed inter ipsas dissidentes opiniones tranquille quiescunt. Opinioni cuilibet, dummodo quatuor, aut quinque Doctoribus probetur, assentiri posse docent. Verum, istis missis, Augustinum sequamur. Intercisum sermonem ergo resumit ipse ibidem *cap.* XIII. Atque ut filum ratiocinii habeas, tria hactenus demonstravit Augustinus. Primum, veritatem inveniri posse. Alterum, viam inveniendæ veritatis esse auctoritatem Dei revelantis hanc veritatem. Tertium, confugiendum ad sapientes esse, qui hanc divinam nobis revelationem testentur. Quibus præiactis, opponit sibi. Si nos stulti, seu imbecilles, inepti, indocti, qua ratione dignoscere, & invenire sapientes possumus? En verba Augustini. *Hic rursus oritur difficillima quæstio. Quonam enim modo stulti sapientem invenire poterimus; cum hoc nomen, tametsi nemo fere audeat palam, plerique tamen ex obliquo sibi vendicent, cum de rebus ipsis quarum cognitione constat sapientia, ita inter se dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certe unum necesse sit esse sapientem? Sed quinam iste sit, cum ab stulto requiratur, quo pacto queat dignosci plane, atque percipi omnino non video*. Expono hanc Augustini argumentationem. Cum de rebus ipsis quarum cognitione sapientia constat, dissideant homines inter se, aut nullum, aut unum necesse est esse sapientem. Qua argumentatione usus est Marcus Tullius de naturâ deorum Lib. I. cap. II. *Quorum opiniones*, inquit, *cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes; alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una vera sit*. Fieri ergo potest ut homines dissidentes omnes fallantur, nullusque sapiens sit, fieri vero non potest ut plus uno ex duobus pugnantibus sapiens sit. Qui vero falluntur, sapientes reapse non sunt, nisi omnis crepet Metaphysica.

XVIII. Ex hac argumentatione Augustini necessario consequitur, tum sectarios in inquisitione fidei, tum Probabilistas in investigatione veritatis moralis abludere a via veritatis. Tempore Augustini dissidebant mutuo Manichæi, Ariani, Pelagiani, Catholici. Omnes se sapientes, seu catholicos nuncupabant. Similiter nunc dissident inter se Lutherani, Calvinistæ, Sacramentarii, Sociniani, Anabaptistæ. Omnes se sapientes, & catholicos iactant. Negligunt inquirere sectarii in-

ter tot dissidia, ubinam sint veri sapientes. Provocatio ad Scripturam ineptissima est; cum omnes a se stare Scripturam asserant. Sistunt ergo in sola dissidentium auctoritate. Hoc porro cavendum docet Augustinus, cavitque ipse, qui, quamdiu partem catholicam, quam non victam Mediolani agnoscebat, victricem simul non aspexit, eam amplexus non est. *Ita enim catholica* (ait V. Conf. cap. IV.) *non mihi victa videbatur, ut nondum etiam victrix appareret*. Iudicent sectarii ex praejudiciis educationis, nationis, & passionum, Ecclesiæ aut Anglicanæ, aut Battavæ, aut Lutheranæ auctoritatem non esse victam a Catholica; victricem tamen, nisi sint stultissimi, nequeunt illam iudicare. Quod si comparatio Lutheranam inter, & Calvinisticam fiat, utra scilicet victrix sit, clarius stultitia apparet. Ergo frustra sistunt inter dissidentes.

XIX. Similiter deficiunt Probabilistæ, pedem figentes inter dissidentes. Moralistarum recentiorum libri, non in uno aliquo, vel interdum (ut vel inter sapientes Patres accidit) sed magis semper quam sæpe sese inter dissident. Quod si vel in nomine conveniunt, reipsa dissentiunt. Dissidium istud earum rerum est quibus sapientia constat: de virtutibus siquidem, & vitiis, de honesta vivendi ratione, & de turpitudine disputatur. Quid ergo reponunt Probabilistæ? Numquid in utrisque sistendum? Hoc sane aiunt. Sed hoc cum communi sensu, rectaque ratione pugnat. Clamat quippe Augustinus, clamat ethnicus Tullius: *Quorum opiniones cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit.*

XX. Non aliud remanet nisi aperire viam per quam sapiens, seu pars victrix inveniri queat, pergit Augustinus loc. cit. cap. XIII. *Sed quinam iste sit* (sapiens) *cum ab stulto requiratur, quo pacto queat dignosci plane, atque percipi omnino non video. Neque enim signis quibuslibet cognoscere aliquid potest, nisi illud ipsum cuius ea signa sunt, noverit. Atqui sapientiam stultus ignorat. Non enim ut aurum, & argentum, ceteraque id genus, & cognoscere cum videas, & non habere concessum est; ita sapientiam mentis eius oculo qui ea careat, videri fas est. Sensu enim corporis quæcumque attingimus, forinsecus nobis afferuntur. Et ideo licet quoque res alienas oculis cernere, cum earum, vel eius generis nos nihil habeamus. Quod autem intellectu capitur, intus apud animum est: nec id habere quidquam est aliud quam videre. Caret autem stultus sapientia: non igitur novit sapientiam. Non enim oculis eam posset videre. Non autem potest videre, & non habere: neque habere, ac stultus esse. Nescit hanc igitur, & dum nescit, in alio loco cognoscere non potest. Non ergo potest, quamdiu stultus est quisquam, certissima cognitione invenire sapientem, cui obtemperando, tanto stultitiæ malo liberetur.*

XXI. Provoco omnium Probabilistarum acutiores, & subtiliores, qui Patres negligunt, quasi stilo concionatorio, non presso, & scholastico caussas egerint, ut

ipsi quidquam subtilius, fortius, atque urgentius proferant pro idiotis, rudibus, & obtusis, quos obicere solent in ignorantiæ invincibilis propugnaculum. Argumentatio ergo Augustini, ut supra animadverti, integram veram religionem comprehendit, quæ & articulis credendis, & legibus exequendis constat. Quid quod Augustinus loquitur vel de ipsis infidelibus idiotis, seu stultis & rudibus? Facilior est idiotis Catholicis inventio veritatis moralis, quam infidelibus veritas religionis: hæc quippe remotior est illa ab humano captu. Quid autem implexæ, & vix solubili difficultati respondet Augustinus? Numquid ad spectrum Probabilissimi, vel ad ignorantiam invincibilem confugit? Audi illius responsum, quod immediate *ibidem* præbet. *Huic igitur tam immani difficultati, quoniam de religione quærimus, DEUS SOLUS mederi potest, quem nisi & esse, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipsam veram religionem debemus.*

XXII. Illud nunc, tamquam certum, constituendum, quod Probabilistæ ad incitas redigit, eamdem omnino de sapiente, ac de sapientia quæstionem esse. Qui ignorat ubi sit sapientia, ignoret oportet ubinam sapiens reperiatur. An stultus non haberetur qui iactaret se nosse divites, ignorare vero ubinam, & apud quos sint divitiæ? Dementia ergo manifesta est ostentare se nosse sapientes, ignorare vero ubi, & penes quos sit sapientia. Probabilistæ plenis buccis clamant, se nosse sapientes, & ubique eos habere obvios. Ratione ergo carerent, si negarent se nosse, & reperire posse sapientiam. Quo posito, sic instauro ex Augustino argumentationem. Ipsissima omnino est de sapientia, ac de veritate caussa. Patent sapientes: ergo & sapientia. Patet sapientia: ergo & veritas. Quid ad hæc Probabilistæ? Ipsi sapientes habent; veritatem vero se non habere fatentur, immo reperiri illam non posse adfirmant. Ergo sapientes habent sapientia destitutos. Ergo divites habent divitiis egentes. Ergo homines albos habent qui albedine carent. Latet iuxta ipsos veritas: ergo latent sapientes. Latent divitiæ: ergo latent divites. Aut e contrario, patent sapientes: ergo patet & veritas. Æque enim repugnat inveniri sapientem sine veritate, ac repugnat reperiri virum divitem sine divitiis, hominem nigrum sine nigredine, hominemque album sine albedine. Ergo demonstratione evidentissima infert Augustinus, nullo modo licitum esse sistere in oppositis diffidentium opinionibus; cum alterum fieri possit, ut illarum nulla, alterum vero non possit, ut plus una vera sit. Ergo a diffidiis mutuis erigendum est caput, & ad auctoritatem sapientum confugiendum. Hucusque argumentatio Augustini nulli est cavillationi obnoxia.

XXIII. Præiacta hac certissima veritate, ab auctoritate sapientis auspicandam esse viam veritatis inveniendæ, ut quæstioni Augustinus finem imponat, quærit, quænam sit hæc auctoritas, ad quam confugere debeamus pro veritatis inventione. Hanc porro auctoritatem primum sapientem Deum esse ait cit. Lib. cap. XIII.

Recte

Recte igitur catholicæ disciplinæ maiestate institutum est, ut accedentibus ad religionem fides persuadeatur ante omnia. Post declarat, quænam sit illa auctoritas cui fidendum est. Respondetque esse Christum: inquit enim ibi cap. XIV. *Sine paullulum mecum ipse considerem Christum ipsum, quomodo apparere hominibus voluit, qui ipsis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi, quibus de illo crediderim; ut ad te iam tali fide præstructus accedam, nullis me video credidisse, nisi populorum, atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ: hos autem populos Ecclesiæ catholicæ mysteria usquequaque occupasse. Cur non igitur apud eos potissimum diligentissime requiram, quid Christus præceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid præcepisse credidi?*

XXIV. Viam postremo aperit per quam ad Christi auctoritatem perveniamus, seu qua dignoscamus hanc Christi auctoritatem: sic enim loquitur cap. XVII. *Hoc factum est divina providentia per Prophetarum vaticinia, per humanitatem, doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis, atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit: cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ? Nam si nulla certa ad sapientiam, salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto robore præditæ auctoritati velle resistere? Et si unaquæque disciplina, quamquam vilis, & facilis, ut percipi possit, doctorem, aut magistrum requirit; quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacrorum libros & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?*

XXV. In pauca contraho universam Augustini doctrinam. Deus revelavit religionem suam, articulis fidei, & legum præceptis constantem. Deo autem revelanti credendum est: idque invictis demonstrat argumentis, quamvis veritas sit per se nota. Ergo in dissidiis super hac religione, sive fidei, sive præceptorum, ortis, confugiendum est ad Deum ipsum. Quæ autem calcanda via, ut sciamus quid Deus reipsa revelaverit? Via hæc est Prophetarum, Apostolorum, Episcoporumque, ut fusius, & clarius infra palam fiet. Allata Augustiniana doctrina eo potissimum pertinet, ut evincat, sapientiam, seu veritatem inveniri posse: consequenter non esse sistendum, ut contendunt Probabilistæ, in dissidentibus partibus, cum alterutra falsa sit oporteat; sed recurrendum ad sapientes. Qui autem fieri possit

possit ut stulti, seu idiotæ, & ignari, sapientes, ipsumque Christum invenire queant, si nemo invenire illum potest quem non cognoscit: sicut aurum ille non reperiet qui penitus quid sit aurum, ignorat? Cui immani difficultati Deum solum mederi respondet. Opportuna sunt in hunc finem quæ ibidem scribit cap. XVI. *Id nunc agitur, ut sapientes esse possimus, idest inhærere veritati: quod profecto sordidus animus non potest. Sunt etiam sordes animi, ut brevi explicem* (arrigamus aures omnes) *amor quarumlibet rerum præter animum, & Deum a quibus sordibus quanto est quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perversum certe atque præposterum est. Homini ergo non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, auctoritas præsto est: quam, ut paullo ante dixi, partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit.* Hæc Augustini doctrina tota hausta est ex ipso divino Redemptore dicente: *Pharisæe cæce munda prius quod intus est calicis.*

§. IV.

Ex doctrina Augustini colligitur, tam sectarios posse invenire veritatem fidei, quam recentiores Moralistas veritatem morum. Varia sectariorum, & Probabilistarum effugia convelluntur.

XXVI. Absit comparationi invidia: nec enim pios, doctosque Catholicos cum sectariis conferimus, quasi velimus notam aliquam illis inurere. P. Michael Elizalde, cuius est comparatio isthæc, ita eam a cuiusque invidentiæ censura subtrahit *Lib. VIII. quæst.* V. §. 8. „Sæpius cavi, caveoque, nos longe „abesse ab æquandis sectariis, & recentioribus: absit plane temeritas, & Lib. I. „notabamus de peccato, non de tanto esse sermonem. Sicut peccat quidem blas„phemus, & fur; ille tamen multo atrocius: sic etiam hæreticus peccat, & qui „voluntario errat in doctrina morum, peccat: uterque sane peccat; scelestius „tamen ille. Non ergo, ut offendamus illos; non item frustra, ultroque simul „ponimus. sed quia, ut sapientes docent, per nota in ignotis regimur." Hanc defensionem totam non approbo. Nec enim vis comparationis eo spectat, ut peccatum gravius sit in hæreticis, levius in Catholicis. Immo nullus hic de peccato sermo est, sed de debito, possibilitate, & via, qua inveniri veritas potest, & debet. A peccato ergo nunc, sin utriusque partis, saltem Catholicorum abstrahimus. Ultima defensionis pars vera est. *Per nota in ignotis regimur.* Notissima autem, & perspicua sunt penes orthodoxos signa, & notæ inveniendæ fidei. Omnes Catholici adfirmant, non posse sectarios tuta conscientia quiescere in dissidiis,

fidiis, & debere investigare veritatem religionis. Porro nos contendimus, eamdem omnino, ad hoc quod attinet, esse utriusque partis caussam; eadem urgere in utroque casu argumenta. Quid quod difficilior est fidei quam morum veritatis inventio?

XXVII. Via ergo qua sectarii invenire veritatem religionis debent, est via auctoritatis. Hæc auctoritas prævalere ceteris omnibus debet. Hæc auctoritas non solum non victa ab aliis, verum etiam victrix aliarum sit oportet. Hæc autem quænam est? Ecclesiæ Romanæ, quæ, frustra adversus eam *circumlatrantibus hæreticis*, *culmen auctoritatis obtinuit*, partim ipsius plebis iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim miraculorum maiestate, & Episcoporum successione. Quæ hæreses, pergit Augustinus, pugnarunt adversus Ecclesiam catholicam, quæ simul, & potissimum non pugnaverint adversus Sedem Apostolico-Romanam? Nec umquam illa sine ista vicit; cum vincere corpus absque capite nequeat, neque consistere ædificium petra fundamentali sublata. *Cui* proinde *nolle primitias*, seu *primas dare*, summæ profecto impietatis est. Percurrant Lutherani, Calvinianique antiquiorum omnium sæculorum hæreses ab adventu Christi usque ad adventum Antichristorum Lutheri, & Calvini. Devictæ fuerunt omnes. A qua auctoritate? Ecclesiæ sane Romanæ. Hoc factum nonnisi stultissimi negare ausint. Hæc est victrix illa Ecclesia quæ omnibus prævaluit. Fluctibus *probabilizantium* Academicorum agitabatur Augustinus: in hæresim Manichæorum prolapsus erat: novem spatio annorum luto hæsit, in tenebris ambulavit: caput tandem erexit: omnes lustravit dissidentes Ecclesias: solam Romanam victricem vidit: in istius gremium se recepit, in istius sinu diem clausit extremum. Ergo alterutrum fateri hæretici coguntur, videlicet aut Augustinum veram religionem non invenisse, nec in Catholico-Romana Ecclesia vixisse; aut Romanam Ecclesiam esse Ecclesiam victricem, quæ culmen auctoritatis obtinuit, Ecclesiam veram, solam, & unicam Christi sponsam. Primum negare nequeunt, nisi inficientur Carthaginem, & Romam fuisse. Secundum non solum auctoritate Augustini, sed omnium sæculorum experientia notum est. Ubinam sunt omnes retro hæreses? Devictæ omnes iacent, nullarum victrices. Romana sola victrix triomphat. Prostratæ præteritæ iacent: ergo præsentes prosternentur. Hæc non prophetia, sed iusti ratiocinii illatio legitima est: quoniam portæ inferi non prævalebunt umquam. Nulla præsentium sectarum æquat, sive multitudinem spectes, sive potentiam, solam Arianorum sectam. Prævaluit Romana Ecclesia adversus eam: ergo prævalebit adversus præsentes. Hæc sola perpetua Ecclesiæ Romanæ cum omnibus ab adventu Salvatoris pugna contra omnes hæreses, & hæc illius perpetua victoria de sectis omnibus, argumentum est adeo evidens, adeo resonans vel in surdorum aures, ut sola cæcitas, & obstinatio Iudaica maior possit tantæ veritatis luci resiste-

stere. Quid, si transcribere isthuc vellem quæ Augustinus ipse, ceterique Patres in huius veritatis illustrationem promunt? Sed hæc indicasse sufficiat. Ex quibus paucis iterum Augustini demonstrationem perstringo. Ecclesiæ Anglicana, Batava, Svedensis, Danensis, singulæ sua capita habent, singulæ dogmate discrepant. Fieri potest (repetamus Marci Tullii argumentationem) ut istarum nulla; at fieri minime potest ut plus una vera sit. Nam unam esse veram Christi Ecclesiam veritas est per se nota. Nulla porro istarum aliqua insignitur prærogativa, qua ceteris in auctoritate præstet. Omnes ergo recensitas Ecclesias errare saltem præter unam, veritas est per se nota. Nemo unus istarum Ecclesiarum rationem, vel apparentem, prodere valet, cur potius Ecclesiæ, puta Anglicanæ, vel Batavensi, credat, & non Danensi, aut Genevensi, nisi quod illa sit suæ patriæ, & nationis Ecclesia: quam rationem Turcæ, omnesque infideles habent. Sed Ecclesiæ huiusmodi nationales sunt, non catholicæ. Quænam illarum Ecclesia victrix est aliarum hæresum? Dissident autem inter se omnes præfatæ Ecclesiæ. Ergo, arguit Augustinus, evidentissima dementia tenentur illarum asseclæ, dum in his dissidiis sistunt. Ergo aut renuntient oportet communi sensui, & principiis evidentibus, aut erigere caput debent, & illam investigare Ecclesiam, & Religionem, contra quam portæ inferi numquam prævaluerint, & quæ simul ceteras hæreses labefactaverit.

XXVIII. Hæc argumentatio æque urget Probabilistas in morum, ac sectarios in dogmatum controversiis. Conferantur aut scholæ cum scholis, aut Auctores cum Auctoribus: separentur in suas classes directe oppositas. Ipsi affirmant, sistendum in dissidiis esse beneficio versatilis probabilitatis in utramque partem. Duas sectarii evasiones habent, eisdemque utuntur Probabilistæ. Prima est provocatio ad examen articulorum, & Scripturam. Altera, singulos in sua religione assequi salutem posse, eo quod dissidia non in essentialibus, & fundamentalibus punctis sint, sed in accidentalibus non necessariis ad salutem; sicut sunt scilicet nostrarum scholarum discrimina, & controversiæ. Et hic purus putusque est Probabilismus, ut scite advertit Sanchez, de quo *Lib. seq.* Qui Probabilismus in materia religionis primum a Donatistis invectus fuit, Elizalde teste; post amplificatus a Mahomete; & tandem a recentioribus sectariis ambabus ulnis arreptus. Porro quo pacto Probabilistæ valent hunc sectariorum philosophandi modum improbare in caussa religionis, in qua de secundariis, & accidentalibus articulis sermo sit, quando similis argumentandi ratio in moralibus, v. g. amoris Dei, aliisque divinæ legis præceptis admittitur? Nec enim Deus magis præcepit hominibus credere mysteria sua quam custodire verba sua, nec magis fidem quam caritatem iniunxit. Si ergo in altero valet probabiliter lex, quidni non sufficiet in altero probabiliter fides? Quid? Illarum Ecclesiarum differentiæ probabiles non sunt? Probabiles nobis non sunt;

pd

sed probabiles sunt illis. Et si Ecclesia eas non damnasset, remansissent probabiles probabilitate impunitatis, & tolerantiæ, sicut probabilitates de lege, & præceptis iactantur toleratæ. Illud dumtaxat sectariis est reliquum, percontari a nobis: Si licitum non est, ut reapse non est, quiescere in dissidiis, seu in probabilibus oppositis in materia religionis; cur tolerantur in Ecclesia Romana probabilitates contrariæ in morum regulis? Cur permittitur sistere in probabilibus; immo in minus probabili, relicto probabiliori? Ergo aut argumentatio Augustini non urget; aut æque militat adversus Probabilismum recentiorum, ac adversus Probabilismum sectariorum in articulis secundariis.

§. XXIX. Duas huic ultimæ oppositioni præbet responsiones P. Michael Elizalde III. Part. Lib. VIII. quæst. v. §. 7. pag. 122. *Respondeo primo: ægre tolerantur: & satis vel unus Alexander periculi fideles omnes commonuit. Respondeo deinde, prædictum satis fuisse a Domino ipso, in agro suo, idest Ecclesia, superseminanda zizania, quin etiam toleranda, quamdiu oportet (de quo Lib. II.) nec tamen ab agro egrediendum est.* Nos vi evidentis ratiocinii probabimus infra, Alexandrum VII. admonuisse fideles, cavendum a Probabilismo esse, eo quod modus hic opinandi, a luxuriantibus ingeniis invectus, sit evangelicæ doctrinæ repugnans. Post Alexandrum VII. Innocentius XI. Probabilismum damnavit, omnibus fatentibus, in variis materiis; & necessaria deductione illum absolute proscripsit. Ecclesia Gallicana in nationali Concilio Probabilismum solemni decreto proscripsit, nemine contradicente. Hæc omnia infra demonstrabimus. Tandem adversus hoc, sive sectariorum, sive Probabilistarum, effugium Ecclesia Romana communivit fideles suos saluberrimo decreto, quo damnavit hanc erroneam opinionem. Hic liber, hæc opinio non est a Sede Apostolica damnata: ergo cuique eam sequi licet. Plura enim tolerantur in Ecclesia quæ postea opportuno tempore, veluti zizania exitiosa, proiiciuntur ex agro. Et de hoc plusquam satis.

XXX. Opponunt Probabilistæ, se nihil aliud habere quam provocationem, & recursum ad sapientes, & prudentes. Immo hoc Probabilismi capitale principium. Fatemur illos ad sapientes provocare; sed ad sapientes Probabilistas, non ad sapientes viros. Difficillimum negotium in recursu ad sapientes est cognoscere quinam sint sapientes, ut ex Augustino vidimus. Sapientes, ad quos provocant Probabilistæ, sunt omnes recentiores, sive Theologi, sive Casuistæ, inter se oppositi, & diffidentes, & secum pugnantes; & in his dissidiis, pugnisque quiescendum docent. Augustinus vero, nosque cum illo, ad veros sapientes, ad veram sapientiam provocamus. Quinam isti? Libri Canonici, David, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel &c. Matthaeus, Lucas, Marcus, Ioannes, Petrus, Paulus, Iudas, Iacobus. Sunt in secundo gradu Concilia generalia, definitiones doctrinales Romanorum Pontificum. Sunt in tertio gradu Doctores quos Ecclesia suos declaravit, Augusti-

nus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Basilius &c. Thomas, Bonaventura, & alii plurimi. Mussitant nonnulli Probabilistae, Patres ipsos mutuo dissidere. At si argumentum hoc quidquam evinceret, Ecclesiam Dei everteret. Patrum enim voce & calamo doctrina catholica ad filios pervenit, eorumque doctrinae mucrone haereses omnes Ecclesia confixit. An non vident Probabilistae illi qui hoc opponunt, Ecclesiam ipsam obiurgare, quod discordes nobis assignaverit Doctores? An ignorant, quod una hirundo non facit ver: quod non propterea aut Hieronymus, aut Augustinus desinunt esse sapientes & prudentes, quamquam bis aut ter vel errassent, vel oppositam docuissent doctrinam: quod in morum, fideique regulis vix designare adversarii poterunt. Sapientes vero Probabilistarum magis semper quam saepe dissident. Ne multa, inquit P. Michael Elizalde *loc. cit.* Si a Probabilistis quibusdam Scripturas requiramus; reponunt, & haereticos hoc facere. Si Bullas efferimus pontificias, respondent, non esse usu receptas Si SS. Patres allegamus; mussitant, scholastico stilo non esse usos; sed concionatorio, & oratione minus exacta & severa. *Quid vero hinc? Plane, ut relictis omnibus, ipsi omnia sint. Non sint, credant: & Ecclesia praevalebit*: concludit P. Elizalde sapientissimus Iesuita.

CAPUT VII.

Doctrina fidei, & morum invenitur per eius perpetuitatem. Non minus perpetua est Moralis evangelicae quam fidei doctrina.

§. I.

I. SErmo est de Morali, non humanis praeceptis, sed naturali, & divina lege praescripta. Hanc diximus supra esse partem verae religionis. Si ergo religio est perpetua, sit oportet & ipsa doctrina morum. Quod porro doctrina fidei, seu religionis sit perpetua, nisi ab omnibus id concederetur, facile esset evincere. Nam est nunc in mundo vera religio, quaecumque, disputationis gratia tandem sit. Fuit ergo illa semper. Antecedens patet: consequentia necessario consequitur. Obmutescunt omnes sectarii ad hoc argumentum. Quaerimus enim ab illis, quibus successerint Mahometani? Quibus Lutherani? Quibus Calviniani? Et cum antecedentem victricem religionem, cui ipsi succedant, designare nequeant; illorum esse falsam evidenter infertur. Est itaque verum hoc enthymema. Est nunc vera religio: fuit ergo semper. Sectarii nequeunt, ut diximus, negare antecedens; alias falsam esse propriam confiteri deberent. Consequens est necessarium. Nam si aliqua designari aetas posset in qua vera non extitisset religio; idem de prae-

præsenti dici sæculo posset. Et en atheismum invectum. Ceterum quia oratio nostra cum optimis Catholicis est, quibus non secus ac nobis factum ratiocinium probatur; idcirco illud ultra non urgeo.

II. Quæ de religione dicta sunt, æque concludunt, morum doctrinam semper extitisse. Sicut enim nulla umquam culta natio fuit religionis expers, ita neque Moralis. Solum colligitur, quod tum in religione, tum in Morali seligenda plures desipuerint. Ceterum semper doctrinam religionis consecuta est doctrina morum. Neque Catholicorum aliquis in controversiam hoc vocat. Fidem enim nostram perpetuam fuisse, dogma fidei est. Porro ipsa fides nos edocet, se solam non sufficere, immo mortuam esse, bonis destitutam operibus, mortuam, inquam, respectu æternæ vitæ. Quare factum enthymema in religionis negotio fieri potest in morum materia. Est nunc vera doctrina morum: fuit ergo semper. Ergo Probabilistæ illi qui novam sibi arrogant adinvenisse Theologiam, & quos reapse novum opinandi modum invexisse testatur Alexander VII. reiiciendi sunt, & improbandi, ut suo loco fusius dicetur. Inquit P. Elizalde *Lib. VIII. quæst.* VI. *§*. 1. „ Quo ex loco retundemus, Deo iuvante, Moralistarum quorumdam fastum, existimantium, aut se novam quamdam scientiam invenisse, quæ non esset, & „ quæ hoc ipso falsitatis convincatur, aut sine suis libris, & casibus fideles vive„ re non posse, neque scire, quid sit sibi faciendum, aut quomodo vivendum."

III. Innumeris Scripturarum documentis illustrare hanc veritatem possem. Nam si Christus Dominus dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur*: dixit quoque: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. dixit etiam: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Christus sicut apud eos non est qui falsa credunt, quantumvis vera se credere reputent, ita apud eos non est qui recte quidem credentes, mandata eius non servant. Deus, inquit Apostolus I. ad Tim. II. *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Cuius veritatis? Fidei, inquis. Integræ, an detruncatæ? Integræ, subdis. Ergo & morum. Nam fides integra, & perfecta religio æque agenda ac credenda, ordine servato, præcipit. Idem Apostolus Paulus I. ad Timoth. VI. *Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*. Dupliciter voces profanæ esse queunt: aut quia a profanis Scriptoribus acceptæ; vel quia præter doctrinam sacram sunt. „ Iam „ hæc vox (inquit Elizalde *Lib. VIII. quæst.* VI. *§*. 2.) vestra dilectissima *Probabile*, „ quo uno cardine conscientias omnes, & populos regitis, vel significatum saltem „ eius, in quo Evangelio est, vel in qua epistola Apostolorum; vel quis um„ quam Sanctorum, & Doctorum, quos sequendos nobis Ecclesia sancta tradit, „ hac probabilitatis voce, vel regula vixit, aut vivendum esse docuit? Eia, dici„ te, ostendite. Nos vobis sæpe ostendimus, hoc dogma ab Academicis Gentilibus „ acceptum, quin etiam laxatum, & ab Augustino execratum, ab aliis Patribus

 „ im-

„ improbatum.“ Si profana est novitas, tenenda est antiquitas, inquit Lyrinensis. Nec aures obtundas solita illa puerili oppositione, qua semper obtrudunt, hinc consequi licitam haud esse vel inter probabiles probabilissimam opinionem. Quoniam quamcumque probabilitatem admittimus, quæ sit medium ad inveniendam veritatem, seu quam magis veritati accedere cognoscimus. Verum de hoc infra. Obiter nunc dictum hoc sit, ut antevertamus adversariorum cavillationes. Solam nos probabilitatem sophisticam, & cavillosam improbamus, quæ in dissidentibus sistendum docet.

IV. Patres omnes hanc docent veritatem. S. Polycarpus epist. ad Philippen. *Propter quod relinquentes vanitates, & falsas doctrinas, ad illud quod nobis a principio traditum est verbum revertamur*. S. Augustinus Lib. V. de baptismat. cap. XXVI. *Quod nos admonet Cyprianus, ut ad fontem recurramus, idest ad apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum*. Quæ scribit Hieronymus *epist.* LXII. de fide, opportune sane in Probabilismum quadrant. *Usque ad hanc diem sine ista doctrina* (probabilistica) *Mundus christianus fuit. Illam senex teneo fidem in qua puer natus sum. Cur post quadringentos annos docere nos niteris quod antea nescivimus?* Si probabilistica obtinuisset doctrina sæculis ante Hieronymum, habuissent sane Martyres sanctissimi, unde devitare supplicia, cruces, feras, vivicomburia, eculeos, & alia atrocissima tormenta. Habuissent libellatici traditores, & innumeri alii ad mortem quæsiti, unde consulerent vitæ propriæ. Probabilistica suavitas, quæ docet legem Dei non obligare cum tanto præiudicio ad veritatem confitendam, maximo fuisset illis invictis heroibus præsidio.

V. S. Ioannes Chrysostomus obvia similitudine rem conficit hom. XIII. in Epist. II. ad Corinth. *Ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Quomodo autem non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare, & supputare, pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter? Præsertim cum habeamus omnium exactissimam trutinam, & gnomonem, & regulam, divinarum, inquam, legum assertionem. Et ideo obsecro & oro omnes vos ut relinquatis, quidnam huic, vel illi videatur, de quo his ab Scripturis hæc omnia inquirite*. Probabilistæ contrariam omnino arripiunt viam. Quærunt, quid huic, aut illi videatur, relictis Scripturis. Et quoties unum & alterum sibi faventem Casuistam offendunt, ibi pedem figunt: qui nec pecuniam, quam ab eodem accipiunt, supputant, seu ad examen revocant, timentes, ne errorem deprehendant, immo maiorem verisimilitudinem errorem manifestantem reiiciunt.

§. II.

§. II.

Qua via sacra morum doctrina crescere potuit. Probabilismus non auget, sed destruit evangelicam morum doctrinam.

VI. Clamant Moralistæ recentes: Si quæ hactenus dixisti, vera sunt, accidet nobis quod Augustinus Academicorum sapientibus exprobrabat, truncos videlicet nos esse oportere, otio litterarum diffluere, omnemque profectum in litteris de medio tollendum. Et tamen illi ætatem, & sæculum nostrum summopere extollunt, in quo sicut artes omnes expolitæ, & ad perfectionis metam redactæ videntur; ita quoque scientiæ omnes maximum suscepere incrementum. Immensa librorum copia in omni pene facultate hoc nostro sæculo parta omnibus prævalet argumentis. „ Mirabere (inquit Elizalde *Lib. VIII. quæst. VI. §. 1.*) recen„ tiorum quorumdam sane imperitiam, qui exemplo novarum inventionum rei „ tormentariæ, bellici pulveris, artis bombardarum, & similibus, novas ætatis o„ piniones morales, ætatemque istam commendant, quasi nunc demum, sicut ce„ tera inventa, ita ars quoque quasi nova vivendi, peccata vitandi, & pluri„ mos salvandi excogitata sit. O vere inauditam miseriam! O homines! Si ad „ docendas artes bellicas, & nauticas Filius Dei de cælis descendisset, sicut de „ fide Sole clarius est, eum inter alia ad hoc descendisse, ut factus unus Magi„ ster noster, doceret nos quid credere, sperare, timere, amare, odisse, agere, „ vitare deberemus; canere certe triumphum possent. Sed cum primum sit stulti„ tia stultitiarum, secundum autem de fide publica, & notoria: dum similia com„ miscent, demonstrant, quales vere morum magistri sunt."

VII. Verum, ne objectæ difficultati terga dare videamus, solutionem exhibemus Vincentii Lyrinensis, qui sibi iam suo tempore illam proposuit in suo 1. *Commentar. num. 23.* his verbis: *Si forsitan dicit aliquis: Nullus ne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis?* Ex multis quæ ad labefactandum sophisma ille promit, pauca transcribam. *Habetur plane, & maximus. Nam quis est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsa unaquaque res amplificetur, ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud vertatur. Crescat igitur oportet, & multum vehementer proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum, ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eadem sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum progressu numeros suos evolvant, & explicent, eadem*

tamen quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem, sed iidem tamen sunt senes qui fuerunt adolescentes .... Quot parvulorum artus, tot virorum .... Fas est ut prisca illa cælestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur, sed nefas est ut commutentur .... Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Tandem sic alloquitur Theologos in persona Timothei. *O Timothee, o Sacerdos, o Tractator, o Doctor ... eadem quæ didicisti, doce; ut cum dicas nove, non dicas nova.*

VIII. Hinc consectarium evidentissimum est, Probabilismum excludendum esse ab incremento doctrinæ moralis evangelicæ. Sola quippe veritate Moralis evangelica crescit, & perficitur. Sola falsitas ea est quæ Moralem hanc perturbat, inficit, destruit, non secus ac si plumbum immisceretur humano corpori. Nulla itaque opinio falsa, tametsi a mille Probabilistis subscripta, augere, vel perficere moralem veritatem valet; quemadmodum zizania granum triticeum numquam multiplicat. Atqui sistema probabilisticum comprehendit æque veritatem, ac falsitatem, immo magis falsitatem quam veritatem; cum minorem amplectatur probabilitatem, relecta maiori. Neque opponas; etiam in maiori probabilitate reperiri falsitatem posse. Quoniam & falsitas hæc non minus ac altera opponitur veritati morali. At sistema antiprobabilisticum hanc falsitatem non includit; sed suapte natura eam excludit, solamque partem quam iudicat, quoad fieri potest, veram, amplectitur. Si falsitas irrepat, per accidens est, & præter intentionem. Probabilismus contra, cum utramque partem, sive æque, sive minus probabilem, excipiat sinu suo; quarum si altera vera est, necessario altera est falsa, natura sua conturbat puritatem, pervertit ordinem, destruit veritatem Moralis evangelicæ. Nec refugium ad zizania reflexionum caussam iuvat, sed destruit; ut toties dictum est. Scite Augustinus comparat multitudinem opinionum probabilisticarum diluvio aquarum his verbis in Psal. XXXI. *Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Per hoc itaque diluvium ad Deum non approximatur. *Quid est*, inquit, *diluvium aquarum multarum? Multiplicitas variarum doctrinarum. Intendite fratres Multæ aquæ sunt variæ doctrinæ. Dei una est, non sunt multæ aquæ, sed una aqua .... quæ manat de intimo fonte puræ venæ veritatis.* Diluvium recentium opinionum, quæ veluti aquæ redundant, non est diluvium doctrinarum verarum, sed est diluvium aquis turbidis, & lutulentis, paucis limpidis mixtis, inundans Probabilistarum scholas.

IX. Verum, ne videamur metaphoris, & tropis caussam agere, ad iusti ratiocinii leges exigamus novitium Probabilismum, seu *novum* opinandi *modum*, quem irrepsisse in Moralem evangelicam testatur Alexander VII. Omnis morum doctrina, ad salutem necessaria, perpetua fuit in vera Dei Ecclesia, non secus ac doctri-

ctrina fidei: & ejusdem incrementum ab iisdem manavit principiis quæ semper in Ecclesia fuerunt. Atqui Probabilismus non est ejusmodi. Ergo Probabilismus non est doctrina morum ad salutem necessaria. Minor propositio adversariis probanda incumbit. Ipsi ostendere debent, a Patribus, ab Apostolis, a Christo, a Deo proficisci Probabilismum illum qui docet, viam arctam, & viam latam, viam crucis, & viam suavitatis humanæ, vias denique oppositas, involucro reflexionum munitas, ad cælum ducere. Onere quippe probationis reus qui adfirmat, astringitur; ut patet in omni alia materia. Qui enim adfirmant, aliquam sententiam esse S. Thomæ, S. Augustini, Concilii Tridentini, SS. Patrum, textus, quibus adfirmationem probent, promere debent. Testes nobis sunt ipsi Probabilistæ. Hi, ut suas opiniones evincant a recentioribus doceri, allegant illorum loca, & si dissidium sit, textus transcribunt: & si hoc omitterent, muneri suo se satisfecisse minime arbitrarentur. Ergo, ut evincant modum *probabilizandi* tum directe, tum reflexe ab Ecclesiæ institutione originem trahere, & per Apostolorum, Patrumque canalem ad nos dimanasse, illorum textus, & doctrinam adferre astringuntur. Sed Probabilistæ ausi non sunt hactenus hoc probationis genus aggredi. Ergo illorum Probabilismus commentum humanum est. Minor propositio experimento constat. Revolvantur illorum libri. Ad summum aliqui explicare, interpretari, & (liceat dicere) cavillari conantur sibi oppositos textus Scripturæ, & Patrum. Unum aut alterum textum sanctum adferunt, puta, *Iugum meum suave est*, illudque in sensu plane erroneo, omnibus Patribus contrario, exponunt, ut fuse ostendetur. Nec sufficit distinguere, interpretari, torquere vi summa textus sacros: quia hæc est sola negativa probandi ratio: sed necessaria est positiva confirmatio documentis adductis.

X. Quid quod ipsi Probabilistæ conceptis verbis testantur suam Theologiam novam esse! *Tota Theologia nostra nova est*, inquit Caramuel. *Quærunt casus temporum Doctores temporum. Bellus erit ille Criticus, si ex S. Augustini doctrina dissolvere possit emergentes nodos circa simoniam, irregularitatem &c. omnesque contractus ex Gregorii Nysseni, & Nazianzeni placitis componere.* Ita perdoctus alioquin, & elegans Scriptor Cellotius *Lib. VIII. cap.* XVI. ut fertur: ibi tamen reperire haud licuit textum hunc; sicut reperi in proœmio Reginaldi *Quæ circa fidem emergunt difficultates, a veteribus haurienda. Doctrina morum a recentioribus sumenda.* Nec dicas, placita hæc esse hujus aut illius Probabilistæ. Quoniam omnes primi Probabilistæ, ut infra palam fiet, ignotum ante sæculum sextumdecimum Probabilismum adfirmant. Quindecim sæculorum intervallo non plus de Probabilismo quam de Antipodis ante Columbum recogitabat Mundus; ut P. Paulus Segneri ait *epistola* 11. cujus textum infra dabo. Quod si Probabilistarum confessio non sufficit, adferamus decretum Alexandri VII. quo perspicue decla-

rat, Probabilismum esse novum inventum, luxuriantium ingeniorum partum, sincentati evangelicæ contrarium. *Sanctissimus Dominus noster non sine magno animi sui mærore audivit quamplures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina.* Quid ad hæc Probabilistæ? Quisnam modus opinandi irrepsit in Moralem evangelicam præter Probabilismum? Hactenus provocavimus, ut hunc modum, Evangelio, & Patribus contrarium, præter unum Probabilismum designent. Non præstiterunt adhoc, nec præstabunt imposterum. Accedit (inquit P. Michael Elizalde *Lib. VIII. quæst.* VIII. §. 2.) „ quod plures rei moralis tractatores, ut experti loquimur, suum haud putant nosse Scripturas, Evangelium, Apostolos, & SS. Patres. Quin eo dementiæ quidam prolapsi sunt, ut impudentissime ausint dicere, spiritum hæreticum esse, si Scripturæ cognitionem requiramus: unde Scripturæ Auctor ipse, & Scriptores, & Cultores, ac Commentatores omnes, idest Sancti Dei, ceterique gravissimi viri hæretico spiritu arrepti sunt. Hinc patet se non profiteri eam scientiam quæ a Domino, suisque Apostolis tradita est, & ad nos usque manavit, sed aliam. Hæc ergo non succedit. Rursus patet ex multis libris, in quibus, cum adeo impense alii homines inferantur, & cumulentur, Domini, vel Apostolorum, vel Sanctorum ullam vix mentionem, dictumve invenies, *& videntur libri hominum alterius religionis*. Nuper percurri Summam Moralem multorum voluminum, ordine alphabetico contextam. *Quæsivi Christum, & non erat: quæsivi summam Prophetarum, & legis, scilicet caritatis, & dilectionem Dei, & proximi, & non erat: quæsivi Evangelium, & non erat: quæsivi humilitatem, sine qua salvatur nemo, & non erat: & si Paulum, aliumve Apostolum, Sanctumve perscruteris, contraria omnino invenies, & referta cuncta Christo, caritate, humilitate, & sanctitate. Ergo hæ doctrinæ nullum successionis, nullum consanguinitatis, affinitatisve gradum inter se habere videntur.* " Quod reponunt, vocem *probabile* usurpatam a SS. Augustino, Thoma, Concilio VI. ludricum est. An nos latet, vocem hanc latinissimam esse, a Tullio usurpatam, a Patribus adhibitam? Sistema probabilisticum, comprehendens verum, & falsum, duasque contrarias vias, non vocem *probabile* reiicimus. Verum de hoc alias.

§. III.

§. III.

Quid faciendum de tot Probabilistarum libris. Quam sit falsum, conscientias in morum via dirigi non posse ex Scripturis, Patribus, & Conciliis.

XI. Quindecim sæculorum intervallo resplenduit christiana professio, Probabilismo natalitiis tenebris incluso. An tunc sacramenta non erant Christiani contractus, emptiones, venditiones, artesque, & commercia non exercebant? An tunc legibus abstinentiæ, quadragesimæ, matrimonii non astringebantur? Numquid istis sæculis omnes Monachi? Numquid tribunalia tum silebant? Exulabant ne tunc advocatorum, iudicum, mercatorum, opificum, & cuiusque artis fraudes, insidiæ, usuræ, monopolia? Quid tum peragebant Confessarii sine Probabilismo? An sacramenta non ministrabant? Audiamus P. *Paulum Segneri*, qui in sua secunda epistola super *Probabile* hæc scribit pag. 88. *V. S. si contenti, che io le notifichi, come la controversia oggi sì famosa, se sia lecito di seguire in qualche occorrenza l'opinione meno probabile al paragone, o non sia lecito, è controversia sì giovane nelle scuole che nacque il secolo passato. Per li quindici secoli antecedenti non si pensava ad essa più che agli Antipodi innanzi al Colombo. E con tutto ciò si viveva con buone regole di pietà cristiana, quanto al presente: si scioglievano dubbj, si arrecavano consigli, si ascoltavano confessioni, si esercitavano tutti que' ministeri di carità fervorosa, che il nostro secolo ha ereditati in beneficio delle anime.* Ergo Probabilistarum confessione Probabilismus doctrina nova est, post quindecim religionis nostræ sæcula in mundum invecta. Ergo quemadmodum Patres nostri, ita & nos possumus absque eiusdem usu sacramenta administrare, morales controversias resolvere, animas ad cælum dirigere.

XII. Quid ratiocinia valent adversus experientiam manifestam? Vix occurrit aliquis casus, quin pro resolutione egeamus Casuistarum libris. Quis fidelium confessiones audiret, libris probabilisticis sublatis? Rigoristæ Theologiam scribunt dirigendis eremitis, asceris, ceterisque solitariis peridoneam. Si nos in mundanorum hominum regimine hac Theologia uti vellemus, vix unum Christianum ad participationem admitteremus sacramentorum. Hæc est consueta cantilena quam passim recinunt Confessarii, Scripturarum, & Patrum ignari, in quos omnes tremenda *Væ, Væ* intorquet S. Bonaventura; ut alibi dictum est. Responsio patet ex indicata quindecim sæculorum praxi. Claritatis tamen gratia distinguimus argumentum. Vos sine lenociniis Probabilismi minime posse ad sacramenta admittere usurarios, voluptarios, lusores, ambitiosos, feminas vanas, superbas, pompaticas, illecebrosas; concedimus. Non potestis ad sacramenta admittere absque Proba-

babilistarum doctrina Christianos castos, iustos, mundi contemptores, qui arctam viam a Christo indictam percurrunt; negamus. Distinctionem explico. Probabilistæ bona piaque intentione faciliorem reddendi viam salutis, & plurimos salvandi, eo omnes conatus suos collineasse videntur, ut legem divinam aptarent hominum, mundique appetitionibus, desideriis, & principiis, ut invenirent modum rationemque qua homines concupiscentiæ facerent satis absque venerea culpa, qua essent ambitiosi sine ambitione, vindicatores sine vindicta, avari sine avaritia, usurarii sine usura, invidi sine invidia, casti sine castitate, pœnitentes sine pœnitentia, iusti sine iustitia, mercedum solutores sine solutione, humiles sine humilitate, ut essent Christiani absque lege Christi, ut denique invenirent rationem peccandi sine peccato. Huc sane tendit universa plurium Probabilistarum doctrina. Quod si neges, libri eorumdem te revincunt. Illos revolve, & nisi ubique offendas: *Utrum hoc sit peccatum? Utrum mortale, aut veniale? Aiunt quidam antiqui. Negant Diana, Moya, Escobar, Caramuel, Tamburinus. Utraque sententia probabilis. Probabilior secunda &c. Vide Terillum. Vide Moyam. Consule Dianam*: nisi, inquam, passim similia offendas, cadere ipse caussa sponte velim. Exhortationes ad virtutem, ad pœnitentiam, aut nullæ, aut raræ, aut languidæ, Patrum, & Scripturarum spiritu, ac fervore omnino destitutæ. Severitatis divinorum iudiciorum mentio aut nulla, aut perquam rara. Excitationes divini timoris, humilitatis, viæ arctæ insistendi, mundo renuntiandi, sensus & carnem cohibendi, penitus peregrinæ, & exoticæ.

XIII. Porro, his libris sublatis, Christianos dirigere in salutis viam valetis, Christianos, inquam, qui vere sunt Christiani, qui promissa baptismalia servant, qui evangelicæ student perfectioni, cui acquirendæ ex præcepto, prout eorum status conditio fert, astringuntur, qui iustitiam, & æquitatem custodiunt, qui a peccandi periculis sibi cavent. Verum habet, inquis, quod eiusmodi Christianorum regimen facile sit, universis etiam Casuistarum voluminibus concrematis. At quis est qui talem ducat vitam? *Pauci*, respondet Christus, *sunt electi*, pauci sunt qui custodiant vias Domini. Omnes salvos fieri vult Christus; at non propterea viam arctam dilatavit, nec ianuam amplificavit, ut reapse per viam latam salutem obtinerent. Apage ergo Casuistas illos qui effutire non verentur, blandiorem a Probabilistis factam esse viam salutis. Monstrosum portentum istud est, si existiment post quindecim christianæ religionis sæcula veram salutis viam cognitam esse. Descendit Filius Dei a septemdecim & amplius sæculis, ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, ut esset via, veritas, & vita: qui excitavit Ecclesiam suam, ut esset columna, & firmamentum veritatis. Dementia est, atque non ferenda temeritas, dicere, in libris Dei, Sanctorum, & Conciliorum deesse doctrinas, & regulas, quibus Christianorum mores di-

dirigantur. Patres sancti Episcopi erant plurimi: populum & gregem sibi commissum cælesti doctrinæ pabulo pascebant. Canales fuerunt per quos cælestium doctrinarum aquæ ad nos permanarunt.

XIV. Quid ergo de tot Casuistarum libris faciendum? Flammis ne consignandi? Utinam plures: utinam omnes illi de quibus P. Antonius Terillus scribit in prologo ad tractatum de conscientia. Absit ut omnes indiscriminatim. Usus aliquorum optimus esse potest, eo quod leges ecclesiasticas, canones, censuras, & alia plura utilia nobis porrigant. Aliqui etiam ita temperate Probabilismum defendunt, ut eorum subtilis scribendi ratio lectores ab eodem removeat. Accedit quod si in Probabilismo tradendo decepti sunt animo bono, alia plura documenta salubria suppeditant. Quare S. Franciscus Salesius, S. Carolus Borromæus recentiores quoque Theologos legendos suadent. Magna tamen adhibenda cautio. Ita legantur, ut semper oculus unus imaginem respiciat christianæ vitæ, quam Evangelistæ, & Paulus sanctus cum ceteris Apostolis depingunt. In Scripturis, & Patribus non occurrunt casus peculiares, qui in dies accidunt. Vix vel in ipsis Casuistis omnes suis circumstantiis vestiti reperiuntur. At in Scripturis divinis, & Patribus nostris, & potissimum in eorum omnium epitome, Thoma sanctissimo, doctrinæ adeo salubres, regulæ adeo sanctæ reperiuntur, ut tanta luce mens persusa queat resolvere cuncta ferme quæ in Christianorum regimine contingunt; simulque percurrere valeat Casuistarum libros inoffenso pede, & quæ conducunt ad divinæ legis explicationem, apte seligere, & a laxitatibus, erroribusque sibi cavere.

XV. Hoc est quod nos respondemus. Audiamus nunc quæ reponit sapiens Iesuita P. Michael Elizalde *Lib. VIII. quæst.* VIII. §. 8. „ Hæc sit nostra brevissi-
„ ma, & æquissima sane responsio: cum his scilicet libris id faciendum esse quod
„ per ipsos, eorumque Auctores cum sanctis Patribus, Doctoribusque Ecclesiæ fa-
„ ctum est: quod item factum est cum Prophetis, cum Evangelio, cum Aposto-
„ lis: & sicut hi omnes pene derelicti sunt, tantisper illi derelinquantur, & in
„ usum praximque doctrina sacra, Sanctorumque restituatur; atque sic eis vicem
„ iustissime rependimus.

„ Nimirum hoc loco offendi, commoverique iure, vel iniuria possunt, iure
„ non possunt. Iacuit diu Augustinus in foro conscientiarum regendarum. Quis,
„ quæso, ab institutis christianis tam longe positus est qui non consultius arbitre-
„ tur ut tantumdem saltem taceat *Diana*, & ad forum eius loco redeat Augusti-
„ nus? *Si Ambrosium, vel Caramuelem* vivere oporteret: quis non Ambrosium
„ præhabeat? *Si populi vel ex Chrysostomo, & Gregorio, vel ex Tamburino, &*
„ *Escobario regendi sunt*, si vita fidelibus ex alterutris instituenda: quis eos non
„ præferat quos Doctores vitæ nostræ Ecclesia sancta mater, & magistra nostra
„ no-

„ nobis porrexit? Hæc clara sunt, & nulli iniuriam facimus: *& si persecutionem* „ *propter iustitiam patiemur, beati a Domino habebimur.*

„ Sed dicis, utrosque simul vivere, regnareque posse. Augustinos ergo, & Ambrosios restituamus quidem; & neutros dimittamus. Ad hoc plura brevissime „ respondeo. *Primo*, oraculo pontificio sæpius commemorato, constat nobis, qui„bus Sedes Apostolica in loco suo est, irrepsisse modum de rebus conscientiæ „ opinandi omnino alienum a simplicitate evangelica, & doctrina sanctorum Pa„trum. *Hic porro modus, & hæ opiniones alicubi sane sunt, & in libris aliqui„bus sunt.* Hi ergo libri cum Evangelio, & doctrina Sanctorum simul vivere, „ regnareque non possunt. *Si qui vero erunt qui oracula pontificia pro se lata* „ *maximi faciant, contra se vero nihil pendant; hoc sane bonum non est.* *Secun„do* ex constitutis constat, doctrinam sacram, & Sanctorum conciliari non pos„se cum opinionibus multorum, non modo in articulis quibusdam, & quasi con„clusionibus, sed nec in ipsis quidem principiis universalibus philosophandi. *Utri„que ergo simul vivere, regnareque nequeunt.* *Tertio*, apertis multis libris Mora„listarum notorie constat, pene nullum usum in eis esse doctrinæ sacræ, & San„ctorum. Tantumdem ergo cum ipsis tantisper fiat. *Quarto*, hi libri contradi„ctione, & contrarietate pleni sunt: ex quo proinde dimidia saltem pars fal„sa sit. Sed nulla falsitas cum sana doctrina, & rara vel nulla cum doctrina „ sanctorum Patrum de fide, & moribus conciliari potest. Hi igitur libri, quam„diu saltem falsa hæc omnia non expungantur, una cum doctrina Scriptura„rum, Sanctorumque vivere non possunt. Similiter ex non perpetuitate, & ex „ non successione, item ex non sanitate doctrinæ, aliisque veræ, ac sanæ doctri„næ notis constat, nullam esse concordiam. “

XVI. Multa passus est pussimus, ac doctissimus Elizalde una cum Camargo, aliisque non paucis, ob veritatis moralis confessionem sinceram. Paucis verbis hæc in adducto textu indicavit. Quæ habet de obsequio, & obedientia præstanda decretis pontificiis, non solum iis quæ adversus alios, sed etiam iis quæ adversus nos lata sunt, summam merentur ponderationem. Verum de hoc plura in Prolegomenis.

CA-

CAPUT VIII.

Alia via secura inveniendæ veritatis est via caritatis.

§. I.

Mens Augustini exponitur.

I. DOctrina est S. Augustini, ut advertit, & demonstrat P. Elizalde *Lib. VIII. quæst.* 11. caritatem viam esse reperiendæ veritatis. In ipso quæstionis limine obvia est difficultas, sermo ne sit de caritate habita, vel habenda, seu de caritate in corde iam ardente, aut solum mente percepta. Si primum; modus inveniendæ veritatis solis iustis arctatus erit; quin hoc in sensu superflua quæstio est: ignorantia enim criminosa cum caritate habitare nequit. Iusti enim ea omnia sciunt quæ ad salutem necessaria sunt. Quare si de iustis loqueretur Augustinus, perinde esset ac si quæreret, utrum qui sciunt legem, possint per caritatem addiscere quæ sunt legis? Sermo igitur Augustini est de habentibus, & non habentibus caritatem. Duplici autem ratione caritas veritatem patefacit. Primo obiective, idest mente concepta, & apprehensa. Secundo subiective, quatenus nobis inhærens suggerit, movetque, ac recte nos disponit. Qui caritate præditus est, utroque modo veritatem invenit, qui eadem caret, solum primo modo. Prima ratio a secunda seiuncta plerumque deficiens est, ex dispositione minus recta humani cordis. Absolute ergo omnes fideles invenire plerumque possunt veritatem caritatis via: vel quia caritate instructi sunt; vel quia ad caritatem, si velint, gratia adiuvante pervenire queant, & regulam iustæ dilectionis mente apprehensam fixam tenere.

II. Audiamus nunc Augustinum *Lib. de disciplina christiana* initio sic discurrentem. *Locutus est ad nos sermo Dei .... Accipite disciplinam in domo disciplinæ .... Quid ergo hic discitur, vel quare discitur? Qui discunt, & a quo discunt? Discitur bene vivere. Propter hoc discitur bene vivere, ut perveniatur ad semper vivere. Discunt Christiani, docet Christus.* Christiani discipuli sunt in hac disciplina, magister est Christus. Nihil ergo falsi continet disciplina isthæc. Ergo nihil falsi, Christiani, qua Christiani, addiscere possunt.

III. Pergit Augustinus. *Primo ergo quid sit bene vivere. Deinde, quæ sit merces bonæ vitæ. Tertio, qui sint veri Christiani. Quarto, quis sit verus Magister. Pauca, loquentibus nobis, sicut Dominus donat, audire dignemini. Omnes in domo disciplinæ sumus: sed multi nolunt habere disciplinam; & quod est perversius, nec in domo disciplinæ volunt habere disciplinam.* Paullo post difficultatem sibi obiicit A-

qui-

quilinus Doctor, quam recentiores exaggerant, veritatem scilicet inveniri non posse. Sic ergo quibusdam interiectis persequitur.

IV. *Nolite ergo attendere ad vilitatem cophini, sed ad caritatem seminis, & potestatem seminatoris. Quid est ergo bene vivere? Quid hic dicitur? Praecepta multa sunt in lege, quibus ipsa bona vita continetur, imperatur, & discitur. Multa omnino praecepta sunt & innumerabilia. Praeceptorum ipsorum paginas vix quisquam enumerat, quanto magis ipsa quae voluit? Tamen Deus propter eos qui se possent excusare, vel quia eis non vacat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non possunt facile intelligere, ut excusationem nemo habeat in die iudicii, voluit, sicut scriptum est, consummare, & breviare verbum super terram, sicut de illo Propheta praedixerat:* Verbum enim consummans, & brevians faciet Dominus super terram. *Hoc ipsum verbum consummatum, & breviatum, nec obscurum Deus esse voluit.* Ideo breve, ne non vacaret legere. Ideo apertum, ne quis dicat: Non mihi licuit intelligere.

V. Quid (inquit Elizalde loc. cit.) hic dicitis Iansenistae, qui Augustiniani prorsus videri vultis? Anne in statu innocentiae abbreviavit Deus, consummavitque verbum, quod se facturum post tot saecula promisit? Profecto desipitis. *Iansenistae ergo*, subdit, *& alii eis ex toto contrarii in eo conveniunt, & dicunt: Multa, vel aliqua Dei praecepta sciri non possunt: Iansenistae addunt, & tamen peccamus: contrarii dicunt, non peccamus. At neutrum Augustinus dicit, sed, ut omnibus excusatio ad diem iudicii tolleretur, totam legem, totque praecepta, quae numerari vix queant, docet ad brevem summam redacta esse.* Verbum ergo Dei, hominis natura abbreviatum, in compendium redegit totam legem. Verbum istud breve est, ut omnes valeant legere: apertum, ut omnes queant intelligere. Quaenam, amabo, est summa haec ad quam universam legem Verbum divinum contraxit? Audi iterum Augustinum, qui eam describit his verbis. *Thesaurus ergo est magnus divinarum Scripturarum, habens in se mirabilia praecepta multa, tamquam multas gemmas, & pretiosa monilia, & vasa ingentia, & magna metalla. Sed quis potest scrutari thesaurum istum, & uti eo, & pervenire ad omnia quae ibi sunt? Quando hanc similitudinem Dominus dedit in Evangelio suo, & dixit:* Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro. *ne quis se minus idoneum diceret ad perscrutandum thesaurum, continuo dedit aliam similitudinem:* Simile est, *inquiens*, regnum caelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas, qui invenit unam pretiosam margaritam, & vendidit omnia quae habuit, & emit illam: *ut si piger eras ad perscrutandum thesaurum, non sis piger unam margaritam sub lingua ferre, & quo vis securius ambulare.*

Quid est ergo verbum consummans, & brevians? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. & diliges proxi-

ximum tuum tamquam te ipsum: in his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. *Ecce quid dicitur in domo disciplinæ: diligere proximum tamquam te ipsum: Deum tamquam Deum, proximum sicut te ipsum. Non enim invenis parem Deo, ut possit tibi dici: Dilige Deum sicut diligis illum. De proximo inventa est tibi regula: quia inventus es proximo tuo par tu ipse. Quæris quomodo diligas proximum? Attende te ipsum: & quomodo te diligis, sic dilige proximum. Non est ubi erres. Volo ergo iam & tibi committere proximum tuum, ut diligas eum tamquam te ipsum . . . Proximus est homini omnis homo . . . Nihil tam proximum quam homo, & homo. Sed si putamus non esse proximos nisi qui de iisdem parentibus nascuntur; Adam, & Evam attendamus, & omnes fratres sumus. Et quidem fratres secundum quod homines sumus, quanto magis secundum quod Christiani sumus? Ad id quod homo es, unus pater fuit Adam, una mater Eva: ad id quod Christianus es, unus pater est Deus, una mater Ecclesia.*

VI. Plurima ibidem persequutur Augustinus, quæ magis illustrant eius sententiam. Expendit, qua ratione dilectio sui ipsius sit regula amoris proximi. Si enim recta & ordinata non est dilectio sui, neque dilectio proximi errore caret. *Attende te, quomodo te diligis. Profecto enim si te interrogem, utrum diligas te, respondebis, quia diligis. Quis enim se odit? Hoc dicturus es: Quis enim se odit? Ergo non diligis. Nam si diligis iniquitatem; non ego dico, Psalmum audi:* Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. *Ergo si diligis iniquitatem . . . odis te . . . Homo, quid perdis te? Si enim tu ipse sic te diligis, ut perdas te, sic profecto perditurus es & eum quem diligis sicut te. Nolo ergo ut quemquam diligas, vel solus peri. Aut corripe dilectionem, aut respue societatem . . . Quia ergo duo sunt præcepta, si unum diceret, non sufficeret. Sufficit & unum, si intelligatur. Nam quando sic loquitur Scriptura, sicut Paulus Apostolus,* Non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces, *& si quod aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur:* Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo autem legis est caritas. *Quid est caritas? Dilectio. Nihil videtur dixisse de dilectione Dei; sed solam proximi dilectionem dixit sufficere ad implendam legem. Quidquid est aliud mandatum, in hoc sermone impletur. In quo?* Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. *Ecce unum est. Certe duo præcepta sunt, in quibus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. Videte, quomodo plus breviatum est, & adhuc pigri sumus. Ecce quæ duo erant, unum factum est. Prorsus proximum dilige, & sufficit. Sed dilige quomodo te ipsum diligis, non quomodo te ipsum odisti . . . Sed prius est ut diligas te ipsum. Quærere habes, quomodo diligas te ipsum, & audire habes:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto *&c. Homo enim quomodo a se fieri non potuit, sic nec beatus a se fieri potest.*

VII. Lex ergo universa ad hæc duo præcepta amoris Dei, & proximi redacta est.

est. Immo, subdit Augustinus, ad unum solum præceptum amoris proximi, si diligas illum quomodo te ipsum recte diligis. Nam si temetipsum recte diligis, non potes non diligere Deum, sine quo beatus esse non potes. Porro si flamma dilectionis ardet in corde, lux veritatis splendere in mente debet. En quam acute, & valide evincit, caritatem viam esse inveniendæ veritatis.

§. II.

Ceteri Patres eamdem doctrinam docent, nimirum caritatem viam esse inveniendæ veritatis.

VIII. S. Ioannes Chrysostomus præ ceteris doctrinam in præcedenti §. traditam docet, illustratque pluribus in locis. *Homil. 1. in Matth.* fuso calamo insectatur Philosophiam moralem Platonis, Zenonis, aliorumque Philosophorum ob difficultatum involucra, quibus veritatem implicabant. Quas prolixas disputationes non instituunt, ut *quid sit iustum, quid utile, quid honestum*, explicent! Quæ si agricola, faber, aut nauta addiscere vellet, arte propria neglecta, fame prius conficeretur quam quid sit iustum, teneret. *At non etiam* (inquit S. Patriarcha) *nostra sunt talia, sed iustum, honestum, utile, omnemque omnino virtutem in paucis syllabis, in brevibus verbis, atque manifestis nos Christus edocuit, tum dicendo, quoniam in duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ, idest in Dei, proximique caritate; tum iubendo:* Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hoc & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ. *Quæ certe & servo, & rustico, & viduæ, & puero, & ei qui valde videatur imprudens esse, facilia ad intelligendum sunt, & prorsus exposita. Tales quippe sunt sententiæ veritatis, idque exitus ipse rerum testatur.* Moralistæ iuniores communiter docent, iustum, & iniustum, honestum, & utile a paucis teneri, a plurimis ignorari. Oppositum ex ipso Evangelio Patres sancti manifeste testantur. S. Thomas, qui Patres omnes angelica sua comprehendit mente, in *Caten. ad cap. VII. Matth.* inquit. *Cum autem Dei Verbum Dominus Iesus Christus omnibus venerit, præceptorum suorum fecit grande compendium, cum dixit: Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.*

IX. Hieronymus, ut habetur in Breviario ad diem S. Ioannis Evangelistæ, narrat, sanctissimum Evangelistam discipulis suis, rogantibus aliquod sibi relinqui documentum, non aliud respondisse, nisi: *Filioli diligite alterutrum.* Et cum pluries hoc audissent effatum, tædio affecti inclamarunt: *Magister, quare hoc semper loqueris? Respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est; & si solum fiat, sufficit.* Ignorabat ne Ioannes moralem Theologiam? Et tamen ad solam dilectionem legis plenitudinem reduxit, ut fecit Paulus, ceterique Evange-

listæ. Lege Hieronymum *epist.* I. ad Demetriadem, cui primum patefacit, ignorantias esse omnium bonorum impedimenta. *Impossibile est*, inquit Doctor maximus, *et quemquam placere, cui quid placeat, ignorat, fierique potest ut etiam obsequendi voto offendat, cui quomodo obsequi debeat, ante non didicit: & ut maius est voluntatem Dei facere quam nosse; ita prius est nosse quam facere. Illud enim merito præcedit, hoc ordine: unde Propheta dicit:* Et tu, Israel, noli ignorare: *& Beatus Paulus:* Qui autem ignorat, ignorabitur. *Itemque alibi: Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Hic Hieronymus de ea ignorantia loquitur qua quis arbitratur se obsequium præstare Deo, atque adeo de ignorantia probabilistica, eamque reprobat. Iterumque Demetriadem alloquitur, inquiens: *Scito in Scripturis divinis, per quas solas potes plenam Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, nonnulla suaderi. Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, perfecta suadentur. In duobus illis quæ priori loco sunt, peccatum omne concluditur. In utroque enim Dei continetur imperium. Generaliter namque omnibus mandatur iustitia, quam Salvator in Evangelio breviter quidem, sed plenissime comprehendens, ait: Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Effutiant ergo, feminas Scripturas non legere, sermonem latinum non callere, & cetera id genus. Nam Scripturarum compendium, abbreviatum in duobus præceptis, universis patet; ut ex Chrysostomo, & Augustino dictum est. Ceteros Patres brevitatis gratia prætereo. Legesis Ambrosium *de obitu Theodosii*, Clementem Papam I. *epistola ad Iacobum*, Basilium in *Reg. fus. disp. ad interr.* I. Gregorium *hom.* XXIV. *in Evangel.* & *Lib. III. Dialog. cap.* XXXVII.

X. Audiamus iterum S. Thomam, ad unicum syllogismum doctrinam S. Pauli redigentem, cap. XIII. Epist. ad Rom. lect. 2. *Manifestat propositum* (inquit Angelicus de S. Paulo) *medio syllogismi per hunc modum. Qui diligit proximum, nullum malum operatur ad ipsum. Sed ad hoc tendit omne legis præceptum, ut abstineatur a malo. Qui ergo diligit proximum, legem implevit.* Probat minorem hoc pacto. *Quod autem dilectio proximi malum non operetur, habetur I. ad Cor.* XIII. Caritas non agit perperam. *Quocumque autem modo hic accipiatur malum, vel pro malo transgressionis, vel etiam omissionis, poterit hoc referri non solum ad præcepta negativa, sed etiam affirmativa .... Ultimo autem infert* (Paulus) *conclusionem principaliter intentam, dicens:* Plenitudo ergo legis est dilectio, *idest, per dilectionem lex impletur, & perficitur.*

XI. Ut clarius vis huius syllogismi pateat, describendus est citatus Apostoli Pauli textus *I. ad Cor.* XIII. ubi omnia mala, & bona enumerat quæ aut impedit, aut efficit caritas. *Caritas*, inquit Paulus, *patiens est, benigna est: caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua*

sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quae sunt bona, aut quae sunt mala quae ad haec non revocentur?

XII. Respondebunt Probabilistae, distinguentes maiorem. *Dilectio malum non operatur*, distinguo. *Imputabiliter*, concedo, *inimputabiliter*, nego. Hac sola distinctiuncula eludere sibi blandiuntur Apostoli doctrinam divinam. Ceterum ipse Pauli textus vanam labefactat distinctionem. Quoniam syllogismus Apostoli non eo tantum pertinet, ut evincat caritatem malum non operari, sed, hoc assumpto medio, concludit: *Plenitudo ergo legis est dilectio*. Porro qui vel per ignorantiam invincibilem legem violat, sane legem non implet. Nisi dicere velis, eum qui pedibus pergit in orientem, & per ignorantiam invincibilem existimat se ambulare in occidentem, reapse in occidentem perventurum. Quod quis est qui adfirmet? Explicatur clarius. Qui servat praeceptum caritatis, alia vero praecepta, puta iustitiae, violat materialiter, legem reapse non implet, nec tunc plenitudo legis est dilectio. Sed omnis vere diligens implet legem. quia dilectio est plenitudo legis, ut docet Paulus. Ergo nullus vere diligens violat etiam materialiter praecepta legis: quia omnis vere diligens implet praecepta legis. Nam implere legem est servare legem. Ergo qui servaret praecepta caritatis, & violaret quocumque modo alia praecepta, non impleret legem. Qui autem diligit, implet.

§. III.

Probabilistae viam instituunt evidenter contrariam D. Paulo, quae videlicet abducit a veritatis inventione. De cavendo interno instintu haeretico admonitio.

XIII. Mirum haud esse debet quod Probabilistae inveniri veritatem posse denegent: ipsi namque viam directe oppositam viae quam Christus ore omnium Evangelistarum inveniendae veritatis praefinivit, sibi effinxerunt, evangelica via penitus reiecta. Constituerunt eorum plures, praeceptum caritatis haud esse peculiare, a praeceptis Decalogi distinctum. Christus docet, legem & praecepta sua illos implere qui duo mandata amoris Dei, & proximi servaverint. Plenitudo ergo legis est dilectio. Contra clamant Probabilistae plures, illos servare praecepta amoris Dei, & proximi qui implent praecepta Decalogi. Quaenam patentior pugna, & oppositio? Negant insuper isti, teneri Christianos elicere actus peculiares interioris amoris Dei, & proximi, distinctos ab observatione praeceptorum: quam doctrinam Ecclesia damnavit. Quod si omnes hanc non sustinent doctrinam adeo laxam, parum ab eadem distant alii, qui docent, praeceptum caritatis observari per non odium, alii, qui defendunt obligare dumtaxat in mortis arti-

articulo; alii, qui quolibet quinquennio; alii, qui singulis trienniis, vel ad summum biennus asserunt præcepti obligationem urgere. Hæc erant Probabilistarum plurium dogmata, antequam proscripta ab Ecclesia essent. Et etiam nunc, quantum ad biennia, & triennia, sententiam aliqui defendunt. Quid mirum ergo, si navis a portu quam maxime aberrat, reiecto clavo, si exercitus errabundus perit absque duce? Christus, Evangelistæ, Paulus Apostolus clara voce testantur caritatem esse inveniendæ veritatis viam, universæ legis compendium. Clamant caritate ardente, lucida esse omnia; & contra, caritate extincta, nihil ad æternam vitam prodesse cetera. Probabilistæ plures e contrario ordinem a Deo ipso constitutum interturbant, pervertunt, destruunt. Non a caritate pendere legem & Prophetas; sed a lege, & Prophetis caritatem pendere constituunt. Subdunt, caritatem hanc, sublata occasione gravissimæ tentationis, *per se* non obligare ad actus peculiares, vel ad summum quovis triennio, aut biennio. Ergo, ut sibi constent, affirmare quoque debent veritatem in Democriti puteo esse occlusam. Qui patentissimam caritatis legem ignorant, callebunt ne occultiores veritates? Qui evangelicos textus, tam perspicue, & manifeste caritatem præcipientes, commendantes, inculcantes, non verentur vanis distinctiunculis, futilibusque commentis cavillari, eludere, frustrari: an eo quo par est obsequio excipient altiora oracula, & sanctorum Patrum sententias? Evidens ergo est sistema probabilisticum oppositum esse evangelicæ simplicitati, & sanctorum Patrum doctrinæ.

XIV. Quod evidentius patebit, si animadvertas, Probabilistas compendium & ipsos instituisse universæ legis, directe oppositum compendio quod Christus formavit. Scripturæ divinæ omnia servanda præcepta, virtutesque exequendas, vitiaque vitanda sigillatim describunt. Prævidens Christus Dominus plurimos futuros qui legere, intelligere, & memoriæ commendare præfata omnia nequirent, ineffabili sapientia ad duo contraxit præcepta. Hoc autem compendium non eiusmodi est, ut partem claudat, partem legis prætereat: hoc enim ineptus quisque præstare potest. Sed hoc exactum compendium non esset; si lex dimidiata, & trunca, pars legis, non summa foret universæ legis. Christus ergo cum suis Apostolis infinita sapientia brevissimam legis summam duobus præceptis conclusam omnibus consignavit, quam qui servant, universam legem implent, & singula præcepta.

XV. Probabilistæ & ipsi suam summam construxerunt, suumque compendium, quod quilibet facile & brevi addiscet. Porro hæc summa probabilistica opposita summæ evangelico-apostolicæ, magnam præceptorum partem excludit beneficio ignorantiæ invincibilis, quam toties admittunt, quoties conscientiæ morsus non pungit, & advertentia non adest. Deinde omne præceptum de quo mutuo disputant Probabilistæ, dubium evadit. Lex autem dubia non est lex. Et ecce a compendio maximam præceptorum partem averruncatam. Opiniones quippe probabiles

 mil-

mille & mille sunt, quibus, inquit Elizalde loc. cit. *vel unus Diana implevit* *sex volumina* : & cum sint contrariæ , media saltem parte falsæ sunt ; atque adeo contrariæ legi Dei. Lubet verba Elizalde transcribere ex *loc. cit.* „ Constitutum est „ mediam prorsus partem omnium opinionum probabilium esse falsam, quibus exempli gratia impleamus sex Tomos *Dianæ* . Sit 8. hæc media pars falsa, partim quia tollit, partim quia addit, & dividamus de medio insaniem : nam amplius prætendere iure non possunt. Ergo ex toto probabilium quarta pars superest vacua · quia hæc quarta pars erat falsa per ablationem, ut ponimus. Ergo lex Dei proportionate ad tres Tomos, seu quæ tribus Tomis continetur, non impletur per hoc probabilium compendium. Contradicit ergo hinc in quarta sua parte via probabilium viæ Domini · & sicut plenitudo legis est dilectio, vacuitas quartæ partis probabilium legis est probabilitas . Nec minus contradicit in altera sua quarta parte, quæ ponitur esse additiva &c. O Deus, nonne prohibitum est addere, vel tollere, non secus, nec minus, quam mœchari, & occidere? Hæc etiam pars non implet legem : nam supponitur esse additionem eorum quæ in lege non erant. Ergo media pars omnium probabilium hinc vacua non implendo, hinc nullum vacuum legis; sed ubi lex implenda nulla erat, ponendo prorsus extra legem Domini. Sicut si quis hunc meum librum in brevem summam cogeret , ut quartam partem eorum quæ sunt in libro tolleret; aliam quartam partem poneret aliorum quæ non sunt, & tota pars media prorsus libro contradiceret. Dic , oro te, velles ne libros tuos in similes summas converti? Num ergo volet Deus legem suam ita inverti? *Quantum ergo dilectio, & probabilitas discrepant, tantum plane dissident hæ duæ viæ, & summæ.* " Si subtilis est , æque lepida & festiva est speculatio, & opportuna , atque peridonea Probabilismi larvæ detrahendæ. Mittamus ergo compendia hæc, & cum Lactantio dicamus Lib. I. Instit. cap. 1. *Omissis ergo Auctoribus istis nihil certe asserentibus, aggrediamur viam rectam : quos quidem si putarem satis idoneos ad bene vivendum duces esse, & ipse sequerer, & alios, ut sequerentur, hortarer . Sed cum inter se magna concertatione dissideant , secumque ipsi plerumque discordent, apparet eorum iter nequaquam esse directum. Siquidem sibi quisque, ut est libitum, propriam viam impresserunt, confusionemque magnam quærentibus veritatem reliquerunt.*

XVI. Scripturæ ergo aperte docent, caritatem viam esse investigandæ, & assequendæ veritatis. Evangelista Ioannes præ ceteris hanc veritatem inculcat Epist. I. cap. 11. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.* Tenebræ veritatem absconditum, quoties caritas bonum non operatur . Ardente caritate, splendet veritas. Quare subdit Evangelista vers. 20. *Vos unctionem habetis a Sancto, & nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem , sed quasi scien-*

scientibus eam: vers. 27. *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.* Utique de fidei veritate loquitur Evangelista, ut iam dictum est: fidem integram Christi IESU credenda, & agenda includere, dubium non est, cum eadem sit, ordine servato, de utrisque ratio.

XVII. Ex adductis textibus colligunt pessima dialectica sectarii, illum eorum instinctum privatum, quo omnia resolvunt & decidunt: quo nihil vel dementius, vel ineptius excogitari umquam potuit. Admisso quippe tali instinctu, tot essent religiones contrariæ, quot sunt homines. Quisque enim supremum erigeret tribunal, & sententiam ferret. Hinc autem illa sectarum varietas, & multitudo: hinc fastus & superbiens tumor contemnendi legitimas potestates, & ipsius Ecclesiæ universæ iudicium. Et quod Romano Pontifici, aut œcumenico Concilio denegant, inaudita fatuitate femellis concedunt, scortis, rusticis, & cuique homuncioni. Verum adversus istius privati instinctus simulacrum, toties iam labefactatum, atque contritum, non est quod tempus teramus.

XVIII. Extremo hæreticorum declinato, cavendus est in oppositum extremum lapsus, ne videlicet aut existimes S. Ioannis doctrinam phantasticam esse, aut nihil conferre ad scopum assequendæ veritatis. Catholicorum ergo sensu dicendum primum, neminem certum esse, se caritatem habere; atque adeo neque veritatem se reperisse. sed solum signis, & coniecturis colligere id valet. Hoc primum principium consequitur aliud, quemquam nempe Catholicum caritate edoctum subiectum esse iudicio Ecclesiæ, sive in se sumptæ, sive in supremo capite Romano Pontifice, sive in Pastoribus inferioribus. Qui hæc aut spernit, aut parvi facit, caritate caret, & totus in tenebris est. Accedit quod licet caritas sit principium intus vivificans, & illuminans, non excludit, sed admittit, immo præscribit exterius magisterium, seu instructionem. Quid clarius docet Apostolus Paulus quam hanc exteriorem instructionem *I. ad Cor.* XII. inquiens: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores &c. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* Similitudinem promit a membrorum corporis diversitate. *Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: & si dixerit auris: Quoniam non sum oculus &c. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* Caritas Christi non turbat, non pervertit hunc ordinem, quem Christus ipse instituit. Caritas cor docile efficit, & humile, potestatibus Deum referentibus subiectum. Multa suggerit caritas seipsa, multa doctorum ministerio. Ipsa sæpe dirigit, ducitque ad doctores, & magistros, a quibus suscipiatur instructio.

XIX. Illud etiam semper præ oculis habendum est, quod syllogismi in re morali, licet universim, & absolute concludant; tamen non excludunt, quemadmodum syllogismi metaphysici, congruas exceptiones, sed solum inferunt, quod communiter, & plerumque evenit. Syllogismus ergo Apostoli ex illo principio confectus, *Caritas non operatur malum*, concludit quod plerumque accidit. Ceterum non infertur, nullum reperiri posse casum in quo aliquis caritate ornatus nequeat per ignorantiam invincibilem malum operari, quin ei imputetur ad culpam. Nec id in caritatem, sed in hominis imbecillitatem regeritur. Accedit quod doctrina hactenus tradita haud comprehendit Moralem legibus humanis institutam, sed solam Moralem evangelicam a Christo Domino præscriptam.

CAPUT IX.

Multiplices viæ, quibus caritas Christi patefacit veritates morales.

I. ECqui fieri potest, hactenus dixisti, ut universa lex duobus concludatur præceptis, & veritatem moralem manifestet? Id sane assequi ego minime valeo. Quid inde? Ea ne tantum Christus Dominus prædicare debuit quæ tu comprehendere vales? An forsitan minus vera quæ Deus revelavit, propterea quod ea non intelligis? Multa sunt in Scripturis sanctis quæ non omnibus illico patent. Ceterum ut aliquando teneas, qua ratione caritas te in universa lege facile instruere possit, in hæc quæ dicturus sum, animum intende. Et ut te aptum præbeas divinæ dilectionis consiliis capiendis, illud animo tuo insideat, longe plura caritatem suggerere quam quæ ego hic exponere valeam.

§. I.

Caritas reddit hominem idoneum veritati inveniendæ: quia pravas cordis affectiones convellit, & rectum animum efficit erga se, erga Deum, erga proximum.

II. PRæmittenda est doctrina S. Thomæ, ceu fundamentum primum, cui cetera omnia superstruenda sunt. Docet ergo Angelicus tum 1. 2. *quæst.* c. *art.* 4. tum 2. 2. *quæst.* XLIV. *art.* 2. præcepta caritatis esse prima principia agendorum, quæ non sunt pars Decalogi, sed sunt veluti illius præludia, sicut quælibet scientia sua præsupponit principia. Porro sicut qui perfecte penetrat principia, in eisdem videt conclusiones; ita qui perfecte comprehendit caritatem, in ea, veluti in speculo, cetera omnia contemplatur. *Unde* (inquit S. Thomas loc. cit.) *qui*

per-

perfecte cognosceret principia secundum totam suam virtutem, non opus haberet ut ei conclusiones seorsim proponerentur. In operabilibus autem, in quibus praecepta legis nos dirigunt, finis habet rationem principii.. Dilectio autem Dei finis est ad quem dilectio proximi ordinatur. Idque pressius dixerat quæst. xxiii. art. 7. ad 2. *Dicendum, quod cum finis se habeat in agibilibus, sicut principium in speculabilibus; sicut non potest esse simpliciter vera scientia, si desit recta æstimatio de primo & indemonstrabili principio, ita non potest esse simpliciter vera iustitia, aut vera castitas, si desit ordinatio debita in finem, quæ est per caritatem, quantumcumque aliquis se recte circa alia habeat.* Quisque ex angelica doctrina colligere potest, quanta sit caritatis vis ad aperiendam veritatis viam. Qui callent prima principia scientiarum, in iisdem cognoscunt, aut cognoscere possunt conclusiones. Ergo qui primum principium agendorum, nempe caritatem, perfecte comprehendit, in eadem cetera videt.

III. Hoc præiacto fundamento, pressius modos quibus caritas nos imbuit, patefaciam. Et primum mundat cor nostrum ab omni peccato. Ergo ab omni errore, & culpabili ignorantia. Antecedens est evidens. Consequens vero necessario sequitur. Quandoquidem, ut supra dictum est, nullum peccatum, sive ignorantiæ, sive erroris, est primum, sed necessario præcedit aliquod crimen malitiæ scienter commissum, & nondum deletum: quia si esset deletum, ablata esset ignorantiæ vitiosa radix. Ergo si caritas purgat ab omni culpa, liberat ab omni errore, & ab ignorantia eorum quæ sunt ad salutem necessaria. Omnia autem præcepta a Deo lata consequendæ saluti necessaria sunt. Si quæ vero invincibilis ignorantia alicuius obscuræ veritatis supersit, quam reperiri etiam in iusto interdum, raro tamen, concessimus, involuntaria evadit.

IV. Splendidior est secundus modus, quo nos caritas instruit. Caritas quippe animum nostrum rectum facit erga se, erga Deum, erga proximum. Porro loco primi principii omnibus est scitum illud: *Qualis quisque est, talis finis videtur ei, & ea quæ ad finem sunt.* Quemadmodum ergo speculum pro colorum diversitate varia refert obiecta, ita animus noster, qui speculum est, pro colorum quibus illitus est, diversitate, iudicia format varia. Fœdi pueri pulchri apparent matribus. Cuique nationi sui placent mores. Scholarum dissidia, & iudicia opposita rem comprobant evidenter. Cur homines cum professionis instituto continuo scholarum quoque sententias amplectuntur? Nonne si instituta, vestes, affectiones, & domus mutarentur, momento itidem sententiæ eamdem mutationis vicem subirent? Quæ omnia eo pertinent, ut palam fiat, affectuum diversitatem consequi iudiciorum varietatem. Porro caritas animum purum, rectumque efficit in se, in Deum, in proximum. Ergo aptissimum illum constituit ad veritatem noscendam. Et quamquam gratia iustificans peccata expellat; tamen reliquiæ

pravarum quæ supersunt affectionum, inclinationes distortæ, sola cælesti dilectione deleantur. Peccatores quoque de Deo, de eius attributis, de cælesti felicitate iudicant; sed illorum iudicia sunt veluti semidormientium: affectiones quippe terrenæ, oblectamenta carnalia praevalent. Idcirco cælestia amara, insipida, mæstaque obtuso palato sunt. Contra iusti caritate flagrantes, ea iucunda atque delectabilia super mel & favum experiuntur; & nulla declarare lingua valet gaudia, & delicias iustorum perambulantium in lege Domini. Ego, inquis, Deum amo, & tamen terrena placent, illiciunt, excantant: cælestia & divina bona amara prorsus sunt, & nihil prorsus sapiunt. Si haec vera sunt, amor tuus erga Deum spurius est, & fallax. Fieri nequit ut bonitas super omnia amata, insipida amanti sit. Si ergo experiris verum consequens, corrige antecedens. Videas velim ne sis ex illis qui Deum lingua diligunt, & sermone, secus opere, & veritate; ut Ioannes præcipit. Meditare quæ Paulus scribit ad Philip. III. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Ne tamen imperitus quispiam, & meticulosus errandi, seseque iniuste scrupulis torquendi ansam arripiat, amor, seu cælestium sapor haud est in sensibili oblectamento situs; sed in illa spiritus alacritate inserviendi Deo, in illa iugi divinæ gloriæ meditatione, & desiderio, atque in forti, & continuata terrenorum contemptione. Ceterum, si sollicitus sis in demulcendis sensibus, in alendo ventre, in titillando palato, in gloria mundi captanda, verendum summopere tibi est ne amor tuus carnalis mundanusque sit, secus cælestis & divinus. Tristitia ergo quam rerum divinarum experiris, & terrenorum delectatio calcaria tibi sint, & aculei, quibus exciteris, & urgearis ad accendendam caritatis flammam. Nulla tibi hic excusatio erit. Omnibus datum est Deum toto corde, totaque anima diligere. Solus Calvinus impossibile effutit præceptum istud; & plurimis verborum fucis tam monstrosam hæresim præcolorare studuit. Oleum ergo in lampadem caritatis infunde, ignem accende, qui pravas comburat affectiones, & e vestigio cælestium saporem degustabis.

§ II.

§. II.

Caritas docet, evincitque, facile esse quod homines aut magnopere rigidum, aut impossibile iactant. Caritas lites invectas a Probabilistis super lege Dei dirimit, improbatque. Homines executores, non disputatores legis efficit.

V. PRobabilistæ loco veluti primi principii habent blandas, suavesque opiniones cudere, legis rigorem exquisitis delinire blanditiis, ne homines perterrefacti a virtutis via deflectant, atque in desperationem agantur. Consuetam recinunt cantilenam. *Si hæ doctrinæ veræ forent, pauci salvarentur. Harum opinionum severior praxis communi Christianorum genti incongrua est. Vix quinque in centum ad sacramenta admitterentur. Ergo sententiæ eiusmodi nimium sunt rigidæ, falsæque*. Hæc sunt plurium Casuistarum, & populi christiani theoremata, notorietate iuris, & facti antievangelica; ut iam demonstratum est centum in locis, in quibus toties diximus, paucos esse salvandos, arctamque esse salutis viam. Nihil frequentius in cuiusque professionis hominibus audiendum occurrit, quam similes voces: *Hoc est impossibile*. Si præcipiatur ut iuramenta ad optimum principatus regimen, iustitiæque integritatem custodiendam sincere, & in obvio sensu, & ad finem institutionis serventur, reponunt, *hoc esse impossibile. Ergo nulla obligatio*. Si Principibus, nobilibus imponas, vel ipsis de trivio hominibus præcipias ieiunia, abstinentiam, vigilias; reponunt, hoc esse *impossibile*: quia stomachi, capitis, viriumque infirmitate laborant. Si feminas iubeas proiicere vanas pompas, luxum, fastum, quibus in baptismate renunciarunt, reponunt, hoc esse *impossibile*: quia hodiedum sic in more est, sic fert consuetudo. Et si urgeas legis obligationem in conscientiæ præsidium, Iansenismum advocant inclamantes: *Obligare ad impossibile heresis est Iansenianæ, & Calviniana. Valeant ergo rigidiores isti*. Hæc sunt iudicia illorum quorum Deus venter est, quorum religio avaritia, quorum felicitas mundana gloria.

VI. Sumus, inquit sapiens Elizalde *Lib. VIII. quæst. xii. §. 5.* in rebus perspicuis, & manifestis. Eadem præcepta facilia sunt his, difficilia, & impossibilia aliis. Divinæ legis cultoribus, Deique amatoribus omnia quæ indicavimus, dulcia sunt, & observatu facilia. Eadem adamussim observant sub magisterio caritatis, quæ & iugum portandum unctione aspergit, & viam inter extrema calcandam aperit. Isti cuiusque sint professionis, sive monachalis, sive laicalis, sive nobilium, sive plebeorum, sive Principum, sive subditorum, ieiunia, iura-

men-

menta, promissa sincere exequuntur, debita statim solvunt, mercedes rependunt, iniurias tolerant, fastum, luxum, pompas inutiles omnino detestantur, universamque legem exacte custodiunt. Clamant cum Davide: *In Deo meo transgrediar murum. Deus, qui praecinxit me virtute: qui docet manus meas ad praelium, & posuisti ut arcum aereum brachia mea.* Apprime noscunt impares, suis viribus relictos, se esse tot ferendis oneribus; sed in protectione Altissimi confidunt, & igne caritatis succenso omnia impedimenta comburunt, nedum superant. Sunt ne istae speculationes Theologi in cella, ut vulgo dicitur, scribentis; & non potius facta notoria, omniumque oculis pervia?

VII. Hinc colligo. Recensita iudicia super facilitate, & difficultate, super possibilitate, aut impossibilitate legis, & praeceptorum, opposita ex diametro sunt. Ergo simul vera esse nequeunt. Alia vera, alia falsa sint necessum est. Iudicia diligentium Deum, & eiusdem mandata custodientium vera, recta, & sancta sunt. Ergo iudicia contraria erronea, perversa, & falsa.

VIII. Haec omnia, opponunt, concionatoriam, seu oratoriam exhortationem redolent. Si ad regulas Dialecticae revocentur, fallacia sunt, & paralogismorum plena. Iudicia producta non sunt de eodem secundum idem; sed de diversis. Non ergo contraria. Ergo utraque vera. Et reapse amatoribus mundi difficillima, & propemodum impossibilia multa praecepta sunt: vera ergo sunt istorum iudicia. Facilia vero sunt, & suavia Deum diligentibus: vera ergo & istorum iudicia. Peregregie. Cedo: unde evenit illorum difficultas, istorumque facilitas? Edissere. Lex, & praecepta eadem sunt. Natura quoque humana eadem in omnibus. Unde ergo diversitatis tantum? Non sane aliunde quam ex diversa utriusque partis voluntate. Difficultas, extremus rigor, impossibilitas observantiae consequens est, voluntaria est. Libere quippe gulosus es: libere nimius corporis, & sanitatis tuae amator: voluntarie avarus, iniustus, ambitiosus es. Haec sunt impedimenta quae difficilem legem reddunt, gravia praecepta. Recta autem de legibus, praeceptisque iudicia, recta non fiunt ex prava voluntaria dispositione subditorum, sed absolute, & relative ad potestatem quam habent, vel habere possunt, si velint habere. Falsa ergo & erronea sunt iudicia amatorum mundi, & contra vera diligentium Deum. At nonne inter ipsos iustos, Deique amantes facilior, & difficilior occurrit legis observantia? Verum habet. Sunt inter ipsos alii incipientes, alii proficientes, alii perfecti. Primi lacte opus habent; panem comedunt secundi; ossa infringunt tertii. Distant hi tres gradus inter se penes magis minusve bonum, penes maiorem minoremve recessum a levioribus culpis. Omnes vero a gravi malo reipsa declinant. Nemo unus ab observatione cuiusque praecepti difficultatis, aut impossibilitatis praetextu excusatur.

IX. Lites quas Probabilistae sanctae legi Dei intentarunt, eaedem omnino sunt ac

ac lites quæ in foro adversus humanas pœnales leges peragi solent. Propositionem hanc libro sequenti evincam, textibus *Terilli*, aliorumque Probabilistarum adductis. Methodus tractandæ litis hæc est. Quemadmodum in foro humano inter duo litigantes actor probare debet; alioquin reus liber evadit: ita Probabilistæ, potissimum *Reflexistæ*, quorum facile princeps P. Antonius Terillus est, in lite legem divinam inter & hominem, reum constituunt hominem, onere legis gravandum, & legem æternam, seu Deum ipsum, actorem. Lex enim æterna est ipsa voluntas Dei, seu Deus ipse, ut infra videbimus. Hunc ergo actorem, seu legem cogunt ad probandum. Adducat lex documenta verisimilia, gravia, fortia, nisi sint evidentia, quibus humana versutia nihil reponere ausit, nihil efficit, sed deficit in probatione. Ergo liberandus homo reus. Quoniam in dubio, & in obscuris reo favendum; potissimum in caussa mortis. Obligatio legis pœna mortis, & quidem æternæ, est. Aliud in hac lite principium opponunt, possessionem nempe libertatis contra æternam legem, sive contra Deum. Quoties enim probationes pro lege non sunt demonstrationes evidenter concludentes, e vestigio obtrudunt possessionem stare pro libertate. Adiiciunt, legem dubiam non esse sufficienter promulgatam; tum vero esse dubiam, cum inter Probabilistas disputationes super eadem lege instituuntur. Denique addunt, legem esse odiosam; & idcirco restringendam, & ab eiusdem servitute homines subducendos. Monstra hæc videntur, & tamen sunt revera Probabilistarum axiomata, ut infra videbimus.

X. Hæc omnia, quæ obiter indicavi, & cetera similia caritas reiicit, odit, detestatur. *Quoniam lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis*. Opportune S. Bernardus *tract. de diligendo Deum* in hanc rem scribit. *Sed iustis non est lex posita, hoc est non tamquam invitis posita, sed voluntariis, eo liberaliter data, quo suaviter inspirata. Unde & pulchre Dominus*: Tollite iugum meum super vos: *ac si diceret, non impono invitis; sed vos tollite, si vultis: alioquin non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris*. Celebris, & apta est comparatio quæ fieri solet inter boves indomitos, & nondum iugo assuetos, & alios iam e consuetudine iugo subiectos. Primi colla subiicere iugo detrectant: vi, industria, & robore opus est, ut submittantur: vix regi, inflectique queunt: recalcitrant, resistunt, & solum prævalentibus aculeis, & virgis coacti cedunt, & summo labore, ac sudore iugum deferunt. Secundi e contrario placide, & sponte iugum subeunt, nulloque labore illud portant. Similiter qui, appetitionibus edomitis, carne compressa, mundoque contempto, legem Dei implere cœperunt, summa facilitate eam servant, iugum prompte suscipiunt, impedimenta superant. Isti cum Davide canunt: *Lex tua in medio cordis mei*... *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam*. Adeo suavis erat

erat homini, non plebeio, sed Regi, legis observatio, ut suam reputaret hereditatem, illamque in cordis medio insculptam haberet. Huc advoco Probabilistas omnes. Legis divinæ observantia hereditas nostra est, quamdiu degimus super terram. Hinc Christiani filii, & heredes nuncupantur a Paulo. *Si filii, & heredes.* Quis heredum in iudicium advocat hereditatem? Quis exceptiones opponit adversus eamdem, ut illam reiiciat, aut dicat Hereditas non probat, non spectat ad nos, hereditas non concludit, ergo liber ego sum ab eadem: quoniam melior est conditio possidentis libertatem ab hac hereditate? At arrige aures, homo stupide & fatue, ut, quid repudies, intelligas. Hereditatem fundorum, prædiorum, & ingentis aureorum summæ reiicis. Ita ne vero? inquis. Scilicet. Ut hæc audit, continuo hereditatem ad se pertinere clamat. Non amplius rationes allegat cur sibi hereditas non competat, non amplius cogit hereditatem, veluti ream, ut probet dominium supra propriam libertatem, sed ipse rationes quærit, quibus ad se pertinere hereditatem evincat. Advocatos asciscit, ut proprium ius defendat, & adversariorum aggressus retundat. Quid agis, o homo? Liber eras, tuique iuris dominus: & hereditatem tibi imponi sinis? Nonne melior est conditio possidentis libertatem? Deliras? reponit heres noster. Hereditas fundorum, censuum, scriniorum, ac ingentis patrimonii mea felicitas est, mea lætitia, meum gaudium. Recte, & vere. Ergo hereditas legis æternæ, adversus quam tot obtrudis exceptiones & possessionis libertatis, & non promulgationis, hereditas tua non est. Ergo hereditas hæc mala tibi est. Ergo pluris tibi est hereditas terrena quam cælestis. Ergo tu ex illis non es de quibus ait Paulus: *Si filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* En quo tandem recidant principia Probabilistarum. Nolo ultra producere sermonem, quod iam mihi videre videar, Probabilistas rubore quodam suffundi. At, inquit P. Elizalde Lib. VIII. quæst. XII. §. 6. *erubescant, & confundantur qui hæc faciunt.* Et sane aut abiurare Probabilismum debent, aut errorem maximum fateri, se nempe pluris facere hereditatem temporalem quam hereditatem divinæ legis, de qua inquit Propheta Regius: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti. Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.*

XI. Neque opponas, hinc consequi, admittendas esse, ut leges Dei, leges omnes quæ obtrudi a Rigoristis solent; atque adeo argumentum aut nimis, aut nihil concludere. Hæc solita Probabilistarum effugia sunt. Leges divinæ neque per additionem, neque per diminutionem immutandæ sunt. Vix est disputatio, ut *Lib. seq.* dicetur, inter Theologos de legum directa existentia, sed de obligationis extensione. Quare futilis est oppositio, quod argumentum nimis probet. Nam sicut (ut sistamus in similitudine) dum sermo est de hereditate, non loquimur de hereditate iniusta, quæ secum deferat aliena iura (tunc enim repudianda

da ab omnibus honestis viris esset) ita in præsenti legem Dei, & præcepta divina certa in medium afferimus, de quorum obligatione, veluti inimica, lites instituunt Probabilistæ, qui nolunt veluti filii, & heredes legem spectare divinam, eamque cum Davide super millia auri & argenti diligere, saltem quantum ex eorum sistemate probabilistico apparet. Pietatem enim, & sanctitatem personalem, ut sic loquar, in omnibus suspicimus; & hanc numquam in discrimen a nobis vocari, intelligant omnes. Patet autem quod Probabilistæ, qui super quolibet fere præcepto lites instituunt, non respiciant hereditatem legis, ut filii amantes, sed ut servi mercenarii. Mercenariorum quippe proprium est, atque servorum lites super legum obligationibus dominis intentare. Ad tantum, inquiunt, & non amplius conducti sumus: ultra non tenemur: & more Probabilistarum omnia captant sophismata, ut a labore se se eximant, & ut ius libertatis, ac exemptionis adversus legem defendant. Filii vero adoptivi Dei viam oppositam viæ servorum insistunt, atque percurrunt. Iugum legis suave illis est. Legem diligunt super millia auri & argenti. Idcirco nullas isti lites movent, a quæstionibus abstinent, & opere implere legem student. Illi non vi demonstrationum subiiciuntur iugo, sed illicio divinæ dulcedinis. Audiamus Bernardum in tract. de diligendo Deum. *Bona itaque lex caritas, & suavis, quæ non solum leviter, suaviterque portatur; sed servorum, & mercenariorum leges portabiles, ac leves reddit.*

XII. Clarius ostenditur, caritatem plurimas Casuistarum quæstiones, litesque dirimere. Disputant Probabilistæ, quoties Christiani astringantur Deum diligere. Alii dixerunt *numquam*: alii in articulo mortis: alii quoto quinquennio: alii singulis trienniis, aut biennis. Tandem instituunt disputationem de fide, de spe; de religione, de oratione. Caritas divina eiusmodi disputationes, ut hostium insidias, execratur: quoniam in nullo alio rei amatoriæ genere similes instituuntur disputationes. Quis umquam aut filiorum disputavit, quoties amare patrem; aut avarorum, quoties diligere pecunias, aut matrum, quoties diligere filios debeat? Quia enim has res plurimum vere amant homines, potius semper quam frequenter amant. Filii ergo adoptivi Dei, caritate fulgentes, qui divinum parentem toto corde amant, totisque viribus, derident præfatas Casuistarum quæstiones, puderetque eos similia disputare. Continenter enim diligendus, quoad fieri potest, Deus est. Quare cum Augustino has & similes quæstiones resolvunt dicentes: *Ama, & fac quod vis*. Quid de illis qui caritate carent, & gratia? Idem istis dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. Hoc fac, inquit Augustinus, & quo vis ambula. Si nunc amator non es, sed disputator; in tua est libertate, gratia Dei adiuta, constitutum, amatorem fieri, Deum diligere. Et si vere diliges, cessabunt quæstiones de amoris frequentia. Quid, si sponsa dispu-

disputaret, teneatur ne quoto anno, aut quinquennio, aut triennio, aut biennio amare sponsum? Videant ergo quam sint inverecundæ, ut mitissime dicam, hæ de divino amore quæstiones.

XIII. Quæstiones Casuisticæ quæ proximum spectant, plurimæ sunt. Quæstiones de contractibus, de venditione, de emptione, de mutuo, de iudiciis, & sexcentæ aliæ cessant in iis omnibus qui dictum Ioannis exequuntur: *Filioli, diligite alterutrum, quia præceptum Domini est: & si solum fiat, sufficit*. Dic, amabo te, quando duo fratres vere, & sincere se se amant, movent ne in suis contractibus lites, quas Probabilistæ suscitarunt? Nonne hi sinceri amici, cum tales revera sint, omnia simplicitate, & bona fide peragunt? Nulla, quamdiu vera amicitia consistit, inter eos lis, nulla quæstio: voluntas unius est alterius voluntas, & contra. Nos fratres omnes sumus, & membra de membro. Vinculum caritatis nos mutuo nectit, omnesque cum Deo. Ergo aut caritas nostra fallax est, & falsum caritatis simulacrum; aut quæstiones istæ, & diffidia cessare debent. Nam in aliis amoribus, & amatoribus eiusmodi quæstiones non fervent. Ergo aut alii amores præstant amori caritatis, quod falsum est, aut cum caritatis amore componi nequeunt quæstiones eiusmodi. Ergo ideo quæstiones in mundo fervent, quia parum caritatis in mundo ardet. *Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi*: inquit Apostolus.

§. III.

Caritas urget investigare veritatem, & ab incertis abstinere, aliisque modis ad veritatem viam sternit.

XIV. QUI quærit veritatem moralem, invenit, si debite, seu recto corde quærat. Qui habet caritatem sincero corde, quærit debita diligentia. Ergo veritatem invenit. Maiorem docet Christus: minor est per se nota. Sinceritas, & diligentia sunt legitimæ dilectionis filiæ. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Lex Domini via est, nos viatores. De via semper cogitant viatores: semper vigilant, ut pericula evitent, ut errores caveant. Viatores non sistunt gradum, donec metam teneant.

XV. Ab incertis caritas custodit, & intra securitatis semitam nos continet. Hinc est quod fatuis virginibus oleum suppeditare detrectarunt prudentes virgines dicentes: *Ne forte non sufficiat nobis, & vobis; ite potius ad vendentes, & emite vobis*. Hoc splendet in ipso mundano amore. Qui filios, uxores, pecunias, dignitates magnopere amant, res eiusmodi numquam periculo, aut incertitudini committunt. Ergo potiori iure præstare id debent amatores Dei, divinæque legis. Quod reponunt Probabilistæ discrimen, futile est, legem videlicet Dei

in-

inculpate violari, seu materialiter. Sicut enim amatores veri pecuniarum, filiorum, uxorum lugent eorumdem iacturam; ita sinceri amatores Dei magis horrent violationem divinæ legis quam gemmarum fractionem, & filiorum amissionem.

XVI. Caussam paulisper deferamus ad eos qui non lingua, & verbo, sed opere, & veritate Deum diligunt, & desiderio salutis flagrant. Ad istorum tribunal deferto opiniones magis, & minus, vel æque probabiles de ieiuniis, de regularum observantia, de debito inhiandi perfectioni, de paupertatis voto, de obedientia &c. Putas ne aliquem tuarum opinionum inventurum emptorem? Omnes isti sinceri amatores tuas opiniùnculas derident, sibilant, & cum tuis libris, in quibus fuso calamo agitantur, reiiciunt. Ergo evidenter infertur, nullo modo necessarium esse populo christiano harum pugnantium opinionum probabilium usum. Nam qui diligunt Deum, has opinionum pugnas spernunt, & amantium officia solvunt. Si non diligunt Deum, iugo excusso, nullas curant opiniones.

XVII. Accedit quod, ut David Propheta testatur, *custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet*. Psal. cxliv. *Dominus illuminatio mea, quem timebo?* Sine numero sunt Scripturæ quæ hanc Dei illustrationem spondent omnibus corde, & opere diligentibus Deum. Christus Dominus ipse testatur: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Illuminat ergo, dirigit, custodit Deus diligentes se. Custodit ab erroribus, dirigit in vias rectas, illuminat veritatem pandendo. Quis sub tanto Magistro veritatem non addiscet? *Quid ergo* (clamat Paulus ad Rom. VIII.) *dicemus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Illuminat autem Deus, primum seipso bonas immittendo cogitationes, avertendo mentem a malis consiliis, a libris aut pravis, aut laxioris doctrinæ, & bonos, sanctosque libros proponendo. Dirigit secundo Doctorum, & ministrorum opê. Suos amatores ad bonos dirigit Doctores, qui veritatem sincere absque fucis patefaciant. Si hi qui sincere eum diligunt, quandoque offendant in magistros minus peritos, qui falsa, aut laxa doceant, aculeis interioribus pungit, compelliteque alios adire Doctores, qui sincere, ut cum Chrysostomo loquar, venumdent Christi veritatem. In mentem revocanda est doctrina Gregorii Papæ, inquientis, sæpe bonis Doctoribus Deum lumen subtrahere propter malitiam discipulorum; & contra malis magistris lumen infundere propter amorem, & dilectionem eorum qui directionem petunt. Si ergo S. Thomas docet, *firmissime* tenendum esse, eos qui lupos inter, & feras vitam ducunt, illuminandos a Deo una ex duplici via, si id præstent quod ex viribus gratiæ valent; potiori iure *firmissime* tenendum est, illuminandos fore eos qui toto corde, & ferventi caritate Deum diligunt.

XVIII.

XVIII. Hactenus modos aliquos indicavimus cum P. Elizalde, quibus caritas divina veritatem moralem patefacit. In ceteris scientiis, principiorum plena penetratione acquisita, quæ consequuntur conclusiones, illico innotescunt. Prima agendorum principia esse caritatis præcepta, dictum est. In istorum ergo meditatione defigenda est mentis acies, si assequi veritates morales velimus. Excusare te vales ab implendis præceptis ieiuniorum, eleemosynarum: at qua te defendere via potes, si Deum non ames? An oppones virium debilitatem, cordis duritiem, operis arduitatem? *Durum est* (inquiebant olim tui similes, teste Hieronymo) *arduum est, non possumus. Homines sumus, fragilitate carnis circumdamur. O cæcam insaniam! o profanam temeritatem, duplici ignorantia accusantes Deum!* Quis melius virium nostrarum mensuram novit quam qui vires ipsas nobis impertiit? Hic porro dilectionem ex toto corde præcipit, dilectionem, inquam, non negationem odii, aut non dilectionem; ut Casuistæ aliqui contendunt. Igitur si moralem comparare scientiam aves, principia illius, quæ sunt caritatis præcepta, diu noctuque meditare. Melius dicam: ardeat in lampade cordis tui caritatis flamma: in caritatis officiis te continenter exerce. Expende num caritas tua eis sit insignita prærogativis quas ex S. Apostolo Paulo indicavimus. Si hæ adfuerint, vera est caritas tua. Veram autem caritatem veritates morales consequuntur.

XIX. Postremum menti tuæ fixum, altumque hæreat principium, omnium Patrum consensu firmatum, & directe oppositum Probabilistarum principio, nempe suavitatem, & facilitatem legis divinæ non ex diminutione obligationis, sed ab spiritu caritatis, & dilectionis oriri: & quo maior est caritas, eo faciliorem esse legis observantiam. Huc ergo spectent omnes conatus tui, huc studia tua. *In omnibus sane* (inquit Augustinus Lib. de catechizand. rud.) *non tantum nos oportet intueri finem præcepti, quod est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quo ea quæ loquimur, cuncta referamus; sed etiam illius quem loquendo instruimus, ad id movendus, atque illuc dirigendus aspectus est.* Si hæc Scripturarum, & Patrum documenta animo infixa hærerent, vix esset Moralis evangelicæ ignarus. Porro ut tu propriæ consulas conscientiæ, in hanc doctrinam continenter incumbe. Sive ipse addiscere velis, a divina dilectione initia ducito, sive alios instruas, primum omnium in caritatis schola illos exerceto. Eos denique selige libros, sive tibi, sive aliis legendos, in quibus eiusmodi caritatis studium promovetur, & inculcatur. Illos omnes apage Casuistas in quibus schola caritatis silet. Sint tibi suspectæ doctrinæ illi Moralistarum libri qui te edocent, non qua ratione amare debeas Deum, sed quomodo implere præceptum valeas ex hoc tantum quod Deum odio non habeas, & Deum non ames, aut raro diligas. Finis legis divinæ caritas est. Ergo ut contrarii huic sanctæ legi habendi sunt libri Moralistarum omnium qui in officio caritatis Christianos non dirigunt. Contra eos

diurna, nocturnaque manu revolvito quos accendere in te caritatem experiris. Ne multa: *Ama*, ait Augustinus, *& fac quod vis*.

CAPUT X.

Alia via inveniendæ veritatis moralis est ad sapientes peritosque istius divinæ scientiæ recursus. Probabilistarum ratiocinium omnino fallax. Qua ratione Christiani proprii status & professionis Sanctos imitari teneantur.

§. I.

I. NIhil frequentius in Probabilistarum libris occurrit quam ad sapientes, & prudentes appellatio. Neque in hoc recursu ab iisdem nos dissentimus, ut iam supra dictum est, sed solum ut prudentibus eiusmodi, & sapientibus designandis. Nam nos a sapientum catalogo delevimus illos qui non interdum, & raro, sed passim dissident mutuo, & secum pugnant, solisque opinionibus totam Moralem definiunt. Quoniam lex æterna Dei non est rationis ens, non quid humana opinione confictum; sed est vera & realis mensura cuiusque honestatis, ut infra dicetur. Eget utique humanæ mentis applicatione lex ista. At quoties ratio nostra non veram æternam Dei legem applicat, sed legem mente confictam, & probabilitate delineatam, non dirigit operationes revera morales, & honestas. Sapientes ergo & prudentes qui contrariis probabilitatibus mores nostros dirigunt, penitus a censu sapientum, & prudentum reiicimus. idque supra præstitimus.

II. Nos veros sapientes, & prudentes in nostros directores seligimus qui nullam patiuntur exceptionem, quique ab omnibus suscipi debent. Quinam isti? Sancti ab Ecclesia solemni apotheosi declarati, & ii qui eorum mores & vitam imitati sunt. Primorum sapientia, & prudentia omnibus nota est, & extra disputationem, omnem posita. Secundorum sapientia, & prudentia certa non est definitione Ecclesiæ, probabilis tamen, idest plerumque vera est, & germana. Porro hi omnes prudentes cuique noti, & obvii sunt. Divina quippe providentia dispositum est ut cuiusque ætatis, conditionis, sexus, nationis, sapientes isti fulgeant. Ex omni tribu suos Deus eligit Sanctos. Ex Regibus, ex Imperatoribus, ex nobilibus, plebeiis, opificibus, senibus, pueris, infirmis, robustis, laicis, & Clericis, Monachis, Prælatis, Episcopis, Pontificibus. Legant Reges vitam Casimiri, Eduardi, aliorumque, & veritatem invenient. Legant Episcopi acta S. Caroli, Francisci Salesii; & viam veritatis deprehendent. Quoniam hi omnes veritatem certo inve-

nerunt. Quod si quandoque ignoranter deliquerunt; scierunt modum quo in semitam regrediendum fuit. Nos vero scimus plus minusve quid isti egerint. Ergo scire & nos veritatem possumus. Qui enim revera eos sequuntur, viam veritatis calcant: & si interdum ignorantia labantur, statim divina affulgente luce, resipiscunt. Certum namque est, posse & nos sic vivere, gratia divina adjutos. Porro Deus hanc gratiam non denegat, nisi culpa nostra obsistat.

III. Opponunt Probabilistæ, argumentationem factam evidentem esse absolute acceptam; at Christianis indiscriminatim applicatam fallacem evadere. Nemo ambigit, eos invenire veritatem moralem qui Sanctorum sunt imitatores. At numquid Christiani ad Sanctorum imitationem astringuntur? Numquid omnes Sancti? Si dixerimus, Christianos omnes ad imitandos Sanctos propriæ professionis, & status astringi, dementiæ notam vix declinabimus, tametsi doctrina hæc sit D. Pauli, & Servatoris nostri divini.

IV. Ut pedetentim hoc objectum, ex cujus valida, & perspicua confutatione salus Christianorum plurimum pendet, convellamus, primum animadvertendum est, Probabilistas in casses incidisse. Ideo probant ignorantiam legis divinæ naturalis sæpe esse invincibilem, quia veritas inveniri nequit: & quia inveniri nequit, ad eam inveniendam non astringimur. Nunc evidentia argumentationis factæ devicti, concedunt, veritatem moralem inveniri a nobis posse, si Sanctos propriæ professionis imitari velimus, nempe Reges sanctos Reges, Episcopi sanctos Episcopos, Presbyteri sanctos Presbyteros, laici sanctos laicos, opifices sanctos opifices. Nonne pictores, sutores, fabri, lapicidæ, & cujusque denique professionis artifices Sanctos ejusdem professionis imitandos habent? Hos imitentur, & veritatem sunt assecuti. Bene habet. Sed ad hanc imitationem non tenentur. Peregregie. Inveniri ergo veritas potest, si Sanctos imiteris. Et hoc in præsens nobis sufficit. Quod autem Sanctorum vestigiis insistere debeas, mox probabimus. Per transennam solum hanc conficio argumentationem. Tunc ignorantia non est invincibilis, quando industria, & studio superari valet. Concedis superari reapse hanc ignorantiam communiter posse, & veritatem inveniri, si Sanctorum via arripiatur: nam certum est, Sanctos canonizatos ab Ecclesia hanc veritatem communiter invenisse. Ergo ignorantia legis divinæ aut numquam, aut rarissime est invincibilis: quia aut numquam, aut rarissime fuit in Sanctis & si aliquando contigit, lacrymis pœnitentiæ eam abluerunt. Porro si verum reperiri valet, Probabilismus in fumum occidit. Reperiri autem posse concedunt, si Sanctos imitemur. Verum hoc imitationis debitum pernegant illi; nostrum igitur est illud demonstrare.

§. II.

§. II.

Auctoritate Scripturarum, & Patrum evincitur, Christianos omnes Sanctorum propriæ professionis inhærere vestigiis debere.

V. DEbitum quod Christianos manet æmulandi Sanctorum virtutes, non aliunde quam ex Scriptura sacra primum, post ex Patribus probari debet. Ex utrisque postea evidenti ratiocinio debitum istud concludetur.

VI. Ad Scripturas quod attinet, Christus ipse inquit Ioannis XIII. *Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis, sum etenim .... Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Naturam nostram sumpsit, ut exemplar visibile eorum nobis esset quæ agenda sunt. Humilitatis in pedum discipulorum lotione nobis potissimum exemplum reliquit, ut in virtute omnium difficillima, & humanæ superbiæ adversa, ceteras omnes commendaret. Quid quod vel ipsi Moysi Deus apparens, eorum quæ præstare debebat, in monte exemplaria delineavit. *Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est:* Exod. XXV. Denique Christus Dominus Matth. XVI. vers. 24. *Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Idem intonat Lucæ IX. vers. 23. *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Ita iubet Legislator. Consilia hæc sunt, inquis. Consilia ne? Consilium est quod vitam, quod mores ad Magistri, ad Salvatoris tui vitam moresque conformes? Salvus ergo quisquam esse poterit qui difformis a Christo sit? Qui porro difformis a Christo est, Antichristus est. Antichristus ne cum Christo regnabit? Ut quid ergo dicit Paulus: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui?* Hæc Christi oracula, non consilia, sed substantia, & finis unicus legis suæ divinæ sunt. Quid in his, & similibus oraculis consilii contineatur, quid præcepti, infra dicam. Nunc persequor institutum argumentum.

VII. Apostoli adamussim executi sunt laudata IESU Christi oracula. Paulus Apostolus I. Cor. IV. vers. 16. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Idem commendat Timoth. I. cap. IV. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* Fusius hoc inculcat ad Philip. III. vers. 17. *Imitatores mei estote, fratres, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & glo-*

ria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cælis est.

VIII. Duplex Sanctorum imitatio. Altera spectat virtutes quæ animum ornant; altera opera exteriora virtutum, quæ statum, & professionem comitantur. Ad primam, non ad secundam tenentur omnes. Paulus Prædicator veritatis per universum mundum portavit Christi nomen. Sanctorum alii eremos inhabitarunt, alii celibes vixerunt, alii, divitiis omnibus abjectis, paupertatem nedum spiritu, ut tenentur omnes, verum etiam opere coluerunt. Hæc Christianis imitanda sunt: Priorem imitationem vocarem substantialem, in observantia præceptorum sitam. Conformitas hæc in fide est, in caritate, in castitate aut virginali, aut matrimoniali, in mundi contemptione. Imitatio hæc universalis est, omnium statuum personis communis. Ut autem quisque exemplar habeat imitandi opera quæ proprio statui congruunt, ex qualibet hominum conditione Sanctos sibi delegit Deus, in quos respicere cujusque professionis homines possent, & scirent quæ congruunt conjugatis, quæ Cœnobitis, quæ Eremitis, quæ Episcopis, quæ Regibus, quæ Pontificibus &c. Sed, ut clarius res pateat, verba ipsius Apostoli expendamus ab ultimis incipiendo. *Nostra conversatio in cælis est*. Cælum ergo anhelare omnes debemus. Mente, & spiritu cum Sanctis in cælo regnantibus conversemur oportet. Contra hodierni Christiani communiter in continua carnis, mundi, & voluptatis conversatione degunt. Cælestis ne conversatio illa promiscua virorum, & mulierculartum? Christiani omnia, ut stercora, arbitrari debent, ut Christum lucrifaciant. Amici crucis, inimici ventris, contemptores mundi sint oportet. Contra Antichristiani amici sunt ventris, inimici crucis, idololatræ divitiarum, mundi amatores: *quorum finis interitus, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*. Tandem S. Paulus omnes Christianos Sanctos vocat. Ad Rom. 1 *Paulus servus IESU Christi, vocatus Apostolus omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis Sanctis*. Idque sæpius repetit in aliis epistolis. Idem scribit S. Petrus. *In omni conversatione Sancti sitis* &c. Plura prætereo alia Scripturarum testimonia. Nonnulla ex sanctis Patribus delibabo.

IX. S. Augustinus ser. xlvii. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; & tollat crucem suam, & sequatur me. Non enim hoc virgines debent audire, & maritatæ non debent: aut viduæ debent, & nuptæ non debent: aut Monachi debent, & conjugati non debent: aut Clerici debent, & laici non debent*. Hic parumper siste meditationem tuam, & recogita, quod omnium difficillimum in via evangelica est non sua relinquere, sed semetipsum abnegare. Hoc est sanctitatis evangelicæ culmen, quod tenuere Sancti; & quo perfectius, eo sanctiores. Porro isthuc tendere animo Christianos omnes Christus iubet. Non tam laboriosum est sua relinquere; *sed valde laboriosum est relinquere semetipsum; minus quippe est abnegare*

quod,

quod habet; valde autem multum est, abnegare quod est: inquit Gregorius. S. Leo *ser.* IX. in Quadragesima, relata Christi Domini sententia, *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus,* hæc subdit: *Nec dubitare debemus, hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere.*

X. Præ ceteris Patribus fusius argumentum istud pertractat S. Ioannes Chrysostomus *Lib. III. advers. vituperat. vitæ monasticæ.* Pauca ex plurimis obiter transcribam. *Cum enim dicit.* Beati pauperes spiritu: beati qui lugent beati mites: beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam *&c.* . . . . *nec Monachi, nec sæcularis nomen adiecit. Ceterum ista distinctio ex hominum consuetudine introducta est. Sacræ vero litteræ nihil horum penitus noverunt, sed omnes Monachorum vita, & instituto vivere volunt . . . Audi denique quid Paulus moneat, quem cum nomino, rursum Christum prædico. Hic itaque, cum scriberet uxoratis hominibus, filiosque nutrientibus, omnem ab illis monasticæ vitæ diligentiam requirit.*

Post plurima alia hæc adiicit *Cum itaque non Monachos tantum, vel Apostolos, sed ipsum etiam Christum imitari nos iubeat, eisque qui non imitantur, supplicia maxima intentet: qua tu tandem ratione illam dicis esse maiorem altitudinem? Eamdem enim omnibus ascendere propositum, & imperatum est. Sed hoc plane est quod evertit universum orbem, quod summa vitæ bene agendæ diligentia Monachis opus esse arbitrantur, ceteris negligenter vivere licere. Non ita, non ita est; sed eadem ab omnibus Philosophiæ ratio requiritur. Atque id equidem vehementer: immo vero non ego, sed ipse iudex omnium Christus: ac mox inducit divitem illum damnatum, virgines reprobatas* &c.

Neque in inferendis solum cruciatibus, sed etiam in sanciendis legibus, id Christum fecisse reperies. Etenim cum dicit. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite a me: quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: *non Monachos tantum alloquitur, sed omne prorsus hominum genus. Itemque, cum iubet per angustam viam ingredi, non istos modo, sed omnes omnino homines hoc imperio convenit. Cumque odisse animam suam in hoc mundo, atque cetera eiusmodi iubet, nullum hominum genus excipit.*

Cum vero non omnes alloquitur, neque iura, & leges omnibus constituit, hoc ipsum insinuat nobis aptius. Denique cum de virginitate loqueretur, adiunxit: Qui potest capere, capiat. *neque* omnis *adiiciens, neque in præcepti ordine statuens. Ita Paulus quoque in omnibus locis Magistrum imitari deprehenditur. Cum in hanc incidisset materiam, aiebat:* De Virginibus autem præceptum Domini non habeo. *Itaque quod ad eamdem vitæ diligentiam, supremumque perfectionis fastigium per divinas leges pariter & sæculares, & Monachi cogantur, quodque ambo, si ce-*

ciderint, æqualia sint excepturi vulnera, neminem iam, quantumlibet sit ille contentiosus, & impudens, contradicturum existimo.

XI. Mitto plures alios Patres, & Probabilistas appello, ut quidquam responsi exhibeant doctrinæ huic Augustini, Gregorii, Leonis, Chrysostomi, Hieronymi: addere possem, Basilii, Ambrosii, Bernardi, Thomæ, Bonaventuræ, aliorumque. Respondeant itaque docti iuniores, qui se novam invexisse Theologiam ostentant, qui se tollere peccata mundi, omnesque Christianos se salvaturos iactant. Rigidissima illa vivendi forma, in mundi contemptione, in sui ipsius abnegatione sita, hostiliter repugnat blandæ, benignæque casuisticæ Theologiæ. Quod recensita morum doctrina solos Monachos spectet, & non universum hominum genus, mundum evertere, Christianos æternum perdere, sanctus Patriarcha inclamat. Respondeant ergo, num soli Monachi in baptismate pompis mundi, & operibus diaboli renuntiaverint; num Monachi dumtaxat consepulti in baptismate sint Christo; num caro, mundus, dæmon Monachorum tantum sint hostes? Dicant, Monachorum ne, an laicorum periculosior status sit? Laicorum, velint, nolint, adfirmabunt; cum Patres omnes Religiosorum statum portui, laicorum fluctuanti mari comparent. Num qui in portu tranquille degunt, vigilare, cavere, præliari, sollicitos esse, conari, ieiunare, orare debent, qui vero tempestate iactantur, qui fluctibus circumaguntur, piratisque efferatis undequaque obsidentur, dormire, torpere, deliciis, voluptatibus, comœdiis, spectaculis possunt operam dare? Si vis, navigent utrique. An negabis, tutiori navigio Religiosos vere tales, & iuxta professionem viventes, vehi, fragili vero scapha sæculares? Hi ergo otio diffluant; illi satagant omni conatu portum tenere? An non stultitiarum stultitiæ essent ratiocinia eiusmodi?

XII. Sed ultra pergamus. Ad claustrales ne pertinet celebris illa de cœna parabola? *Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo. Exi cito &c. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Luc. cap. XIV. Christus est qui loquitur. Vocati in excusationem non obtrudunt nec homicidia perpetranda, nec fornicationes exercendas, nec furta committenda; sed opponunt licitas occupationes: & tamen æternum damnati sunt. Quid de illis erit qui a Dei cultu, a celebrandis mysteriis, ab exercitiis sacris absunt, ut saltationibus, conviviis, comessationibus, spectaculis, ludis, & ceteris insanientis mundi oblectamentis intersint, denique operam? Quos, amabo te, alloquitur Paulus Apostolus I. ad Cor. VII.? *Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est: reliquum est ut & qui habent uxores, tamquam*

non habentes sint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura huius mundi. Uxoratos, mercatores, divites, dominos mundi Paulus alloquitur. Hos admonet viatores esse. Viatorum autem est alio tendere, nullibi in via pedem figere, omnibusque uti, quatenus ad destinatam metam conducunt.

XIII. Ut funditus, quantum nostra interest, convellam vetusta hæc Christianorum præiudicia, quibus a severa, atque summopere rigida (unctione divina sublata) Morali evangelica se exemptos reputant, Religiosorumque esse arctam viam, nonnulla alia principia evangelica indicabo, aliudque perniciosissimum præiudicium labefactabo. Autumant salutem se adepturos æternam, si Deum, & proximum odio non habeant, quod est scitum plurium Probabilistarum, si non mœchentur, si non furentur, si fraudes non exerceant, si non calumnientur, si denique se se abstineant ab iis flagitiis quæ penes mundum ipsum infamant. Aures modo arrigant, ut Christum audiant sic fantem. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Matth. v. Fusius hæc intonat Luc. vi. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia . . . Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Imaginem divinæ Moralis, quam omnes Evangelii professores, & Christi discipuli exprimere in semetipsis debent, Christus ipse suo proprio penicillo delineatam hic exhibet. Ut itaque erroneas mundanorum hominum, severiorem Moralem evangelicam ad Monachos reiicientium, anticipationes penitus evellamus, his paucis interrogatiunculis respondeant. Nonne Christianus prudens stomachatur, si Claustralem videat instar sui ludos, spectacula, comœdias aperte frequentare, cum femellis conversari, scurrilia, & turpia loqui? Iure sane Christianus offenditur. Quid, si Gentilis, Turca, Iudæus videat Christianos divitiis, usuris, voluptatibus, fastui, ambitioni, pompis, ludis indulgere, mundo inhiare, non secus ac illi ipsi qui oppositam omnino religionem profitentur? An non potiore iure offendiculum patiuntur? Nonne plus professio christianæ religionis distat a Mahumetismo, Ethnicismo, Iudaismo, quam status claustralis a statu Christianorum? Ais. Ergo plus moribus Christianus distare debet a cuiusque alterius religionis cultoribus, quam distet severior Monachatus a Christianorum professione.

XIV. Verum quid tamdiu Christianos torquemus? Filum saltem increpationis

paulisper abrumpamus, osque nostrum ad Religiosos obiter pateat. Quid ergo, si Claustrales ipsos erronea subivisset persuasio, descriptam severiorem Moralem ad paucos pertinere Regulares, quos per derisionem *Gavottos*, *Cavicchios*, *Gabanatos*, *Reformatosque* vocant? Quid, si semetipsos exemptos judicarent a jejuniorum severitate, a lanearum asperitate, a silentii custodia, a pecuniarum privatione? Quid, si sibi licita reputarent vel ipsa profana oblectamenta, supellectilem argenteam, alearum ludos nummarios, marsupia privata, convivia opipara? Quid, si ipsorum mores solutiores sæculo apparerent ipsorum sæcularium moribus?

§ III.

Argumentis a ratione arcessitis probatur, in salutis negotio Sanctorum virtutes imitandas esse.

XV. Certum est Sanctos ab Ecclesia canonizatos portum salutis tenere. Probabile est, seu fere semper verum est, Christianos qui Sanctorum viam calcarunt, in gratia obiisse. Contra, eos qui contrariam instituerunt viam, certum non est salutem obtinuisse æternam. Hæc duo inconcussa penes omnes sunt. Disputari solum potest, probabile ne sit, ultimos salutem assecutos esse. Siquidem certum nobis non est, Christianos qui exacta diligentia Sanctos imitari studuerunt, in paradisum ascendisse. Si enim certum esset, Ecclesia illos in Sanctorum album, nullo instituto processu, nulla adducta probatione, perscriberet. At secus agit, & severe in eorum mores, virtutes, & acta inquirit, & omnia ad exactiorem crisim revocat, antequam Sanctos declaret. Solum itaque probabile est, ejusmodi sancte decessisse. Ergo nec probabile est, eos qui noluerunt Sanctos imitari, immo dissimillimam egerunt vitam, salvos factos esse. Evinco hoc pacto consequentiam. Si solum probabile est, seu plerumque verum, exercitum strenuorum militum sub peritissimo duce alium devicturum; probabile sane esse nequit, imbellium militum exercitum sub ignavo imperatore alium superaturum. Ergo, si non certum, sed probabile est Dei servos Sanctorum imitatores portum tenuisse; necessario consequitur, nec probabile esse, alios Christianos vitæ, morumque dissimiles cælum acquisivisse.

XVI. Ad severas dialecticæ regulas argumentationem hanc, quæ in discrimen adducit æternam Christianorum salutem, exigamus. Reponent Probabilistæ, probabile esse, hos etiam qui Sanctos non imitantur, salvari. Sed contra, insurgit P. Elizalde, & distinguimus, inquit, de vestro probabili, & de nostro: & de nostro negamus, de vestro concedimus. Nostrum probabile plerumque, & fere semper verum est. Idcirco negamus, probabile esse salvos fieri Christianos qui viam,

San-

Sanctorum viæ contrariam percurrunt. Probabilitas vestra non affert magis verum quam falsum, aut magis ita quam non ita. Nam æqualis probabilitas æque affert verum ac falsum; minor probabilitas magis saltem respectu nostri affert falsum quam verum. Ergo istorum fidelium de quibus est sermo, probabilis erit bona mors, & salus probabilitate vestra. Explico clarius. Ergo istorum Christianorum non magis bona est mors quam mala: non magis verum illos in gratia quam in peccato mortali obire. Ergo æque vera est illorum damnatio ac illorum salus. Ergo æque verum est eos in tartara ruere, ac in paradisum ascendere. Audebunt ne & hic obtrudere Terillianas reflexiones? Numquid mortem reapse, & materialiter malam reflexionum, & syllogismi reflexivi vi in mortem formaliter sanctam immutabunt? Hinc ad incitas redigo Probabilistas. Vi ipsorum probabilitatis versatilis, non magis bona est quam mala mors Christianorum Sanctis dissimilium. Ergo istorum salus est quid contingens, casuale, & fortuitum, non secus ac ludus, & sortes. Sed Christiani qui ita vivunt, ut eorum mors sit casualis, contingens, & veluti alea, seu probabilis probabilitate quæ sit ad utramlibet, quæ non magis bonam quam malam mortem efficiat, peccant, & inter dementium dementissimos collocandi sunt. An non peccarent, an stulti non essent qui ingens patrimonium, qui vitam, qui uxorem, filiosve simili casuali discrimini committerent? An non peccarent qui ita accederent ad sacramenta, ut non haberent unde se magis dignos quam indignos reputarent? Evidens ergo est illos peccare qui ita vivunt, ut mors illorum sit æque mala ac bona, si probabilitas versatilis sit æqualis; aut magis mala quam bona, si probabilitas sit minor. Idque evidentius apparet ex præcepto spei christianæ, cujus objectum futura gloria est. Sed quod est æqualiter indifferens ad gloriam, & ad damnationem, non est gloria futura, in quam tendit spes theologica.

XVII. Quid reponere Probabilistæ valeant, penitus ignoro. Confugium ad suas reflexiones practico praticas sunt nugæ, & chimæræ in hac argumentatione. Nam vita salvandorum re & veritate debet esse *conformis imagini Filii Dei*, debet esse reapse similis vitæ justorum. Eorum mors debet reapse, & in conspectu Domini, non in cerebro Probabilistarum esse pretiosa, culpæque gravis expers. At evidenti argumentatione demonstravimus, mortem Christianorum qui Sanctos, eorumque discipulos, filiosque, qui sunt veri sapientes, periti, & prudentes in christiana professione, imitari nolunt, sed contrariam instituunt viam, esse ad summum probabilem ad utramlibet, nempe ad damnationem, & ad gloriam.

XVIII. Quid quod ipsi Probabilistæ præcipui defendunt, necessarium esse dictamen certum & evidens, negantque satis esse probabile, ut operatio licita evadat? Hanc sententiam, ut falsam, & extreme rigidam, infra rejiciam. Probabilistæ

istæ Reflexistæ in crumena reflexionum suas habent evidentias: idcirco evidenter certum dictamen requirunt. Ut ut sit de hac opinione, quæ magis confirmat ea quæ diximus; certum est penes omnes, ad operationem rectam honestamque non sufficere dictamen indifferens ad verum, & ad falsum, sed requiri dictamen probabile, idest plerumque verum. Ergo iuxta omnes, Christiani ita dirigere mores suos astringuntur, ut formare dictamen valeant, quo iudicent, se rectam ducere vitam, pretiosamque se mortem obituros. Probabilitas ad utrumlibet non sufficit ad hoc formandum dictamen. Ergo necessaria est probabilitas illa quæ spectat id quod plerumque accidit, & quod passim verum est.

XIX. Accedit doctrina, quam optime explicat S. Thomas, & cui subscribunt Catholici omnes, qua constituitur, neminem, revelatione divina sublata, quoad vixerit, quantumvis sanctum, posse certo scire se esse in gratia quia, inquit Angelicus 1. 2. quæst. CXII. art. 5. *nullus posset scire se habere scientiam conclusionis, si principium ignoraret. Principium autem gratiæ, & obiectum eius est ipse Deus, qui propter excellentiam est nobis ignotus.* Solum ergo coniecturis, & signis colligere aliquis potest se esse in gratia. Hic paullisper siste cogitationem tuam. Si Sancti illi virtutibus, & etiam prodigiis clari, & cælestium donorum copia affluentes, quos Ecclesia in Sanctorum album perscripsit, usquedum in hac lacrymarum valle vitam degunt, solummodo coniecturis assequi potuerunt, se se divina gratia esse ornatos; si Sancti isti, eorumque similes, quorum rigidissimam vivendi consuetudinem ferre perhorrescimus, eamque quasi impossibilem nobis existimamus, incerti de propria æterna salute trepidabant: quam, quæso te, certitudinem coniecturalem habere possumus nos, qui tam dissimilem vitam ducimus, tamque distantes mores excolimus? Sanctorum hominum celebriores inter speluncas pœnitentiis innutriti, virtutum omnium splendore fulgentes pavebant, tremebant super salutis æternæ incertitudine: & nos deliciis pasti, sceleribus onusti, mundi amatores vix pavemus? Aliunde tenemur ita vivere, ut formare iudicium prudens valeamus nostræ futuræ salutis. Ex quibus coniecturis hoc iudicium colligere possumus? Ex tribus, respondet Angelicus loc. cit. in corp. *Tertio modo cognoscitur aliquid coniecturaliter per aliqua signa; & hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, inquantum scilicet percipit se delectari de Deo, & contemnere res mundanas, & inquantum homo non est conscius sibi alicuius peccati mortalis.* Fastidis ne ea quæ mundi sunt? Delectant te cælestia, & quæ ad cælestia ducunt, crux, humilitas, pœnitentia, persecutio? Illa fastidiebant Sancti; hæc delectabant Sanctos, nullius criminis gravis conscios. Et tamen solam coniecturalem certitudinem suæ salutis habebant. Hæc meditare, & Probabilismum perhorresces.

XX. Obiicies, Sanctos tam severam duxisse vitam, non ut salvi fierent, sed ut

ut maiori gloria potirentur, ut eminentius splenderent. Respondeo, hoc evidentissime falsum esse. Quoniam, ut vidimus, doctrina certa Catholicorum est, neminem, quoad vixerit in hoc mundo, scire certo posse se esse in gratia. Non ergo sanctissimi parentes nostri, & magistri securi de substantia, ut sic loquar, salutis arctam vivendi consuetudinem amplexati sunt, ut maius gloriæ incrementum obtinerent; sed de ipsa salutis substantia timebant, tremebantque. Præ oculis habebant illi: *Si iustus vix salvabitur. Arcta est via. Pauci sunt qui inveniunt eam. Multi quærent intrare, & NON POTERUNT*, quia nolunt, ut debent. Præ oculis habebant, altaque mente repositum: *Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Quid plura? Interrogentur sanctiores, qui nunc nobiscum degunt, viri. Numquam enim usque ad consummationem sæculi Sanctorum progenies deficiet. Interrogentur, inquam, & uno ore respondebunt, se ieiunare, vigilare, mundi oblectamenta respuere, pœnitentiam, humilitatem, caritatem, ceterasque virtutes colere, ut paradisum assequantur, ut infernum, ut damnationem declinent. Sic sane respondent omnes iusti. Quia quo sanctiores, eo sunt cautiores, & vigilantiores. Quoniam quo sanctiores sunt, eo evidentius pericula, obstacula, impedimenta norunt. Immensam negotii magnitudinem percipiunt. Quid sit æternitas, meditantur: quid sit Christus ipse prædestinatorum caput passus: quid sustinuerint Apostoli, Martyresque invicti, salutis fonti viciniores. Interrogentur omnes pii, & illuminati doctique Christiani, num salutem suam æternam appendere vellent consuetudini eorum Christianorum qui vulgariter vivunt; qui tametsi peccata patentia & manifesta non perpetrent, nihilominus ea omnia oblectamenta mundi sectantur quæ plures Casuistæ honesta & licita reputant, qui carnem pœnitentiis, ieiuniis, vigiliisque non comprimunt, qui denique non assimilantur Christo, neque illius veris discipulis. Nemo unus æternitatis suæ negotium tantæ incertitudini alligaret. Quid quod nec temporaneum negotium tali sorti fideret? Anne mercator eventum alicuius ingentis contractus committeret incertitudini salutis, aut damnationis Christianorum vulgariter viventium, de quibus in præsens loquimur? Porro manifesta dementia est, immo stultitiarum stultitia id velle quod nulli eorum qui prudentes & periti in tali professione habentur, volunt. At Sanctorum, sive præteritorum, sive præsentium, nulli voluissent, vellentve salutem suam æternam connexam esse cum salute Christianorum, aut Religiosorum communiter viventium, a Sanctis, & Christo in vita, moribusque dissimilium. Timebant, timentque Sancti inter ipsa virtutum munimenta, & hostium triumphis onusti, propter præteritum, quod ignorent, utrum sibi dimissa peccata sint. Timent propter præsens, quia verentur ne sensim sine sensu serpat occulta aliqua animi elatio, complacentia vana, neve in imo cordis lateant versutæ

futæ amoris proprii insidiæ. Timent propter futurum, scientes perseverantiæ donum non omnibus justis impertiri. Sciebant, sciuntque, Apostolum ipsum Paulum castigasse corpus suum, & in servitutem redegisse, ne, cum aliis prædicasset, evaderet ipse reprobus. Hæc & alia plura diu noctuque meditabantur viri Dei. Occurrebant illis sanctitatis Heroes, Saul, Salomon, Origenes, Tertullianus, aliique plures penes portum naufragi. Hinc clamabat Augustinus: *Suo timore nos terret Apostolus. Quid enim faciet agnus, ubi aries timet, & tremit?*

XXI. Omnia in pauca contrahamus. En strenuos, expertosque milites, victoriis, trophæisque assuetos. Hi cum hostibus depræliaturi vigilant, muniunt se validis armis, vires omnes exerunt, non labori, non sollicitudini parcunt, ut victoriam sibi certam reddant: nihilominus timent, pavent, tremunt. En ex alia parte imbelles milites, cum iisdem fortissimis hostibus pugnaturos. Hi dormiunt, diverticulis vacant, otio diffluunt, non plus timentes, ac si in arce, procul exacto hoste, quiescerent. Nonne stulti, nonne dementes habendi? Levis hæc est similitudo, comparata timori Sanctorum, confligentium cum dæmone, mundo, & carne, atque sopori, tranquillitati, & securitati Christianorum vulgariter viventium. Sancti unice in salutis negotio occupati timent. Nos hoc solum negotium aut negligentes, aut non valde curantes, & omnia alia agentes, aut nihil, aut parum timemus. Aut ergo ignorarunt sancti viri Dei salutis viam, plus justo timentes, ubi non erat timor, aut a via veritatis penitus aberramus nos, plus justo præsumentes. At certum est illos nec errasse, nec ignorasse salutis viam. Ergo certum est errare nos, & ignorare hanc salutis viam. Cedo: si profecturus quis esset in Indias, & sciret omnes eos qui via tali navigarunt, portum certo tenuisse, ignoraret vero quo pervenerint ceteri qui diversam tenuere viam: nonne insanus & dementissimus esset, si priorum viæ non insisteret? Nos certo scimus, Sanctos omnes ab Ecclesia canonizatos æternæ gloriæ portu feliciter potitos esse. eos quoque qui illorum æmulati sunt mores, firmiter speramus illuc pervenisse. De ceteris vero qui dissimilem egerunt vitam, oppositamque morum disciplinam servarunt, nihil scimus. An hi perierint, vel portum tenuerint, nos penitus latet; nec plus sperandi accessum in portum, quam timendi lapsum in infernum, fundamentum ullum occurrit. Ergo aut salutis negotium chimæra est, aut nos stultissimi sumus, si, priorum vivendi disciplina neglecta, ad posteriorum mores vitam nostram conformamus. Heu nos miseri! eo nolumus reapse ire quo tamen volumus pervenire. Pervenire in cælum volumus; sed illuc instituere iter nolumus. In infernum pervenire detrectamus, & illuc habenis laxatis, velisque passis pergimus. Caussam postremo ad cujusque conscientiæ testimonium appello. Paucissimi sunt qui in eo vellent decedere statu in quo nunc reperiuntur. Quisque hæc legens deliberat, certiorem se velle in posterum facere vocationem suam,

secu-

securioremque electionem. Alii deliberant se velle mundi negotiis renuntiare, alii ministeria abdicare, alii praefecturas abiicere, alii sibi consulere, alii, remissius intra claustra viventes, severioris disciplinae socios, aut patres imitari. Haec omnia tamen in futurum coniiciunt. Quae omnes voluntates ut plurimum sunt ex una parte mendaces; ex alia parte sunt authentica testimonia ad evincendum, hos omnes minime contentos esse loco quo reperiuntur. Atque adeo illi ipsi confitentur se a via veritatis aberrare.

XXII. Obiicies. Ecclesia requirit virtutes in gradu heroico in eo quem Sanctorum albo accensere debet. At virtutes in gradu heroico haud sunt necessariae ad salutem. Ergo Christiani non tenentur imitari Sanctos. An in paradisum non ascendent nisi qui virtutibus heroicis praediti sunt? Soli ne salvi fient qui supra communem vivendi modum vitam agunt? Resp. Obiectio isthaec ignorantiae fructus est. Plura hic explicanda forent, quae Sanctorum canonizationem, & virtutum heroicitatem spectant, ut plenius obiectioni satisfacerem. Pauca cursim delibabo. Bene res se habet. Ut Ecclesia sacra apotheosi aliquem in caelum regnare declaret, virtutes heroicas requirit: quia in re omnium gravissima ea sanctitatis, seu immaculatae animae argumenta iure postulat quae non sint deceptioni obnoxia, &, quoad fieri potest, extra aequivocationis, & dubitationis aleam posita. Sed propterea ne ab imitandis Sanctis liberi sumus, cum unum ex praecipuis momentis illos canonizandi sit fidelium adhortatio ad illorum imitationem? Quod ut clarius teneas, scias oportet, virtutem heroicam, & virtutem communiter dictam, sive theologalem, sive moralem, non specie, sed perfectionis gradu tantum differre. Nomo heroicitatis res perobscura est. Alii contendunt virtutem heroicam illam tantum esse quae sit purgati animi; videlicet quando anima ita cohibuit passiones, ut illarum rebellionem minime sentiat, nec ullas, vel leves noxas admittat, tunc dicunt animam in gradu heroico virtutem possidere. Quae sententia falsa est. Alioquin Paulus, Hieronymus, & innumeri alii Sancti virtutibus heroicis caruissent. Alii heroicitatem collocant in facilitate prompta, & expedita peragendi cuiusque Christianae virtutis officia: quae expedita facilitas, & continuata exercitatio perfectam efficit virtutem. Quae perfectio maior, & minor est, nec terminus aliquis definiri certo potest. Christiani omnes in stadio currunt, omnes in agone certant. Pauci bravium accipiunt. Porro sicut in corporum certamine alter magis, alter minus strenue de hoste triumphat; ita in spirituali agone alter magis, alter minus *heroice* de daemone, concupiscentia, & mundo victoriam assequitur. Usquedum autem in stadio currimus, securi ab hostium insidiis minime sumus. Idcirco indefesse vigilare, certare, conari debemus, si coronam obtinere volumus. Porro in hoc de hostibus triumpho *heroicitas*, ut sic loquamur, virtutis sita est. Et quia, ut dixi, alii magis, alii minus strenue hostes profligant; idcirco

vir-

virtutes ipsæ plus minusve heroicæ, seu plus minusve perfectæ sunt. In B. Virgine fuerunt perfectissimæ. In Apostolis, in Martyribus, inque ceteris Sanctis plus minusve perfectæ: quia *multiformis est gratia Dei*. Nemo dixerit, nos omnes teneri ad assequendum reapse, & ex præcepto gradum summum sanctitatis, quem indepti sunt isti aut illi Sancti. Sed dicimus, nos urgeri vi præcepti ad imitandum plus minusve, &, ut sic dicam, quantum ad rei substantiam illorum normam vivendi. Rem totam exemplo declaro. Dum hæc scribo, cursus remigantium, præmio proposito, peragitur. Cedo: Qui revera præmium anhelant, nonne primos remiges imitari, æmulari, & superare contendunt? Si qui animo vestigia remigum qui heroes habentur, persequi nollent, immo placide, & iuxta communem cursum remigare destinarent, nonne stultitiæ eosdem postulares, si præmium obtinere contenderent? Idem dicendum de evangelico certamine. Sanctitas evangelica, si substantiam spectes, una est, in caritate sita; multiplex vero, si statuum, ordinum, & conditionum diversitatem consideres. Sua cuique statui sanctitas aptata est, & in quolibet statu, sexu, ætate, & ordine infinita Dei providentia suos formavit Sanctos. Christianorum ergo quisque Sanctos proprii status, sexus, & ordinis imitari tenetur. Animo contendere debent omnes ut illorum vestigia persequantur. Assecuti illi sunt in gradu heroico virtutis possessionem, potissimum quod usque ad mortem victores perseverarunt. Gradus heroicitatis occultus nobis est, nec illius præcisi gradus assecutio sub præcepto cadit. Verum quia quotidie in agone sumus, & in arena qui non progreditur victor, victus succumbit, numquam nobis cum hostibus pax esse debet, sed bellum continuum, quia incertissima est victoria. Si ergo heroes nostri pœnitentiæ, precum, ieiuniorum, & omnigenarum virtutum armis instructi, lumine cælesti illustrati, hostium potentiam verebantur, necessitatem vigilandi, carnis confligendæ, orandi, pugnandi agnoscebant; si ipsi tot trophæis onusti magnopere timebant ne bravium amitterent, numquid nos milites ignavi, rudes, armis pœnitentiæ, precum, mortificationis, humilitatis destituti, & sæpe scelerum pondere gravati, & a capite ad calces criminum vulneribus sauciati, de hostibus humani generis triumphabimus? Si duces, quos Deus nobis sequendos proposuit, duces, inquam, experrecti, strenui, vigiles, bellandi arte periti, in continuo timore succumbendi vitam agebant; an nos, imbellis populus, & turba infelix sine virtutibus, absque pœnitentiæ armis truculenta hostium molimina propulsabimus? Nolo longius sermonem producere. Sanctos, immo ipsum Christum Dominum imitandum nobis Scriptura proponit. Non modo præcepti, sed medii necessitate, ut dicitur, hæc imitatio requiritur: fieri enim nequit ut quisquam salvus fiat, nisi Christo crucifixo conformis sit. Hæc evangelica doctrina est. Nemo est in Sanctorum album perscriptus qui non fuerit divino Servatori nostro conformis. Ergo nemo Christianorum erit salvus

vus qui ad Sanctorum, & Christi Domini mores suos non conformaverit. Hæc universæ doctrinæ summa. Nec est quod opponas, plus requiri ad hoc ut aliquis sit Sanctus quam ut sit salvus: nam pueri baptizati, ante usum rationis decedentes, sunt salvi; & non canonizantur ut Sancti. Pueri isti Sancti sunt titulo hereditatis, non titulo certaminis, & coronæ. Cur canonizare eos Ecclesia debet, si nihil in iisdem imitandum promere valet? Ceterum ex mera ignorantia, seu ex mera æquivocatione dicitur, plus ad sanctitatem quam ad æternam salutem requiri. Nam sanctitas aliud non est quam mundities ab omni culpa, & intima conjunctio cum Deo caritatis vinculo obsignata. Nemo autem absque hac munditie, & caritatis anulo Deo desponsari valet. Tota æquivocatio in hoc vertitur, quod Ecclesia plura requirit externa documenta, quibus interiorem animæ sanctitatem definire certo valeat. Quare dici potest, in foro externo ecclesiastico, & iuridico plus requiri ut quis canonizetur quam ut sit Sanctus; secus in foro interno, & divino. Plura præterea dicturus suo tempore.

CAPUT XI.

Universæ dissertationis complexio. Sophisma Probabilistarum refutatur. S. Patriarchæ Chrysostomi argumentatio adversus ignorantiam.

§. I.

Rigorismi larva reiicitur, & unum alterumve sophisma diluitur.

I. FUsius forte quam tibi par videatur, disputatum: brevius, si argumenti dignitas, si hominum necessitas spectentur. Radix quippe, & scaturigo omnium malorum ignorantia est, ut vidimus. Porro quo profundior, & vastior est radix ista; eo altius quoque sermonis falx extendenda erat. Spero fore ut quæ mihi extitit latius scribendi ratio, futura sit & tibi proficiendi occasio. Cum hæc quæ hactenus tractavi, argumenta legebam in Patribus, potissimum in Augustino, Chrysostomo, & Thoma, aliisque Theologis, potissimum in Ludovico Granatensi, & in P. Elizalde, magnopere me commotum fuisse fateor. Et quo argumenti gravitatem profundius meditabar, eo dignius illustratione iudicavi. Ratiocinabar ipse mecum. Si hæc puncta me vellicant, & percellunt; si timorem, sollicitudinem, studiumque investigandæ veritatis in me excitant; si me urgent, provocant, impellunt, ut ferventius incumbam in salutis æternæ negotium; eosdem in illis qui le-

lecturi sunt, effectus fortassis parient, & in pluribus dubio procul eo uberiores; quo maior illorum erit animi dispositio, devotio, & fervor. Accedit quod paucissimi sunt qui eiusmodi puncta versent. Probabilistarum non solum nemo illa dispicit; sed eorum plures contrarias omnino regulas, & doctrinam tradunt. Ex veris Theologis P. Michael Elizalde fusissimo calamo recensita argumenta discutit. Me ex eodem in hac caussa multum profecisse fateor: quod iterum, iterumque repeto, ne adversarii mei oblatrent, me alienis plumnis emicare velle. Ut tamen quod verum est dicam, P. Elizalde stilo adeo asiatico, involuto, & implexo caussam hanc versat, ut vix lector perferre lectionis taedium valeat. Tanta scoriis occluditur aurum, tanta rubigine occultantur gemmae, & tot salebris veritas circumdatur, ut magna sit patientia opus ad nucleum ex tot tegumentis eruendum. Quare operae pretium me facturum existimavi, si summae alioquin utilitatis, & necessitatis argumenta meliori in lumine collocarem, & lectoribus faciliora, novisque animadversionibus illustrata praeberem. Ea tu, amice lector, serio meditare, attenta mente expende; &, nisi profeceris, accusa duritiem cordis tui. Sunt enim, si rei substantiam spectes, evangelica documenta.

II. Ut ansam haec quae scripsi, vellicandi, & Rigorismi expostulandi laxioris Ethices professoribus eripiam, lectorem admoneo illius quod inter disputandum indicavi, nimirum, propositiones, & ratiocinia in re practica, & morali non ita accipienda esse, ac si forent demonstrationes metaphysicae, quae nullam admittunt exceptionem. Morales quippe sententiae ob circumstantiarum diversitatem interdum suas recipiunt appendices. Si plura ratiocinia a nobis in hac, & in superiori dissertatione facta ad regulas Dialecticae expendantur; colligi videtur, nullam admittendam esse invincibilem ignorantiam. Hoc autem nimis durum, rigidumque.

III. Respondemus ergo, hoc de peccatis ignorantiae argumentum captum humanae mentis revera excedere. Hoc testantur Patres omnes, potissimum Augustinus, & Hieronymus. Quid quod ipse Paulus Apostolus, ad ignorantiae crimina animum intendens, in admirationem actus pavebat, tremebatque? Quid ergo obtrudunt Probabilistae doctrinae rigorem, ut falsitatis eam postulent? Fateor & ego doctrinam quam attuli, memetipsum perterrefacere, at soporem, torporemque meum excutere in votis est. Faxit Deus ut votis respondeat eventus, necessariumque colligam profectum. Dicimus ergo evangelica, quae explicuimus, documenta, Patrumque doctrinam terrore servili, & mundano replere homines carnales, ventris, carnis, cupiditatis, illecebrarum, voluptatumque amatores, homines qui vellent ad caelum ascendere, non via quam Christus instituit, quam Sancti, omnesque Christiani caelo potiti calcarunt; sed via probabilistica, blanda, lata, accommodata carni, sanguini, appetitionibus, & oblectamentis huius terrestris Babyloniae. Ceterum praefata doctrina in Christianis aeternae salutis sincere avidis excitat salu-

saluberrimum pavorem, sanctumque Dei timorem & terrorem, quem Scriptura sancta commendat. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini. Confige timore tuo carnes meas. Qui sine timore est, non poterit iustificari. Initium sapientiæ timor Domini. Beatus homo qui semper est pavidus.* Doctrina præfata accendit fervorem, suscitat vigilantiam, auget sollicitudinem, fovet humilitatis exercitium, veritatis studium promovet, urgetque nos ut arctam & angustam evangelicæ legis viam ambulemus. Hi sunt characteres doctrinæ nostræ. Probabilissimi vero prærogativæ eo tendunt, ut conscientiæ aculeos obtundant, ut cæcitatis velum spissum texant, ut, humilitate, timore, sollicitudine, vigilantia excussis, securitatis laqueo homines æternum suspendant.

IV. Ut nos vel ab ipsa nimiæ severitatis umbra declinaremus, passim Scripturæ, & Patrum sensa, quoad licuit, delinivimus. Legis naturalis, & divinæ non occurrit in Scriptura, & Patribus invincibilis ignorantiæ vestigium. Quoniam si quæ fuit in sanctis Dei viris ignorantia, lacrymis eam deleverunt. Tantum abest ut delicta ignorantiæ in semetipsis excusaverint illi, quin continenter a Deo iugibus precibus similium criminum veniam implorabant. Omissa itaque, amice lector, contentione, & reiecta acri disputatione, detur ne, an secus, ignorantia invincibilis legis naturalis, & divinæ, ex doctrina Evangelistarum, & Sanctorum disce humilitatem, precandi assiduitatem: æmulare Sanctorum exemplum. Denique *ama, & fac quod vis.*

V. Opponent docti iuniores, Theologiam hactenus traditam spiritualem esse, & asceticam; secus nervosam, scholasticam, disceptatricem. Id ultro fatemur, scilicet spiritualem esse Theologiam nostram: quia animas nostras custodit, propugnat, defenditque a corporis, & appetitionum carnalium insidiis, ab hostibus mundo, dæmone, & concupiscentia. Spiritualis est Theologia nostra: quia non ex littera tantum, sed ex spiritu legis evangelicæ expressa, quia a Spiritu Dei vivi descendit. Theologia nostra opposita est Theologiæ probabilisticæ. Si nostra fatentibus adversariis, spiritualis est: ergo illorum plurium Theologia corporea carnalisque est: quia reapse negotia carnis, ventris, concupiscentiæ, avaritiæ defendit, custodit, promovet (bono utique fine) iura potestatis humanæ, eximere studet a lege ieiunandi, orandi, amandi frequenter Deum, promovet libertatem amandi quæ sunt mundi, frequentandi comœdias, spectacula, & vacandi ludis, feminarumque colloquiis. Probabilistarum plures pro hac suavi Theologia, veluti pro aris, & focis, pugnant, sudant, ampla cudunt volumina. Spiritualem iterum ergo adfirmamus Theologiam nostram. Magnam eiusdem partem versat venerabilis Ludovicus Granatensis ea cælesti unctione, eaque gravitate, &, ut ita dicam, maiestate, stiloque adeo sublimi, summa perspicuitate, & facilitate mixto, ut superbiam deprimat, ut stultam esse evincat mundanam sapientiam, ut corda vel

durissima discindat. Illum legito, & quod dico, senties. Plura ex eodem decerpsimus; pluraque, opportunitate data, ex aurea hac fodina ad communem utilitatem mutuabimur. Porro id quod calcaria adiecit, ut Scripturarum, & Patrum doctrinis, atque inde deductis ratiociniis hanc Theologiæ partem illustraremus, lectio fuit Casuistarum quorumdam, maxime illorum de quibus loquitur P. Antonius Terillus in *prologo ad tractatum de consc.* Adeo enim aridi sunt pietatis, adeo devotionis, & cælestis doctrinæ steriles sunt libri isti, & alia ex parte adeo rixosi, contentiosi, &, bona venia dixerim, adeo sophistæ, & cavillosi, ut nihil fere imbecillitati meæ appareat præter purum putumque Academicismum, Scepticismum, & Pyrrhonismum. Optimos, piosque recentiores semper excipio, atque semper adversus libros, laxasque opiniones, numquam (& Deus scit quod non mentior) adversus personas loquor, quas sincere amo, colo, suspicioque.

§. II.

Sanctus Patriarcha Chrysostomus recentiorum Probabilistarum sophismata, quibus defendere ignorantiam student, penitus labefactat. Idiotismum, quem passim obtrudunt, sigillatim convellit.

VI. SI vera, inquiunt Probabilistæ, forent quæ hactenus disputata fuerunt, quid rustici, quid agricolæ, quid montosi, quid idiotæ agere deberent? At ostensum iam est, idcirco Christum Dominum ad duo sola præcepta dilectionis captu facillima universam redegisse legem, ne quispiam ignorantiæ prætextum allegare posset. In præsens iubet isthuc transcribere quæ D. Ioannes Chrysostomus in huius sophismatis confutationem scribit.

VII. Hæc primum constituit sanctus Patriarcha hom. XXVI. in Epistol. ad Rom. *Circumspectis itaque singulis quæ ad nos pertinent, videamus ne cuiquam vel modicam mali ansam præbeamus. Stadium quippe præsens hæc vita est, & innumeros oculos, quos circumquaque dirigamus, habere oportet, neque putandum ad apologiam sufficere ignorantiam: erit enim, erit, inquam, quando & ignorantiæ pœnas dabimus, quando scilicet & ipsa ignorantia veniam non habebit. Nam & Iudæi ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur: & Græci ignorarunt, sed excusationem non habent. Quod si ea ignoraveris quæ sciri non possunt, præter culpam erit; si vero quæ scitu & possibilia sunt, & facilia, extremas pœnas merito dabis.*

VIII. Hactenus explicuit ignorantiam eorum quæ scire non possumus, inculpatam esse, ignorantiam vero eorum quæ scitu possibilia sunt, & facilia, æternas daturam pœnas. Porro continuo exponit, qua ratione facilis sit assecutio veritatum

tum quæ ad nos pertinent. *Nisi enim vehementer pigri, negligentesque fuerimus, sed quæcumque ad nos pertinent, simul attulerimus, & in his quæ ignoramus, manum porriget Deus: id quod & Philippensibus scribit Paulus:* Et si quid aliter, *inquit*, sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. *Si vero nihil eorum quæ nostræ sunt potestatis, expedire voluerimus, neque illius potiemur auxilio. Idem & Iudæis usuvenit &c. Sed & Cornelius non ita. Atque adeo, quoniam diligens, quidquid poterat, faciebat, quod reliquum adhuc deerat, adiecit Deus.*

IX. Sed instant Probabilistæ. Numquid simplex iste sincerus homo hebetioris mentis despicietur a Deo? Respondet continuo Patriarcha. *Ne ergo dicas: Quomodo illum sincerum & probum gentilem Deus neglexit? Nam primo an quis sincerus sit, non potest homo scire, sed ille solus qui singula corda formavit. Deinde illud quoque dicendum, hominem illum sæpe non curavisse, nec diligentem fuisse. Et quomodo poterat, inquies, cum sit admodum sincerus? At hominem hunc simplicem & sincerum observes velim, & circa res sæculares examines. videbisque in his illum magnam diligentiam adhibuisse: quam si voluisset circa spiritualia exhibere, non neglectus fuisset. Nam quæ ad veritatem spectant, Sole clariora sunt: & quocumque quis migraverit, facile salutem suam curabit, si attendere voluerit, neque hoc leve negotium putaverit. Nam in Palæstina hæc negotia conclusa sunt? Num in parvo orbis angulo? Num audisti hanc Prophetæ vocem?* Omnes cognoscent me a parvo usque ad magnum. *An non vides rei veritatem? Quomodo ergo illi veniam consequentur qui, cum videant veritatis dogma extensum, nec satagunt, nec curant ut discant.*

X. Quid restat obiiciendum? Hebetudo rudium, agricolarum, rusticorum? Quid facient, inquiunt recentiores, miseri idiotæ, quid rudes montosi, quid rustici ignari? Respondet Patriarcha. *An hoc, inquies, exigis a rustico, & barbaro?* En oppositionem vestram. Audite responsum. *Non a rustico, & barbaro tantum, sed a quibuslibet, etiamsi plusquam barbari fuerint. Cur enim, quæso te, si circa sæcularia iniuriam patiatur, & contradicere scit, & vim inferentes propulsare, nihilque non agit, & aggreditur, ut ne vel minime lædatur; in spiritualibus vero non pari prudentia utitur? Et cum lapidem adorat, & Deum putat, cum dies festos celebrat, & pecunias profundit, multumque timorem exhibet, nusquam socors ex simplicitate comparet. Cum autem verum Deum requirere oporteret, tu mihi sinceritatem, & simplicitatem memoras? Non ita se res habet, non ita. Nam socordiæ hoc imputandum crimen est. Quos enim simpliciores, & agrestiores esse putas, eos ne qui Abraham tempore erant, an hodiernos hosce? Illos sine dubio. Quandoquidem piam religionem invenire facilius fuit an nunc, an tunc temporis? Nunc utique. Nunc enim apud omnes nomen Dei proclamatur. Prophetæ prædixerunt, res effectum habuit, & gentium religio confutata fuit. Tunc vero plu-*

rimi sine doctrina erant, peccatum regnabat, neque lex erat, quæ institueret, neque Propheta, neque miracula . . . Neque enim dicere possis, Abrahamum a patribus suis piam religionem accepisse: nam & ille idololatra erat. Attamen a talibus ortus progenitoribus & barbaris, in medio barbarorum educatus, cum nullum pietatis doctorem haberet, & Deum novit, & nepotibus suis omnibus, quibus lege & Prophetis frui datum est, iisque adeo factus est clarior, & probatior, ut nec sermone exprimi queat. Quare? Quia sæcularia non multum amabat, & spiritualibus sit se totum dederat.

XI. Nec est quod reponas, Chrysostomum sermonem hic habere de ignorantia unius Dei, quam neminem excusare, quantumvis barbarum, fatentur omnes. Nam verum est, S. Patriarcham sermonem primum habere de Deo. Ceterum simul ipsam religionem comprehendit: & sub initium suæ argumentationis distinxit res quæ cognosci a nobis possunt: additque omnia quæ ad nos pertinent, apprehendi posse Dei auxilio. Hæc sunt illius verba. *Nisi enim vehementer pigri, negligentesque fuerimus, sed quæcumque ad nos pertinent, simul attulerimus; & in his quæ ignoramus, manum porriget Deus.*

XII. Opponit iterum sibi Chrysostomus, quare hunc Deus illuminet, secus alterum. Respondet. *Ne a Deo rationes repetamus, neque exploremus, cur hunc reliquit, & hunc vocavit. Nam idipsum facimus, ac si quis domesticus, re male gesta, heri sui œconomiam curiose exploraret. Miser, & infelix cum oporteret rationes suas scrutari, & cogitare quomodo herum placare possis, rationes repetis eorum de quibus ipse rationes reddere debes, illa prætercurris de quibus pœnas daturus es?*

XIII. Verum, ut S. Patriarcha penitus convellat recentiorum sophismata, quibus excusare homines a notitia moralis veritatis isti contendunt, enucleatius rem dispicit, evincitque homines cujusque conditionis, sive regiæ, sive claustralis, posse veritatem moralem assequi. Sic enim persequitur. *Quid ergo, inquies, Græco dicam? Hæc quæ supra dicta sunt. Et vide ne tantummodo Græcum alloquaris; sed quomodo illum emendare poteris, cogita. Quando vitam tuam explorans, hinc offendiculum patitur, hinc cogita quid dicturus sis. Pro illo enim, si scandalizetur, rationem non dabis; a vita vero tua, si hinc ille lædatur, extremum subibis periculum. Cum viderit te de regno philosophantem, & tamen ad præsentia inhiantem . . . te reprehendet, & dicet: Si regnum desideras, cur res præsentes non despicis? Si tremendum tribunal expectas, cur præsentes ærumnas non contemnis? Si immortalitatem speras, cur mortem non derides? Cum hæc dixerit, sollicite considera quid responsurus sis. Cum viderit te, qui cælos expectas, pecuniarum jacturam timentem, lætumque de unius oboli lucro, ac modicæ pecuniæ causa animum prodere, tum sollicitus esto. Hæc enim, hæc, inquam, sunt quæ Græcum offendunt.*

Ita-

Itaque si tuam curas salutem, pro his defensionem tibi para, non verbis, sed rebus & factis. Nam propter illam quaestionem nemo umquam Deum blasphemavit. Propter vitam autem pravam mille sunt undique blasphemiae. Hoc itaque corrige. Alioquin tibi rursus Graecus dicet: Unde discam, quod possibilia praeceperit Deus? Nam ecce tu cum a maioribus Christianus sis, & in hac bona religione educatus, nihil tamen illa dignum facis. Quid ergo dices? Omnino dices: Ostendam tibi alios qui haec faciant, Monachos nempe in deserto sedentes. At qui non erubescis cum te Christianum esse confiteris, & ad alios remittis, ut qui non possis ostendere te ea quae Christianorum sunt, facere? Etenim ille statim dicet: Igitur quae necessitas est ad montes, & deserta migrare? Nam si non possibile sit in mediis civitatibus philosophari; multa hinc criminatio huic religioni inferetur, si debeamus, relictis urbibus, ad deserta currere. Sed ostende mihi hominem, uxorem, liberos, & domum habentem, qui Philosophiae studeat. Quid ergo ad haec dicemus? An non necesse est, demisso capite, erubescere? Neque enim Christus ita praecipit. Sed quomodo luceat lux vestra coram hominibus, *non coram montibus, & desertis, inviisque locis. Haec porro dico, non ut iis detraham qui montes occuparunt; sed lugens eos qui in urbibus habitant, quia virtutem inde expulerunt. Quamobrem obsecro, Philosophiam ex montibus huc inducamus, ut civitates sint vere civitates. Haec possunt Graecum emendare. Haec a mille offendiculis liberare.*

XIV. In hac prolixa Chrysostomi argumentatione principia quae in universa hac dissertatione explicavimus, continentur. Intellectus humanus suis relictus viribus comprehendendae Theologiae morali ineptus est; aptissimus vero lumine divino perfusus. Sed cor prius purgandum est. Abraham illuminatus fuit. Cur? Quia contemnebat saecularia, inquit Patriarcha, & inhiabat spiritualibus. Legem Dei rigidam, austeram, & humanis viribus quammaxime difficillimam docet Patriarcha, docent omnes religionis christianae magistri; suavem contra, facilemque, divina accedente gratia, & caritatis oleo ardente. Hinc consequitur, ignorantias probabilisticas criminosas esse; atque erroneum, & omnibus ad unum Patribus adversum, sensum quo Probabilistae explicant illud evangelicum oraculum: *Iugum meum suave est*. Contendunt enim illi, iugum illud carni, & humanitati praecepta imponere dulcia, suavia, & observatu facilia. Quamobrem quoties occurrit disputatio, obligetne lex caritatis, iustitiae, castitatis, resolvunt, legem non obligare, hominesque exemptos a legis onere esse. Cur? *Quia iugum suave est*. Probabilistae clamant, Moralem quam nos evangelicam asserimus, repugnare communi vitae Christianorum, Nobilium, Aulicorum, Principum: quod ultro fatentur. Accessit quippe ad Christum Princeps unus, & abiit tristis. Contra eos clamat Chrysostomus Patriarcha sanctissimus, qui non in spelunca delituit, sed media in urbe, qui cum Aulicis disputationes non de fide, sed de morum integritate habuit.

buit. Et licet tanto polleret ingenio, quo veluti sol meridianus totum pene illuminaret Orientem; tamen nullam excogitare probabilitatem potuit, qua Imperatricis genium demulceret, iramque placaret. Sed in exilium actus, in exilio occubuit. O infecundum, ac sterile (cum Elizalde clamabo) Chrysostomi ingenium! O miseram illius sortem! O iniquam fortunam, quæ in lucem tum non pepererit Tamburinum, Caramuelem, Dianam, Terillum, Bizozer, Burgaber, Sporer, Gazemberger! Collige ergo, christiane lector, ex prolixa Chrysostomi argumentatione, rarissimam, ut mitissime loquar, esse Moralis evangelicæ a Christo nobis traditæ ignorantiam. Si casus quandoque occurrit, quo tibi judicandi fundamenta appareant, pœnitentes tuos ignorantia alicuius divinæ legis laborasse, instrue eos, ut cum Davide, & Sanctis omnibus, nemine excepto, lacrymis abluant præterita delicta, & ne in posterum errent, eosdem edoce potissimum in duobus præceptis, in quibus lex universa continetur.

§. III.

Christianorum multi non idiotarum, rudiumque tantum, sed cuiusque professionis ob peccata ignorantiæ pereunt.

XV. Rigidior æquo, & multum aspera exposita tibi videbitur propositio. Quin me fortasse, ut phantasticum divinatorem, vellicabis. Damnationis, vel salutis exitus, inquies, arcanum est increatæ sapientiæ reservatum. Ut quid ergo tu cuiusque professionis Christianorum multos ad infernum detrudis? Bona verba quæso. Salvari ego vellem omnes, quemadmodum mei ipsius salutem cupio. Non autem meo genio, sed Scripturarum, Patrumque auctoritate, & rationum momentis colligo, multos reapse damnandos cuiusque conditionis esse. Et ut omnia evidentius teneas, Chrysostomi doctrinam in memoriam revoca. Quis, inquit Patriarcha, opificum etiam viliorum artis suæ ignorans est? An non addiscit coquus regulas coquendi, & condiendi fercula, si ars ista hac nostra tempestate ad metam Epicureæ voluptatis pervenit? Et ideo diebus nostris Probabilistæ multiplicarunt mentis ignorantias: quia, proficiente, atque crescente ventris scientia, decrescat necesse est scientia mentis. Venter enim, & genitalia, inquit alicubi Augustinus, sibi vicina sunt, & pro ordine membrorum ordo quoque vitiorum existit. Crassissimi autem vapores ventris & libidinis nubem densissimam menti prætendunt, atque, Angelico teste, rationem absorbent. Sed institutum persequamur iter. Quis agricolarum, sutorum, aurigarum, bajulorum, mulionum, carbonariorum non callet artis suæ regulas? Plus. Quis eorum præsto non habet fraudes, technas, dolos eiusdem artis proprios? Artes istæ haud

sunt

sunt divinitus infusæ, sed studio, & labore acquisitæ. Ut hæ addiscantur, non est a Deo promissa peculiaris gratia: & tamen ab idiotis, rudibus, & fere truncis hominibus apprehenduntur. Et cum hæc ita se habeant, hos excusabis a legis divinæ, in duobus præceptis inclusæ, scientia comparanda? Lex ista, utpote naturalis simul & divina, insita naturæ est: peccato obnubilata utique est, non ablata. At gratia divina præsto adest ad expellendas tenebras quæ veritatem obumbrant. Facilior est, inquit S. Patriarcha, legis huius notitia quam vilissimarum artium peritia. Si ergo nedum artes, sed artium fraudes subtilissimas idiotæ rudesque perdiscunt; qua ratione a legis naturalis, & divinæ scientia excusari valent?

XVI. Ab artibus infimis idiotarum sursum ascendamus. Ignorantia rusticorum, & idiotarum innocens interdum esse potest. Istorum ignorantia plerumque simplex est, etiam tum cum est criminosa. Altioris conditionis Christianorum ignorantia plerumque affectata est. Percurramus paullulum nonnulles professiones. Mercatores acutissimi in mercium emptione, & venditione, in contractibus peragendis, in commerciis amplificandis, quas non excogitarunt regulas quibus iustitiam circumvenirent? Advocati, Iurisconsulti, quæ in forum civile, in tribunalia, quæ in mortem, vitam, & patrimonia subditorum sententias rogant, non invexerunt artificia? Probabilistæ Casuistæ & potissimum eruditi iuniores, quæ volumina non cuderunt decisionum super æterna animarum salute? Mulieres nobiles, earumque idololatræ, quæ lenocinia, quæ illicia ad inflectenda corda, atque emollienda non adinvenerunt? Istæ, & isti omnes quos indicavi, principia habent, & systemata, quibus ea quæ sibi placent, honesta efficiant, & sancta. Sanctum est quod volumus. Si Moralem evangelicam, quam hactenus delineavimus, istis persuadeas, stultitiæ notam non evades. An in Christianis eiusmodi invincibilem ignorantiam propugnabis? Crassa ergo, & affectata est istorum ignorantia. Quis enim dixerit, invincibili ignorantia laborare Theologos illos qui pro laxitate legis, pro concupiscentia, cupiditate, & appetitionibus saturandis dimicant adversus Patres, & Evangelia ipsa, quæ undique terrorem, rigorem, severitatem, arctam viam, angustam portam paradisi clamant, violentosque solos illuc ingredi, & eos qui Crucifixi imaginem in semetipsis exprimunt, tam clare, alteque detonant?

XVII. Hæc cum ita se habeant, quis iverit inficias, magnam eorum qui damnantur partem ob ignorantiæ affectatæ crimina damnari? Pauci sunt contumaces, & manifesti luminis rebelles. Pauci latrones, homicidæ, grassatores, calumniatores aperti. Vix sunt qui fucis, & coloribus careant, quibus retentionem mercedis operariorum, dilatam debitorum solutionem, pompas, illecebras, deliciasque præcolorent. Fere omnes arbitrantur se obsequium præstare Deo. Quoniam

niam *est via quæ videtur homini recta, novissima autem illius deducunt ad mortem*. Ex quibus omnibus hanc instituamus argumentationem, Communior, mihique vera est sententia, docens maiorem adultorum fidelium partem æternas daturam poenas. Istorum pauci sunt qui scienter sacrilege confiteantur. Si enim scirent, se novo pollui sacrilegio, dum confitentur, nisi stulti essent, haud se subiicerent pudoris, & verecundiæ oneri secreta cordis sui manifestandi Sacerdoti. Bona ergo fide sacramenta frequentant: & tamen damnantur. Ergo ob ignorantiæ delicta pereunt.

XVIII. Innumeras isthuc Patrum sententias, & Scripturarum adducere possem. Paucos salvandos Evangelia testantur. Ignorantes istos, qui obsequium se præstare Deo arbitrantur, Evangelia ipsa declarant. Ex Sanctorum sententiis opportuna est illa S. Bernardini Senensis Tom. II. ser. IIII. cap. 1. *In quolibet statu Ecclesiæ Dei, & in quolibet genere reperies innumerabilem multitudinem ignorare quæ illis sunt necessaria ad salutem secundum statum suum: quæ ignorantia a culpa mortali non liberat, neque excusat*. Rationem enim promit Augustinus, cur isti docti mundani, & ignorantes æternæ Dei legis facile damnantur. *Sunt infirmi* (inquit in Psal. cxxx.) *qui si aliquid utcumque ceperint, aut sibi visi fuerint capere, quod non ceperunt, extolluntur inde, & superbiunt, dum videntur sibi quasi sapientes, defendendo sententias suas pravas, quas falsas esse non potuerunt videre*. Idiotæ ignorantes ad primum lucis aspectum oculos aperiunt, seque veritati subdunt. Qui scienter peccant, ex impetu communiter delinquunt, & ex infirmitate; sed eorum scientia viam parare quoquomodo ad poenitentiam potest. Verum qui affectata ignorantia peccant, viam fere penitus sibi occluserunt ad regrediendum in semitam veritatis. Christianos ergo instruamus, ne peccent. Non imitemur Probabilistas, qui ignorantias excusant. Ignorantia peccati poena est, malumque intellectus. Si verum, quod docent Probabilistæ, esset; desideranda hæc ignorantia foret, tanquam peccatorum universale antidotum. At matrem vitiorum ignorantiam esse, docent Patres omnes. Laborandum ergo pro virili est, ut ignorantiæ tenebræ dissipentur, fulgeatque lux veritatis mentibus nostris. Dicamus ergo Deo nostro: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua*.

XIX. Ex omnibus collige, falsam esse vulgarem illam opinionem, idest, plebeiorum, rusticorumque peccatum proprium esse ignorantiam. Contra ego sustineo, ratione, & experientia nixus; nempe, homines cultiores, eruditos, doctos ignorantiæ delictis præ ipsis idiotis communiter infici. Si qua ignorantia invincibilis dicenda sit, ea sane est qua rustici, & barbari obducuntur. At saltem hæc facile aufertur. Ratio est, quia gens eiusmodi præventa haud est scholarum opinionibus: aliena est a spiritu factionis, & ambitione promovendi gloriam syste-

ma-

matis semel suscepti: naturæ scitis, & dictatis regitur. Lumen cæleste non invenit communiter in gente ista ea obstacula quæ in nobiliori gente offendit. Pastores, agricolæ, homines rusticani semper facilius lumen divinum susceperunt; ut a tempore Abraham usque ad Christum Dominum veteris testamenti textibus evincere possem, nisi res comperta esset. Lege Ecclesiasticum, & Salomonis Proverbia, ubi Deum cum simplicibus sermocinantem passim offendes. Percurre Evangelium, & passim hæc leges. *Turba multa ibat post eum. Turbæ glorificabant eum. Turbæ crediderunt in eum. Sequebatur eum turba magna.* E contrario, *Princeps unus accessit, & abiit tristis. Loquimur sapientiam Dei,* inquit Paulus, *quam nemo Principum hujus mundi novit.*

XX. Doctores, Scribas, Pharisæos, divites semper acriter Christus increpavit. Tot funesta & tremenda *væ* quæ in Scripturis occurrunt, raro in idiotas, rusticos, populumve; sed frequentissime in Pastores, legis Doctores, Principes, aliosque doctos vibrantur. Isti omnes plus minusve suæ factionis, seu scholæ principia promovent. Cum lacte falsas opiniones, ut veras, hauriunt, & in opinionum mundanarum pravitate educati altique, omnia vera reputant quæ sibi favent. Acuti sunt isti ad vana, hebetes ad divina. Acumen, eruditio, scientia, quibus abundant in iis quæ extra salutis negotium sunt, illos sæpe contumaces constituunt, ineptosque ad veritatem evangelicæ Moralis assequendam. Istorum ignorantia vix umquam invincibilis est, sed crassa, & affectata. *Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Hæc meditentur Pastores, eruditi, doctique, & contremiscant. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

LIBER TERTIUS.

DE
PROBABILISMO
DISSERTATIONIBUS HISTORICIS, ET THEOLOGICIS PENITUS LABEFACTATO.

DISSERTATIO PRIMA,
HISTORICA.

PROOEMIUM.

PROBABILISMI controversia a duobus fere saeculis tanta animorum contentione acta est, ut nulla in universa morum Theologia celebrior occurrat, sive spectes caussae magnitudinem, sive quae inde consequuntur incommoda, & absurda, sive animorum perniciem, sive partium dissidentium numerum, sive volumina quae in utramque partem sunt edita, sive denique Episcoporum, Conciliorum, ac summorum Pontificum decreta quae adversus novum istud, universae sacrae retro antiquitati incognitum, opinandi genus lata hactenus fuere. Quare operae pretium me facturum existimavi, priusquam controversiam ipsam ingredior, historicam eiusdem synopsim texere. Paucis perstringam originem, progressum, & decrementum novi commenti. Qui illud invexerit, quique amplexati sint, & propagarint, indicabo. Illud tamen adverto, exactam historiam me hic non esse scripturum: quoniam id instituti ratio non fert. Sed picturam quamdam adumbrabo, ad cuius conspectum, quam sit monstrosum Probabilismi commentum, quisque colligere valeat. Probabilistarum inanes triumphi, victoriarum somnia repente evanescent. Illorum frigidae distinctiunculae, speculationes abstrusae, effugia versuta, ceteraque omnia, quae conflictum hunc litterarum comitata sunt, opportunitate data, prodibunt. Quae latius in Historia nostra *Probabilismi & Rigorismi* vulgari sermone scripta sunt, in paucis contracta hic dabimus. Ad rem ergo, quoniam negotii magnitudo haud patitur, longius prooemium.

C A-

CAPUT I.

Probabiliſmi tum academici, tum caſuiſtici origo. Academicæ, & caſuiſticæ probabilitatis diverſitas in opinionum conflictu. Hæc illa peior eſt. Numquam Academici docuerunt quandoque præferri maiori probabilitati poſſe minorem. Prima Probabiliſmi caſuiſtici epocha illigata anno 1577. ad annum uſque 1620.

I. VEtuſtam *Probabiliſmi* originem Caramuel prodit in ſuo *apologemate*. Illius natalitia in cælo defigit, eiuſdemque parentes Angelos aſſerit, non quidem bonos, ſed malos. Hi quippe ex minus probabili decepti opinione, cælo amiſſo, in tartara ceciderunt. Obſcura nimis, ac caliginoſa eſt nativitas iſthæc. A cælo immigraſſe eumdem in paradiſum terreſtrem ſubdit, cuius lenociniis dæmon uſus, probabiliter Hevæ divam evaſuram ſuaſit, ſimul atque de ligno ſcientiæ boni & mali comediſſet. De Probabiliſmo Hevæ, & Adami plura ſcribit Iulius Mercorus. Cum peccato originali propagatum Probabiliſmum, quin eiuſdem ſingularem fetum eſſe, nemo inficias ire poteſt. Niſi enim veritas obnubilata iſtius culpæ tenebris fuiſſet, nulla ignorantia, nullum verſatilis probabilitatis veſtigium apparuiſſet. Nobiliores Probabiliſmo natales P. Antonius Terillus tribuit. Sanctiſſimam Virginem Deiparam opinione minus probabili uſam fuiſſe contendit, cum per diem neglexit filium in templo relictum quærere. Somnia hæc ſunt, vix anicella digna.

II. Miſſis fabellis, duæ ſunt Probabiliſmi epochæ. Prior vetuſta inter Paganos. Heraclitus, & Prothagoras omnem veritatem latentem, imperviam, atque incognoſcibilem reputarunt. In hunc errorem lapſi ſunt doctiſſimi Academici, in quos tres ſcripſit libros Auguſtinus, qui *Lib. II cap. v.* in quo ſitus eorum error fuerit, his verbis declarat. *Veritas autem, ſive propter naturæ tenebras quaſdam, ſive propter ſimilitudinem rerum, vel obruta, vel confuſa latitaret.* Sepulta veritate ſub tenebrarum caligine, inferebant Academici inveniri nullo modo veritatem poſſe. Hinc Philoſophorum ſchiſmata, diſſidia, certamina, fallendique artes. *Inde*, paullo ante dixit Auguſtinus, *diſſenſiones Philoſophorum, inde ſenſuum fallaciæ, inde ſomnia, furoreſque, inde Pſeudomeni & Soritæ in illius cauſæ patrocinio viguerunt. Et cum ab eodem Zenone accepiſſent nihil eſſe turpius quam opinari, confecerunt calliſſime, ut, ſi nihil percipi poſſet, & eſſet opinio turpiſſima, nihil unquam ſapiens approbaret. Unde dormientem ſemper, & officiorum omnium deſertorem ſapientem ſuum Academici deſcribere videbantur, quem nihil approbare cenſebant.*

Hæc philosophandi ratio magnam conflavit Academicis contemptionem, derisionemque. Sapientes quippe eorum otio diffluebant, humanæ societati prorsus inutiles. Ut tanto se subducerent malo, atque omnium amorem, plausum, obsequiumque sibi conciliarent, *Probabilismum* excogitarunt, quo se omnium genio accommodare possent. Hæc omnia narrat Augustinus *loc. cit.* &c, ordine non nihil inverso, ego describo. *Hinc eis invidia magna conflata est. Videbatur enim consequens, ut nihil ageret qui nihil approbaret .... Hinc illi inducto quodam probabili, quod etiam verisimile nominabant, nullo modo cessare sapientem ab officiis asserebant, cum haberet quid sequeretur.*

III. Notionem Probabilismi academici prodit Augustinus *Lib. III. cap.* XVI. his verbis. *Cum agit quisque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.* Probabilisticæ Academicorum argumentationes adeo acutæ erant, subtilesque, & ad fallendum aptæ, ut Augustinus ipse illorum sophisticis cavillationibus captus fuerit. Hæc quippe scribit ille de semetipso Lib. II. cap. IX. *Nescio enim quomodo fecerunt in animo meo quamdam probabilitatem, ut ab eorum verbo mundum recedam, quod homo verum invenire non possit. Unde piger & prorsus segnis effectus eram, nec quærere audebam quod acutissimis, & doctissimis viris invenire non licuit. Nisi ergo prius tam mihi persuasero verum posse inveniri, quam sibi ipsi non posse persuaserunt, non audebo quærere.* Diu tamen non caligavit Augustinus, quippe qui ætatis anno 33. tribus libris Academicos refutaverit. Absurda quæ Probabilismum consequuntur, iisdem exprobrat. Illo quippe admisso, nihil est tam horridum, tamque horrendum, quod aliquo probabilitatis calamistro fucari nequeat; ut vel ipse Marcus Tullius fassus in suis paradoxis est. Quare adversus ipsum Ciceronem, Academicorum fautorem, sic invehitur Augustinus Lib. III cap. XVI. *Te, te consulo, Marce Tulli: de adolescentium moribus, vitaque tractamus, cui educandæ, atque instituendæ omnes illæ litteræ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam tibi non esse probabile, ut id faciat adolescens? At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare Rempublicam, quia Epicuro visum est, non esse faciendum. Adulterabit igitur ille juvenis conjugem alienam. Qui deprehensus si fuerit, ubi te inveniet, a quo defendatur? Quamquam si & invenias, quid dicturus es? Negabis profecto. Quid, si tam clarum est, ut frustra inficiere? Persuadebis nimirum tamquam in Cumano Gymnasio, atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, imo etiam nec errasse quidem.*

IV. Illud nunc animadvertendum, Probabilismum Academicorum diversum toto cælo esse a Probabilismo casuistico recentiorum. Absurdior quippe, ad controversiam nostram quod attinet, est Probabilismus recens. Probabile excogitarint Academici, quod veritatem quamlibet latere existimarint, ut vidimus: hacque sola ratione istorum Probabilismus improbandus est. Ceterum nec in mentem iisdem

ve-

venit, in duarum opinionum conflictu minus probabilem seligi posse, probabiliore reiecta, immo conceptis verbis oppositum docent, nempe probabiliorem semper præferendam esse. Pauca ex Cicerone transcribam. Inquit enim Lib. II. Qq. academ. *Neque disputationes nostræ quidquam aliud agunt, nisi, ut in utramque partem dicendo, & audiendo eliciant, & tamquam exprimant quod aut verum sit, aut ad id QUAMMAXIME accedat cum proprie Academiæ sit, iudicium nullum interponere, eaque probare quæ simillima veri habeantur: & ideirco in utramque partem de quæstione disserere, quo facilius id a quoque probaretur quod cuique MAXIME videretur.*

V. Academicis accesserunt Pyrrhonici, & Sceptici, qui, non secus ac illi, latere humanam mentem veritatem docent. In hoc ab illis dissentiunt, quod isti quacumque probabilitate, sive maiori, sive minori, contenti sint. Contra Academici maiorem probabilitatem minori præferendam esse docent. Proximus itaque, immo idem fere est Probabilismus Scepticorum, & Pyrrhoniorum, ac Probabilismus Casuistarum. His verbis Sextus Empiricus *Lib. I. Pyrrhon. hypoth. cap.* XXXIII. exponit Probabilismum Scepticorum. *Agenda & fugienda, & quæ communiter sunt eligenda unusquisque diriget per id quod est probabile, & id sequens, tamquam indicem, recte se geret. Accedere enim felicitatem per prudentiam; moveri autem prudentiam in recte factis; recte autem factum esse quod cur factum sit, rationabilis & probabilis potest reddi causa. Qui ergo attendit ad id quod est probabile, recte se geret, & erit beatus.* Pyrrhonismus itaque quodcumque probabile amplectitur: quia indiscriminatim omnia probabilia asserit, nec quidquam curat quod hoc sit magis minusve probabile. Quamobrem contempti fuere a Platonicis, Peripateticis Stoicisque. Academici igitur magis probabile, Pyrrhonii, & Sceptici quodcumque probabile pro regula habebant agendorum: nemo vero illorum minus probabile in conspectu maioris probabilitatis præferendum esse docere est ausus. Sed omnes vel probabilius, ut Academici, vel quod magis congruebat, ut Pyrrhonici, defendebant.

VI. Anno 1577. e Christianorum scholis emersit Probabilismus, in hoc situs, quod in conflictu duarum oppositarum opinionum inæqualiter probabilium, minus probabilis probabiliori præferri licite possit. Huius systematis parens fertur P. Bartholomæus Medina in suis commentariis in 1. 2. *S. Thomæ quæst.* XIX. quod opus publici iuris fecit anno 1577. Multi partum hunc abortivum Medinæ abiudicant, nec frustra. Nulla in eius controversia distinctio probabilitatis *subiectivæ*, & *obiectivæ*: & tamen in hac distinctione *anima* Probabilismi residet. Nam si sermo sit de probabilitate *obiectiva* extrinsecus, nempe a Theologorum auctoritate arcessita, convenit penes omnes occurrere rationes aliquando tales posse, ob quas licitum sit, relicta maiori hac probabilitate, seligere minorem, quæ operanti ob rationes validiores evadit magis probabilis. Celebris ergo controversia hoc vertitur

car-

cardine, liceat ne eligere opinionem quæ, omnibus expensis rationum momentis, sit ipsi operanti, post serium examen, minus probabilis in alterius probabilioris conspectu. Hic est purus putusque Probabilismus, cuius nunc historiam perstringere aggredior. Istius autem revera nec meminit P. Bartholomæus Medina. Quare non immerito negant plures, Theologum hunc præfati Probabilismi parentem esse. Nemo tamen inficiari valet, tanti commenti ova posuisse Medinam, posteriores vero excussisse. Illud quoque verum habet, Medinam Auctorem nullum in suæ opinionis præsidium laudare; cum pro opposita alleget Caietanum, Sylvestrum, Sotum, Corradum. Primordia novi opinandi systematis vetustiora non esse anno 1577. fatentur omnes Probabilistæ antiquiores. Caramuel, & Terillus nullum adhuc documentum afferre in medium potuerunt, quo antiquiorem Medina Probabilismum evincerent. E contrario Antiprobabilistæ sententiam probabiliorem amplectendam esse, omnium Patrum auctoritate demonstrarunt. Ex quo Petrus Lombardus methodum Theologiæ scholasticæ delineavit, celebriores illius interpretes, qui sæculo tertiodecimo scripserunt, principia constituerunt cum *Probabilismo* hostiliter pugnantia. Dissertatione sequenti allegabo textus Guillelmi Antisidorensis, Alexandri Alensis, Petri de Tarantasia, qui fuit Pontifex summus Innocentius V. S. Raymundi, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Ioannis de Friburgo, Henrici Gandavensis, qui sunt doctiores sæculi tertiidecimi Theologi. Nec minus Probabilismo infesti sunt sæculi quartidecimi Doctores, Durandus, Monaldus, Paludanus, Guido de Monte Richerio, Nicolaus de Orbellis, & præ ceteris Ioannes Duns Scotus, eiusdem ævi clarissimum lumen. Sæculo quintodecimo Theologiam illustrarunt S. Antoninus, Gersonius, Panormitanus, Dionysius Carthusianus, Gabriel Biel, Angelus de Clavasio, Baptista Trovamala, Ioannes Nyder. Hi omnes Probabilismum, antequam ederetur in lucem, præfocarunt. *Nyder* libellum edidit inscriptum *Consolatorium animæ* in solamen eorum qui scrupulorum aculeis cruciantur. Et Probabilistæ haud erubescunt in Probabilismi præsidium, & pro universa Christianorum regula obtrudere quæ Theologus iste pro infirmis, seu scrupulosis dumtaxat scribit. Maior, Adrianus VI. Sylvester, Prieras, Caietanus, Corradus, Franciscus Victoria, sæculo sextodecimo ineunte, Probabilismum in antecessum exagitarunt. P. Antonius Cordubensis, eiusdem sæculi pius & doctus Theologus in suo Quæstionario edito an. 1571 *Lib. II. quæst.* 111. *assert.* 3. scribit: *Partem tutiorem esse sequendam, quando oppositæ sententiæ sunt, aut creduntur æque probabiles . . . Partem tutiorem esse tenendam, quando est probabilior opposita.* Et postea subdit: *Et in hoc Doctores omnes consentiunt.* Et reipsa P. Medina, ut iam indicavi, nec unum allegat Theologum in suæ opinionis patrocinium.

VII. Primores Probabilistæ omnes sub initium exortæ controversiæ, quando omnia bona fide agebantur, & priusquam spiritus factionis omnia perturbaret, candi-

de

de falsi sunt, neminem ante ann. 1577. propugnasse licitum usum opinionis minus probabilis in conspectu probabilioris. Secundus, qui post Medinam ex Ordine S. Dominici defendit Probabilismum, est P. Ludovicus Lopez, qui anno 1585. publici iuris fecit suum *Instructorium conscientiæ*, in cuius *parte* 1. *cap.* CXX. hæc scribit: *Scio communem esse sententiam Soti, Cordubæ, Caietani, Corradi, & Navarri, non satis esse probabilem opinionem sequi, sed probabiliorem esse sequendam*. P. Gabriel Vasquez insignis Theologus, & liberioris ingenii primus Iesuita fuit qui ex instituto controversiam hanc versaret; ut advertit P. Tyrsus Gonzalez universæ Societatis inclytus Præpositus generalis. Quoniam P. Valentia anno 1595. nonnisi obiter caussam hanc versavit, sicut & Petrus Navarra; & ambo adversam Probabilismo sententiam, communem vocant. Quid quod ipse P. Vasquez, in Patrum, & antiquorum lectione versatissimus, nec unum Auctorem P. Medina antiquiorem in medium adfert suo Probabilismo patrocinantem! Pro opposito vero systemate antiprobabilistico citat S. Thomam, Henricum, S. Antoninum, Cordubam, Adrianum, Maiorem, Caietanum, Sotum, Corradum, Armiliam, Navarrum. Id dumtaxat adicit, in scholis ante Medinam communiter minus probabilem opinionem doceri solitum fuisse. Nemo vero in libris typis editis ante Medinam commentum istud publici iuris fecit. Revera cum Vasquez ipse citet laudatos Theologos pro sententia probabiliori, non neglexisset laudare suæ probabilisticæ opinionis fautores, si aliquos habuisset. Sed sincerus fuit, gravisque Theologus P. Vasquez, cui plus fidei adhibendum quam mille *Terillis* passim fabulantibus.

VIII. Probabilismus ergo in nidulo suo, unde natales accepit, diu iacuit, quin pedem ultra extenderet ante sæculum decimum septimum. Antonius Maria Coratius, qui scripsit circiter annum 1584. in opusculo, inserto *Tom. XVIII. tractatuum*, centum Theologos, & Canonistas pro sententia probabiliori amplectenda adducit, nec unum vero in favorem contrariæ. Clerici Regulares, vulgo *Teatini* anno 1598. in Capitulo generali V. propriæ Religionis, primi fuere qui adversus Probabilismum decretum ediderint, quo eiusdem inclytæ Religionis Theologis mandatum fuit ut Probabilismo contempto, sententiam probabiliorem propugnarent. Quod decretum, luculentum istius Religionis zeli pro saniore Morali promovenda monumentum, duabus epistolis Præpositi generalis præfati Ordinis roboratum fuit, testibus Merenda, & Fagnano.

IX. Ante annum 1609. nullum extra Hispanias Probabilismi vestigium. Paulus Comitolus Perusinus celebris Iesuita, & nedum litteris politioribus, verum etiam scientia theologica, & canonica clarus, primus in Italia, & Rebellus in Lusitania calamum in novam doctrinam acuerunt laudato anno 1609. Comitolus P. Bartholomæo Fumo exprobrat, quod in Summa, *Armilla* inscripta, propugnaverit licitum usum opinionis minus probabilis, probabiliore abiecta. Fumus tamen verbo

Opi-

Opinio perspicue Probabilismum reiicit. Unam dumtaxat periodum habet satis implicatam, quae favere Probabilismo videtur. Nec unum alium patronum Probabilismi Comitolus recenset, tametsi accuratissimus Scriptor. Pro sententia vero probabiliori citat Henricum, Gersonem, S. Antoninum, Maiorem, Corradum, Adrianum, Caietanum, Sotum, Sylvestrum, Angelum, Tabienam, Navarrum, Panormitanum.

X. Anno circiter 1611. P. Thomas Sanchez in suis super Decalogo commentariis Probabilismum in quacumque materia, sive sacramentaria, sive iustitiae, sive fidei, sive corporum curandorum, propugnavit. Ut erat acri ingenio, deprehendit systema probabilisticum aut in nulla, aut in omni controversia licitum. Quamobrem negat infideles, propriae religionis probabilitate persuasos, debere catholicam fidem amplecti; tametsi eam probabiliorem iudicent. Decem & septem Auctores narrat suae patrocinari opinioni, omnes Hispanos, praeter Lessium Belgam, & Sayrum Anglum: nec unum Theologum Italum, aut Gallum, aut Germanum nominat: quod argumento est, fetum hunc e nidulo Hispanico, in quo natus est hactenus non emersisse.

XI. In libello italice scripto a P. *Sanvitali*, cuius titulus, *Giustificazione di più Personaggi, e di altri Soggetti riguardevoli contra le accuse disseminate a loro pregiudizio*, opponitur, opera Medinae, Lopez, Bannez, Mercadi, Aragon, Alvarez, aliorumque edita fuisse Venetiis ante annum 1600. Ergo prima Probabilismi epocha, in qua asseritur, Probabilismum pedem extra Hispaniam non extulisse ante annum 1600. falsa est. Rescribenda sunt Auctoris verba. Sic ergo scribit in ultima appendice *pag. 4.* Sex enim auctaria adiecit libello octo circiter foliorum. Igitur, postquam enumeravit tum in opella ipsa, tum in appendice, editiones Auctorum peractas Venetiis ante ann. 1600. sic concludit: *Che doveremo dire di un errore così enorme commesso da chi ha scritto in Città ricchissima di copiose librerie anche claustrali? . . . . Tal uno verrà forse sospettare volontario l'errore. Nò, non mai. Lo dica piuttosto sbaglio procedente da ignoranza molto supina, e crailmente colpevolissima.* Audistin'? Editus Patavii Alcoranus est. Ergo Itali docent Alcoranum? Scripsi in mea Historia *Probabilismi & Rigorismi* pag. 23. *Sicchè per quanto raccogliesi e dal Comitolo, e dal Sanchez, e dal Diana, e dagli altri Probabilisti medesimi, il Probabilismo loro se ne stette racchiuso nel suo nido in cui nacque, per lo spazio di circa quarant' anni, o fece almeno piccoli progressi negli altri paesi.* Quid cautius? An Comitolus, Sanchez, Diana laudant aliquem Theologum Italum, Germanum, Gallumve? Ignorabant ne ipsi opera Medinae, Bannez, Lopez, Alvarez, Aragon, & aliorum edita esse extra Hispaniam? Quis umquam a tanto viro expectasset argutationem tam ridiculariam? Bullarium Romanum editum Genevae est: ergo Genevenses doctrinam Romanae Ecclesiae docent? Et *errori enormissi-*

missimo mihi vertit, quod auctoritate Scriptorum qui fere synchroni sunt, scripserim, Probabilismum intervallo circiter 40. annorum non invasisse Italiam, Germaniam, Galliam, aut saltem parum in his regionibus progressum esse?

XII. Temporis successu Probabilismus universas fere Casuistarum scholas invasit: Ut cursum in sua inclyta Societate interciperet P. Mutius Vitelleschi litteras anno 1617. (mendum irrepsit in historia Italice scripta pag. 23. ubi legitur an. 1517.) ad Superiores suæ Religionis dedit, in quibus eosdem admonet laxitatum quas suo tempore evulgabant Societatis Theologi. Tres dedit epistolas *Vitelleschi*, Antverpiæ editas anno 1635. una cum epistolis SS. Ignatii, Francisci Borgiæ, & Claudii Aquavivæ. In secunda prope finem pag. 432. hæc scribit. „ Quarto nonnullorum ex „ Societate sententiæ, in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio libe„ ræ, non modo periculum est ne ipsam evertant, sed ne *Ecclesiæ* etiam *Dei uni„ versæ* insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio perficiant ut qui docent, „ scribuntve, minime hac regula, & norma in delectu sententiarum utantur. *Tue„ ri quis potest. Probabilis est. Auctore non caret.* Verum ad eas sententias acce„ dant *quæ tutiores, quæ graviores, maiorisque nominis* Doctorum suffragiis sunt „ frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, „ & prodesse queunt, non vastare, non perdere. Quoniam vero constitutiones, „ decreta, regulas probe callent, de S. Thoma sequendo, de non provehendis ad „ cathedras, aut etiam removendis qui eiusmodi doctrinam parvi facere, aut cor„ di non habere præseferunt, præsertim si novitatum amantes deprehendantur, qui „ nulla sunt ratione ferendi: reliquum mihi præterea nihil est, nisi ut hæc ipsa „ serventur, uti maximi rem momenti, quam ardentissime possum, urgere. “

XIII. Plurimi insignes Societatis Theologi, ut Comitolus, Rebellus, Blanchus, Elizalde, Gonzalez, Muniessa, Camargo, Bellarminus, Gisbertus, Pallavicinus, aliique, Generalis *Vitelleschi* mandatis paruere. At nemo inficias ire poterit, plurimos, ut Sanchez, Tamburinum, Escobarium, Busembaum, Castropalaum, Vivam, La-Croix, aliosque, *non tutiores, gravioresque*, sed laxiores plus minusve sententias evulgasse. Quod ne quis adversus Societatem (quam summa prosequor veneratione, cuius rei Deus qui scrutatur renes, & corda, testis est) dictum putet, addo, in hoc laxitatis extremum aliarum quoque Religionum Theologos lapsos esse, ut fusius infra dicam. Adversus hanc eamdem opinionum laxitatem pauca scribit laudatus Generalis Vitelleschi sub finem III. *epist. pag.* 445. in paupertatis negotio. *De paupertate*, inquit, *aliud etiam dicendum esset. Nec enim dubium quin ea relaxetur, indeque debilitetur nostræ Religionis murus. Et revera non se produnt in nobis ea grati animi, teneri que amoris signa, quæ huic virtuti, quam matrem agnovimus, iure debentur. Sed aliud item est quod me pungit acerbius, & ob id Reverentiarum vestrarum consilium, & opem imploro, & exposco. Reperitur*

nempe qui laxiores in hac materia evecti opiniones, ac divulget : atque utinam illa pariter non adversentur veritati ! Mirandum minime est quod benigniores in alios, sint erga semetipsos misericordiores. Probabilitas defenditur, ut secura fidelium regula. Quidni ergo & propriæ Scriptorum conscientiæ tuta amussis erit? Illud est mirum quod qui Antiprobabilistas plenis buccis se iactant, & sanarum doctrinarum patronos, sint in propria defendenda paupertatis caussa ipsis Probabilistis laxiores. Hoc non sine acerbo dolore hac tempestate videre cogimur in duobus libris adversus paupertatem monasticam editis: quorum alter inscribitur, *Vindiciæ Regularium*, cuius Auctor est P. Magister Thomas Pius Milante, nunc ad Episcopatum evectus. Sperare iuvat, eum cum dignitatis assecutione lumen quoque splendidius recepisse, quo liberiores opinationes, lapsus, & conficta documenta allegata retractet. Liber alter inscribitur *Vita claustralis*, cuius Auctor est F. Gundisalvus *Carattinus*. Hæc per transennam, occasione accepta ab epistola P. Vitelleschi, qui laxam adversus paupertatem monasticam doctrinam improbat, dicta sint. In semitam nunc regredior.

C A P U T II.

Secunda Probabilismi epocha ab anno 1620. ad annum 1656. Progressus falsæ doctrinæ hoc triginta sex annorum spatio continetur.

I. PRobabilismi progressus, victorias, & triumphos descripturus ingredior. Anno circiter 1620. prætergressa Hispaniarum confinia nova opinandi methodus ceteras invasit regiones, cathedras occupavit, & defensores validissimos nacta, ita amplificavit suum imperium, ut sola dominari in scholis videretur. Vix hoc tempore liber quispiam prodibat in lucem in quo non propugnaretur Probabilismus. Numquam defuere homines Dei qui pro veritate starent. Hoc eodem anno 1620. Universitas Sorbonæ diris devovit librum P. Petri Milhard inscriptum, *Magnus Director Curatorum, Vicariorum, & Confessariorum*. Opinionum quibus scatebat, laxitas fuit prohibitionis caussa. Ioannes Sanchez anno 1624. publici iuris fecit *Disputationes selectas* in morum materia. Opus istud compendium est omnium laxitatum. Vix quidquam ex probabilistica officina laxius hactenus prodiit: idcirco ab Ecclesia proscriptum est. Paulus Layman primus, aut inter primos in Germaniam novam doctrinam invexit. Circa hoc idem tempus P. Vincentius Filliucius in Italia, Stephanus Baunius in Gallia, AEgidius Coninchus in Belgio, Antoninus Diana in Sicilia Probabilismum propagarunt. P. Franciscus Garasse evulgavit anno 1626. opus inscriptum, *Summa veritatum capitalium religionis christianæ*. Illud Universitas Parisiensis prohibuit eodem anno, veluti opinio-

ni-

nibus laxitatis plenum, & christianæ disciplinæ perniciosis infartum. Inter primos Probabilismi patronos qui hac tempestate scripserunt, eminet P. Antoninus Diana, qui ob dilatata laxitatis, quam illi benignitatem vocant, confinia appellari meruit *Lucerna Probabilismi splendidissima*, *Casuistici Mundi Atlas*, *Luna Theologiæ Moralis*, *Agnus, qui abstulit peccata mundi*. Si plura cupis; consule Historiam *Probabilismi & Rigorismi diss. 1. cap. 11. §. 3. pag. 260.* Prope annum 1634. evulgare P. Diana cœpit opera sua theologica. Varia super eisdem hominum iudicia. Omnium sententia præfata opera casuistica eruditione abundant, multæque hocce in genere lectionis fuisse Dianam, convenit penes omnes. Is non tam sua promit quam aliena infarcit. Aliorum Moralistarum verbis opiniones exscribit laxiores, nullo distincto charactere signatas. Decem ille volumina scripsit. Si demas aliorum Casuistarum textus, vix duo supersunt. *Casuistica Bibliotheca* merito appellari opus istud posset. Opinionibus utrimque probabilibus a capite ad calcem scatet directe oppositis. Isthic lectores doctrinam utriusque viæ & arctæ, & latæ offendunt. Vix est sententia pro virtute, quod simul altera pro vitio non defendatur. Et ob hanc incognitam toti antiquitati inventionem magna ab aliis Casuistis promeruit elogia: quæ omnia legere potes in indiculo, primo Tomo operum Dianæ præmisso. Unum ex multis transcribam quod illi texuit P. Ioannes Dicastillo Soc. Iesu in Universitate Delingana Cancellarius. „ Ecce „ Diana (inquit *in cit. Ind. lit. I.*) sibi contrarius est, id tamen (quod illi non „ semel contigit) non reprehensione, sed gratiarum actione dignum est; nempe „ vir pro communi bono laborans, & communi utilitati serviens, plurima le„ ctione dives, & copiosus pro occurrenti & consultantium, & quærentium ne„ cessitate, *aut etiam desiderio; iam huic, iam illi parti adhæret*, quando pars „ utraque probabili ratione, & auctoritate virorum nititur. Et in praxi utrum„ vis operari tutum est. Voluit autem nobis in medium proferre ad hunc finem „ quid in una, quid in alia occasione responderit quærentibus. Quid, quæso, uti„ lius pro praxi? Hæc obiter dixerim, ut facessere iubeam nescio quos invidos, „ *qui hac, & similia erudito viro non verentur obiicere*.

„ Alii paullo strictius, alii paullo latius videntur locuti, maxime ii qui pro „ Reipublicæ Litterariæ bono in congregandis Auctoribus pro quavis sententia „ desudant, non sine magno fructu; & dignissimi sunt quibus gratias agamus. „ Is, si non primum, certe nemini secundum locum tenet *Diana* . . . Laudi po„ tius tribuendum est, quod resolutiones illius variæ sunt, & *quandoque oppositæ*. „ Nempe scopus illius est tam Confessarios, quam pœnitentes instruere, ut secun„ dum probabiles Doctorum sententias, *etiam forte contrarias*, possint se tuta con„ scientia dirigere in praxi pro nata occasione: in quo abunde pergit quotidie be„ ne mereri de Republica Litteraria.

„ Nec sine admiratione legi in Diana, in quo eruditio cum benignitate de primatu certat. Dum casus resolvit erudite, iuste, & benigne, & plures, ac varias, *immo etiam oppositas sententias*, ut probabiles frequenter admittit. "

II. Hæc mirum in modum genium regni probabilistici perhibent. Si encomia cetera, quibus istius systematis capita prima se se mutua benignitate extollunt, referre vellem, risum extorquerem vel ipsis Stoicis. Eadem lege *loc. cit.* Quæ indicavi, satis tibi sint, ut ab operum Dianæ, & similium Probabilistarum lectione abstinere, vel ut magna cautione legere eadem debeas. Qui cum Diana in amplificanda probabilistica opinione adlaborarunt, potissimi sunt P. Baunius in Gallia, P. Leander a SS. Sacramento in Hispaniis, D. Caramuel in Germania, in Italia, & alibi. Casuisticæ Theologiæ Professores ab anno circiter 1620. ad annum 1642. qui libros typis publicis ediderant, communiter Probabilismo favebant. Sanioris doctrinæ Theologi vix audebant tantæ se multitudini opponere. Voce tamen, & operum sanctitate sanam doctrinam propugnabant. At diu non obsecundavit fortuna triumphanti Probabilismo. Illius felicitas, & progressus intra hoc viginti circiter annorum intervallum clauduntur. Divina providentia disposuit ut nova doctrina totum effunderet virus laxitatis, cuius horrore perterrefacti viri Dei ferventius insurgerent, calamumque acuerent in veritatis defensionem. Brevi itaque viginti annorum spatio Probabilismus, veluti triumphans, in scholis regnavit. Progressus suos tamen non Moralistis, sed Scholasticis debet. Exortus ille est, aliusque tempore quo Theologia scholastica non levem passa eclypsim est. De rebus nihili a pluribus disputari cœptum, veritates ipsas gravioris momenti sophisticis argutationibus implicari, distinctiunculis vanis ineptisque obvolvi, omnia in dubium revocari. Ii magnam sibi pariebant famam qui subtiliores erant in excogitandis opiniunculis frigidissimis. His summæ tum auctoritatis Scholasticis sua debet primordia novus opinandi modus. Moralistæ, seu qui Theologiam moralem interpretandam suscepere, plurimum deferebant Scholasticis, & veluti oracula, istorum opinationes excipiebant. Eo enim res devenerat, ut homines minus idonei docendæ vel Aristotelis Logicæ, vel Theologiæ scholasticæ, tradendæ morum altissimæ Theologiæ destinarentur.

III. Verum ab anno 1642. docti Theologi turbare cœperunt probabilisticam pacem, cursum eiusdem abrumpere, atque e cathedris exturbare. P. Andreas Blancus Ianuensis Soc. Iesu sub nomine Candidi Philaleti (nondum de facie prodire licebat) opus emisit adversus Probabilismum. Scintilla accensa, incendium erupit. Belli utrimque acerrimi faces Hispaniæ, & Galliæ. In Hispaniis certamen excitavit *Esclapezius* Auctor Hispanus, qui librum evulgavit inscriptum, *Relatio ad fideles* &c. in qua laxarum opinionum censum referebat. In hunc librum arma strinxit *Aquila* Auctor similiter Hispanus, opusculo edito hac insignito epi-

gra-

graphe lingua vernacula, *Ladrone el perro, y nome mucrda*. Is *Esclapezio* exprobrat, quod vel ipsam ignoraret Probabilismi notionem, quod huius systematis inventores effecerit Iesuitas, & tandem in Dominicanos bilem evomit Adversus *Aquilam* e tenebris erupit libellus revera famosus, cuius titulus est *Theatrum Iesuiticum*, calumniis, & maledictis infartum. Auctor latere voluit sub hoc nomine *Francisci della Piedad*. Continuo damnatum opus fuit ab Inquisitione Hispanica, post ab Apostolica Sede. Versum fuit ex Hispanica in Belgicam linguam.

IV. P. Theophilus Raynaudus, aliique post ipsum, opusculi, natalitiis tenebris diu ni, Auctorem dederunt Ildephonsum a S. Thoma Episcopum Malacensem, quem multi contendunt filium naturalem Philippi IV. Regis Hispaniarum. Qua præventus opinione Raynaudus illum appellat *Spurium Goliath*. Editum librum subdit in Cœnobio Minervitano, ubi typographiam domesticam, Fratribus concessam in usum S. Officii, extare contendit. Idque colligit tum ex sigillo Florentino impresso papyro; tum ex assertione unius operarii qui prælo assistebat. Hæc quippe narrat ille *Lib. de immunitate Cyriacorum a censura diatrib.* VI. Et quoniam adeo putida fabella est, & incredibilis, eiusdem transcribere verba iuvat. „ *Theatrum Iesuiticum* liber est ex felle, & aceto commixtis concretus. Vix aliquid „ fœdum, aut tetrum ex Genevensi, aut Batava incude in Patres illos fabrefa- „ ctum malitiose est, quod ibi non repræsentetur, etiam cum superpondio atque „ auctario. Is liber hispanice est exaratus, *Goliathi* (ut volunt) *Spurii* manu, „ sed admixtis densis italicismis, ac idiomate non prorsus exprimente Castellanam „ maiestatem. Cusus vero est anno 1653. & 1654. per otium. Ubinam? Euge „ calame? Quid hæreo credere famulo, ad prælum typographicum adlaboranti, „ qui retulit cusum in Cœnobio Romano S. Mariæ supra Minervam? Firmat re- „ ferentis fidem, quod liber ille cusus est, adhibita non Hispanica, sed Italica „ charta, signo Florentino notata, Romæ familiari. Nihil absconditum quod non „ sciatur Reperiuntur etiam famuli domestici, delatores Apollonii absque crurifragio per Perennem irrogato. Itaque liber, Iesuitas luculenter conscerpens, ac „ lacerans, auspiciis Reverendissimi Patris Ioannis de Marinis in prædicto Cœno- „ bio typis fraternis, hoc est domestico prælo, ad usum S. Officii concesso, vul- „ gatus. In Hispaniam, vix uno aut altero exemplari Romæ relicto, est trans- „ missus. Nam, tametsi aliis ægerrima est librorum Roma exportatio, tamen „ Fratribus, eo quod exportationi incumbunt ipsi, & syngrapham liberi commea- „ tus aliis largiuntur, vacat difficultate exportatio. “ Dum hæc primum legebam, somnia P. Arduini meditabar, mecumque reputabam, quam simillima hæc duo genia appareant, Arduinus, & Raynaudus. Hic uno ictu infamat Ildephonsum a S. Thoma doctrina, & pietate celebrem, Magistrum Generalem de Marinis, pariter morum probitate, & instaurandæ disciplinæ monasticæ zelo insi-

gnem, ac universos Cœnobii Minervitani Dominicanos, dum libelli famosi Auctores evulgat. In Cœnobio Minervitano typographia? Ad usum S. Officii? Famulus domesticus Roma Lugdunum immigravit, ut fabellam hanc Raynaudo narraret? Quis comprimere risum valet, dum commenta adeo peregrina audit? Raynaudi fabulam adoptarunt plures, quos inter Petrus Jureù in suo libro inscripto, *Spiritus Arnaldi*, & Antonius Arnaldus in suo opere inscripto, *Moralis practica*, in cuius *Tom. I.* compendium perstringitur Theatri Iesuitici. Tam late permanavit in vulgus istius fabellæ rumor, ut Provincialis Vandalitiæ Soc. Iesu nomine eiusdem Societatis convenerit Episcopum Malacensem, atque evulgati libri conquestus cum illo fuerit. Non sine admiratione tantæ impostura scelus audivit Prælatus, quam ut refelleret, librum edidit ita inscriptum: *Catholica querimonia, quæ primo adversus Iurieù, seu veriore nomine Petrum Iureù, nunc vero adversus eius ducti, & impios sectatores, ab Auctore recognita, & aliquatenus aucta, accuratiusque compta, iterum in palæstram prodit, qua SS. D. N. Innocentio XI. P. M. Idelphonsus indignus Malacensis Antistes ad eius pedes precatur. Matriti* 1686. Huic editioni præfuit P. Pitei Procurator Societatis Iesu in Curia Matritensi, ad quem MSS. direxerat Idelphonsus Episcopus. Editio displicuit Episcopo, quod erroribus scateret, & ab autographo non parum difformis esset. Quamobrem omnia exemplaria flammis devovit. Hæc omnia mihi testatus est celebris P. Salvator Ascanius, eiusdem Episcopi socius, cuius iussu ipse comburi exemplaria fecit, uno solo sibi servato. Editus tertio fuit liber hic in Germania. Doctissimus Petrus Tapia Episcopus Hispalensis, stricto amicitiæ fœdere iunctus Idelphonso Episcopo Malacensi, ut testimonium daret, *Theatrum Iesuiticum* nullius Dominicani, nedum celebris Idelphonsi a S. Thoma, fetum esse, illum carnificis manu comburi iussit: quam sortem prius expertus fuerat liber Raynaudi, qui fabellam excogitavit primus. Alii librum Theatri Iesuitici adiudicarunt P. Ribas similiter Dominicano. Verum de hoc plusquam satis. Qui plura cupit, legat *Placcium* de Scriptoribus anonymis.

V. Hoc eodem tempore Venerabilis Ioannes de Pallafox celebrem scripsit epistolam, toties typis editam, ad Innocentium X. ut perniciosissimæ, & in dies inundanti laxitati aggerem apponeret. Contra P. Antonius *Escobar*, ut sepem validissimam circumdaret Probabilismo, Summam edidit 24. Doctorum, quorum duodecim *adfirmantem*, duodecim *negantem* super eadem omnino re sententiam docent. Hanc Summam comparat cum capite quinto libri Apocalypsis, in quo Ioannes vidit 24. seniores. Allegoria quam in prologo ad hanc Summam præmittit, adeo est ingeniosa, ac festiva, ut eam transcribere expediens visum fuerit. „ Ioannes (inquit) videns Apocalypseos cap. v. methodum meo operi indul-„ get, ut Theologiæ moralis tractatio positivæ sapiat interpretem. Agnus IESUS

„ Theo-

„ Theologiæ moralis librum obsignatum ostentat. Septem sigillis leges, peccata, „ iustitiæ, censuræ, virtutes, status, ac sacramenta occluduntur: quæ quatuor „ animantibus, Bovi fortissimo agriversori *Suario*, volanti Aquilæ *Vasquez*, pru„ denti iuris humani *Molinæ*, ac Leoni adversus hæreses rugienti *Valentiæ*, rese„ ravit. Confident lectores *viginti quatuor Iesuitæ seniores* quidem, non ætate so„ lum, sed scientia, videlicet *Sanctius*, *Azorius*, *Toletus*, *Henriquez*, *Lessius*, *Re„ bellus*, *Coninch*, *Avila*, *Reginaldus*, *Filliucius*, *Salas*, *Hurtado de Mendoza*, „ *Gaspar Hurtado*, *Laymanus*, *uterque Lugo*, *Franciscus*, *&* *Ioannes*, *sanguine*, *&* „ *sapientia germani*. Hunc virtutes, & sapientia ad sacræ Romanæ Ecclesiæ „ Principatum evexerunt. *Becanus*, *Fagundez*, *Granados*, *Castropalaus*, *Gordonius*, „ *Baldelus*, *Sa*, ac *Meratius*. Legunt & *Præpositus*, *Gretsferus*, *Turrianus*, *Po„ lanus*, *Busæus*, *Fernandez de Cordova*, & alii, si Alcasare auctore numerus il„ le 24. seniorum officii est. Hi plane Scriptores libri sibi a Iesu obiecti myste„ ria doctissimis voluminibus exararunt, a me quidem unum redactis in libel„ lum, ut absque hiemalis molestia culturæ, autumni gloria potiare. " Summula hæc tanto plausu excepta fuit a Probabilistis, ut intra paucos annos quadragesies edita fuerit. Id tamen in Probabilismi tandem recidit detrimentum. Doctrina hæc, quæ duodecim seniorum sententia declarat hanc actionem esse turpem, & aliorum duodecim iudicio esse honestam; hanc unicam omnino viam ad cælum, si tibi arridet, iuxta duodecim, ad infernum, si tibi displicet, secundum alios duodecim, tantum horrorem viris Dei incussit, ut plures ad confutationem tam versatilis, & illudentis opinionis armaverit in qualibet fere regione.

VI. Antonius Merenda, in Italia doctissimus Iurisconsultus, & in Universitate Bononiensi publicus Iurisprudentiæ Professor, anno 1655. opus edidit, quo, quam sit bonis moribus exitialis Probabilismus, invictis demonstrat argumentis. Dæmonis commentum, seu præstigium, quo divinæ leges, & præcepta de medio auferuntur, asserit, ut advertit Fagnanus in caput *Ne innitaris*. *Antonius Merenda in suo tractatu de hac materia novissime impresso rotundis verbis affirmat, usum probabilitatum esse commentum diaboli ad enervandam vim præceptorum*. Probabilismus, post plura occupata regna, pedem inferre tentavit in Gallias. At vix ingressus tot expertus est adversarios, tot conflictus passus, totque vulnera excepit, ut illinc tandem exire compulsus fuerit, teste P. Ioanne Baptista Gonet, Scriptore Gallico & synchrono, in proœmio ad dissertationem adversus Probabilismum. Pauca isthuc transcribo. „ Grassabatur in aliis regnis hæc de probabilitate „ sententia, cui paucissimi reclamabant. Sed cum primum in Gallias pervenit, „ reperit altius pietatem impressam animis, nec novandis rebus, veterumque sen„ tentiis mutandis, adeo faciles esse Gallos . . . Cum primum licuit periculi ma„ gnitudinem prævidere, quod ex ea in omnem partem volubili sententia immi-

„ nebat, certatim ab omnibus tentatum est, & pari omnium ordinum consensu,
„ ut hæc opinandi licentia, & in re theologica pene monstrum, extingueretur.
„ Cœperunt Universitates, quotquot in Galliis celebres sunt, (Probabilistarum)
„ libros configere. Episcopi, qua valent auctoritate, suis subditis eorum lectio-
„ nem interdicere. “

CAPUT III.

Ab anno 1656. ad annum usque 1690. extremam passus est iacturam Probabilismus. Cur probabilior severa, laxior opinio benigna vocari cœperit. Putida fabella, quæ Iansenistas efficit inventores sententiæ probabilioris.

I. Mirum haud esse debet quod Probabilismus, humanis appetitionibus, carni & sanguini accommodatissimus, multos nactus discipulos fuerit. Pauci semper arctam Christi viam calcarunt, multi vero per latam & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, Christo Servatore nostro teste, perambulaverunt. Probabilismi initia vix hostem experta sunt, quod sub benignitatis fuco, & clementiæ lenociniis laxitatis veneficæ virus occultarent. Temporis progressu, quo patentior apparere doctis hominibus cœpit, eo perosior ac detestabilior evasit. „ In-
„ valuit (inquit P. Ignatius de Camargo in præf.) Probabilismus apud homines a
„ fine sæculi sextidecimi, quo natus est, quia nimium hominibus placuit, utpo-
„ te ipsorum desideriis maxime accommodatus; & pariter quia illi quibus displi-
„ cuit, eumdem apud se contempserunt, & ipsi propterea resistere a principio
„ non curaverunt, neque alieno periculo, quantum oportuisset, timuerunt.
„ Sed quia possessio regni iure non parti, raro solet esse diuturna, & vix ac ne
„ vix quidem aliquando pacifica, cœperunt brevi insurgere Theologi graves,
„ & eruditi, qui late dominantem Probabilismum acerrime insectati sunt, mul-
„ tis, ac validissimis argumentis tum ab auctoritate, tum a ratione falsitatem
„ ipsius demonstrantes. “

II. Iam ab anno 1641. Universitas Parisiensis damnavit P. Stephani Bauni opera moralia. Clerus Gallicanus anno 1642. censuras tulit adversus libros probabilisticos, eo quod, inquit, *ad mollitiem, & dissolutionem morum homines inducerent; æquitati naturali, iuri gentium adversarentur, blasphemias, usuras, simonias, quasi leviora peccata, nequissime excusarent*. Anno 1643. prodiit *Theologia moralis* N. N. quam plurium Episcoporum iussu Hallerus, & alter Doctor Sorbonicus compilarunt. Adversus hanc Theologiam P. Pinterellus librum edidit inscriptum, *Impostu-*

ſtura, *ignorantiæque libri cui titulus Theologia moralis* N. N. Quatuor Archiepiſcopi, & duodecim Epiſcopi litteras ad Urbanum VIII. dederunt, quibus laxarum opinionum abuſus, corruptelas, & ſcandala exponebant, teſte Cardinali Aguirre *in præf. ad Concil.* Lamentabantur, quod *divinorum ſacramentorum uſus*, *qui ſacer omnino, ac ſalutaris eſſe debet, in perniciosſum, ac piis omnibus deplorandum abuſum ſæpiſſime convertatur. Depravatis denique, ac corruptis moribus blandimenta potius, atque opinamenta, quam ſalubria remedia comparantur; ut e ſententiis ex libris ipſorum fideliter excerptis, nemini apertum, atque exploratum eſſe non poteſt.* Anno 1649. Univerſitas Lovanienſis nonnullas P. Franciſci Amici propoſitiones nimium laxas cenſuris confixit: & anno 1653. eadem Univerſitas decem & ſeptem aliorum Caſuiſtarum propoſitiones laxitatis plenas proſcripſit. Hæ veluti ſcintillæ fuerant, & præludia illius belli quod adverſus Probabiliſmum excitatum fuit anno 1656. Hoc quippe anno Parochi Rothomagenſes, & Pariſienſes, Clero Gallicano in Concilio nationali Pariſiis congregato, propoſitiones ſcandali plenas e libris Probabiliſtarum excerptas damnandas obtulerunt. Iſtarum lectio talem horrorem Patribus incuſſit, ut, teſte Illuſtriſſimo Godeau Epiſcopo Venceuſi, *vellent ſibi aures obturare, quemadmodum Patres Concilii Nicæni, ne Arii blaſphemias audirent. Quiſque zelo ardebat reprimendi infelicium Scriptorum audaciam, qui tam aperte regulas Evangelii corrumperent, tamque Moralem invehereut, cuius vel honeſtiores Paganos puderet; & Turcæ ipſi ſcandalo eamdem haberent.* Et ne quis ſuſpicari poſſit, hanc Epiſcopi Vencenſis atteſtationem minus ſinceram eſſe, iuber teſtimonium P. Antonii Terilli exſcribere. Scripſit Terillus prope annum 1664. Fatetur a paucis annis, nempe ab anno 1646. ſyſtema probabiliſticum extremam ſubiviſſe invidiam, atque ſeverioribus cenſuris confixum fuiſſe. Huius in cauſſa fuiſſe ſcribit plurium Theologorum laxitatem, qui a triginta circiter annis ambitionis fumo, & ſtudio hominibus placendi, auramque popularem captandi cacoethe perciti, ſententias excogitarunt ſcandali, & errorum plenas. Incredibile videtur, Probabiliſtarum facile inter recentiores principem potuiſſe ſtilo adeo acri perſtringere triginta annorum Theologos, qui promovendo Probabiliſmo deſudarunt. Sic ergo ſcribit in prologo *ad tract. de conſcient.*
„ Cum probabilitatem opinionum moralium, quæ non ita pridem ab omnibus pro
„ ſecura conſcientiæ regula habita fuerat, a paucis annis, *mutatione plane repenti-*
„ *na*, non ſolum in dubium vocatam, ſed plurium cenſuris, ut morum, & omnis
„ honeſtatis venenum, atque ut errorem periculi, imo certi exitii plenum, da-
„ mnatam fuiſſe, animadvertiſſem, cœpi tantæ, tamque inexpectatæ mutationis ori-
„ ginem attentius inveſtigare, eamque tandem (ſi Ianſeniſtarum conſilia demas)
„ aliam non fuiſſe quam nimiam aliquorum Theologorum, ac Caſuiſtarum in
„ opinando laxitatem, *clare perſpexi*. Fuerunt enimvero ex recentioribus non pau-
„ ci,

„ ci, qui levissimis ratiunculis ducti antiquorum Theologorum opinandi severitatem non modo clam carpere, sed palam ausi sunt suis scriptis condemnare. Quod enim priores, doctioresque, ac severiores Theologi unanimi sententia damnabant ut malum, recentiores isti, *ausu sane temerario*, pro bono & honesto venditare non erubuerunt. Cum enim plus æquo famæ, veræque de sua doctrina existimationis essent cupidi; mirum est quo ardore, atque animi contentione ad scripta sua typis mandanda incubuerint. Nullus annus elabi poterat, quem ingens librorum recenter editorum multitudo suorum natalium annum in fronte notatum non præferret. Universalis hic scribendi pruritus in nulla materia quam in re morali lamentabilius grassatus est. Innumerabiles sunt qui a 30. annis Summis casuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? Non satis illis visum est, si ab aliis dicta, novo ordine, novaque methodo, & ad legentium captum faciliori, digesta (quod tamen laude dignissimum fuisset) vulgarent. Ergo ad nova promenda animosiores effecti, in opiniones laxiores oculos animumque coniecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo placituras. Verum ne propter apertam ab unanimi antiquiorum opinione defectionem temeritatis arguerentur, cœperunt rationes aliquas excogitare, quibus & suum a maiorum doctrina recessum honestarent, & apud imperitum vulgus de suæ sententiæ veritate plausum aliquem obtinerent. Hi ergo, dum animo, ut in istis fieri solet, pro veritatis indagatione minus bene disposito, ad confirmandas prurientis ingenii commenta incumberent, quidquid vel minimam veritatis speciem præseferebat, avidiore animo arripuisse, atque in illo sibi mire complacuisse noscuntur. Vidi ego ex hisce recentioribus nonnullos, viros ceteroquin egregios, qui cum in rebus summi momenti, ad Dei legem, & conscientiæ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium sententia ad intolerabilem opinandi laxitatem declinassent, aliud tamen, quo moverentur, quam argumentum a simili ductum, non habebant. *Vidi, & exhorrui.* Quis enim non horreret, Dei præceptum, ab omnibus pene agnitum, solidissimisque argumentis comprobatum, tam frivolo argumento e legis divinæ, & ecclesiasticæ tabulis non minus impudenter quam imprudenter eradi? Neque hic stetit quorumdam audacia: plurimi enim, etsi doctrina longe inferiores, similem quoque arguendi modum sibi licitum existimantes, ex laxis solutionibus ad alias laxiores sibi iter, *rectius dixerim, sibi & aliis præcipitium, aperuerunt*; atque ita brevi effectum est ut plures laxitates, vere non ferendæ, in oculos legentium non sine plurimorum scandalo frequenter incurrerent. Nec defuere qui laudi sibi verterent, laxiores sententias in unum colligere, easque, tamquam legitimas conscientiæ regulas, sub specioso probabilitatis tegmine venditare. Cum enim apud Auctores, iam in ore

„vul-

„ vulgi ob suam laxitatem celebres, resolutionem aliquam invenissent ; illico eam
„ pro vere probabili habuerunt. Legerant enim apud gravissimos Scriptores, unius
„ Doctoris auctoritatem ad probabilitatem suis dictis asserendam sufficere. Porro
„ probabilitatem ad conscientiæ tranquillitatem sufficere, & rationibus efficacissimis
„ ducti, & unanimi gravissimorum Theologorum auctoritate edocti nullatenus du-
„ bitabant. Unde factum est ut quascumque opiniones, ab Ecclesia expresse non
„ condemnatas, apud quemcumque reperissent, eas pro vere probabilibus & ipsi
„ haberent, & aliis pro regula ad conscientiæ tranquillitatem opportuna traderent.
„ *Immo incredibile non est eos, subtili satanæ insinuatione deceptos, sub humanitatis*
„ *cujusdam lenocinio, mutuique honoris specie, quibusvis aliorum dictis probabilita-*
„ *tem ideo attribuisse, ut quam ipsi prærogativam prioribus ultro dedissent, eam sibi*
„ *posteriores non inviderent. Hac arte dolosus inimicus, postquam doctores, qui &*
„ *sibi invigilare, & aliis prospicere debuerant, prægustato plausu amplioris famæ,*
„ *per laxarum opinionum evulgationem sibi certo acquirendæ, fascinasset, per eos ni-*
„ *mis incautos in campo moralis Theologiæ*, optimo severarum opinionum tritico
„ abunde sato, detestanda laxitatis zizania superseminavit, & abiit. conscius quip-
„ pe erat, ea absque boni tritici jactura numquam evellenda. Certam sibi proinde
„ gratulatus est victoriam, quia norat se humana industria vix impediri posse quo
„ minus voti sui compos fieret. Quid enim? Tolerandæ erant scandalosæ laxitatis
„ opiniones noxiæ? At hoc ipsum erat quod omni cura, ut fieret, conabatur.
„ Quid ergo? Eradicandæ erant, non tam emergentes gemmæ, quam adultæ vin-
„ culatæque cum tritico zizaniorum herbæ? At ad id absque tritici jactura, idest
„ absque sinceræ doctrinæ radicitus non tam convellendæ quam evellendæ pericu-
„ lo fieri haudquaquam posse, non immerito gloriabatur.

„ Hæc sunt quæ a multis annis dolens perspexi, quando primum viros magni
„ nominis, sed *effrenis ingenii*, fractis severæ iustæque moderationis habenis, ad
„ laxe opinandum, quasi calcaribus adactos, præcipitanter cucurrisse, & adhuc
„ currere animadvertebam. Hæc sunt de quibus quamplures, doctrinæ probitatisque
„ laude conspicui, mecum conquesti sunt. Hæc sunt quæ plurimorum Doctorum
„ vere catholicorum (nam Iansenistas hæreticos non moror) per Italiam, Gal-
„ liam, Belgiumque zelum exacuere, qui, cum laxitatem hanc diutius ferre non
„ sustinerent, arrepto calamo ad eam ex hominum persuasione evellendam totis
„ viribus exarserunt. *Nec incassum*. Effecerunt enim ut plures a laxis opinionibus
„ edendis abstinuerint: quod nec parvum, nec indignum operis ab illis suscepti
„ præmium merito existimari debet. “

III. Hactenus P. Antonius Terillus, cujus testimonium nulli subjacet exceptioni: tum quod nemo illo ferventior in propugnando laxiore Probabilismo; tum quod Scriptor suppar sit, de quo plura infra. Omnes ad unum Scriptores, quos

Sata-

Satanæ præstigiis delusis asserit, in suæ sententiæ præsidium advocat. Quare scite scribit *P. Elizalde*, nihil boni, verique in toto *Terilli* opere, quo Probabilismum defendit, reperiri præter ea quæ in prologo scribit ad medium usque. Nam postea continuo adjicit, Theologos, probabilisticæ doctrinæ oppugnatores, confinia moderationis prætergressos. Eos, inquit, imitatis sunt qui, ut curvum baculum rectum efficiant, tantum in oppositam partem detorquent, quantum in alteram a rectitudine deflexerat. Similiter isti, ut laxam probabilitatem refutarent, veram quoque probabilitatem radicitus evellere studuerunt. Plus justo rigidam & severam habet ipse doctrinam illam quæ versatili probabilisticæ adversatur sententiæ. Vix unam propositionem obtrudere Teriliani valent, nimii rigoris damnatam, quam Theologi catholici Probabilismo infensi docuerint; ut suo loco palam fiet. Quare prima prologi Terilli pars vera est, altera extrema penitus falsa: quod infra demonstrabo. Illud advertat lector, quam acriter Terilius suos perstringat Commilitones. Si Antiprobabilistarum quispiam stilo adeo virulento, atque mordaci Probabilistas exagitasset, quos rumores, quas turbas non excitarent, quot querelas, quos criminationes non intentarent Probabilistæ? Cælum terræ miscerent; Superos, & Acherontem moverent. Verum hæc obiter.

IV. Patres Cleri Gallicani, antequam solveretur Concilium, discutere haud potuerunt propositiones laxas a Parochis Rothomagensibus, & Parisiensibus delatas. Interea, ut laxitatis torrenti aggerem opponerent, in mandatis dedere Illustrissimo Petro de Marca Episcopo Tolosano ut in linguam Gallicam verteret *Instructiones S. Caroli Borromæi*. Quod continuo executioni demandatum fuit: & in epistola quæ hanc versionem præcedit, hæc habentur. *Novitiæ illæ opiniones ita christianam morum disciplinam, & evangelicam vivendi normam adulterant, ut hujusmodi scientia quævis ignorantia longe sit potior*. Hoc eodem anno 1656. Religio S. Dominici, in Comitiis generalibus Romæ congregata, decretum edidit, quo subditos astringit ut calamos adversus Probabilismum acuant, & Angelici Præceptoris armis instructi strenue laxas morum regulas recenter invectas labefactent. Hoc idem præcepit dicto Capitulo generali Alexander Papa VII. ut nempe Dominicani Theologi arma stringerent, seseque intrepide opponerent perniciosæ, & in dies ad animarum jacturam grassanti doctrinæ. Decretum generalis Capituli infra dabimus, & testimonium Vincentii Baronii, qui iisdem Comitiis interfuit. P. Joannes Baptista Gonet in prologo ad dissertationem de Probabilitate hæc scribit. „ Cum anno „ 1656. Patres Ordinis nostri ex omnibus partibus sua Comitia celebraturi Ro„ mam convenissent, evulgatum est in ipsis Comitiis summi Pontificis præce„ ptum, aut votum ad ceteros, quot in orbe terrarum sunt, Theologos deferen„ dum, quo significatur, *tædere Sanctitatem suam novarum opinionum, in hoc sæ*„ *culo ad moralem materiam introductarum, quibus disciplina evangelica resolvitur*,

„ ac

„ *ac conscientiis cum gravi animarum periculo illuditur; maximeque velle, a Theo-*
„ *logis nostris in Ecclesiæ, hoc morbo laborantis, remedium opus parari, ex severio-*
„ *ri, & tuta D. Thomæ doctrina, qua hæc morum licentia, quæ in dies grassatur,*
„ *quasi cauterio cohiberetur.* " Comitiis solutis, & Patribus ad proprios restitutis lares, decretum Capituli, & pontificium mandatum in universum Ordinem promulgata fuere. Vix hæc innotuere Ordinis Theologis, cum evangelico zelo inflammati continuo tum e cathedris, tum e suggestis, qua voce, qua scriptis novam refellere doctrinam aggressi sunt. Primus omnium Iulius Mercorus, vel ante conditam legem, & Pontificis mandatum, opus paratum habebat, quo sanioris Theologiæ principia explicaret, confutatis laxarum opinionum sophisticis cavillationibus. Ordinis, & Pontificis voluntate comperta, & obtenta a P. Magistro Generali de Marinis facultate, publici iuris librum fecit, magna Probabilismi iactura. E vestigio in Galliis, PP. Petrus Labat, Vincentius Baronius, Io: Baptista Gonettus, Vincentius Contensonius, Ludovicus Bancellus, Dominicus a S. Dominico, in Hispaniis Ioannes Martinez erudita opera in Probabilismum evulgarunt. Qua de re hæc scribit P. Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis anno 1690. in Chronico Ordinis. *Successerunt iis quæstionibus Iansenistarum & aliæ de opinionum probabilitate. Sed hæ cum in apertam animarum perniciem nimia laxitate cederent, vellétque Pontifex huic malo opportune mederi, significavit cupere id a nostris fieri per genuinam D. Thomæ doctrinam quod & statim a multis præstitum est. Et quidem in Italia a F. Iulio Mercoro Inquisitore Mantuano, in Hispania doctissime & eruditissime a F. Ioanne Martinez de Prado multis voluminibus, in Gallia a F. Vincentio Baronio viro præclarissimo & eloquenti, tum a F. Ludovico Bancello, F. Vincentio Contensonio, & F. Io. Baptista Genet.*

V. Damnatis quinque Iansenii propositionibus, istarum defensores & ipsi bellum Probabilismo indixere; sed eventu non plane felici. Quoniam in laxa doctrinæ confutanda proprios promovere de gratia divina errores, & in morum disciplina æquo rigidiorem doctrinam invehere, callide studuerunt. Innumeris technis Catholicis sanctos diu se se simularunt. Pharisæorum vestigiis adamussim institerunt, onera importabilia Christianis imponentes; ipsi vero, ut erroneum de gratia systema, semel præcipiti mente adoptatum, propugnarent, doctrinam errorum plenissimam excogitarunt, larva austerioris Moralis ad tempus ostentata. Verum simulatione detecta, ad hæreticorum regiones receptui cecinere, ut iugum obedientiæ, supremo Antistiti, & Christi Vicario debitæ, excuterent. Vivendi formam, quam isthic tenent, tenueruntque, non expedit enarrare. Emendicatis cavillationibus diu negarunt, se quinque Iansenii propositiones defendere, iusteque damnatas ementiebantur. Verum ad incitas redacti hæreseos virus coram tandem evomuerunt. Lege prolixam præfationem, primo Tomo operum D. Colberti Episcopi

scopi Montispesulani recenter editorum in Hollandia, præmissam, ibique offendes, phantasma ne sit Iansenismus, ut quidam ernditali effutire non erubescunt, an hæresis *realis*.

VI. Anno 1656. Blasius Paschalis evulgare cœpit sub ascititio nomine Ludovici Montaltii famosas suas epistolas ad Provincialem datas, quæ, vix spectata luce, anathemata, & flammas expertæ sunt. Ianseniano fermento potissimum quatuor primas inquinatas esse, compertum. Violatæ quoque sinceritatis in Casuistarum textibus referendis postulatus Paschalis fuit. At, peracto per mensem examine, nihil imposturæ, ad hoc quod attinet, repertum est. Magnum epistolæ istæ excitarunt incendium. *PP. Bours*, & *Nazari* referunt, Paschalem, antequam extremum obiret diem, epistolas istas retractasse, nullo tamen exhibito documento. Non est quod fidem testibus istis denegare, vel adhibere velimus hac in relatione. Anno 1657. P. Ioannes Pirot Soc. Iesu librum evulgavit hoc inscriptum titulo, *Apologia Casuistarum, opposita calumniis Iansenistarum*. Librum hunc, in quo laxiores Casuistarum propositiones defenduntur, universi fere Episcopi Galliarum diris, flammisque devoverunt. Vix enarrari potest, quæ scandala pepererit, quas turbas, rumores, pugnasque excitaverit liber iste, pluries ab Episcopis Gallicanis, & ab ipsa Sede Apostolica proscriptus. Librum implerem, si decreta synodalia, si epistolas pastorales, quas primores Galliarum Episcopi in huius libelli damnationem evulgarunt, recenserem. Episcopus Aurelianensis gregem suum monet, librum hunc refertum esse *principiis pravis, perniciosisque, quæ mores, & disciplinam corrumpunt, quæque dissolutionem universalem Evangelio oppositam inducunt*. Archiepiscopus Senonensis in Synodo celebrata anno 1658. de hoc libello sic loquitur. *Un livre qui fait un horrible renversement dans toute la doctrine des moeurs. Il n'y a presque rien qu'il n'y altere, & qu'il n'y corrompe*. Libelli huius protectores, ut tot fulmina declinarent, caussam Romam detulerunt, sed fortuna nequaquam feliciore. Alexander quippe VII. anno 1659. peculiari decreto eumdem libellum proscripsit. Lege Merbesium *Tom. I. Sum. christian. quæst.* XXXVI. Hæc itaque *Apologia Casuistarum* adversus epistolas Montaltii peiorem Probabilistarum caussam, celebriores Paschalis epistolas reddidit. In auxiliare subsidium *P. Pirot* anno 1659. P. Honoratus Fabri sub larva *Bernardi Stubrock*, *dialogum* publicavit, dicatum Cardinali Francisco Albizi. Item *notas in notas*, quas VVendrochius adiecit epistolis Paschalis, ab eodem latine redditis. Sacra Indicis Congregatio tum *dialogum*, tum *notas in notas* P. Honorati Fabri proscripsit. Auxiliares copias contulit hoc eodem tempore *P. Stephanus de Champs*, edito libello inscripto, *Quæstio facti*. Eo opusculum pertinet, ut evincat Dominicanos auctores Probabilismi. Nullam atrociorem calumniam Societati suæ impactam a Paschali in suis epistolis credidit quam Probabilismi inventionem, & propagationem.

Po-

Posteriores tamen aliter sentiunt, quos inter *P. La-Croix*, qui aperte testatur, *omnes* fere Societatis Theologos Probabilismo favere, ut *dissert. seq.* videbimus. Libellum *De Champs* refutavit P. Vincentius Baronius. P. Gabriel Daniel in suis dialogis (latino interprete, ut fertur, Iuvenci) hæc adversus Baronium, & in defensionem sui De Champs, scribit. „ Unus, quod sciam, e Dominicana Familia „ Theologus exiliter, & ieiune iurgatur de quibusdam circumstantiis, quæ nihil „ admodum faciunt ad rem ipsam: " *dialog.* III. Obiter videamus, quantum aberrent a scopo tum *De Champs*, tum *Daniel*. Institutum unicum P. De Champs est, palam facere, sententias de probabilitate exprobratas a Paschali, non esse proprias Theologorum Societatis. En verba quibus statum quæstionis exponit P. De Champs. *Utrum vera sint istæ sententiæ, an falsæ, non disputo: hoc unum quæro, sintne Theologorum Societatis Iesu propriæ. Dudum est, quod id Montaltius, aliique Scriptores larvati, quam importune, tam falso illis exprobrant.* Eadem scribit P. Daniel laudato dialogo III. Cleandr. & Eudox. *Libellus inscriptus* Quæstio facti, *in quo expenditur, an doctrina de probabilitate sit Iesuitarum propria.* P. Stephanus de Champs contendit, ex Dominicanis S. Thomam, B. Albertum Magnum, Petrum Paludanum, S. Antoninum docere Probabilismum. Si *P. De Champs* tanta evidentia imposturæ revincere potuisset Paschalem in adiudicandis laxis opinionibus suis Theologis, quanta ego demonstrabo *P. De Champs* turpiter errasse una cum P. Daniele in adiudicanda Probabilismi laxitate S. Thomæ, B. Alberto Magno, & S. Antonino; certissimum canere triumphum posset. Luce clarius evincam ego, S. Thomam, & S. Antoninum conceptis verbis Probabilismum improbare. Mirandumque est, Theologos istos haud se potuisse adversus Paschalem defendere, quin fierent aliorum accusatores; & nisi laxitates sibi impactas in Dominicanos regererent. *Dissert. seq.* ab impostura P. De Champs liberabo S. Thomam, B. Albertum, & S. Antoninum. Hinc collige, quam perniciosa sit doctrina probabilistica, si tanto studio laudati Theologi eam a Societate amoliri student. Si enim splendida doctrina esset, profecto tot editis apologiis non adlaborassent persuadere ad se nullatenus spectare, ut fusius dicemus infra. Omnium librorum, qui ex Probabilistarum officina prodiere, pessimus est quem edidit P. Matthæus Moya hoc inscriptum titulo, *Amadei Guimenii Lomarensis opusculum singularia universæ fere Theologiæ moralis complectens, adversus quorumdam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum opiniones.* Opusculum istud consarcinatum est laxioribus opinionibus, ex universæ Theologiæ tractatibus collectis. Earumdem Auctores perhibentur celebriores Thomistæ, & sanctus ipse Thomas tantarum laxitatum parens declaratur. Prodiit libellus iste *vere famosus* Panormi, Bambergæ, & Valentiæ anno 1660. Parisiis circiter annum 1664. triginta Doctorum votis damnatus fuit, veluti *antievangelicus, & horrendarum abominationum plenissimus:*

post

post Romæ anathemate plexus est. P. Moya, nihil admodum tot censuris perterrefactus, *apologiam* edidit per modum *supplicis libelli*, ad Cardinales Sacræ Congregationis Indicis directi, qui similiter proscriptus fuit. Aliud opus edidit P. Moya, cuius titulus est, *Quæstiones selectæ*, quod pariter omnium laxitatum compendium est, idcirco merito proscriptum. Decretum, quo solemniter anathemate damnatum fuit primum opus P. Moya ab Innocentio XI. anno 1680. legesis in nostra *Historia Probabilismi & Rigorismi diss. 1. pag* 45. Quamvis Libri P. Moya, ut laxarum opinionum referti, damnati sint; tamen recentiores Probabilistæ, potissimum P. La-Croix, & P. Viva, passim doctrinam Auctoris istius, ut regulam conscientiarum, laudant, & in præsidium adsciscunt. Anno 1664. *Apologema pro antiquissima, & universalissima doctrina de probabilitate*, a Caramuele editum, damnatum Romæ fuit. Et hoc quoque tempore Episcopus in Belgio opera *Antonini Dianæ* diris devovit. Caramuel adversus Episcopum hoc pacto suum defendit *Dianam*. „ Quidam Episcopus in Belgio interdixit *Antonini Dianæ* resolutiones, „ iussitque ut nemo venderet, emeret, legeret, aut haberet. Et Bibliopolæ solliciti interrogabant, posset ne liber ille interdici? Respondi illis .... Si Dianæ „ libros Episcopus ille interdixit ut merces; viderint Consules, & Reipublicæ „ Patres, ad quos pertineat interdicere merces .... Si eosdem interdixit ut nocivos *per accidens*, nullam iniuriam Dianæ intulit, & suo fuit usus iure. Nemo enim in sua domo tenetur tolerare librum, etiam bonum, qui suis sit perniciosus per accidens. Quod si illos condemnavit, hic iam haberent docti aliquid quod patienter tolerare non possent. *Non enim damnari possunt libri qui, „ a doctis leguntur, approbantur, laudantur*. In sua Theolog. Fundament. pag. 89. Hæc pauca referunt Caramuelis genium, & perturbatam rationem. Libri qui leguntur a doctis, proscribi nequeunt? Quid audacius, ne dicam insanius, excogitari valet?

VII. Tot apologiæ, in Probabilismi defensionem evulgatæ, ultimam pepere Probabilismo cladem. Quatuor supra viginti Episcopi in Galliis, alii in suis litteris pastoralibus, alii in suis Synodis Probabilismum e suis diœcesibus, veluti exitialem doctrinam, exterminarunt. Illustrissimus Godeau Episcopus Venceensis hanc tulit anno 1659. censuram in Probabilismum. *Hæc probabilitatis doctrina a mendacii parente proculdubio his postremis temporibus eo consilio inventa est, ut omnia Evangelii præcepta eluderet, & carnalibus animis christianæ doctrinæ, propriæque salutis arbitrium permitteret*. Aliorum Episcoporum censuras legere poteris in Merbesio *loc. cit.* Nec satis fuit Episcoporum zelo pro sana doctrina tuenda, suis decretis aditum erroribus præcludere; sed iuxta pervetustum morem supplices dederunt preces ad Apostolicam Sedem, ut ex universo christiano Orbe eliminaret doctrinam novam, sacræ antiquitati incognitam. Supplicationes paterna cle-

clementia excepit Alexander VII. & propositiones ex Probabilistarum libris decemptas, sibique ab Episcopis delatas, sapientum Prælatorum, & Theologorum examini subiecit, & anno 1665. octo supra viginti earumdem damnavit, sequenti vero anno 1666. alias 17. proscripsit. Sub initium decreti acerbissimum, quo tangebatur, dolorem super invecta opinandi laxitate his verbis exprimit. *Sanctissimus Dominus noster audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS OPINANDI irrepsit ALIENUS omnino ab EVANGELICA SIMPLICITATE, ET SS. PATRUM DOCTRINA, & quem si pro certa regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela.*

VIII. Duo, ut obiter admoneam, in hocce decreto secernenda summa animadversione sunt. Unum *complures* opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, alterum *modum opinandi* ab evangelica sinceritate *alienum*, spectat. Doloris materia sunt laxæ opiniones; sed methodus opinandi aliena ab evangelica, Patrumque SS. doctrina, lacrymas extorquet amarissimas. Nemo præter Scriptores canonicos immunis ab omni errore fuit. Sed aliud est quandoque labi, aliud novum opinandi modum Evangelio adversum invehere in Ecclesiam. Quis est hic opinandi modus, Evangelio, Patribusque oppositus? Non sane alius, nisi Probabilismus. Designent nobis Probabilistæ alium modum quem irrepsisse doleat Alexander VII. in morum Theologiam, præter Probabilismum. Alterutrum ergo præstare Probabilistæ debent. Aut fateantur, summum Pontificem Alexandrum VII. declarasse, Probabilismum adversari Patrum doctrinæ, atque ipsi Evangelio; aut alium modum laxe opinandi nobis ostendant, a Probabilismo distinctum, & Evangelio adversum.

IX. Ad istorum Alexandri decretorum promulgationem palluerunt Probabilistæ, ac si fulmine plexum proprium spectassent systema. Sapientiores tamen Probabilistarum, veluti a somno, orta luce, experrecti, serius caussam recognoscere, eamque, falsitate comperta, detestari cœperunt. Hos inter eminet Cardinalis Pallavicinus, non minus scientia, & eruditione, quam Purpura splendidissimus. Propugnaverat, communi veluti abreptus tunc temporis Moralistarum conspiratione, systema probabilisticum. Evulgatis pontificiis decretis, e vestigio retractare doctrinam, a Sede Apostolica declaratam Evangelio, & Patribus adversam, deliberavit. Istius retractationis testem omni exceptione maiorem exhibeo eiusdem Eminentissimi Nepotem, & eiusdem Societatis Cl. Virum P. Nicolaum Pallavicinum, qui hæc scribit. *Eminentissim. Cardinalis Pallavicinus anno fere ætatis ante mortem dixit mihi, sibi esse fixum relinquere post se scripturam, in qua retractare in-*

tendebat ea quæ scripserat in libro de actibus humanis, nempe posse quempiam practice sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliore. Immo sibi fixum omnino esse, unumquemque teneri sequi sententiam illam quam putat esse veram, neque posse ullatenus conformari sententiæ quam putat esse falsam. Hæc olim P. Nicolao Pallavicino adfirmavit Cardinalis Sfortia. Cardinalis decessit anno 1667. die 4. Iunii. Eiusdem ergo de retractanda probabilistica doctrina sententia concepta eodem anno fuit quo pontificia emanarunt decreta. P. Præpositus Generalis Societatis Tyrsus Gonzalez hanc retractationem viva voce sibi narratam a præfato P. Nicolao, qui anno 1692. in Collegio Romano obiit, testatur. P. Michael Elizalde addit, non modo doctissimum Cardinalem retractationem deliberasse, sed præterea sibi in mandatis dedisse ut hoc ediceret. *Verum Eminentissimus Dominus Cardinalis Pallavicinus, Augustiniana, quam Tulliana laudis amantior, ista omnia revocavit, mihique, ut id edicerem, præscripsit.* I. Part. Lib. III. quæst. VIII. pag. 158. Quid ad hæc Probabilistæ? Reponit P. La Croix *Lib. I. num. 323.* absque ullo rubore, ut suo loco videbimus, constare, Pallavicinum docuisse Probabilismum, secus de retractatione. Si testes essent erronei, vulgares, minus clari, utcumque tolerari audax responsio posset: at, spectata tantorum testium dignitate, fama, probitate, ac sapientia, quis sustinere istius Casuistæ, ut mitissime loquar, ausum valet? Subdit P. Elizalde, se quoque imbutum Probabilismo fuisse. *Primæ opinioni olim assuetus, facile tamen manus, & colla dedi; existimavique opiniones æque aut minus probabiles adversus legem, non modo regulam conscientiæ non esse, verum nec a peccato quidem excusari.* Lib. I. quæst. I. pag. 2. Testatur suo tempore, non modo Alexandrum VII. verum etiam universum pene terrarum orbem doluisse super, non severitate, sed relaxatione opinionum. *Quin immo non Romani solum Pontificis, sed totius pene mundi ea est de relaxatione doctrinæ morum persuasio. Nemo hominum, hac saltem ætate, de rigore doctrinæ conquestus est. Largiorem dolent universi. Hoc quadraginta quinque laxæ opiniones proscriptæ, hoc ipsorum sacrorum Ordinum iustæ sanctiones contestantur.* loc. cit. pag. 7.

X. Tertius insignis, ac sapiens Probabilista, qui Probabilismi a plurimis annis fuco deceptus, post promulgationem decretorum Alexandri VII. falsam recognovit doctrinam, est doctissimus Cardinalis de Aguirre Benedictinus, hæc in *præfat. ad Concil.* scribens. *Communi fere sensu, ac præiudicio adductus, in Probabilismo, veluti in pulvino molliter quiescebam: & plerumque studium meum (ita ingenue fateor) situm erat in examinando potius an aliquid esset probabile quam in investigando an esset verum. Deprehendi vero ingens periculum salutis in sectando, aut consulendo aliis Probabilismo, sive usu cuiuslibet opinionis minus probabilis faventis libertati, in concursu alterius probabilioris, adhærentis præcepto.* Media in luce

te deprehendit ad annum usque 1577. oppositam Probabilismo doctrinam in Ecclesia obtinuisse. *Hæc videtur fuisse praxis assidua SS Patrum, Pontificum, ac Theologorum pietate insignium a tempore nascentis Ecclesiæ usque ad finem fere sæculi præcedentis, quo cœpit reputari securus usus opinionis benignæ probabilis in concursu austerioris*. Lege ipsum *Tom. I. Theolog. S. Ansel.* & *in laud. præfat.*

XI. Una nunc oculorum acie intuere lector gravissimam quam passus cladem est Probabilismus, continuo ac emanarunt decreta Alexandrina, & damnatio 45. propositionum ex Probabilistarum libris decerptarum. Universus Prædicatorum Ordo legem rogavit de exterminanda hac doctrina. Doctiores Cardinales Aguirre, & Laurea strenue illam refutarunt. Fagnanus S. Romanæ Ecclesiæ Prælatus, qui circiter septuaginta annis septem Pontificibus in gravioribus doctrinæ controversiis inservit, doctissime Probabilismum confutavit. Idem præstitit P. Antonius Marinarius libro edito Romæ an. 1666. Idem P. Elizalde, Romæ pariter degens, ut Theologus Regis Hispaniarum, qui iterum testatur se post excussam Probabilismi caliginem, & receptam veritatis lucem, calamum in Probabilismum stringere, suadente, nedum laudato Cardinali Pallavicino, sed vel ipso Christi Vicario Alexandro VII. Lacrymas dubio procul exprimerem e lectorum oculis, si integram eiusdem confessionem humilitatis, doloris, & caritatis plenissimam rescriberem. Paucissima dabo in rem nostram. *Atque cum in hunc ferme modum affectus essem, & quæstio illa de probabilibus magis in dies glisceret, iniunctum mihi fuit a viro in Ecclesia Dei, eiusque regimine conspicuo Eminentissim. Cardin. Pallavicino, ut causas istas haud refugerem, sed ingrederer, & tractarem, ac intentionem etiam Vicarii Christi, ut id exequerer, significavit: quibus obtemperans, hoc quale quale opus confeci. Et hæc est confessio mea verissima ad te Dominum Deum meum, vivum, & verum*. Lib. VIII. quæst. VI. pag. 135. In dubium ne benignus Probabilista *P. La-Croix* pietatem, & sinceritatem tanti viri revocabit? Ubique clamitat probabilistica benignitas, bonam habendam de omnibus, vel de ipsis fere vitiosis, opinionem. Et ut suæ illudentis benignitatis larvam defendant Probabilistæ, in discrimen adducere non erubescunt sanctiorum virorum fidem? Sed, vanis missis commentis, colligas velim, quis fuerit tempore Alexandri VII. potissimum Romæ adversus Probabilismum communis sensus.

XII. Non propterea animos desponderunt Probabilistæ, sed ut ex tot cladibus convalescerent, artificiis se dederunt. In scenam induxerunt Iansenistas, ad impossibilia Christianos adigentes. Erigere suam afflictam caussam reputarunt, si doctrinam Probabilismo infestam Ianseniana fuligine tingerent. Id pro votis successurum sperarunt, ex quo probabilior doctrina contraria sit carni & sanguini, humanisque appetitionibus omnino adversa. Idcirco cœperunt eam appellare *rigidam*, traducere ut *severam*, eiusque Auctores *Rigoristas*. *Rigorismum* reapse docebant Ianseni-

 stæ.

stæ. Rigorem, & severitatem spirare evangelicam legem, Christo ipso, atque experientia teste, palam est. Ex affinitate vocis *sacri evangelici rigoris* cum *rigore damnato Iansenistico* extremam conflare invidentiam, odiumque optimæ caussæ sanioris doctrinæ sibi illudentes blandiebantur Probabilistæ. Contra vero *Probabilismum* appellare cœperunt est *sententiam benignam*. *Rigorem* evangelicum cum *rigore* Iansenistico, *benignitatem* evangelicam cum *benignitate* carnali, & *laxitate* permiscere, & confundere exquisita arte curarunt, ut his cuniculis probabilistico capiti caverent. Primi qui odiosam *Rigorismi*, & *Iansenismi* larvam affingere doctrinæ evangelicæ ausi sunt, Caramuel, & Terillus fuerunt. Duo hæc Probabilistarum capita prima inferiores Casuistæ, ut duces, secuti sunt. Multi, inquit Ehrzalde, tunc *caramuelizabant*, ut exprimeret obsequium vulgarium Probabilistarum erga Caramuelem. Verum tantæ imposturæ potissimus artifex Terillus fuit, qui, teste P. La Croix, hæc scribit in præfat. ad Reg. mor. *IANSENISMUM ESSE MATREM SENTENTIAE PROBABILIORIS. Sic enim non poterat habere melius medium persuadendi, aliqua Dei præcepta esse secundum præsentes vires observatu impossibilia. Item hoc erat aptissimum medium sacramenta, præsertim pænitentiæ, & Eucharistiæ, reddendi magis odiosa.* Sed ut evidentius appareat quam fuerit Terillus Probabilismi strenuus propugnator, unaque festivus & lepidus censor, quæso, contemplare certamen quod aggreditur. Provocat Antiprobabilistas omnes, ut vel unum Theologum designent, qui ante ortum *Iansenismum* probabiliorem docuerit sententiam, quam vocat *rigidam*. Quare, ut supremus Ecclesiæ dictator, iubet fasces submitti *Probabilismo*, ceu Ecclesiæ doctrinæ. Incredibilia, vel saltem plus iusto exaggerata, cuipiam hæc apparebunt. Quare eiusdem verba transcribo ex tract. de consc. quæst. XXII. num. 113. pag. 358. *Atque hic ego provoco adversarios, ut vel unum ex antiquis afferant qui unanimem hanc Gersonii, Nyder, S. Antonini, Conradi, Sylvestri, aliorumque sententiam ex professo impugnarit. Si aliquem invenerint, fatebor RIGIDAM sententiam esse IANSENISMO antiquiorem, a priscis agnitam, & ab aliquibus saltem approbatam. Quod si neminem invenerint (certum est autem eos neminem reperturos) desinant in MERIDIANA LUCE CAECUTIRE, & aperta veritate convicti, tandem fateantur BENIGNAM SENTENTIAM semper in ECCLESIA viguisse, RIGIDAM vero ante IANSENISMUM nunquam fuisse auditam.* Qui hæc legerint, iudicent, an P. Terillus eorum fuerit qui ingenio non carent, sed sanitate indigent. Si Indos, si Ethiopes, si Garamantas alloqueretur, ut ut turpiculæ fabellæ tolerari possent. Sed quod in media Ecclesiæ catholicæ luce, in conspectu universæ Europæ facta tam evidenter falsa, tam graviter Romanæ Sedi iniuriosa, scriptitare in publicum Terillus audeat, res est quæ omnia admirationis confinia prætergreditur. S. Antoninus, Sylvester, Gersonius Probabilismum docue-

re?

re? In Ecclesia semper regnavit *Probabilismus?* Nemo ante *Jansenium* sententiam *benignam* refutavit? Audi festiviora. Addit, neque post Iansenium quempiam confutasse Probabilismum præter sex, qui sunt Merenda, Mercorus, Baronius, Fagnanus, Sinnichius, Vendrochius. *Præter hos sex, alios non admitto nobis quoad rei substantiam contrarios.* loc. cit. pag. 328. num. 25. Quid plura? Re melius expensa, neque hos sex sibi adversari contendit. Suum esse *Sinnichium* iactat. *Sinnichius magna ex parte nobiscum est.* ibi pag. 324. Quid de Mercoro? Respondet. *Nihilominus AUDACTER dico, MERCORUM in praxi nostræ favere sententiæ.* ibi pag. 330. num. 34. Revera minori haud opus erat audacia ad tam absona, & monstrosa figmenta cudenda. Et tamen ultra pergit, effutiens, neminem in hoc mundo reapse amplecti *Antiprobabilismum*. Antiprobabilistas hypocrisis damnat, quod calamo probabiliorem, opere minus probabilem doceant. *Sed quis, quæso, adversariorum universaliter suam sententiam in praxi sectatur? AUDACTER* (eodem semper loquitur ausu) *dico, NEMO. Percurrant qui velint Summas casuum, & ante oculos ponant omnes sententias strictiores, non quidem certas, sed tantum probabiles tum in VITAM singulorum inquirant, & procul dubio invenient, eos multa fecisse, & facitare quæ solum probabiliter sunt licita; idque ipsi, si CONSCIENTIAM examinent, verum esse invenient. Atque hinc præsumptio est, EOS INTERIUS NON SENTIRE QUOD EXTERIUS PROFITENTUR. ALIOQUIN ESSENT HOMINES IMPII.* ibi pag. 331. num. 37. Peroptime. Et cum exterius sententiam doceant ut veram, præscribantque ut regulam conscientiæ, quam interius directo iudicio falsam existimant, numquid Sanctorum albo sunt adscribendi? Hactenus Terillus princeps Probabilistarum Reflexistarum. Terilli commentum lepidissimum bona fide deglutiunt illius Discipuli. P. Claudius La-Croix, auctoritate Terilli fultus, *Lib. I. n. 293. pag. 27.* scribit, sententiam probabiliorem filiam esse Iansenismi. Idipsum affirmat *Caduceus theologicus, seu Crisis pacifica*, opus Matriti editum anno 1733. in quo *pag. 245.* hæc habentur num. 19. *Igitur generatim loquendo pro sententia Probabilismi, præmittendum est primo, huius sententiæ impugnationem non nisi ex Iansenismo originem trahere. Cum enim doctrinæ Iansenii stare non possent, si usus opinionis probabilis prævaleret, cœpit Lovanii, teste Caramuele, ibi tunc Professore, schola Iansenianæ.* Doctrinæ Iansenii consistere nequeunt Probabilismo sublato? Probabilismus necessarius est ad exterminandam hæresim Iansenianam? Dulcia somnia vocare hæc ne debeam, an monstra ridicularia, quæ risum simul, & indignationem concitant? Merito *Caduceus* iste a Sede Apostolica proscriptus est. P. Antonius Casnedi, qui Bibliothecam probabilisticam collegit *Tom. I. disp. IV. in proem. pag. 94.* non minus ceteris lepide scribit: „ Hinc Caramuel, & P. Terillus, quibus INEPTIA esset in his præcipue fidem negare, cum inter Iansenistas diu vixerint, eorumque doctrinas apprime noverint, censent opinionem negantem

„ licitum usum opinionis practice probabilis, a Iansenii FERETRO vitam hau-
„ sisse."

XIII. Hæc sola quæ narravi festiva commenta desperatam Probabilismi caussam evincunt, & genium Probabilistarum vividis coloribus depingunt. Ecqui fieri potest ut Theologi certe non inferioris subsellii, talia ausi sint in conspectu omnium fere Episcoporum Galliarum, & millium Parochorum, in conspectu Apostolicæ Sedis, quæ plantam probabilisticam quantum ad primarios ramos flammis comburendam devovit, omnibus fatentibus, quæque Probabilismum absolute spectatum contrarium evangelicæ doctrinæ declarat? Qui fieri potuit ut homines ratione præditi scribant, *neminem* ante *Iansenium* confutasse Probabilismum? Qui hæc paradoxa perridicula, & plusquam fabulosa, atque penitus chimærica evulgarunt, sunt principes Probabilismi. Si isti in factis luculentis, perspicuis, irrefragabilibus fallunt, decipiuntque lectores; quænam, amabo, in iuris controversiis adhibenda illis fides est? Iansenius obiit an. 1638 Post illius obitum eiusdem Augustinus editus est. P. Ferdinandus Rebellus Iesuita confutavit Probabilismum an. 1608. P. Paulus Comitolus iidem Iesuita pro dignitate, & ex instituto anno 1609. Probabilismum labefactavit. Prolixius idem peregit P. Andreas Blanchus Soc. Iesu an. 1642. Sed, ut ne hiscere quidem Terilliani valeant, quid quod P. Ludovicus Lopez Dominicanus iam inde usque ab anno 1583. quando vix natus Iansenius erat, testatur, omnes antiquiores Theologos Probabilismum improbasse? P. Gabriel Vasquez anno 1598 fatetur, S. Thomam, Henricum, Caietanum, Armillam, Cordubam, Adrianum, Corradum, Sotum, Maiorem reprobare usum opinionis minus probabilis. Postea concludit: *Ex quibus colligi videtur, in eadem sententia ipsum* (Navarrum) *cæterosque Summistas fuisse, ut assererent probabiliorem sententiam esse amplectendam .... cum quibus in hac sententia expresse consentit D. Antoninus.* Hactenus Vasquez *in* 1. 2. *disp.* lxii. *cap.* 1. *&* 11. Adverte, quantum abludat a vero P. De Champs, dum pro Probabilismo citat S. Thomam, S. Antoninum &c. Verum, pluribus aliis missis, audiamus celebrem alium Probabilistam *P. Franciscum Amicum*, qui anno 1640. *Tom. III. disp.* xv. *num.* 75. hæc scribit. *OMNES fere antiquos negare, licitum esse operari secundum sententiam minus tutam, & simul minus probabilem, semperque ad licite operandum ex sententia minus tuta exigere ut illa sit probabilior.* Quid ad hæc Caramuel, Terillus, La-Croix, Casnedi, & ceteri omnes iuniores Probabilistæ, qui somnia *P. Terilli*, ut oracula, ebibunt? Ex *feretro* ne Iansenii orta est doctrina quam unanimi primorum Probabilistarum consensu docuerunt omnes antiqui Theologi? Ex his luculentissimis falsitatibus, a Terillo, Casnedi, La-Croix, aliisque non paucis Probabilistis evulgatis, quæ nulli subiacent cavillationi, palam denuo fit, nullam Auctoribus istis, in hac controversia præiudiciorum caligine penitus obductis, adhibendam fidem esse.

XIV.

XIV. Quod si quæras, cur primi Theologi, Medina, Lopez, Vasquez, Amicus, aliique communiter, qui Probabilismum aut foverunt, aut propugnarunt, tam sincere fassi sint & candide, incognitum illum penitus fuisse antiquioribus Theologis omnibus, factum istud contestantur utriusque partis Theologi per dimidium & amplius sæculum. In medium irrumpit Caramuel, qui se novam Theologiam invenisse non veretur iactare. Terillus in campum prodit, sed armis oppositus cinctus. Vale dedit omnibus suis magistris Probabilistis, contra omnes utriusque partis testes scribit, Theologos antiquos Probabilismum docuisse. Unde tanta scenæ diversitas? Unde tanta homini huic libertas, ut potuerit factum luculentissimum negare, & oppositum solus affirmare primus cum Caramuele? Præsto ratio adest, si ad gratiæ, & scientiæ mediæ historiam animum intendas. P. Ludovicus Molina sincere & candide in sua *Concordia* &c. testatus est, suam sententiam, & doctrinam incognitam fuisse Augustino doctori Gratiæ. Textus Molinæ transcribere non expedit, quod res sit præter institutum. Quisque legere illos potest. Temporis decursu caussa in discrimen vocata, deprehensum fuit, male audire in Ecclesia doctrinam illam quam cum Augustiniana pugnare ultro illius inventor confitetur. E re propria esse iudicatum tum fuit, rerum faciem oppositus adumbrare coloribus, permutare signa, & collabentem caussam antiquitatis, & ipsius Augustini patrocinio sustinere. Perspicua est facti illius veritas. Idem omnino evenit in probabilistica lite. Post lata ab Alexandro Papa VII. decreta duo, postquam auditum est, *irrepsisse opinandi MODUM ab evangelica simplicitate, & Patrum doctrina alienum*, continuo P. Antonius Terillus evulgavit, vel ipsam Beatissimam Virginem Probabilismo usam fuisse in investigatione filii sui; ut infra adducendo textu palam fiet: continuo, nullo habito nec proprii pudoris respectu, detorquere cœpit antiquiorum Theologorum textus, Fratrum suorum sincerissima testimonia reiicere, nova excogitare principia, & universam implicare sophisticis argutationibus caussam. Sed incassum. Neque suspiceris ex ingenio a me hæc scribi. Facta ipsa, quæ dixi, evincunt. Quid quod vel ipse P. Ignatius de Camargo, eiusdem Societatis pius, ac perdoctus Theologus, similia de Terillo scribit? „ Miraris tamen forte, „ & inquiris, quo *Terillus* consilio antiquos omnes Theologos adeo accurate referat, cum omnes *unanimiter* moderatam sententiam doceant? Mirum profecto apparet ei qui *Terilli* opus non accurate evolverit, nec artificium eius satis perspexerit. . . . Egregie multa passim confundit longe inter se diversa, immo & „ prorsus contraria, quibus *sententiæ suæ falsitatem aliunde nimis apertam*, & nostræ „ veritatem nimis de se conspicuam adumbrare conatur, ex præconcepta, ut videtur, deceptione communi, quæ ipsi instar omnium argumentorum fuit. *Nam & „ hinc multa in Theologia inaudita commentus est, & artificio usus perquam subtili*, „ quo facile est decipi qui vocum sonum, & rerum superficiem solum conside-

„ rant .... Sæpe loquitur indistincte & confuse, quasi nostram sententiam vel-
„ let involvere cum sententia *Tutioristarum*. Cum non audeat palam fateri, opi-
„ nionem benignam esse usque adeo novam, totique antiquæ Theologiæ adver-
„ sam, contra sententiam nostram determinate veteres Theologos conatur inste-
„ ctere, *sed per interpretationem adeo de se incredibilem, ut nullus, quem sciam,*
„ *etiam ex recentioribus, qui pene in verba Terilli iurarunt, eam non modo in me-*
„ *dium producere, sed nec ipsius meminisse est AUSUS*." Hactenus Camargus in *præf.* §. 5. Hæc pauca de Terillo dixisse sufficiat, ut quisque colligat, quam sit afflicta caussa illa cuius potissimus patronus nullam meretur fidem. Negat enim ea quæ Sole meridiano sunt clariora; eaque comminiscitur quæ vel Poetæ ipsi fingere non auderent.

CAPUT IV.

Probabilistarum apologiæ, & conatus irriti. In dies Probabilismus præceps ruit. P. Fibus, & P. Claudius La-Croix, aliique Iesuitæ male de Inclyta Societate merentur, quod eidem Probabilismum *adiudicent.*

I. INter Theologos Probabilistas, qui leges divinas, humanasque laxarunt, P. Thomas Tamburinus nemini secundus est. Prima illius in palæstra casuistica velitatio, in parvo *tractatu expeditæ Confessionis* sita, adeo arrisit P. Vincentio *Caraffæ*, Præposito Generali eiusdem Societatis, ut iusserit eidem hac methodo universam digerere Theologiam moralem. Mandatis paruit Tamburinus, atque Decalogum commentariis in decem libros tributis explicuit. Laxioribus scatet opinionibus opus istud; pluries tamen tum in Italia, tum in Gallia editus. Cardinalis *Retz* Archiepiscopus Parisiensis, universo Clero suo id postulante, anno 1659. Tamburini opus proscripsit. Censura quam huic operi inusserunt etiam triginta Parochi pariter Parisienses, laxitatibus refertum opus ostendit. P. Martinus Esparza probabilisticæ caussæ hoc tempore suppetias tulit opusculo edito. Hi, aliique Societatis Theologi arma stringentes in Probabilismi defensionem ansam præbuerunt adversariis doctrinam probabilisticam adiudicandi eidem Societati. Et quoniam, veluti ex lutulento fonte turbidi rivuli, ex Probabilismo profectæ sunt morum laxitates & corruptelæ; qua ratione Probabilismus, eadem opiniones laxæ attributæ eidem fuere. Hinc origo *Theologiæ laxæ*, & *Moralis practicæ*: qui tamen libri damnati sunt ob imposturas, erroresque quos continent. Apologiæ P. *Pirot*, P. *Annati*, P. *Mesæ*, P. *Dechamps*, aliorumque, sinistram auxerunt famam, rumo-

rem-

remque. Tot inter turbas, & conflictus in medium apparuit P. Honoratus Faber, duobus Tomis in folio armatus. Operis Titulus est. *Honorati Fabri Societatis Jesu Apologeticus doctrinæ moralis ejusdem Societatis*. Lucem apologia hæc aspexit, novem Societatis Theologorum suffragiis munita. Theologi censores sunt PP. Ioseph Gibalm, Carolus Dulià, Laurentius Granon, Franciscus de S. Ricard, Ioannes Ganterpt, Franciscus Chiase, Petrus Violet, Iacobus Tiram, Beltramus Bras Rector Collegii Lugdunensis, ubi editum opus est anno 1669. Vir fuit Auctor iste politioribus litteris satis excultus: illius oratio elegans, salibusque respersa. In præfatione fatetur, eruditos juniores paullo liberius, &, ut vulgo dicitur, laxioribus habenis in vastissimo illo moris campo discurrere: *Qui tamen*, inquit, *non sunt ex nostris*. Quinam ergo? Diana, Pasqualigus, Caramuel, Ioannes Sanchez, aliique *modico sane numero*. Hæc Honorati Fabri narratio opposita est narrationi P. Antonii Terilli. Hic quippe eodem circiter tempore scribit in prolog. ad tract. de consc. *Innumerabiles sunt qui a triginta annis Summis casuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas impleverunt .... in opiniones laxiores oculos, animumque conjecerunt*. Terillus unam, Faber alteram fatetur veritatem, & similiter unus unam, alter alteram falsitatem colore probabilitatis defendit. Innumeros laxioris Ethices Auctores asserit *Terillus*, in hoc verax. Paucos exhibet *Faber*, in hoc deceptus. Primos Probabilismi strenuos oppugnatores testatur Faber fuisse *Comitolum, & Candidum Philaletum*, utrumque ex nostris, *Merendam*, *Mercorum*, *Fagnanum*, *Marinarium*, *Augustinum de Angelis*, *Vincentium Baronem*, *Anonymum, & paucos alios*. Terillus, contra, primos Probabilismi oppugnatores Jansenistas obtrudit. Uterque igitur aliquid veritatis, uterque aliquid falsitatis prodit. Hoc quod P. Faber asserit, Dianam, Pasqualigum, Caramuelem, auctores esse laxarum opinionum, negabunt alii; addentque, Thomam Sanchez, Castropalaum, Tamburinum, Escobarium, Busembaum, Luissium, Moyam, Burgaberium, Baunios, La-Cruz, Zanardum, Leandrum, aliosque plures, nec tantillum in laxitate cedere Dianæ, Pasqualigo, Caramueli. Sed, triciis missis, ea est acerbissimi doloris materies, quod omnes fateantur, laxarum opinionum pestem morum sanctitatem inquinare. E contrario vero omnes fere Probabilistæ, qui dictam veneficam laxitatem fatentur, partium studio præventi, negant laxam reperiri doctrinam in libris Auctorum qui suum proprium institutum professi sunt. Paulus Segneri, Dominicus Viva, aliique negant, Thomam Sanchez, Tamburinum, Escobarium, Castropalaum auctores esse laxioris doctrinæ. Teatini, ut vulgo appellantur, negant, Dianam, Pasqualigum, Filippinum, ceterosque docere opiniones laxas. Erunt qui Antonium a Spiritu Sancto, Leandrum, Bordonium a laxiori doctrina asserant. Dominicani jamdiu fassi sunt, Lopez, Zanardum, Manriquez, La Cruz, aliosque laxa scripsisse. Si omnes eadem sinceritate faterentur, proprios Casuistas tra-

tradere complures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, brevi moralis scientia pristinum suum recuperaret splendorem. Hæc quæ indicavi, jampridem deploravit P. Elizalde *Lib. I. quæst. 1. §. 7.* „Nemo „ hominum, hac saltem ætate, de rigore doctrinæ conquestus est. Largiorem do„ lent universi. Hoc quadraginta quinque laxæ opiniones proscriptæ, hoc ipsorum „ sacrorum Ordinum sanctiones contestantur. Lis sane, ut paullo ante tactum est, „ exarsit inter partes de doctrina morum relaxata. *Factum utraque pars concessisse* „ *videtur. Sed, utra in causa fuerit, litigatur. Cuius rei testis locuples est Ama*„ *dæus etiam ipse probabilior. Neutra itaque partium sibi vult tribui quod laxatum* „ *fuerit*. Hoc ergo quod coram, & in conspectu hominum non vult sibi tribui, „ sed erubescit, quis iam bonum esse clam mussitare audeat? Atque inde nos dis„ pliceamus, quod summæ, ut decretum loquitur, luxuriantium ingeniorum li„ centiæ in dies magis excrescenti obsistamus viribus omnibus."

II. Si Pirot, Faber, Moya, de Camps, Daniel, Annatus, ceterique Societatis Apologistæ aperte fassi fuissent laxas suorum Casuistarum opiniones, easque diris devovissent; strenue reapse inclytam Societatem ab impostura, quod doctrinam laxiorem illa adoptaverit, defendissent. At ob nimium erga Casuistas amorem, caussam alioquin felicem, & verissimam prodiderunt. Tantum enim abest insignem Societatem adoptasse probabilisticam doctrinam, ut repetitis decretis suos astrinxerit *securiores docere sententias*. Et revera doctissimi ac gravissimi illius Theologi nemini secundi fuerunt in exterminando Probabilismo. Quare pessime de perillustri Societate merentur tum P. Bartholomæus Fibus in sua *Apologia pro conscientia cap. 11. §. 1. num. 3.* ubi ait, *viros bonos paucolos* patrocinari probabiliori sententiæ, contra viros gravissimos *præter SOCIETATIS TOTIUS DOCTORES doctrinam probabilisticam tuentes*: tum P. Claudius La-Croix, qui *Lib. I. cap. 11. num. 296* scribit, *Auctores fere omnes e Societate Iesu* docere Probabilismum.

III. Anno 1675. P. Franciscus *Iopi* propositiones plurimum laxas *Duaci* evulgavit, quas Episcopus Atrebatensis proscripsit, ut scandali, & erroris plenas. Triennio elapso, Auctor ipse easdem retractavit. Hac tempestate ignis probabilistici belli ferventius exarsit in Belgio. Universitas Lovaniensis anno 1679. Legatos Romam direxit cum amplo laxarum propositionum censu, summo Pontifici Innocentio XI. deferendo. Expeditio fausta fuit, eventusque votis respondit. Nam Pontifex graviorum Theologorum, sapientumque Prælatorum examini propositiones subiecit, illoque peracto, eodem anno 1679. 11. Martii 65. propositiones, ut scandali, & temeritatis plenas, damnavit. Hoc pontificium decretum fatale Probabilistis fuit atque funestum. *Probabilismus* expresse *damnatus est* in *re sacramentaria*, in quæstionibus *iustitiæ*, *fidei*, *belli indicendi*, *medendorum corporum*, & *rei beneficiariæ*. Ne multa, damnatus Probabilismus est in omnibus *secundæ tabulæ* præceptis.

Id

Id dumtaxat disputationi quoquomodo subiectum videri posset, sit ne Probabilismus absolute, etiam in quæstionibus præceptorum *primæ tabulæ*, & in quacumque materia anathemate confixus. Hoc ego evidenti, & ineluctabili demonstratione suo loco evincam.

IV. Tantum non conciderunt animo docti iuniores, spectantes probabilisticam doctrinam, quam illi benignam, & suavem vocitabant, tribus decretis confixam, & decem supra centum propositiones, veluti Probabilismi consectaria, damnatas. Eo desperationis prolapsi sunt tum temporis Probabilistarum aliqui, ut auctoritatem pontificiam aggressi fuerint. Disseminavere illi in vulgus, præfata decreta Pontificem tulisse, non ut caput Ecclesiæ catholicæ, sed ut caput & Rectorem Inquisitionis Romanæ. Porro, inquiebant, Pontifex Romanus, licet ut caput Ecclesiæ universalis, privilegio infallibilitatis fruatur, secus tamen, ut caput tribunalis Inquisitionis. Futilis. & audacis commenti meminerunt P. Carolus Casnedi *Tom. I. disput.* 11. *sect.* 1. *num.* 1. 2. 3. Cardenas *dissert.* 1. *cap.* IV. *num.* 99. P. Moya *Tom. I. select. disp.* 1. *quæst.* VI.

V. Eiusmodi commenta, & tot in Casuistarum defensionem apologiæ magnam conflarunt Probabilistis invidiam, & in dies ultimam parabant cladem. Comparatione instituta Probabilistas quosdam inter & Iansenistas, nonnulli contendebant, non valde dissimilia esse utriusque oppositæ factionis studia in propriis tuendis sententiis. Negant Iansenistæ, in libris extare Iansenii quinque damnatas sententias. Negant plerumque Probabilistarum plures, proscriptas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. propositiones reperiri, ut iacent, in libris Casuistarum. Subdunt Iansenistæ, quinque propositiones, etiamsi in Iansenio reperirentur, sensum habere catholicum. Reponunt Probabilistæ, propositiones centum & decem damnatas ab Apostolica Sede, ut iacent, in suis habere Moralistis sensum sanum, a quacumque damnatione immunem. Utraque pars mutuo sibi exprobrabat artes, effugia, & astus in eludendis Sedis Apostolicæ decretis. Utraque pars in aliena domo zelum sanæ doctrinæ, & obsequium erga Romanos Pontifices ostentabat. Interea vix erat qui proprium fateri errorem vellet. Vera ne, an falsa sit comparatio hæc, aliorum esto iudicium. Ex lectione plurium Probabilistarum, potissimum P. Dominici Viva, qui interpretati sunt damnatas propositiones, colligi id poterit.

VI. Sacri Regularium Ordines religioni sibi verterunt, leges proprias condere, quibus a suis Claustris arcerent Probabilismum. De Clericis Regularibus, vulgo Theatinis, de Dominicanis quid decreverint, iam est indicatum. Sanctiones Seraphici Ordinis, Augustinianorum, Carmelitarum, Trinitariorum, Iesuitarum infra dabimus.

CAPUT V.

Narratio eorum quæ P. Tyrsus Gonzalez sub auspiciis Innocentii XI. peregit, ut de medio penitus tolleret Probabilismum.

I. QUAE hoc in capite dicturus sum, nobiliorem formant probabilisticæ historiæ partem, sive eventuum diversitatem, sive Auctorum, qui seræ posteritati dicenda consignarunt, dignitatem, atque sinceritatem spectes. P. Paulus *Segneri*, sacer elapsi sæculi Demosthenes, pietate & eloquentia celebris, & ipse P. Gonzalez, aut qui illi erat a secretis, quique compendium fecit eiusdem operis, quæ dicturi sumus, subministrabunt. Scriptum evulgavit aut ipse P. Tyrsus, aut eiusdem amicus, in quo præcipua illius caussæ capita continentur. P. Paulus Segneri scriptionem hanc integram fere lingua italica transcribit, atque confutare nititur in sua secunda super *probabilistica controversia* epistola. Titulus scripti eiusmodi est. *Brevis Narratio eorum quæ P. Tyrsus Gonzalez Generalis Soc. IESU peregit iam inde usque ab anno 1670. ut opinio probabilistica non reputaretur sententia propria suæ Religionis.*

II. P. Tyrsus Gonzalez, post illustratam doctrinæ suæ splendore decem annorum spatio Salmanticensem Cathedram, ad ministerium apostolicum divino afflante Numine vocatus, anno 1665. scholis vale dixit. Peragratis Hispaniarum non paucis provinciis, sanioris evangelicæ doctrinæ tritico satis, deprehendit Confessarios non paucos laxitatis zizania in evangelica vinea extremo animarum detrimento spargere. Hac & ipse ab adolescentia imbutus doctrina, eidem serio studuit ad annum usque 1670. Hoc tempore occasione apostolici ministerii, seu sacrarum, ut vocant, missionum, detectis corruptelis a Probabilismo derivatis, tota mentis indagine versare caussam istam, discutere, scribere cœpit. Triennium æstivo tempore, quo a ministerio divini verbi populo explicandi cessabat, in istius controversiæ studium totus incubuit, tractatumque composuit hoc inscriptum titulo. *Fundamentum Theologiæ moralis*, idest, *tractatus theologicus, in quo ostenditur, non probabilitatem, quæ communis est sententiis oppositis, sed dumtaxat veritatem, saltem ut creditam, & prudenter existimatam, esse rectam regulam morum. proindeque numquam esse licitum sequi sententiam minus tutam in concursu tutioris, nisi illa præemineat isti quoad probabilitatem, seu verisimilitudinem in existimatione operantis.* Et quoniam videbat sententiam huic oppositam, ita esse in Societate communem, ut timeri prudenter posset intra paucos annos futuram, non secus ac *Scientiam mediam*, eidem propriam, nisi Theologi prodirent, qui, larva posita, eam impugnarent, dedicare præfatum tractatum R. P. *Olivæ*, tum

Præ-

Præposito suo Generali, constituit. Hic, si inscriptum sibi opus excepisset, in quo *Probabilismus* convellebatur, Probabilismi in Societate dominantis notam penitus repulisset. Missum tractatum ex Hispaniis anno 1673. Romam Generalis *Oliva* Theologis quinque recognoscendum dedit. Revisorum cognomina sunt Le Roy Belga, Requesens Italus, A Cruce Lisbonensis, Dunellus Gallus, Esparza Hispanus. Unanimi consensu opus improbarunt, negata illud edendi facultate. Iudicarunt æquo rigidiorem doctrinam, in hocce tractatu defensam, minusque congruam suavitatis spiritui, quo dirigendæ in cælum animæ sunt. E contrario systema probabilisticum existimatum congruentius fuit suavi, & faciliori animarum regimini, aptiusque ad viam salutis dilatandam.

III. Pauca quæ hactenus dicta sunt, ex laudato compendio decerpsi. P. Paulus Segneri hæc, & alia plura, quæ caussæ statum, seu doctrinam, & controversiæ principia spectant, recenset, eaque quibusdam eloquentiæ pigmentis obscurare pro virili parte nititur. Istius argutationes, & paralogismos fuse refutavi in *Historia Probabilismi & Rigorismi diss.* 11. Paucissima nunc obiter dicam. Ad omen illud, quo Compilator P. Gonzalez prædicit, Probabilismum non secus in Societate regnaturum, ac scientiam mediam, nisi Theologi eiusdem Ordinis, Præposito Generali annuente, oppugnent sententiam quam benignam vocant, respondet citata *epist.* 11. *§.4. num.* 12. vernacula lingua his verbis latine redditis, sensu, & spiritu, non littera, servato. *Oh Deus! quænam assertio istbæc, Societatis famæ iniuriosa, nedum falsa? Instituti huius Auctores optimo in sensu amplexati omnes sunt sententiam benignam.* Num. 3. *Ceterum quo ausu Compilator effutit, P. Tyrsum dedecus reputasse Societatis, si hanc opinionem amplecteretur a Medina Doctore illustri iuxta ipsum invectam? Tale ne dedecus in sua matre deprehenderunt Suarez, Vasquez, Valentia, Azorius, Lessius, Laymanus, Thomas Sanchez, Giballinus, Granadus, Castropalaus viri omnes naris non minus emunctioris ac ipse sit?* P. Paulus Segneri hoc idem *epistola* 11. *§.* 2. *num.* 7. scribit. *Controversia hodiedum tam celebris, nempe utrum liceat amplecti opinionem minus probabilem, probabiliore relicta, adeo iuvenis in scholis est, ut elapso sæculo nata fuerit. Quindecim sæculis antea elapsis non maior eiusdem notitia, quam antipodum, ante Columbum incognitorum. Nihilosecius pietas christiana tum non minus ac in præsentiarum efflorebat, obtinebat sacramentorum usus, caritatis officia peragebantur.* Eadem vero epistola *§.* 4. *num.* 13. *pag.* 98. de sententia probabiliore, quam severam vocat, hæc scribit. *Sententia severa* (probabilior) *paucis ante annis nata sub horoscopo admodum fatali in campum educere haud valet Theologorum legionem, qui vel remotissime comparari possint, sive numerum, sive nomen spectes, cum Theologis qui arma stringunt ad sartum tectum custodiendum Probabilismum.* Quindecim illis sæculis, quibus sententia benigna incognita penitus erat, qua regula Christianorum conscientiæ in opinionum conflictu

cta regebantur! Non opinione minus probabili; non probabiliore, seu severa, paucis abhinc annis nata infausto sidere. Quanam ergo? P. Paulus Segneri, quæ sibi vel ex Terillo, vel ex alio Probabilista dabantur, scribebat fide bona: nec enim ipse apostolicis curis sanctæ distentus, otio abundavit, quo posset implicatissimam quæstionem ad exactam crisim revocare, ut fusius in nostra historia citata ostensum est. Quare haud mirum est, si tres illius epistolæ antilogiis, paralogismis, & narrationibus penitus falsis scateant. Collecta quippe ab aliis, illique oblata in ordinem digerebat eleganti eloquentique stilo. Verum narrationem persequamur.

IV. Anno 1676. Professore primario Societatis, qui Cathedram Salmantinam moderabatur, denato, P. Tyrsus, iussus apostolicum sacrarum missionum munus, quo undecim functus annis erat, dimittere, præfatam occupare Cathedram astringitur. Ad tam insolitum eventum recogitans, digitum Dei in hac destinatione se videre arbitratus est, atque hæc suis insonare auribus visum fuit. „ *Deus te Salmanticam* „ *vocat, ut maiore ornatus dignitate, & auctoritate a superioribus facultatem do-* „ *cendi, typisque edendi probabiliorem sententiam obtineas, aut saltem æque hanc ac* „ *oppositam defendendi*. Quoniam, tametsi nullum sit latum decretum, nulla rogata lex quæ urgeat Theologos Societatis docere sententiam minus probabilem, „ faventem libertati adversus legem, nihilosecius nemo reapse hanc oppugnare „ doctrinam audebat: nec Præpositus Generalis permittebat adversus eam libros „ edere; licet in eiusdem defensionem in dies opera typis edita prodirent."

V. P. Paulus Segneri, textu hoc italice descripto, *epistola citata §. 20.* hanc emittit exclamationem: *Oh quam verum est, amorem dulcium esse somniorum parentem! Qui amant, sibi somnia fingunt. Aquinati dumtaxat pro arbitrio extasis donum collatum fuisse legi. Nollem suavia hæc ratiocinia, quæ a Deo profecisci reputantur, essent arbitraria figmenta. Potius ex ratiocinationis falsitate inferre convenit, spectra hæc fuisse illius qui nimio excessu semetipsum amabat.* Hæc pius *Segneri* de non minus pio, & longe plurimum doctiore, suo Præposito Generali. Peiora tamen de suo doctissimo Superiore scribere P. Segneri ausus est. Subdit quippe *num. 53. pag. 181. & 182.* „ Si & ego somniari vellem, dicerem ob duo forte „ capita a missionibus ad cathedram revocatum. Unum, ut tanto honore tot exantlatis undecim annorum spatio laboribus in humili ministerio, & potissimum in „ convertendis ad Christi fidem Mauris præmium rependeretur. Alterum, quod „ in præfato ministerio, quo ex una parte proderat animabus, *eo amplius fortasse* „ *ex altera iisdem damnum inferebat, aut poterat inferre*, vi doctrinæ, qua tenebatur, repugnante universalissima Doctorum sententia, absolutionem negando „ mille pœnitentibus, alioquin bene dispositis, ob hoc solum quod recusabant illius subiici opinioni; cum moraliter certi essent se tuto oppositam sequi posse.

„ Et

„ Et hoc in caussa fuit cur tot rumores concitati adversus talem Operarium, ce- „ teroquin laudabilem, fuerint in tribus provinciis, Castellæ, Toleti, Vandalitiæ, „ ut compertum ibidem est. Sed & hæc mea forte somnia sunt prætereunda, iux- „ ta illud Levit. xxix. *Non observabitis somnia*."

VI. Huc abripit viros etiam pios, probosque partium studium. Quis sibi in animum inducere potuisset, ut crederet, P. Paulum Segneri ausum fuisse talia typis edere adversus suum Præpositum Generalem, quo doctiorem Inclyta Societas Iesu hactenus non habuit, si ex fructibus dignoscere arborem licet? Si quis fidem P. Paulo Segneri in hoc negotio adhiberet, P. Tyrsum Gonzalez, tot voluminum auctorem, summo Pontifici Innocentio XI. præcarum, primarium Salmantinæ Cathedræ moderatorem, universæ Societatis Iesu Præpositum Generalem, habere deberet, tamquam fanaticum, cerebrosum, provinciarumque perturbatorem, qui plus detrimenti quam commodi animabus in apostolico ministerio attulit. Quis porro hæc inaudiens non perhorrescit?

VII. Frustra omnibus pro obtinenda præfati operis edendi licentia tentatis, petiit P. Tyrsus a P. Generali Oliva, ut saltem sibi liceret quarto Tomo Theologiæ Scholasticæ, quæ sub prælo erat, inserere substantiam illius doctrinæ, duobus vel tribus §§. contentam, & in propositiones breves, atque perspicuas tributam, quibus suam aperiret mentem. Sed neque hoc impetrare potuit. Propositiones sequentes erant.

1. „ Nemini licet in praxi sequi opinionem faventem libertati adversus legem, „ quando ipse iudicat esse falsam, & legi divinæ contrariam in sensu composito „ talis iudicii, præcipue intenta ad cohibendum opinionum probabilium abusum.

2. „ Nemo potest sequi licite opinionem faventem libertati adversus legem, quan- „ do est fundamentum evidenter maius ad credendum illam esse falsam, & legi „ divinæ contrariam, quam ad credendum esse veram, & legi divinæ non con- „ trariam.

3. „ Nemo potest licite sequi opinionem faventem libertati adversus legem, quan- „ do absolute habet fundamentum maius ad iudicandum illam esse falsam quam „ ad iudicandum esse veram: eo quod in actu apparet ei verisimilis.

4. „ Nemo potest licite sequi opinionem faventem libertati adversus legem, „ quando non habet fundamentum maius ad iudicandum esse veram quam ad iu- „ dicandum esse falsam: eo quod experiatur æqualem vim movendi in fundamen- „ tis partis oppositæ, ac proinde utraque opinio sit illi æque verisimilis.

5. „ Licitum est sequi opinionem faventem libertati adversus legem, quando „ post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem & culpam habet maius „ fundamentum ad credendum esse veram quam ad credendum esse falsam: quia „ tunc inculpate potest iudicare esse veram, & legi divinæ conformem.

6. „ Quam-

6. „ Quamvis opinio favens libertati adversus legem, sit specificative in se pro-
„ babilis minus, quia habet pro se pauciores Auctores graves, si tamen sit in se
„ certe probabilis, quia defenditur ut vera ab Auctoribus classicis, quorum opi-
„ nio habetur communiter pro probabili, & operanti ipsi post diligentem verita-
„ tis inquisitionem, citra omnem passionem, & culpam repræsentatur ut magis
„ verisimilis quam opposita, potest eam licite sequi: quia tunc inculpate potest
„ iudicare illam esse veram.

7. „ Fundamentum Doctorum, asserentium licitum esse sequi opinionem proba-
„ bilem minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, si intelligantur de tutiori,
„ quæ solum in se specificative, & materialiter, & communi æstimatione est pro-
„ babilior, sunt satis efficacia, si autem intelligantur de opinione tutiori, quæ non
„ solum in se est probabilior, sed etiam ipsi operanti verisimilior apparet, sunt
„ inefficacia.

8. „ Multi Doctores huius sæculi, asserentes licitum esse sequi opinionem minus
„ tutam, relicta probabiliori, & tutiori, conciliari possunt cum multis antiquo-
„ rum, qui ad usum licitum operationis minus tutæ exigunt quod saltem sit pro-
„ babilior tutiore, dicendo, istos solum exigere quod opinio minus tuta sit ope-
„ ranti ipsi probabilior, idest verisimilior; illos vero solum asserere, licitum esse
„ sequi opinionem minus tutam, quæ in se, & communi æstimatione est minus
„ probabilis, si ab ipso operante inculpate iudicatur vera, quia ob fundamentum
„ rationis in actu primo visa est ei verisimilior."

VIII. Nec istas propositiones typis mandari, Censorum iudicio expedire indicavit Generalis Oliva. Tum P. Tyrsus aperte cognovit, tractatum suum de probabilium opinionum usu a Theologis Societatis, & ab ipso Præposito Generali improbari propter doctrinæ substantiam in eodem contentam. Collegit, Superiores velle ut sententia, appellata benigna, de usu licito opinionis minus probabilis, & minus tutæ in concursu tutioris, & operanti ipsi verisimilioris, in Societate prævaleret: quia iudicabatur illam esse aptiorem ad dirigendas conscientias in spiritu dulcedinis & suavitatis: manifestum quippe est, hanc amplexos fuisse doctrinam viros, non solum sapientia, sed & virtute, & pietate insignes, non ex studio placendi hominibus, & animos hominum sibi conciliandi, ut calumniantur Ianseniстæ cum laud. Montalt. *epist.* v. sed ex sincero desiderio consulendi proximorum saluti, ad quam promovendam magis aptam censebant hanc benignam doctrinam quam oppositam paullo securiorem.

IX. Septem annis, postquam P. Tyrsus hunc tractatum confecerat, prodiit Bulla Innocentii XI. anno 1679. in qua confixit sexaginta quinque propositiones, & in qua declaravit, ad usum opinionis minus tutæ non sufficere quod illa sit utcumque probabilis in se, si eius probabilitas, comparata cum probabilitate senten-

tiæ

tiæ tutioris, sit tenuis & exigua. Promulgato in Hispania pontificio decreto, rescivit Pontifex summus ex litteris sui Legati *Mellini*, religiosum virum e Societate Iesu ante aliquos annos confecisse tractatum, in quo efficaciter refellebat præfatam propositionem, & alias quas damnaverat, & fuso calamo sententiam Probabilistarum, quæ in Societate erat communis, reiiciebat, & oppositam Antiprobabilistarum doctrinam, in quam sua Sanctitas summopere inclinabat, strenue defendebat. Illius rei nuntio accepto gavisus est sanctissimus Pontifex Innocentius. Continuo in mandatis dedit Legato suo Mellino apud Carolum II. ut dictum tractatum exscribi curaret, & confestim Romam transmitti apographum. Idque celeritate summa peractum fuit, illudque Sanctitas sua recognoscendum dedit duobus valde peritis viris, qui illum magnopere probarunt, laudaruntque. Alter quippe in sua censura dixit, *tractatum illum esse moribus Christianorum formandis apprime utilem, atque iisdem hac tempestate reformandis præsentaneum fore*. Alter diserte pronuntiavit, *nihil suo iudicio circa propositum argumentum prodiisse ex officina Societatis Iesu isto tractatu solidius*. Unus addidit, maiorem se in eo desiderare severitatem; alter adiunxit, ad pleniorem operis commendationem optandum esse ut nonnulla quæ illic obiter tantum dicuntur, ex professo, ut dicitur, tractarentur. Itaque operæ pretium, inquit, esset, conditiones opinionis probabilioris, quam sequi liceat, etsi minus tuta sit, tractare, & copiosius explicare, inculcando præcipue tantam esse debere illam probabilioritatem, ut, omnibus inspectis, unice probabilis sit, & post diligentem veritatis inquisitionem nihil appareat in contrarium ad persuadendum rem illam esse illicitam.

X. P. Paulus Segneri iis quæ proxime narravi, relatis *epist.* 11. §. 26. respondet, pontificios Revisores deceptos fuisse. Exscribenda sunt illius verba italice. Hæc ergo scribit num. 70. pag. 211. *Io considero, come li due Revisori dell' opera qui lodata, se l'approvarono in realtà, non la disaminarono finamente. Lasciarono guadagnarsi dall' apparenza: perchè stimarono che il Padre, come gli altri della sua squadra, volesse obbligar ciascuno a seguir quell' opinione la quale sia la più probabile nella comune estimazione de' dotti, non nella propria. Questa è l'equivocazione, radice in tal materia di molti abbagli, ma poco scorta ancor dagl' intelligenti, perchè ella appunto è radice.* Quæ sic verto. „Id ego animadverto, duos laudati operis Censores, si illud reapse adprobarunt, penitus illud non dispexisse. Fuci se decipi permiserant: quoniam existimarunt, Patrem, quemadmodum alios suæ cohortis, velle quemquam astringere ut illam amplectatur opinionem quæ communi doctiorum, non proprio sensu, probabilior sit. Hæc est æquivocatio, radix in hac caussa multarum aberrationum, paucis tamen etiam sapientum nota, quoniam scilicet radix est."

XI. Quid, si transalpinus aliquis tanta audacia exciperet pontificios Censores?

Imperitos ergo controversiæ probabilisticæ Theologos delegit Pontifex, qui opus P. Tyrsi recognoscerent? Si hæc exceptio admittatur, actum conclamatumque est de omnibus pontificiis decretis. Dissimilia ne fuerunt Ianseniistarum artificia? Nonne & ipsi istuc se recepere, ut effutirent, deceptos fuisse Theologos in examine libri Iansenii, & in excerpendis propositionibus? Ad statum controversiæ quod attinet, invictis argumentis ostensum est, in *dissertationibus nostris super Historia Probabilismi & Rigorismi dissert.* 11. P. Segneri ieiunum penitus eiusdem controversiæ fuisse, eaque scripsisse quæ illi ab aliis suggerebantur. Imponit suo Generali Gonzalez, dum asserit singularem eum in hac caussa propugnare opinionem; cum evidens sit, non aliam, quam communem Antiprobabilistarum, ab eo doctrinam defendi. Deceptionem quam P. Segneri impingit pontificiis Revisoribus, improbat summus Pontifex suo peculiari decreto, quod infra dabimus. Omnino ieiunum & innocentissimum se istius controversiæ prodit P. Paulus Segneri, cui parcendum, quod numquam fuerit Theologiam professus; eaque scribebat quæ sibi italice scribenda ab aliis proponebantur. Nulla melior pii viri excusandi via occurrit, ac si dicatur, illius non esse tres epistolas probabilisticas, quarum stilus Paulum *Segneri* evidenter, doctrina contra, alium omnino a *Segneri* Auctorem refert. Corruptas illas esse concedit P. Sanvitalis in sua opella, inscripta *Giustificazione &c.* Reiiciant ergo illas, ut apocryphas, damnentque PP. La-Croix, Viva, Casnedi, & centum alios, qui ut genuinas easdem proponunt, magnumque ex pietate P. *Segneri* Probabilismo splendorem accedere autumant. Verum, si genuinæ sunt epistolæ præfatæ, non Probabilismo decus conciliant, sed nubem P. Segneri offundunt.

XII. Pontifex Innocentius XI. P. Tyrso per Legatum suum Mellinum suam significavit voluntatem, ut edatur liber. Id optimis rationibus declinavit Tyrsus, quarum potissima fuit obsequium, & submissio debita Societati, cuius dedecori verteretur, si, invitis eiusdem Superioribus, tractatum suum adversus laxitatem, ut dicitur, opinionis minus probabilis typis mandaret. Hæc tamen non rescripsit Pontifici; sed ab imprimendo opere dissuadere eumdem studuit sequenti epistola, quam ad ipsum dedit 25. Decembris 1681. „ Quamvis doctrina mei tractatus pro-„ betur a Revisoribus designatis, vel designandis a Vestra Sanctitate, & ab illis „ dicatur utilem fore, non expedit ut tractatus imprimatur, ut iacet. Cum enim „ illum composuerim, dum versarer in missionibus, & post magis ventilata sit „ hæc materia, nunc necesse est illum magis locupletari. Licet enim pro Missio-„ nario foret sufficiens, pro Cathedratico primario Salmanticensi est diminutus, „ & oportet fusius impugnari illum qui, post illum tractatum compositum, To-„ mum edidit de regula morum." His ultimis verbis *Terillum* designat, qui Tomum circa hæc tempora edidit de regulis morum.

XIII.

XIII. P. Paulus *Segneri* respondet *cit. epist. §.27. num.71. pag.214.* hæc esse documenta historica, quæ missa facit. Interim subdit, nihil verisimilitudinis habere, P. Gonzalez declinasse, favente Pontifice, editionem sui operis adeo sibi cari, ut paulo post imprimi *Dilingæ* absque Religionis facultate curaverit. Dilingæ editus tractatus fuit anno 1691. quo tempore Gonzalez universam moderabatur Societatem. Non ergo ab aliis quam a semetipso facultatem operis imprimendi obtinere debebat. Nonnulla alia, quæ ibidem P. Segneri in Gonzalez scribit, italice primum referam. „ Il dire poi, che più tosto egli (il P. Generale Gonzalez) avrebbe da„ to quel suo parto alle fiamme, che farlo veder al pubblico fuor di legge, è di „ lode grande. Ma lascia credersi piamente a chi vuole, massimamente dappoi„ chè appunto fuor di legge stampollo due anni sono sugli occhi di chi si fosse, „ purchè non fosse di chi lo dovea vedere. *O quante vittime egli si sarebbe ridot*„ *te a sacrificare* (dirà chi legge) prima di venir a quest' una, che pur non era „ unigenito al par d'Isacco!" Latine sic verto. „ Quod vero circumfertur, Pa„ trem Gonzalez flammis maluisse suum tradere tractatum quam præter legem e„ dere, res est laude valde digna. Verum id piis hominibus credendum permitti„ tur, maxime ex quo, præter scilicet legem, duobus post annis, illum Dilingæ „ edidit in omnium conspectu, iisque solis inscius quorum intererat rem scire. *Heu* „ *quot victimas ille immolasset, præter hanc unam, quæ tamen, æque ac Isaac, u*„ *nigenita non erat!"* Hactenus P. Paulus Segneri. Fama Præpositi Generalis Societatis Iesu dicteriis proscinditur, ut caussa probabilistica promoveatur. P. Gonzalez tantæ humilitatis, & virtutis fuit, ut bis se abdicare studuerit Salmantina Cathedra, quo vitam suam in apostolico ministerio consummaret. Librum ipsum viginti & amplius annorum spatio occultum tenuit: & tamen palam est, eumdem, Pontifice auspice, evulgare typis potuisse. Vir denique fuit qui post tot rumores, & turbas dignus est habitus ut universæ Societatis clavum teneret. Et in tantum virum, in tantum Prælatum proprium hæc quæ indicavimus, & alia plura scribere in publicum P. Paulus Segneri ausus est? Mirabitur sera posteritas, quin mirabuntur viventes, P. Præpositi Generalis Societatis Iesu probitatem vindicari a viro Dominicano adversus Scriptorem Iesuitam, cuiusmodi est P. Segneri. Mirabuntur sane & in Dominicano veritatis amorem, & in Iesuita domesticæ probabilitatis defendendæ studium. In excusationem clarissimi Segneri, singulari pietate prædíti, non aliud dicendum occurrit, nisi vel quod talia scripserit, ut alius morem gereret, temporis illius procella spectata; vel quod his præiudiciis *Probabilismus* hominum etiam piorum mentes occupet.

XIV. Anno 1687. P. Tyrsus Gonzalez, ut Elector Provinciæ Castellanæ, Romam concessit ad Congregationem generalem XIII. in qua Successor R. P. Ioannis Pauli Olivæ denuo eligendus erat. Sanctissimus Pontifex Innocentius XI. Iu-

calentissima desiderii, quo flagrabat, ut in Præpositum Generalem eligeretur P. Gonzalez, indicia præbuit. Tali quippe Præposito sperabat fore ut nimia opinandi licentia, cuius accusabatur Societas, cohiberetur, ianuaque aperiretur probabiliori, atque saniori doctrinæ propagandæ in Societatem, cum id in votis haberet Romana Sedes. *Dolebat quippe Pontifex*, inquit Compilator, *& conquerebatur de tanta conformitate, & quasi coniuratione Iesuitarum, in defendenda minori probabilitate, tamquam regula securæ conscientiæ: videbat quotidie ex officina Societatis prodire libros, qui quasi pro aris & focis pugnabant pro usu licito opinionis minus probabilis, & minus tutæ, eosque recipi cum plausu a Iesuitis, nullum autem prodire qui aperta fronte, & non dissimulato Auctoris, & Religionis nomine, doctrinam illam impugnaret. Insuper audiebat in Societate male audire apud Superiores qui doctrinam Probabilistarum sibi displicere significaret, & fere nullum esse qui palam auderet impugnare, immo & aliquos molestias non paucas passos esse. Hinc inferebat, tantam uniformitatem, tantamque conspirationem in defendendo suo Probabilismo in Religione, in qua est tanta opinandi libertas, ut est Societas, non videri casualem, sed potius provenire ex consilio Religionis, volentis sensim & in actu exercito adoptare sibi, & facere propriam Religionis sententiam de usu licito opinionis minus probabilis.*

XV. Non audet negare P. Segneri, Pontificem Innocentium electionem P. Gonzalez in Præpositum Generalem promovisse, atque Electoribus suam significasse claris indiciis voluntatem, ut in eumdem P. Tyrsum suffragia caderent. Hæc dumtaxat subiicit cit. epist. §. 28. pag. 217. *Io dico bene, che se Innocenzo XI. come saggio, lo desiderò Generale, sicuramente non lo desiderò per un libro.* „ Illud addo „ si Innocentius, utpote prudens, desideravit in Generalem P. Tyrsum, illum sa„ ne non concupisse propter unum librum.“ Nec in mentem Compilatori venit affirmare, sanctum Pontificem Innocentium ob unius libri editionem electionem P. Tyrsi in Generalem procurasse; sed ob virtutis, sapientiæ, prudentiæ, & fortitudinis dotes, quas eminere in tanto viro cognovit.

XVI. Electio pro votis cessit die 6. Iulii anno 1687. Pontifex electum Generalem sic affatus est. Quoniam Deus ad hanc te præfecturam evexit, tuum erit curare ut in Societatis gymnasiis doctrina maioris probabilitatis, in quam Sedes Apostolica propendet, doceatur. In hunc finem in Romano Collegio magistrum præficies, qui doctrinam hanc propugnet. Sanctitati suæ promisit Generalis Gonzalez, se ex Hispania vocaturum Professorem Theologiæ, qui eam doctrinam in Collegio Romano dictaret: & ita adimplevit anno sequenti, quo *P. Iosephum Alfarum* ex Hispania adduxit ad legendam Theologiam in Collegio Romano. Oppositiones, & gravissima offendit obstacula P. Alfarus, dum munus e cathedra explicandi sententiam probabiliorem aggressus est. Multi eumdem coegerunt ne

im

in publicum hanc doctrinam defendendam exponeret. Idque assecuti fuerunt. Quoniam, tametsi P. Alfarus theses ex universa Theologia collectas, typis editas proposuerit publico certamini, qui ipse præfuit anno 1689. ausus minime est sententiam maioris probabilitatis exponere. Tum cognovit Pontifex gravissimas difficultates, in quas incursurus novus Generalis erat, ut in Societate libertatem restitueret docendi doctrinam probabiliorem. Quare summus Pontifex apertius Patres ipsos Societatis graviores alloqui destinavit. Idque in mandatis dedit Cardinali Cybo, Status Secretario, ut significaret Patribus Congregationis generalis, cupere summum Pontificem, ut in doctrina de opinione probabili licitum esset Theologis Societatis tenere, atque libris publicis, si vellent, tueri, quod in concursu opinionis magis probabilis, magisque tutæ non liceret sequi minus tutam, minusque probabilem. Congregatio desiderio Pontificis cupiens satisfacere condidit decretum XVIII. in quo declaravit Societatem non prohibuisse, nec prohibere quo minus sententiam illam tueri possent, quibus illa magis probaretur: ipseque Pontifex sæpe hortatus P. Generalem est, ut curaret maiori quo poterat studio ut in Collegio Romano, aliisque gymnasiis Societatis traderetur doctrina Antiprobabilistarum.

XVII. Mirifica sunt interpretamenta, quibus hæc omnia perturbare nititur P. Paulus Segneri. Non veretur conceptis verbis asserere, Pontificem summum cum suis iudicibus revisoribus delusum fuisse. Ne fides vacillet lectorum, illius verba exscribenda sunt. *Or qui bisogna finire omai di scoprire l' equivocazione accennata più volte da me bensì, ma non mai spiegata a dovere. Se Papa Innocenzo XI. e tutti gli altri dignissimi suoi ministri si persuasero, come diceva loro il Padre, che la sentenza severa fosse l' antidoto a tutte l' opinioni chiamate larghe, fu perchè egli no di ragione avvisavansi, ch' egli per sentenza severa intendesse quella che fino allora intendevano tutti gli altri, cioè quella che ci obbliga all' opinione riputata fra dotti generalmente la più probabile al paragone. Ma non era ciò vero punto. Egli per sentenza severa intendeva quella fabbricata dinanzi da lui, cioè quella che obbliga alla opinione diretta riputata la vera dall' operante, sentenza non pur non severa a chi la sa tutta, ma arrischiatissima, come si è da noi già dimostrato. E così PAPA INNOCENZO, e TUTTI GLI ALTRI, SE CREDEVANO CIO' CHE DA LUI DICEVASI, RIMASERO ASSAI DELUSI dalla speranza, non già per colpa loro, ma per cagione di lui medesimo, e POI DI QUEI GIUDICI REVISORI, quali nel giudicar su tal dottrina si erano facilmente lasciati sorprendere dall' aspetto: nè ciò per altro, se non perchè avevano rimirato il quadro dal lato suo luminoso, non l' avevano rimirato dal fosco.* Quæ sic latine verto.
„ Tempus iam urget ut sæpius indicatam, numquam tamen satis explicatam,
„ deceptionis radicem patefaciam. Si PAPA INNOCENTIUS XI. omnesque alii

 „ exi-

„ eximii eius ministri sibi persuaserunt, quemadmodum illis Pater (Tyrsus) insinuabat, sententiam severam antidotum esse adversus omnes opiniones laxas „ appellatas; id evenit, quia in mente arbitrabantur eum nomine sententiæ severæ illam intellexisse quam hactenus alii omnes docuerant, nimirum quæ non „ astringit eam amplecti opinionem quam doctiores communiter probabiliorem reputant. Verum falsum id omnino erat. Ipse (P. Tyrsus) sententiæ severæ nomine eam intelligebat quam ipse sibi formaverat, videlicet illam quæ ad opinionem directam, veram ab operante iudicatam, astringit: quæ sententia non „ modo severa non est, sed aleæ periculique plenissima, sicuti a nobis iam ostensum est. Quare INNOCENTIUS PAPA XI. OMNESQUE ALII, si iis quæ „ sibi a P. Tyrso dicebantur, fidem adhibuerunt, valde decepti remanserunt, non „ illorum culpa, sed primum P. Tyrsi artificio, & postea ILLORUM IUDICUM „ CENSORUM, qui iudicium in talem ferentes doctrinam, facile semetipsos deceperunt, quod scriptum P. Tyrsi, non qua tenebrosum, sed qua lucidum erat, „ spectarunt. “

XVIII. P. Paulus Segneri in iis quæ recitavimus, illusionis, atque deceptionis accusat, quos? *Summum Pontificem Innocentium XI. eiusdem iudices revisores*, & Reverendissimum P. Tyrsum Gonzalez suum Generalem. Scripsit enim P. Segneri suas epistolas anno circiter 1693. P. Tyrsus Societatem moderabatur iam ab anno 1687. Porro, ut quam iniuste istos carpat, palam fiat, primum omnium in examen vocanda sunt crimina quæ Patri suo Generali impingit. Duo P. Segneri affingit P. Gonzalez Præposito suo Generali. Unum, quod neget probabilitatem *obiectivam*. Alterum, quod in controversia probabilistica, non communem probabiliorem doctrinam, sed opinionem singularem periculi & aleæ plenissimam defendat. Si alterutrum, nedum ambo, verum sit, me auctore, a P. Segneri victoria stat. Si ambo facta evidenter falsa sunt, tres epistolæ P. Segneri super quæstione probabilistica igni & aqua sunt interdicendæ. Porro tam falsa sunt duo indicata facta, quam falsum est sereno cælo Solem meridianum non resplendere. P. Gonzalez negavit probabilitatem obiectivam? Hanc falsitatem evincit eiusdem tractatus. Quid quod nemo, nisi stultus, hanc probabilitatem negare valet? Omnis quippe probabilitas formalis ab obiectiva pendet. Qui primam suscipit, admittat oportet & alteram. Primam admittit P. Gonzalez: ergo & secundam. Duplex probabilitas obiectiva: altera rationis, quam intrinsecam; altera auctoritatis, quam extrinsecam appellant. Utramque propugnat P. Gonzalez, & hanc secundam ceteris clarius explicat. Probabilitatem extrinsecam, in quam sapientes communiter conspirant, amplectendam communiter docet Gonzalez. Accidit interdum, raro quidem, sed accidit tamen, ut opinio aliqua communior sit inter Theologos, qui illam pro dignitate non disceptarunt. Sapientiores, licet numero im-

impares, Theologi controversiam, data opera, dispiciunt, & post severius examen, citra omnem passionem, validissimas rationes, gravissima fundamenta deprehendunt, quæ evincunt oppositam opinionem extrinsecus penes vulgus Moralistarum minus probabilem, veriorem, probabilioremque esse. Et tunc hanc amplectendam esse docet P. Gonzalez, docent Antiprobabilistæ omnes. Evidens itaque est P. Gonzalez communem doctrinam propugnare. Id solum verum habet, hunc sapientem virum nemini secundum fuisse in illustranda hac controversia, a qua cuiusque rigoris notam abstulit; &, quoad fieri potuit, benignius veram, sanamque probabilioris doctrinæ sententiam exposuit. Horum omnium testis est publicum opus eiusdem Gonzalez. Quis nunc non miretur P. Segneri ausum, quo ignorantiæ, deceptionis, illusionisque reos postulat *sanctissimum Pontificem Innocentium XI. illius caduci revisores, ceterosque ministros?* Impotens probabilisticæ doctrinæ defendendæ desiderium augustiora secundum Deum, & Scriptores canonicos testimonia conculcat, & pessum dat. Ignorantes ne Theologos quos huic operi examinando præfecit providentissimus Pontifex Innocentius? Censores illi doctrinam Gonzalez non percepere? Gonzalez ne vafer, qui vellet Pontifici, & illius revisoribus illudere? Talia in Pontificem INNOCENTIUM XI.? Talia in Theologos, censoresque pontificios? Talia in proprium Superiorem publice scribere non erubuit P. Paulus Segneri? Quamnam heinc non arripient ansam Iansenistæ reiiciendi decreta pontificia? Inquient enim: P. Paulus Segneri, celeberrimus Iesuita, magnoque in pretio habitus, in libri sui proprii Generalis examine delusum Pontificem, delusos censores palam scribit. Nec hoc ipsius scriptum damnatum est. Quidni ergo & nobis similia opponere non licebit? Clamitabunt, in aliena domo ferventi zelo Apostolicæ Sedis iura exaltari, defendi, in caussa autem propria audacius ceteris illudi, deprimi, contemni. Nihil in excusationem P. Segneri reponi potest, nisi quod ille aut invita minerva has tres epistolas exaraverit, aut quod natalitiis tenebris sepelierit. Verum personæ vindicias ceteri suscipiant. Nos non in personam, sed in doctrinam scribimus. Id sane certum est, nulla excusatione dignos esse qui præfatas epistolas publici iuris fecerunt, cum non levi eiusdem Segneri detrimento. Et tamen eousque Probabilismi amor abripit, ut PP. Viva, La-Croix, ceterique omnes posteriores Theologi plenis buccis has epistolas laudent, & exaltent, ut genuinos eiusdem Segneri partus. *Quicumque ambigerent* (inquit epistolarum editor in præfat.) *has epistolas Patri Paulo Segneri adiudicandas esse, hi aut numquam eiusdem opera legerunt, aut tam obesæ naris sunt, ut nesciant eumdem in his litteris deprehendere spiritum, eumdem stilum, eamdem vim ac in ceteris omnibus illius libris.* Utroque ergo pollice subscripsi editori, postquam scilicet has tres epistolas contuli cum ceteris operibus, si stilus dumtaxat, ratioque scribendi spectetur. Stilus quippe idem, vene-

res, atticismus, lepores, tropi, figuræ, verborum delectus, & cetera omnia, quæ orationem ornant, Auctorem adamussim referunt. In nostra Probabilismi historia italice scripta in dubitationem caute vocavi, essent ne hæ tres epistolæ germanus partus P. Segneri: quia aliquæ, licet levissimæ, ambigendi rationes occurrerunt: ea tamen cautione locutus sum, ut quisque, quid reapse sentirem, internoscere posset. In præsens autem, re serio consulta, subscribo, omni dubitatione sublata, præfato harum epistolarum editori. Stilus P. Segneri adeo peculiaris est, ut, nisi Deus alium Patrem Segneri omnino similem creaverit, nemo præter eumdem P. Paulum Segneri illas scripserit epistolas, ut ego quidem arbitror, & mecum hactenus arbitrati sunt omnes Societatis Theologi, qui hacce de re scripsere hactenus. Quod scribit P. Sanvitalis in laudata opella corruptas fuisse ejusmodi epistolas, bellum commentum est. Designet loca corrupta. Designet interpolatores. Tantum ne criminis impingere Sociis suis audet? Primus omnium epistolam priorem confutavit P. Petrus Martyr Dominicanus in sua *Lucerna morali* edita Romæ an. 1698.

XIX. Quæ sequuntur, totidem fere verbis transcribam ex *succincta narratione* ipsius P. Gonzalez, seu ejusdem Compilatoris. Persequitur itaque Gonzalez exponere verum sensum doctrinæ a se propugnatæ. Evincit, sententiam recentium Probabilistarum asserentium, unicuique licitum esse sequi opinionem minus tutam, si sciat esse absolute probabilem, quamvis & in actu primo appareat minus verisimilis quam opposita, non esse communem inter Theologos hujus sæculi. Quamvis enim plures post Medinam doceant, licere sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, non propterea eo in sensu hoc docent, ut licitum sit alicui sequi opinionem quæ ipsi operanti in actu primo sit minus verisimilis. Sed de ea opinione loquuntur quæ licet probabilior, seu communior non sit inter Theologos, ob aliquam gravem rationem ipsi operanti probabilior apparet. Quamquam enim ea opinio plerumque sit probabilior quæ a pluribus Doctoribus defenditur, cum juxta Philosophum probabilia sint quæ videntur omnibus, vel plurimis, vel maxime notis, & illustribus; alicui tamen opinio opposita, quæ absolute minus probabilis est, probabilior apparet. Quare in eo tractatu ostendit *Præpositus Generalis*, falso Jansenistas tribuere communi consensui Jesuitarum sententiam benignam in sensu odioso, & intellectam de opinione minus tuta, quæ ab ipso operante judicetur falsa, vel prudenter possit judicari, eo quod opposita, ratione, & auctoritate appareat illi verisimilior; modumque tradit Jesuitis, quo possunt explicare multos ex suis Auctoribus classicis, eosque liberare ab invidia quam illis conflant Jansenistæ. Et reapse hoc in sensu P. Franciscus Suarez *Tom. IV. de Relig. pag. 544.* docet, licitum esse sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, videlicet probabiliore, spectata Doctorum multitu-

tudine; quæ cœterum operanti magis probabilis est. Idcirco oppositam sequitur, quæ licet minus probabilis sit comparate ad multitudinem Doctorum, ipsi tamen operanti citra passionem probabilior est. Præterea in eo tractatu ostendit esse falsam doctrinam Iansenistarum, & quorumdam aliorum Theologorum nimis rigidorum, assentientium, nullam opinionem probabilem reipsa falsam, & legi divinæ contrariam, a peccato coram Deo excusare.

XX. Ex hac relatione concludit, non paucis omissis, Compilator, quam utilis sit ad consulendum honori Societatis tractatus Præpositi Generalis, in quo declinans nimium rigorem, & nimiam indulgentiam in usu opinionum probabilium, moderatum usum tradit; & probat, maligne Iansenistas tribuere Societati sententiam Probabilistarum, acceptam in secundo sensu, invidiæ pleno. Illam enim multi ex præcipuis & gravioribus non docuerunt in illo sensu, sed in priori, nempe quando opinio minus probabilis relative ad alios, ipsi operanti probabilior est. Et hoc solum docet ut Doctor particularis, non ut Generalis, nullum ex suis subditis ad ita docendum astringens, sed omnibus plenam libertatem relinquens, ut in hac gravissima controversia eam defendant quam post diligentem veritatis inquisitionem, & accuratum studium ex sincero desiderio non errandi, sententiam solidioribus nixam fundamentis deprehenderint. In hoc tractatu ostendit solidum, & fundatum modum quo Iesuitæ tueri possunt, licitum esse sequi opinionem probabilem omnino tutam, relicta tutiori, & probabiliori, quamvis opponantur antiquis omnibus, de quibus vere pronuntiavit P. Franciscus Amicus *Tom. III. Curs. theol. disp. x. num. 79.* videlicet, omnes fere antiquos negare, licitum esse operari secundum opinionem minus tutam, quæ minus probabilis judicatur, semperque exigere ut illa operanti sit probabilior. Et Antonius de Cordova in suo *Quæstionar. theolog. edito 1556. quæst.* III. *assert.* I. affirmat, partem tutiorem esse tenendam, quando illa est probabilior. Et subdit: In hoc omnes Theologi consentiunt. Possunt igitur multi ex antiquis commode exponi, dum dicunt dari obligationem sequendi opinionem tutiorem, quando illa est probabilior, ut scilicet loquantur de probabilitate respective ad operantem, ut nimirum operans teneatur sequi sententiam tutiorem, quando illi apparet probabilior: ac proinde dum dicunt satis esse ad operandum secundum sententiam minus tutam, solum volunt opinionem operanti debere esse probabiliorem, seu verisimiliorem; non autem quod sit absolute probabilior in se, seu quod habeat pro se plures, & graves Auctores. Quæ hactenus dicta sunt, transcripsi ex succincta narratione, pluribus omissis. Quæ sequuntur, ad litteram describam: idcirco illa signavi.

XXI. „ Præcipua vero utilitas est, ne adversarii nostri cum fundamento dicere „ possint, Societatem fucum facere, & verba solum dedisse, dum in Congre-

„ ga-

„ gatione ultima declaravit, Societatem non adscivisse, ut propriam, sententiam „ benignam de usu licito opinionis minus probabilis, minus tutæ, & ipsi operanti minus probabilis, seu minus verisimilis; & declarationem esse factis contrariam, dum nullus effectus illius decreti post tot annos visus est, sed adhuc post „ decretum pergunt Iesuitæ eo modo quo antea, illi insistere doctrinæ, & infensos se ostendere illis qui illam impugnant. Id autem faciunt ex falsa persuasione, quod omnes Doctores Societatis ante Alexandrum VII. excepto Paulo Comitolo, & P. Andrea Blanci, illam propugnaverint in sensu illo primo, quo „ sequentes moderni cum Caramuele, & in quo solum illam impugnat P. Generalis, cum tamen efficaciter probet, nec P. Suarez, nec alios multos Auctores „ classicos huius sæculi, intra & extra Societatem, locutos fuisse de opinione minus tuta, quæ ipsi operanti appareat in actu primo minus verisimilis quam opposita, seu magis falsa quam vera, speretque paucos fore in Societate, qui interrogati, an liceat, homines facere actionem de qua disputatur an sit peccatum mortale, & ipsorum fundamenta ipsi videntur urgentiora quam fundamenta sententiæ oppositæ, paucos, inquam, fore qui sic interrogati respondeant „ licere.

XXII. „ Ob hunc finem præcipue iudicavit Præpositus Generalis suæ obligationis esse, Religionem sibi commissam liberare a tam odiosa nota, typis mandando tractatum succinctum, in quo illam doctrinam in eo secundo sensu acceptam ex professo impugnaret, & ostenderet eam in eo sensu acceptam non esse „ communem inter Doctores classicos Societatis, licet non pauci illam in eo sensu secuti sint.

XXIII. „ Vix autem PP. Assistentes cognoverunt, P. Generalem diligenter sub „ prælo habere tractatum in quo ex professo impugnabat usum licitum opinionis „ probabilis minus tutæ, nisi post diligentem veritatis inquisitionem in actu primo „ illa appareat verisimilior quam opposita, & idcirco ab eo iudicatur vera, & legi divinæ non contraria, cum in unum convenientes obtulerunt libellum supplicem P. Generali, cuius conclusio erat petere ut librum suum supprimat, sive „ ille nondum typis mandatus sit, sive totus, sive ex parte sit impressus.

XXIV. „ Præpositus Generalis respondit illis impense gratias agendo pro insigni „ zelo, quo illum admonebant, & pro summa vigilantia, qua Societatis bono „ prospiciebant: addidit vero quoad impressionem impediendam, iam non esse „ tempus, quia illa absque dubio tunc esset finita, quod erat certum. Nam illi „ obtulerunt suum libellum quarta die Novembris, & ad finem Octobris finita „ fuerat. Hoc supposito respondit. 1. Se libenter hoc tribuere iudicio ipsorum PP. „ ut liber non prodeat nomine suo, dummodo prodeat nomine alicuius Theologi „ Societatis saltem in genere. 2. Quia intellexit illis specialiter displicuisse dissert.

„ 2. Ca-

„ „ cujus index ad ipsos transmissus fuit, exposuit illis, in tractatu se reperisse
„ errorem typographi, vel amanuensis: nam cum deberet sic apponi: *Dissertatio*
„ *2. continens gravissimas rationes ob quas expediens fuit ut Societas in ultima Con-*
„ *gregatione generali declararet, non esse suam, nec ad se attinere sententiam beni-*
„ *gnam de usu licito opinionis minus probabilis, & minus tutæ in concursu proba-*
„ *bilioris, & tutioris:* sic est appositum: *continens rationes ob quas ultima Congre-*
„ *gatio declaravit* .... quo significatur illas rationes expensas fuisse in Congre-
„ gatione; quod erat manifeste falsum. Cum, inquam, intellexisset hoc illis dis-
„ plicuisse, rem illis exposuit, & testatus est irrepsisse errorem in eum titulum;
„ & ideo cum primum accepit quaternionem impressum fuisse, jussit ut inter er-
„ rata primo loco poneretur; addiditque id evidenter omnibus constiturum ex præ-
„ fatione illius dissertationis, in qua expresse notabat rationes illas eas esse quas
„ ipse suis Superioribus repræsentabat, ne permitterent illam doctrinam fieri pro-
„ priam Societatis, sicut scientiam mediam: ideoque illam præfationem sic absol-
„ visse: *Hic appendam rationes, quibus ad hoc procurandum permotus sum.*

XXV. „ Insuper adjunxit, se quidem securum esse, nihil in illis rationibus tan-
„ gi quod possit merito offendere: ceterum si, illis lectis, & examinatis, judica-
„ retur oppositum, se paratum esse totam illam dissertationem a reliquo opere li-
„ bri extrahere; & loco illius aliam substituere, quæ foret de magno honore So-
„ cietatis, in qua scilicet probaretur, quod quamvis Iesuitæ ut plurimum secuti
„ essent doctrinam communem in hoc sæculo de usu licito opinionis probabilis
„ minus tutæ in occursu probabilioris & tutioris; nullos tamen magis limitasse
„ illud principium, & intra certos cancellos coarctasse quam Iesuitas. Ad petitio-
„ nem vero PP. Assistentium respondit his formalibus verbis, quae ipsis prælegit.
„ .... *Quia jam publicum est, me inter varia typis mandare tractatum de recto*
„ *usu opinionis probabilis, omnino necessarium duxi ob rationes gravissimas, quas*
„ *habeo, ut antequam agatur de libro publicando, vel non publicando, huc secreto*
„ *afferantur duo exemplaria vel tria, ut V. V. R. R. & Secretarius Societatis cir-*
„ *cumspiciant, an contineant doctrinam quæ gloriæ Dei, & bonori Societatis possit*
„ *incommodare, & tunc cum plena libri cognitione mihi exponant rationes quæ*
„ *ipsis occurrerint pro publicando, vel supprimendo libro, ut, illis attente conside-*
„ *ratis, & expensis, ego determinem id quod in Domino judicavero esse de majo-*
„ *ri gloria Dei, & nostræ Societatis vero honore, quem unice quæro.*

XXVI. „ PP. Assistentes, non contenti hoc responso, sex diebus post oblatum
„ primum libellum supplicem obtulerunt secundum, nempe die 10. Decembris, in
„ quo suam sententiam de libro diligenter impresso, sic expresserunt, ut dicerent,
„ illic, ubi natus est, ita supprimendum, ut nullum ejus exemplar afferatur Ro-
„ mam. Præpositus Generalis huic postulato acquiescere non potuit. Quid enim

„ am-

„ amplius potuissent postulare, si, lecto libro, deprehendissent illum continere „ pravam doctrinam contra fidem, & bonos mores? Esset enim hæc suppressio „ non solum contra honorem Generalis, sed contra honorem Societatis, cui pro„ brosum esset quod eius caput impressisset librum malæ doctrinæ; ita ut Religio „ ipsa compulsa sit illum perpetuis tenebris damnare, quin permiserit ullum exem„ plar comparere in mundo. Quis credat enim viros Religiosos, & cordatos tam „ duram protulisse sententiam contra librum sui Præpositi Generalis, nisi propter „ doctrinam pravam? Quis credat illos eo solum nomine tam severe censuisse de „ illo qui continet doctrinam paullo severiorem quam sit illa quam sequuntur re„ centes Probabilistæ? Et tamen doctrina libri non alio titulo potuit displicere il„ lis. Nam si liber non displicuisset propter doctrinam, sed solum propter aliqua „ incidentia, deberent ipsi sollicitare ut aliqua exemplaria veherentur Romam, & „ subiicerentur examini, ut, ablatis accidentibus, maneret salva doctrina: quod „ cum non fecerint, signum est displicere doctrinam eo titulo quod illis videa„ tur contraria communi sententiæ nostrorum Doctorum; quod tamen verum „ non est.

XXVII. „ Postquam PP. Assistentes animadverterunt Patrem Generalem acquie„ visse suo consilio, timentes ne obtineret a Pontifice, ne libri examen commit„ teret alicui Congregationi particulari Cardinalium, & Theologorum, a sua San„ ctitate designandorum, & merito metuentes quod, si obtinuisset, liber esset pu„ blicandus, salva tota doctrinæ substantia, correctis dumtaxat aliquibus acciden„ tibus, quæ possunt in politica offendere. & audientes Patrem Generalem hoc „ secreto totis viribus intendere, inito de novo consilio, nomine omnium, unus „ ex illis allocutus est Pontificem, &, ut creditur, reliquit ei libellum supplicem „ ab omnibus subscriptum, in quo repræsentabant turbandam esse Religionem, si „ liber ille publicaretur, magnaque scandala inde oritura in tota Societate, & o„ mnibus viis conati sunt præoccupare aures Pontificis, & persuadere, expedire „ bono Societatis ut liber ille supprimatur.

XXVIII. „ Generalis e contra postulat ut liber subiciatur examini, & non da„ mnetur ante prævisa merita ad instantiam PP. Assistentium, & aliorum Iesui„ tarum, qui librum non legerunt, obtestatus se aliud non intendere quam glo„ riam Dei, & Societatis, & paratum esse corrigere ea quæ iudices designandi „ iudicaverint corrigenda, vel perpetuis tenebris damnare, si post examen ita iu„ dicaverint: & suæ Sanctitati obtulit scripta aliqua, quibus probatur suppressio„ nem huius libri esse contra honorem Societatis, & ipsius Sedis Apostolicæ, & „ quibus ostenditur, nullam turbationem secuturam in Societate ex publicatione „ huius libri, & doctrinam eius non esse contra Auctores omnes Societatis clas„ sicos, sed contra aliquos dumtaxat, & esse conformem doctrinæ Patrum, &

„ omnium

„ *omnium Theologorum antiquorum*, & communi recentium Theologorum, qui post
„ Alexandrum VII. extra Societatem de hac controversia scripserunt, & esse do-
„ ctrinam conformem iuri canonico, & quam pro reformanda Theologia morali
„ desideraverant Alexander VII. & Innocentius XI.

XXIX. „ Quia vero PP Assistentes, & alii Iesuitæ Romæ nihil magis timent
„ quam quod liber iussu Pontificis subiiciatur examini alicuius Congregationis par-
„ ticularis Cardinalium, & Theologorum, ad hoc impediendum, & rem invol-
„ vendam, suggesserunt Pontifici, ut res differretur usque ad Congregationem
„ Procuratorum: non posse suffragium ferre, an sit . . . . Pontifex novum con-
„ dens ius hanc potestatem illi tribuat, nec Pontificem congrue posse iudicium
„ libri committere Congregationi illi ad quam ex Provinciis non solent mitti com-
„ muniter Professores Theologi exercitati in scholis, prout erat opus ad feren-
„ dum iudicium de libro; neque hoc examen posse illis committi sine magnis ex-
„ pensis Provinciarum, quia ad examinandum librum deberent spatium aliquod
„ temporis hic manere. Quod si ex illis Procuratoribus velit Pontifex, ex singu-
„ lis Assistentibus eligere unum, & iudicio quinque virorum committere iudicium
„ libri, id facilius poterit nunc facere Romæ. "

XXX. Quæ ultimo loco recitavi, omittit P. *Paulus* Segneri in sua secunda e-pistola transcribere. Ceterum succincta narratio, quam italica lingua scriptam refert P. Segneri in sua secunda *epist.* & altera, quæ latine typis edita est, in omnibus conveniunt. Præfata narratio nulli suspicioni obnoxia est. Facta enim fuit vel ab ipso P. Gonzalez, vel ab altero Iesuita, Compilatore nuncupato, qui nempe opus P. Gonzalez compilavit, ipso P. Segneri fatente. Hinc quisque colligere valet, quodnam fuerit hoc tempore in Societate pro opinione probabilistica sarta tecta propugnanda studium, quænam sollicitudo, quænam anxietas. Verum de hoc capite sequenti. Sub finem Tomi adiiciam censuras latas a quinque Revisoribus Societatis sub Generali Oliva in opus P. Gonzalez; & simul dabo censuram piissimi P. Alfari in censuras Revisorum.

CAPUT VI.

Decretum Innocentii XI. adversus Probabilismum. Nonnullæ in illud animadversiones. P. Segneri effugia vana.

I. Distuli in hunc locum transcribere decretum sanctissimi Pontificis Innocentii XI. tametsi, antequam P. Tyrsus ad Præfecturam Societatis proveheretur, latum fuerit, ne rerum narratio perturbaretur. Decretum autem eiusmodi est.

Die

Die xxvi. Iunii 1680.

Facta relatione per P. Laurium contentorum in litteris P. Tyrsi Gonzalez Soc. IESU, Sanctissimo nostro directis, Eminentissimi dixerunt, scribendum per Secretarium Status Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut significet dicto P. Tyrso, quod Sanctitas sua benigne acceptis, & non sine laude perlectis litteris, mandavit ut ipse libere, & intrepide prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet sententiam asserentem licitum esse sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris SIC COGNITAE, & IUDICATAE, eumque P. Tyrsum certum faciat, quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit, & scripserit, gratum erit Sanctitati suæ.

Iniungendum pariter P. Generali Societatis IESU de ordine Sanctitatis suæ, ne ullo modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione minus probabili, & impugnare sententiam asserentium, licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in concursu magis probabilis SIC COGNITAE, & IUDICATAE, verum etiam relate ad omnes Universitates Societatis mentem Sanctitatis suæ esse ut quilibet pro suo libito libere scribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eisque iubeat ut mandato Sanctitatis suæ omnino se submittant.

Die viii. Iulii 1680.

Intimato prædicto ordine Sanctitatis suæ P. Generali Societatis Iesu per R. P. D. Assessorem, respondit, se in omnibus quam citius pariturum, licet nec per se ipsum, nec per suos prædecessores fuerit umquam interdictum scribere pro opinione magis probabili, eamque docere.

II. Festiva sunt commenta, quibus illudere hoc decretum pertentarunt nonnulli. Referibam aliqua eorum quæ habet P. Paulus Segneri epist. 11. pag. 289. *Ora a riducci a sentiero, quando Innocenzo XI. ed altri tali amarono stamparsi dal P. Tirso, che ciascun sia tenuto a seguitare l'opinione maggiormente probabile al paragone, stimarono senza dubbio ch'egli parlasse della opinione maggiormente probabile al tribunale universale de' dotti, non al solo tribunaluccio privato dell'operante: altrimenti qual dubbio v'è ch'essi tutti in vece di promovere l'impressione sì con la lettera al Sig Cardinal Melini, e sì con quegli altri tanto onorevoli fogli, che il P. ha veduti poi pubblicati a proprio vantaggio, sarebbonsi per lo meno astenuti da qualsivoglia atto che potesse aggiugnere pregio alla novità. Gli onori furono per quanto può giudicarsi fondati in falso, cioè fondati nel credere fatiamente ch'egli tenesse la sentenza severa comune agli altri, non una tale che avesse la severità più di titolo che di fondo . . . Il Pontefice non ordinò per mezzo del Signor Cardinal Cybo, che la Congregazione generale facesse decreto, nel quale ella desse piena libertà a tutta la Religione di poter difendere, e stampare l'una e l'altra sentenza, come ad ognuno paresse.* Quæ sic verto „ Ut in semitam regrediamur, quan-

„ do-

„ do Innocentius XI. aliique concupiere edi a P. Tyrso librum amplectendæ opinionis probabilioris in conflictu, dubio procul existimarunt, eumdem loqui de opinione probabiliore, relate ad tribunal universale doctiorum, minime respectu ingenioli operantis. Alioquin non est ambigendi locus quin ipsi non modo editionem non promovissent tum litteris datis ad Cardinalem Mellinum, tum aliis scriptis, quæ tanto sui honore publicari vidit P. Tyrsus, sed a quaque actione abstinuissent quæ addere pretium novitati posset. Honores, quantum conjici potest, falsitate parti fuere, *videlicet creditum prudenter fuit, P. Tyrsum defendere sententiam severam aliis communem*, secus opinionem talem quæ fucatam potius quam veram præferret severitatem. Pontifex minime medio Cardinali Cybo jussit Congregationi generali ut decretum conderet, quo facultatem faceret Theologis Societatis alterutram defendere opinionem, prout cuique luberet.“

III. Conferantur simul decretum pontificium, & P. Segneri interpretamenta. P. Segneri perpetuo improperat Generali suo Gonzalez defensionem sententiæ probabilioris relate ad operantem. Et hoc in sensu, debitis servatis conditionibus, ab eodem Tyrso fuse explicatis, Pontifex Innocentius jubet defendi sententiam probabiliorem, nempe ab operante *SIC COGNITAM*, & *JUDICATAM*. Præterea Pontifex præcipit P. Præposito Generali Iesuitarum, *ne ullo modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione minus probabili, & impugnare sententiam asserentium licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in concursu magis probabilis SIC COGNITAE, & JUDICATAE*. Præterea in mandatis a Pontifice Generalis Societatis accepit ut subditos suos in ordinem redigeret: *Jubeat ut MANDATO Sanctitatis suæ omnino se submittant*. Multis hic opus non est, ut falsitas interpretamenti quod ex Segneri retulimus, evincatur.

IV. Illud quod summopere advertere debemus, & quod in hoc negotio rem conficit, est ingenua P. Segneri confessio, qua testatur, Pontificem summum, ejusque Revisores, & Congregationis S. Officii Cardinales, & Prælatos improbare usum opinionis minus probabilis juxta communem sensum. Fatetur, Sedem Apostolicam præcipere Generali Societatis ut jubeat doceri in gymnasiis suæ Religionis sententiam probabiliorem communem. Hoc non semel, sed passim testatur P. Segneri in sua *epist.* 11. siquidem pag. 221. inquit: *Iudices Pontificis si adprobarunt opus P. Tyrsi, id fuit in caussa quod existimarunt eum docere communem sententiam probabiliorem*. Pag. 222. *Papa Innocentius, ejusque ministri reputarunt, P. Tyrsum illam severam sententiam propugnare quam tum communiter ceteri omnes Antiprobabilistæ defendebant*. Pag. 229. *Existimarunt Pontifex, ejusque ministri, a P. Gonzalez sententiam probabiliorem defendi juxta communem aliorum sensum, non opinionem cujus titulus tantum præferret severitatis fucum, re autem opinionem alea, & temeritatis plenissimam*.

V.

V. Ergo, fatente P. Segneri, Sedes Apostolica, improbata sententia minus probabili, præcipit amplectendam sententiam probabiliorem iuxta communem sensum Theologorum Antiprobabilistarum. Hoc autem nobis sufficit. Eccur ergo P. Segneri non subscripsit huic sententiæ probabiliori, cuius usum præcipi a Pontifice fatetur? Cur propugnat Probabilismum adversus communem sensum omnium Antiprobabilistarum? Cur Societas universa vi & communis professionis, & quarti voti peculiaris non obedivit Pontificis mandato? Confitetur, sententiam probabiliorem communi Doctorum sensu intellectam a Sede Apostolica adprobari, eiusque usum præcipi, reiecta minus probabili: & nihilosecius tribus epistolis minus probabilem sententiam adversus communem omnium Theologorum Antiprobabilistarum sensum propugnat? Scientiam quampiam mediam, horum omnium conciliatricem, inveniant adversarii. Nam P. Segneri non semel, sed constanter, pro re nata, fatetur, Sedem Apostolicam præcipere sententiam probabiliorem secundum communem Theologorum intelligentiam, reiecta minus probabili, amplectendam esse. Hoc nobis sat est. Quod postea Reverendissimus P. Tyrsus Gonzalez Præpositus Generalis Societatis Iesu in suo tractatu doceat sententiam singularem, *arrischiata, e sospetta*, videlicet suspicionis, & temeritatis plenam, hoc ad nos nihil attinet. Defensio P. Gonzalez est eiusdem doctissimum opus, non sapientia modo, verum etiam prudentia, pietate, & eruditione refertum.

VI. Altera animadversio spectat turbas, rumores, dissidia, vices caussæ istius. Pontifex sanctissimus Innocentius, eiusdem iudices ministri Cardinales, & Generalis Societatis IESU ex una parte nullum non moverunt lapidem, nihil eorum quæ temporum ratio permisit, intentatum reliquerunt, ut eliminarent e Societate Probabilismum. Hunc decreto universæ Ecclesiæ denuntiato damnavit Papa Innocentius anno 1679. in re sacramentaria, fidei, iustitiæ, belli, aliisque in controversiis. Eumdem peculiari decreto arcere ex Societate studuit P. Tyrsus Gonzalez. Hæc omnia luculentissima sunt. At non minus ex altera parte luculenta, & mirifica fuit animi constantia, & pectoris firmitas in Probabilismi iuribus propugnandis, quin & amplificandis. Et, quod omnem superetur fidem, Pontifex summus, illius iudices, P. Generalis Gonzalez censuras gravissimas incurrerunt in saniore promovenda doctrina; ut palam fecimus. Quid ad hæc Probabilistæ? Quid ad hæc P. Segneri? Audi eius epistolæ conclusionem.

VII. Segneri epist. 11. §. 29. pag. 231. num. 82 *Solamente mi resta addimandarle, se la scrittura da me chiosata sia ora sembri a lei fatta in commendazione reale di quello che può dirsi l'EROE dell'opera, o in apparenza? Non altro è stato dunque, che un DOLOR giusto quello che mi ha spinto a voler mettere in chiaro la verità. Se per avventura l'avessi io messa in lume più vivo del sufficiente, ella mi perdoni, DA CHE IL DOLORE, QUANDO E' CONSIDERABILE, NON*

HA

MA LEGGE. V. S. dia tuttavia di penna con libertà a ciò ch' ella non approvi in questi miei fogli, affinchè dalle sue mani non trapassino a quelle di un altro, se non corretti.

VIII. Hæc est conclusio, hic finis secundæ epistolæ, in qua P. Segneri alloquitur amicum suum *Lactantium Vaiani* Canonicum, ad quem epistolas dedit. Inquit ergo. „ Illud dumtaxat est reliquum ut a te petam, videatur ne tibi scri„ ptum, quod hactenus ego commentariis illustravi, in veram, an in fucatam „ commendationem illius cedere qui appellari Operis HEROS valet? Si forte vi„ vidius (seu acrius) quam par est illud exposuerim, parcas velim, *QUONIAM* „ *DOLOR GRAVIS LEGEM NESCIT*. Tu nihilominus ex his foliis ea omnia „ expunge quæ tibi non probantur, ne e tuis ad aliorum manus sine correctione „ perveniant. “

IX. Non ergo mente serena, tranquilloque animo, sed acerbissimo percitus dolore, P. Segneri hanc caussam versavit. Ecquænam tantæ mœstitiæ, ac tantorum caussa malorum? Probabilismus. Nimius istius amor turbare mentem, ferire animum, armare calamum potuit in Pontificem, in eius ministros, in proprium Generalem? Scilicet. Pius, ac eloquens P. Segneri, zeloque animarum magnopere flagrans, persuasus erat, sententiam minus probabilem faciliorem reddere paradisi viam, suavius efficere Christi iugum, atque plurimas cælo lucrari animas, quæ æternum sine Probabilismo perirent. Non ergo mirum, si hac persuasione vehementer præventus, & aliorum auctoritate, & consiliis pressus, limites suæ modestiæ, & moderationis transilierit. Hæc dicta sint, non ut quidquam cultus, & obsequii, tot aliis titulis celeberrimo P. Paulo Segneri debiti, depereat; sed ut nihili in hac controversia illius habeatur auctoritas. Si plura cupis de eius epistolis scire, consule *dissert. 11. super Historia Probabilismi & Rigorismi*.

C A P U T VII.

Extremum Probabilismi decrementum ab anno 1690. ad hæc usque tempora nostra.

I. Post tot rerum, turbarumque discrimina P. Tyrsus Gonzalez Generalis Præpositus Societatis Iesu edito brevi tractatu Delingæ anno 1691. tandem anno 1694. integrum suum tractatum Romæ publici iuris fecit. Editionem Romanam innumeræ aliæ editiones consecutæ sunt. P. Gabriel Daniel novam hoc tempore aggressus est apologiam adversus epistolas Blasii Paschalis. Duplicis criminis Paschalem postulat, & quod regulas dialogi exacte non servaverit, & quod minus in referendis Casuistarum sententiis sincerus fuerit. P. Matthæus Petit-Didier opus P. Danielis refutavit. Festiva ac lepida est argumentatio, qua sub initium

tium primi Tomi P. Petit-Didier circumvenit P. Danielem. Argumentationis sensum latine ex Gallico idiomate vertam. Duplex hominum genus, ait R. P. dialogos tuos improbat; nimirum qui legerunt, & qui non legerunt. Miraris, eos qui opus tuum non legerint, iudicum tribunal erigere, simulque opus damnare? Appellabis proculdubio ab hoc iudicio veluti iniusto. Sed prius istorum rationes audias velim. Præscriptionis ius isti iactant. Si Casuistarum textus falso laudati fuissent, numquid medio & amplius sæculo tot acuti Probabilistæ tacuissent? Numquid falsitatis non revicissent epistolarum Auctorem? Quid plura? Quot apologiæ pro Casuistis non prodiere? Si istarum nulla vindicare a laxis opinionibus eosdem valuit; numquid P. Daniel post quinquaginta præscriptionis annos id præstabit? Quid quod anno 1656. severum examen Parisiis institutum est super hoc facto, nimirum sintne casuisticæ propositiones sincere decerptæ ex Probabilistarum libris? Integer insumptus mensis fuit in conferendis laxis propositionibus cum textu originali, a quo illæ decerptæ fuerunt. Et iudices deputati, peracto severo examine, declararunt, sinceritate summa extractas opiniones fuisse, totidemque verbis reperiri in libris Moralistarum. Si igitur post iudicium adeo severum, nulla in citationibus deprehensa infidelitas est, aquam cribro hauriet P. Daniel hoc suo novo examine. Hoc est iudicium eorum qui librum P. Danielis non legerunt. Qui e contrario eumdem legerunt, opinionibus laxis conlatis cum textibus librorum, unde eædem decerptæ sunt, nihil infidelitatis, nihil falsitatis, aut fraudis, ad hoc quod attinet, deprehenderunt. Hæc indicasse sufficiat. Nam, missis epistolis provincialibus ab Ecclesia merito proscriptis, in singulis huius Theologiæ tractatibus laxissimas dabo propositiones, quas ipse ex libris Probabilistarum decerpsi.

II. Nonnullas epistolas idem *P. Daniel* evulgavit adversus *P. Natalem ab Alexandro*, satyræ salibus plus æquo respersas. Istarum epistolarum tertia tota occupatur in adiudicando Dominicanis Probabilismi invento. Certamen istud litterarium Patrem Danielem inter & P. Natalem ad hanc historiam totum pertinet. Quamobrem eiusdem origo patefacienda, quæ est huiusmodi. Iacobus Nicolaus Colbert Archiepiscopus Rothomagensis anno 1696. missis aliorum Moralistarum libris, decretum evulgavit, quo Clerum sibi subiectum astringebat edicere Theologiam moralem ex libris P. Natalis ab Alexandro, & Francisci Genuet Episcopi Vasionensis. Adversus hoc Archiepiscopi decretum librum in lucem dederunt Probabilistæ, hoc inscriptum titulo. *Difficultates propositæ Archiepiscopo Rothomagensi ab uno suæ diœcesis Ecclesiastico super lectione librorum quos suis Curatis legendos præscribit*. Ex Theologia dogmatica & morali P. Natalis duæ supra viginti propositiones decerptæ fuerunt a Probabilistis, & nimii rigoris censuris inustæ. Auctor libelli reputatus fuit P. Daniel tum ex stili qualitate, tum quod paucis ante

te annis Archiepiscopus hunc Patrem selegerat ad componendum Theologiæ cursum legendum in diœcesi: & reapse iam prælo quosdam tractatus maturos habebat, cum decretum emanavit in publicum legendi Theologiam P Natalis ab Alexandro. Hæc sunt indicia, quæ præfati libelli parentem P. Danielem produnt. Vera ne sint, an falsa, me ignorare fateor. Valde offensus Archiepiscopus, quod censuris obnoxium viderit decretum suum, inquisivit in Auctores. Continuo deprehendit, *P. Buffier*, socium P. Danielis, libelli exemplaria per universam diœcesim disseminare. Ita testatur ipse P. Daniel *in præf. ad decem epistolas scriptas contra P. Natalem*. Hæc sunt illius verba ex Gallico idiomate latine reddita. *P. Buffier Iesuita, qui opus illud minime confecerat, cum accusatus fuisset, quod aliqua distribuisset exemplaria, pœnas Auctoris, si deprehensus fuisset, debitas luit*. Anno 1697. libellum proscripsit Archiepiscopus publica suæ pastorali epistola, cuius pauca transcribam. „ Offensio publica, quam in nostra diœcesi libellus iste „ excitavit, ad inquirendum in Auctores, aut disseminatores scripti tam seditio- „ si nos impulit: compertumque habuimus, P. Buffierium Societatis Iesu Profes- „ sorem, unum ex iis esse qui illud studiose in vulgus disseminabant. Tam ne- „ fandæ temeritatis licentiam impunitam, inultamque ferri non debere iudicavi- „ mus. Quamobrem illum sacro mulctavimus interdicto, eiusque Superiores voca- „ vimus ut propositiones contrarias libelli supradicti erroribus ab illo subscribi, „ eosque errores ab illo eiurari, seu improbari de mandato nostro curarent, qua „ satisfactione iniuria episcopali auctoritati illata expiaretur.

„ Et Superiorum quidem humilem erga Episcopatum reverentiam probavimus „ & laudavimus: omnem enim auctoritatem suam adhibuere ut P. Buffierium ad „ plenam satisfactionem adducerent. Verum eorum iussioni, ac Archiepiscopi man- „ datis parere vir ille rebellis recusavit; & contumaciam qua par erat severi- „ tate puniverunt. "

III. Decem subscribere propositionibus iussus est P. *Buffier*. Prima probabilitatem, secunda peccatum philosophicum, tertia obstinatos, quatuor aliæ divinum amorem, & tres ultimæ ambitum ecclesiasticarum dignitatum spectabant. Nec Archiepiscopi auctoritas, nec proprii Superioris mandata in ordinem redigere Patrem *Buffier* potuerunt. Epistolam *P. Arrat* Vice-Provincialis Societatis Iesu in provincia Franciæ ad Archiepiscopum Rothomagensem adversus libellum a P. Buffier disseminatum legere poteris in nostra Historia Probabilismi & Rigorismi *diss. I. cap. IV.* Serius rem recogitans *P. Buffier* libellum ab Archiepiscopo proscriptum reprobavit, & decem propositionibus subscripsit. Libellum damnatum ab Archiepiscopo refutavit P. Natalis Alexander alio libro inscripto: *Elucidationes difficultatum propositarum Archiepiscopo Rothomagensi super pluribus Moralis IESU Christi gestis*. P. Alexander hoc in opusculo gallice scripto librum disseminatum a P.

X ij. Buf-

Buffier adjudicat P. Danieli, qui prima epistola ad P. Natalem data aperte negat se esse præfati libri auctorem. Hæc prima certaminis origo inter P. Natalem, & P. Danielem. Epistolarum P. Danielis ad P. Natalem sex versant gratiæ divinæ controversias, altera restrictiones mentales, tres aliæ similitudinem inter Moralem Dominicanorum, & Iesuitarum referunt. Has epistolas aliis epistolis repulit P. Natalis. Conflictus litterarius adeo exarsit, ut P. Danielis fautores Regis auctoritatem, quæ dissidio finem imponeret, implorarint. Indicto utrique parti silentio, illius tenax fuit P. Natalis, secus P. Daniel, qui paucis post mensibus epistolas utriusque recudi Lugduni fecit, demptis in epistolis P. Alexandri quæ sibi displicebant, & adiecta præfatione, in qua sibi accinnebat victoriam. Sed hæc cito disperiit: nam altera editio successit, in qua, factorum serie sincere exposita, cuinam debeatur victoria, lectorum judicio permissum fuit. Familiaris hactenus fuit Scriptoribus istis ars isthæc. Dum se victos sentiunt, libellos evulgant sane impudentes falsitatum plenissimos, quibus imperitis, & otiosis gregalibus fucum faciant. E vestigio silentium indici utrique parti, prætextu mutuæ pacis, benevolorum patrocinio implorant; quod tamen ipsi minime servant. Nimis sibi blandiuntur, si existiment se veritatem oppressuros. Hæc obiter.

IV. Anno 1690. Alexander VIII. quinquaginta & unam propositiones damnavit, quas inter una Probabilismum spectat, estque sequens: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Hanc docuisse Iansenistas, docent communiter Auctores. Neminem ego Catholicorum legi qui hunc propugnet errorem. P. Norbertus d'Ebecque anno 1695. librum edidit adversus *Philosophismum, & Probabilismum*. Hoc eodem tempore P. Ægidius Estrix celebris Iesuita scriptum eleganti stilo exaratum obtulit Innocentio XII. in quo vividis coloribus Probabilismum depingit. Inquit præ aliis: *Non est invenire locum sacrum, quo eam* (sententiam minus probabilem) *muniverint eius patroni, fere occupati struendis labyrinthis principiorum vestrorum, ut doceant esse licitum nobis quod ipsi iudicamus, aut iudicare possumus, ac debemus esse illicitum nobis. Est ne tam antiqua, ut saltem hoc titulo nobis veneranda sit? Heri, ut sic dicam, nata est. Ante annum 1577. omnibus incognita Theologis, Doctoribus, Patribus*. Hoc solum factum, omnium primorum Probabilistarum, nedum aliorum Theologorum, consensu firmatum, *novum* videlicet esse *Probabilismum*, ante annum 1577. magis incognitum quam novum mundum ante Columbum: hoc, inquam, solum factum satis superque illius falsitatem ostendit.

V. Probabilistæ, ut caussam in dies corruentem aliquo modo ab extremo exitio servarent, rationibus destituti, effugia captarunt. Iansenismi, & Rigorismi larvam affingere defensoribus sententiæ probabilioris unicum reputarunt suæ prostratæ caussæ fulcrum. Hæ censuræ, verius dixerim calumniæ, quibus sanioris doctrinæ gre-

graviores Theologi catholici traducebantur, tot excitarunt rumores, totque turbas, quas ut sedaret Innocentius XII. anno 1694. has litteras dedit ad Episcopos Belgas. *Fraternitatibus vestris quantum in Domino possumus praesentibus nostris mandatis iniungimus, ut nulla ratione quemquam vaga ista accusatione, & invidioso nomine* Iansenismi *traduci, aut nuncupari finatis, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his propositionibus docuisse, aut tenuisse; nec quemquam sub hoc praetextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac concionibus habendis, vel alia quacumque functione ecclesiastica permittatis, nisi servato iuris ordine, eam poenam, quae viris alioquin catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.* Similes anno 1696. litteras ad eosdem Episcopos dedit Pontifex sanctissimus, quibus illos adversus impactam Iansenismi calumniam animabat. Sed frustra omnia respectu non paucorum Probabilistarum, qui eos omnes Iansenistarum loco habent qui Probabilismo infensi sunt. In istorum catalogo perscriptus fuit vel ipse Episcopus Franciscus Genuet, quod Theologiam antiprobabilisticam evulgaverit, sapientissimo Clementi XI. dicatam, probatamque. Quam faciles sint Francolinus, & Casnedi in his affingendis censuris, infra dicam.

VI. Extremum atque mortale vulnus passus est Probabilismus anno 1700. quo Concilium nationale Gallicanum e toto vastissimo regno illum exterminavit. Decretum prolixum dissertatione sequenti referam. Post Concilium istud, nemo in Gallia ausus est palam Probabilismum defendere. Antiprobabilistae quippe cum instaurarunt argumentationem, qua iam ab anno 1656. evincere aggressi sunt, Probabilistas esse evangelicae Moralis, vi systematis probabilistici, minime ex animi sententia, corruptores. Festivam disputationem breviter narrabo, quae anno 1659. Tolosae habita fuit. P. Ioannes Ferrierius inter decem theologicas theses hanc exposuit. „ Doctrinam de opinione probabili cum maximis quibusque saeculorum omnium Scriptoribus propugnamus, contendimusque licere cuilibet in foro conscientiae ex duabus opinionibus, aequali hinc inde fundamento stabilitis, cui voluerit, adhaerere, quin etiam eam praelegere quae minus probabilis videretur. „ Definimus enim opinionem probabilem, firmum, ratumque iudicium, gravioris „ momenti rationibus innixum, & Scripturae sacrae, Conciliorum, Pontificumque „ decretis, unanimi Patrum, Doctorumque consensui nulla in parte repugnans. " Qui hanc thesim impugnandam suscepit, hanc erga Probabilistas obsequii protestationem praemisit. „ Impugno doctrinam de opinione probabili, ea tamen adhibita „ cautione, quod ea quae modo dicturus sum, & salvo amicitiae nostrae iure, & „ bona venia dicta semper velim. Neque enim incenso animo oppositum tueor, „ sed multa, eaque gravi ratione persuasus. Nefas quippe existimandum est, huic „ adhaerere sententiae, quae ab amplissimo Episcoporum consessu anathemate per„ culsa est. Episcopos ego doctrinae puritati ex suo munere hac in re consulen-

„ tes, audiendos putavi, quos qui audit, & Deum audit, ut habetur *Lucæ* x.
„ Quis enim non videat, thesim hanc consulto positam in derisionem Conventus
„ nuper habiti a quinque ex illis, tum in contemptum censurarum quibus hæc
„ corruptionis origo profligata fuit?“ Hæc disputatio peracta fuit postquam plurium diœcesum Episcopi anathemata dixerant in Probabilismum. Quod argumentator evincendum suscipit, est, Probabilistas esse Moralis evangelicæ corruptores, vi, ut dixi, non animi, sed systematis. Hæc ratio inferendi enormia absurda ex aliqua thesi familiaris est Theologis, nemoque sibi illam vitio vertit, ut pluribus exemplis patefacere possem. His præmissis, hoc pacto thesim arguens impugnavit.

VII. „ Posita hac doctrina de opinione probabili, hæc propositio, *Probabilistæ*
„ *sunt corruptores morum*, est probabilis. Consequens non admittitur: ergo nec
„ antecedens.

„ *Probatur maior*.

„ Hæc propositio, *Probabilistæ sunt corruptores morum*, est firmum ratumque iu-
„ dicium, graviori momento innixum; & aliunde non pugnat cum Scriptura sa-
„ cra, Conciliis, Patribus &c. Ergo hæc propositio, *Probabilistæ sunt corruptores*
„ *morum*, est probabilis.

„ Responsum est rationes quibus innititur hæc propositio, esse non posse gra-
„ vioris momenti.

„ *Sic autem impugnatum*.

„ Illæ rationes sunt gravioris momenti quæ gravibus & prudentibus viris
„ probantur; ut ex plerisque Casuistis constat, scriptis etiam R. P. Ferrier, & e-
„ ius pro probabilitate libello cap. v. Atqui rationes quibus innititur hæc mea pro-
„ positio, *Probabilistæ sunt corruptores morum*, gravibus & prudentibus viris pro-
„ bantur. Ergo rationes quibus innititur hæc mea propositio, *Probabilistæ sunt*
„ *corruptores morum*, sunt gravioris momenti.

„ *Probatur minor*.

„ Rationes illæ probantur tot & tantis Archiepiscopis, Episcopis, Parochis Pa-
„ risiensibus in suis censuris, & scriptis adversus apologiam Casuistarum editis.
„ Atqui illi Archiepiscopi, Episcopi, & Parochi Parisienses sunt viri graves &
„ prudentes, cum etiam plerique sint Doctores Sorbonici. Ergo rationes illæ, qui-
„ bus scilicet innititur hæc mea propositio, *Probabilistæ sunt corruptores morum*,
„ gravibus, & prudentibus viris probantur.

„ Intricatus hic valde P. Ferrier, ac desudans, resumpto tandem spiritu, respon-
„ dit, Episcopos in suis censuris non loqui de opinione probabili in sensu theseos.

Sed subsumptum ab eruditissimo Abbate.

„ Episcopos in suis censuris, & Parochos Parisienses in suis scriptis loqui de o-

„ pi-

„ pinione probabili in sententia apologiæ Casuistarum, quæ cum par omnino sit „ thesi, ut ex utraque constat, constat etiam rationes quibus utraque impugnatur, „ gravibus & prudentibus viris probari. ac proinde vel falsissimam esse theseos „ & apologiæ doctrinam, vel verissimam suam hanc propositionem, *Probabilistæ* „ *sunt corruptores morum*."

VIII. Hæc argumentatio adeo ineluctabilis evasit post Concilium nationale Gallicanum, ut P. *Gualdus* Clericorum Regularium sub cognomine ascititio *Pegulet* ob auctoritatem præfati Concilii Probabilismum in praxi retractaverit, non semel sed plures, in suo Tomo de Probabilismo. Inquit enim *cap.* XLVIII. *num.* I. *pag.* 544. „ Nam etiam ego teneo quoad praxim, non posse nos illam (opinionem mi„ nus probabilem) sequi: non equidem ob argumenta allata a Probabilioristis, sed „ ob auctoritatem extrinsecam, præcipue ob Clerum Gallicanum." Idem fusius scribit *cap.* XXXIII. *num.* 3. *pag.* 414. „ Ego ob reverentiam, quam summam il„ lustrissimo Cœtui Gallicano profiteor, non audeo definire, opinionem nostram „ in praxi licere. Nec enim concipere possum, Congregationem tantorum & nu„ mero, & dignitate, & doctrina Prælatorum potuisse errare, ita ut certo verum „ iudicaverint certo falsum . . . . Ideo in praxi ob reverentiam Illustrissimi Cleri „ opinione probabiliori utemur." Si hæc legisset P. Carolus Antonius Casnedi, haud allegasset hunc Auctorem, tamquam apertum Probabilismi patronum. Opus Probabilitatis, editum a P. Gualdo, seu P. Pegulet, proscriptum fuit a Romana Sede: & nihilosecius in Probabilitatis præsidium allegatur. Sed hoc familiare est Probabilistis quibusdam, quibus nihil fere reapse sunt eiusmodi interdicta. Accipe recentissimum exemplar. Auctor Elogii in P. Gualdum inserti Tom. VIII. operis inscripti, *Miscellanea di varie operette* &c. pag. 437. & seq. hæc scribit: *Il trattato della Probabilità* (del P. Gualdo) *fu proscritto dalla sapientissima censura di Roma, non per la falsità della dottrina, ma perciocchè il vedere unite insieme tante opinioni probabili potrebb' esser d' inciampo per la rilassatezza del costume*. Interpretamenta eiusmodi temeritate, ut mitissime loquar, non vacant. Quis te constitui iudicem, ut pro ingeffio, imo falso pronunties momenta ob quæ proscriptum opus fuit? Non ob doctrinæ falsitatem damnatum est? Immo ob innumera falsa commenta, quibus Probabilistas Patres sanctos, gravioresque Theologos efficit, manifesta veritate repugnante, iure meritoque anathemate confixum est. Si eiusmodi arbitrariis figmentis interpretari Ecclesiæ decreta licet; in nihilum occidunt librorum proscriptiones. Plurima sunt in hoc elogio quæ refellenda essent. Non quod aliquid diminutum velim eorum quæ in sui Herois commendationem texit. Vocet illum per antonomasiam Doctorem Probabilitatis (*potendosi con giustizia appellare il DOTTORE della Probabilità* pag. 437) profunda sapientia, acri ingenio instructum, atque omni litterarum genere excultum asserat. (*Il P. Gualdo era*

suoi gravissimi studj nell' età di circa sessant' anni abbia fatto anche quello di studiar novamente la gramatica.) Hæc & alia stupenda præconia quæ ibidem occurrunt, quæque cum operibus P. Gualdi conferri valent, ut sinceritas pateat, prætereo. Tres Dominicanos, nempe Magistros Serry, & Bordonium, & Auctorem historiæ Probabilismi, quos carpit, desendere deberem: De historia Probabilismi hæc scribit pag. 444. „ Ha scritta (il P. Gualdo) un' altra assai copiosa Italiana risposta allo stesso Autore divisa in tre parti, nella quale confuta il *Craffont*, „ *Pasquale*, e *Vendrochio* con un fondo di dottrina, e con una lepidezza di stile, „ che certamente incontrerebbe il piacimento di tutti i Letterati, se si pubblicas- „ se, *molto più che certe insulse storie piene di affettata, nè mai dagli Autori pra-* „ *ticata rigidezza, e di assai DETESTEVOLE mordacità.*" Cedo, vir eruditissime. Quis te ad hæc scribenda provocavit? Quænam tanti parergi occasio? Hypocrisis an reus sit Auctor historiæ Probabilismi, qui aliis æquo rigidiorem doctrinam præscribat, a quo ipse opere alienus sit, qui iudicat, Deus est. Ad mordacitatem quod attinet, historia ipsa testis est. Aliud exhibeo testimonium, quo nempe ea omnia quæ adversus præfatos duos Dominicanos, & memetipsum scripsisti, quin vel unicum verbum reponam, surda aure prætereo. Pæanas canito cum tuo P. Gualdo. Adeo enim leviculi haud sumus nos, ut cum talibus hominibus certamen ineamus.

IX. Dum hæc scribo, Cl. P. Eusebius Amort, amicitiæ fœdere mihi coniunctus, sequentia ad me mittit.

TESTIMONIUM

De R. P. Christophoro Rassler Societatis Iesu Theologo.

„ R. P. Christophorus Rassler S. I. totam suam ferme vitam in Academiæ Dilinganæ, & Ingolstadianæ cathedris, aut in Præfecti studiorum munere egit. „ Postquam anno 1713. typis Ingolstadianis ediderat *Normam Recti* circa usum „ opinionum probabilium, avocatus a Reverendissimo Generali Romam in ministerium in Urbe senio gravis animam posuit. Hic vir moribus suavis, & in „ scientiis theologicis eximie versatus, postquam triginta ferme annos insumpserat „ in discutienda illa de usu opinionum probabilium controversia, ingentique Germaniam superiorem expectatione impleverat, proditurum tandem opus in favorem laxioris *Probabilismi* decretorium, spem omnem fefellit. Ut enim patet „ ex præfata *Norma Recti disput. 111. quæst. 2. art. 1. num. 7.* solide probat, non „ licere sequi opinionem notabiliter minus probabilem, relicta probabiliore. Quam „ primum liber prodiit, illum adivit quidam in theologicis æque ac iuridicis eruditissimus, qui *Probabilismum* non solum viribus omnibus adstruebat, sed etiam in praxi, cum esset Advocatus, ac Prætor, pro lege usque ad ultimum „ morbum habuit. Hic amice Rasslerium obiurgans, quod fefellisset expectatio-

„ nem

„ nem publicam, caussam petiit assumpti tam rigidi in senio animi. Respondit „ optimus senex, venerandus canitie, se ultimo ante publicationem libri anno „ fervide pro illustratione invocasse Deum, nec aliam in sua conscientia, nisi „ quam publicasset, reperisse sententiam. Hæc accepi ex ipso ore præfati Prætoris, mihi familiariter notissimi."

Subdit in epistola P. Amort. „ Accludo testimonium de P. Rassler, qui, cum „ esset Professor iunior, suum Generalem P. *Gonzalez* publicis thesibus confutare „ aggressus est."

X. Ego non probo omnia quæ in prægrandi Tomo in folio habet P. Rassler, potissimum ea quæ in defensionem Terilli congerit. Iunior forte, dum oppugnabat doctrinam sui Generalis P. Gonzalez, eadem prompsit. Sufficit nobis doctum, & spectabilem hunc senem, post illustrationem cælestem perfervide imploratam, & misericorditer obtentam, Probabilismum quantum ad caput principale, de usu nempe minus probabilis opinionis in conflictu probabilioris, strenue oppugnasse. Illud ego summopere commendo in universo opere, videlicet modestiam, prudentiam, & gravitatem, qua sua sensa doctus, & sincerus Germanus promit. Iterum de eodem sermo redibit. Plura alia documenta, quæ Probabilismi historiam spectant, præsto sunt; sed scriptis consignare nolo, quod sint invidentiæ, & odio valde obnoxia. Plura tamen eorum quæ nemini displicere iure possunt, quæque ad historiam pertinent probabilisticam, sequenti dissertatione dabo.

CAPUT VIII.

Reverendissimus P. Tyrsus Gonzalez *Præpositus Generalis* S. I. *libellum supplicem obtulit* CLEMENTI XI. *Pontifici optimo maximo, ut Probabilismum exterminaret.*

I. UT omnibus exploratum compertumque sit, quam ardenti zelo, & quam invicto pectore Reverendissimus P. Tyrsus Gonzalez conatus fuerit suam inclytam Societatem incolumem a laxa Probabilismi doctrina servare; atque ut appareat, quam iniuste, & contra veritatem affingere universæ Societati præfatæ nonnulli audeant Probabilismi commentum, publici iuris facere operæ pretium existimavi libellum supplicem quem CLEMENTI XI. idem P. Gonzalez obtulit in extremo vitæ suæ termino. Hinc enim luculentius constabit, quam invicta fuerit eius adversus Probabilismum constantia, quam ardens zelus pro suæ Societatis gloria, & sanctitatis incremento. Deprehendet lector in hoc documento humanorum respectuum contemptionem, & solius maioris Dei gloriæ studium.

E I-

LIBELLUS SUPPLEX

Oblatus Sanctissimo Domino nostro

CLEMENTI XI.

Pro incolumitate Societatis Iesu, ab eius Præposito Generali Tyrso Gonzalez *anno* 1702.

BEATISSIME PATER.

„ I. IN vitæ huius confinio constitutus, & in momenta singula mortem expectans, ut inveniar minus imparatus ad reddendam rationem supremo iudici de Societate mihi commissa, debeo ad beatissimos pedes Sanctitatis Vestræ humillime provolutus illud deferre, & paternæ, ac benignissimæ eiusdem providentiæ committere quod ipse præstare non valeo, & quod non modo expediens, sed summe etiam necessarium iudico ad commune Societatii bonum. *Cum Sanctissimus Prædecessor Sanctitatis Vestræ INNOCENTIUS XI. Pont. Max. mihi dixisset, me factum fuisse Generalem in illum finem ut Societatem averterem a præcipitio, in quod ruere videbatur, de amplectenda scilicet ut propria eiusdem Societatis sententia laxiore circa usum opinionum probabilium; dictum illud Vicarii Christi tamquam eiusdem Christi dictum accepi, & omni ope adnixus sum ne spem optimi Pontificis irritam facerem, nullo per Dei gratiam labore, nullo umquam periculo ab inceptis deterritus;* quousque Deo iuvante, & hac Sacra Beati Petri Sede benignissime favente per editionem libri mei, & copiosos fructus ad illam consecutos ostenderim Orbi christiano, sententiam illam non esse Societatis propriam, cuius oppositam & Præpositus generalis, & multi alii Iesuitæ libris editis palam docent, & magno auctoritatis, rationisque pondere firmant.

„ Optavi semper, & opto, ac firmissime spero, Beatissime Pater, absolvendam esse a Sanctitatis Vestræ zelo causam istam feliciter inceptam a Sanctissimis Prædecessoribus suis Alex. VII. Innoc. XI. & Alex. VIII. Nec res videtur admodum ardua: cum enim ab illis summis Pontificibus damnata iam sint extrema rigoris, & laxitatis, id unum iam reliquum est ut eiusdem S. Sedis magisterio, & oraculo Sanctitatis Vestræ innotescat omnibus medium virtutis, & veritatis in re adeo universaliter necessaria ad rectam de christianis moribus doctrinam. Quod quidem præstabit Sanctitas Vestra pro eximia sapientia sua, quando, & quomodo magis expedire in Domino iudicaverit. Ceterum instante

„ iam

„ iam fine peregrinationis meæ, illud vehementer desidero, & ad conscientiæ meæ
„ pacem humillime rogare debeo, ut Sanctitas Vestra pro singulari illa clementia
„ sua, & benignissimo patrocinio, quo Societatem semper protexit, dignetur præ-
„ servare ipsam Societatem a multis magnisque periculis ipsi imminentibus ex hoc
„ maxime capite.„

„ II. Quæ officia mea, Pater Beatissime, quibus Societatem avertere curavi ab
„ amplectendo Probabilismo pro Religione, & ut sententia sua, non minus quam
„ sua sit *scientia media*, non uno modo ab omnibus accepta sunt. Non defuerunt
„ multi, inter quos eminent viri summæ prudentiæ, summique iudicii, qui rem
„ totam mature, & citra passionem considerantes iudicaverint me præstitisse So-
„ cietati insigne beneficium, ita illud extollentes, ut ne referre quidem ego pos-
„ sim sine offensione modestiæ, quamvis probe sciam quidquid boni sit, Deo u-
„ nice tribuendum. Alii vero, ut in statu naturæ lapsæ proniores sunt in malum
„ cogitationes hominum, & plurimi numero, & aliqui dignitate fulgentes, &
„ non pauci Iesuitæ e contra & sibi persuaserunt, & aliis persuadere curarunt,
„ me pessime fuisse meritum de Societate, & exercuisse in illam quasi tyranni-
„ dem quamdam, tum præstando ut Congregatio generalis XIII. per manifestam
„ coactionem, ut aiunt, ederet decretum, in quo declaratur Societatem non fuis-
„ se amplexam Probabilismum tamquam suum, & datur nostris libertas docendi,
„ & scribendi contra illum; tum maxime in editione mei Tractatus contra noto-
„ riam renitentiam PP. Assistentium, & tot aliorum, qui inter primores Iesuitas
„ merito numerabantur, & in quibus omnibus videbatur repræsentari totum So-
„ cietatis corpus resistens violentiæ illatæ sibi a suo capite.

III. „ Certissime scio „ multos Iesuitas doctos & probos, & veros Societatis fi-
„ lios a tali sensu tunc abhorruisse, & nunc abhorrere quammaxime: ceterum
„ illud genus hominum de quo nunc loquebar, istos existimant adulatores & ab-
„ blandiri Præposito generali propter fines suos. communem vero Societatis sen-
„ sum esse prorsus alienum a Generalis sensu: multosque Iesuitas, qui nunc coa-
„ cti (ut dicunt) tacent, & gemunt, statim atque Generalis diem suum obierit
„ erupturos in imbres, & tempestates librorum, quibus scilicet & se, & Societa-
„ tem ipsam egregie vindicent, & Probabilismum in regnum suum postliminio
„ reducant, atque in perpetuum asserant. Hoc ita publice prædicant, ut Doctor
„ Salmanticensis D. Franciscus de Perea in suo libro typis edito anno 1697. &
„ inscripto *Lydius lapis recentis Antiprobabilismi*, variis locis dicere ausus sit
„ me edidisse illum Tractatum dissentiente Societate universa: nam, ut plurima
„ omittam, in ipsa introductione *num.* 1. ait, me iniisse viam Iesuitis meis aspe-
„ ram, & invisam, & *sect.* 1. *num.* 7. & 8. tribuit toti Societati Probabilismum;
„ ita ut Societas semper prohibuerit & aliis, & mihi quidquam scribere contra
„ il-

„ illum, atque in hoc magna sollicitudine invigilaverit: & concludit num. 8. *Un-*
„ *de merito possent inclamare tam insignes Iesuitæ in unum vel alterum ex suis,*
„ *quod Aurelius Prudentius Lib. I. in Symmacum in fine decantavit: Servemus le-*
„ *ges patrias &c.* ubi supponit Probabilismum habere in Societate vim legis. Et
„ sæpe alibi acerbissime invehitur in me ut sectantem sententiam contrariam sen-
„ sui totius Societatis, usque adeo ut *sect.* XXXVIII. *num.* 443. usurpet verba D.
„ Bernardi *serm.* III. de Resurrectione: *Quæ maior superbia, quam ut unus homo*
„ *toti Congregationi iudicium suum præferat, tamquam ipse solus habeat spiritum*
„ *Dei?* Plurima omitto. Satis autem constat librum illum non tam esse opus
„ Doctoris Perea, quam cuiusdam Iesuitæ, qui iam Deo iudici rationem reddit,
„ & a multis Iesuitis acceptum fuisse cum magna exultatione, & plausu.

IV. „ Ex quibus aliisque argumentis similibus, & apud me compertis timere
„ debeo magnum Societatis periculum post mortem meam. Nam ex una parte
„ addentur ingentes animi aliquibus Iesuitis parum considerantibus rerum statum
„ ad efferenda Probabilismi vexilla, & quidem eo liberius, quo & se magis gra-
„ vatos existimant, & minus vident, in quo sit verum Societatis bonum, & de-
„ cus. Ex alia parte certissime sunt mihi Iesuitæ & præclaro ingenio prædití,
„ & in controversia ista peritissimi, qui mecum firmissime iudicant, summe ex-
„ pedire ad maiorem Dei gloriam, & animarum salutem, & ad ipsius Societatis
„ honorem, quod Probabilismus in Societate non vigeat, nec prævaleat: & fie-
„ ri nullatenus poterit, neque vero iustum esset, quod ipsi sileant, loquentibus
„ aliis. Cum autem contentio ista non solum ad ingenia, sed ad animos etiam
„ aliquorum pervaserit, quamvis in ultima Congregatione generali, & deinceps,
„ ingenti Dei beneficio, aut extincta, aut sopita sit, magnum est fundamentum
„ timendi ne post mortem meam crudelius exardescat in pugnas domesticas, dis-
„ sensiones, & rixas sine fine cum magna perturbatione, scandalo, & dedecore
„ Societatis.

V. „ Nec potest præcipi ex æquo utrique parti silentium. Tum quia Iesuitæ
„ ex instituto suo ad docendum addicti sive in cathedris, sive in disputationibus,
„ sive in libris præterire silentio non possunt capitalem, ut sic dicam, & gravis-
„ simam controversiam istam, quæ fundamentum est totius Theologiæ moralis,
„ & ex qua omnino pendet solida resolutio circa innumera opinabilia, cum re-
„ flectat circa usum licitum, aut illicitum opinionum omnium. Tum quia illo
„ ipso silentio assereretur in Societate Probabilismus, & quidem laxissimus, qui
„ ut multa experientia est, studium fugit, & tollit, ac inutile reddit. siquidem
„ eo ipso quod eius patroni reperiant in aliqua summula: Talis aut talis opinio
„ est probabilis: absque alio prorsus examine, talem opinionem docent, & con-
„ sulunt non minori securitate quam si de honestate actionis haberetur Romanæ

„ Se-

„ Sedis oraculum: & inde maxime ortum habuit tanta in moribus laxitas, quanta decretis pontificiis damnata est: anima enim, quæ vires dedit omnibus opinionibus nimis laxis, est modus ille opinandi alienus ab evangelica simplicitate, & sanctorum Patrum doctrinis, qui per summam luxuriantium ingeniorum licentiam irrepsit, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequantur, ingens eruptura sit christianæ vitæ corruptela, ut in aurea præfatione ad decretum suum deplorabat summus Pontifex Alex. VII. Tum quia decreto summi Pontificis Innoc. XI. statim subiiciendo intimatum fuit P. Ioanni Paulo Olivæ tunc Generali, mentem Suæ Sanctitatis esse ut Iesuitæ libere scribant pro opinione magis probabili, & Probabilismum impugnent. Tandem idipsum videntur convincere rationes omnes, quæ efficaciter suadent necessitatem superioris providentiæ, ne Probabilismus in Societate prævaleat. Quas rationes ad pauca capita redactas humillime subiicio beatissimis pedibus Sanctitatis Vestræ.

VI. „ Prima ratio sumitur ex mente, & voluntate Sedis Apostolicæ, quas habemus expressas in decreto S. Romanæ & Universalis Inquisitionis, & ordine summi Pontificis Innoc. XI. intimato P. Olivæ tunc Generali Societatis.

Feria 4. die 26. Iunii 1680.

„ In Congregatione Generali S. R. & Universalis Inquisitionis facta relatione per P. Lauream contentorum in litteris P. Tyrsi Gonzalez Societatis Iesu Sanctissimo Domino Nostro directis, Eminentissimi Domini dixerunt, quod scribatur per Secretarium Status Nuncio Apostolico Hispaniarum, ut significet P. Tyrso quod Sanctitas Sua benigne acceptis, ac non sine laude perlectis eius litteris, mandavit ut ipse libere & intrepide prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet sententiam eorum qui asserunt, quod in occursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita, & indicata licitum sit sequi minus probabilem, eumque certum faciat quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit, & scripserit, gratum erit Sanctitati Suæ. Iniungatur P. Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis Suæ, ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili, & impugnare sententiam asserentium quod in occursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita, & indicata licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam notum faciat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suæ esse ut quilibet, prout sibi licuerit, libere scribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eisque iubeat ut mandato Sanctitatis Suæ omnino se submittant.

„ Ex quibus & ex plurimis litteris, quas proferre possum nomine Suæ Sanctitatis ad me datis ab Eminentissimis Cardinalibus Cybo, & Mellini duo manifeste constant. Alterum me vehementissime, & frequentissime impulsum fuisse a Sede Apostolica ad impugnandum intrepide Probabilismum; quamvis ego, qui per

„ Dei

„ Dei gratiam neminem timebam præter Deum ipsum, expectaverim, quantum
„ potui, ut pontificia mandata exequerer, salvo Societatis honore. Alterum, men-
„ tem expressam Sedis Apostolicæ esse, quod Iesuitæ impugnare possint libere &
„ intrepide, quin propter hujusmodi impugnationem aliquid sibi timere debeant
„ a Superioribus Societatis: quæ impunitas numquam habebitur, si Societas am-
„ plectatur Probabilismum ut sententiam ejusdem Societatis propriam. Hoc de-
„ cretum omnino latuit usque ad annum 1693. in quo detectum est singulari Dei
„ providentia occasione resistentiæ quæ fiebat editioni libri mei: & nisi adhibea-
„ tur efficax remedium, vi cujus tota Societas eidem decreto, ut par est, reve-
„ renter obediat, dicetur illud ipsum decretum a me importune extortum, sicut
„ dicitur extortus a me consensus Sedis Apostolicæ de editione libri mei post tot
„ contradictiones Iesuitarum, & sicut dicitur extortum violenter decretum Con-
„ gregationis generalis nostræ XIII. de simili impunitate, cum sancitum fuerit
„ de expressa voluntate summi Pontificis Innocentii XI. qui me certum fecit, se
„ aliquid amplius contra Probabilismum desiderare a Iesuitis, quam præscriptum
„ sit per illud decretum.

VII. „ Et quidem justissimum erat illud summi Pontificis desiderium: cum
„ enim Societas ex instituto suo sit specialissime devincta Sedi Apostolicæ, & ad
„ defendendam auctoritatem summi Pontificis, ejusque nutibus obsequendum pri-
„ mario destinata a Deo, & a S. Ignatio Patre nostro; ex primaria, & indispen-
„ sabili professione sua adstringitur ad illos sensus in quos magis inclinat Aposto-
„ lica Sedes: certum autem est quod Sedes Apostolica semper inclinaverit magis
„ in sententiam Probabilismo contrariam.

VIII. „ Secunda ratio. Negare nemo potest, cum sit evidentia facti, quin
„ Montaltius, VVendrochius, plurimi Iansenistæ, & inimici Societatis enixissime
„ procuraverint illam infamare ex hoc maxime capite quod Probabilismum am-
„ plecteretur ut suum. Et cum Deus pro infinita misericordia sua me dignatus
„ sit assumere in qualecumque instrumentum ad liberandam Societatem a tanta
„ infamia: quam indecorum, & quam periculosum esset ipsi Societati non a-
„ gnoscere adeo singularem, & adeo beneficam Dei providentiam, & in illud
„ ipsum probrum, & dedecus sponte ruere? Imminentem reliquiis Probabilismi
„ ruinam satis ostendunt tum decreta pontificia magnam Probabilismi partem
„ damnantia, ejusque fundamenta convellentia; tum perpetua, & in dies ma-
„ jor inclinatio Sedis Apostolicæ ad absolvendum saluberrimum opus ab ipsa fe-
„ liciter inceptum; tum sensus & praxis Eminent. Cardinalium, & Tribunalium
„ Romanorum, tum quod Romæ, & in facie Sedis Apostolicæ nemo publice
„ defendere audeat Probabilismi doctrinam; tum Episcoporum plurium conspira-
„ tio; tum Cleri Gallicani declaratio; tum ex omnibus Ecclesiæ ordinibus insi-

„ gnium

„ gnium Theologorum consensus. Et ut alios omittam, certo scio, aliquos esse in „ Societate bene paratos ad ostendendum efficaciter, præcipua Probabilismi capita iam esse in eo statu, ut sint proxime damnabilia ab Apostolica Sede, si ipsi ita expedire videatur. Si autem illi qui Societatem voluerunt infamare, tantam illi molestiam intulerunt ex aliquibus Probabilismi ramis iam damnatis; „ quid fiet quando præcipua capita damnabuntur? Quis Iesuita sine intimo dolore, & lacrymis tantam Societatis labem sustineret? Sustineret autem, si sententia illa in Societate prævaleret, aut nimis communis esset. E contra vero „ erit Societati valde decorum, si Orbis agnoscat, quantum in ipsa Probabilismus decreverit, antequam eius falsitas infallibilis Sedis Apostolicæ iudicio definiatur.

IX. „ Tertia ratio. Quamvis a peccato excusentur illi Auctores qui bona fide „ iudicarunt Probabilistarum sententiam esse veram, ideoque inculpabiliter illam secuti sunt speculative, nemo tamen, nisi probetur, censendus est adhibuisse talem doctrinam in praxi ad dirigendam conscientiam suam, aut alienam: quia semper, & ubique fuit, est, & erit formalissimum peccatum, talem doctrinam practicare. Ratio est facilis: quia falsitas sententiæ reflexæ Probabilismi in eo consistit, quod dicat non dari peccatum, ubi datur peccatum; quod dicat fieri bona fide id quod re ipsa non fit bona fide; quod dicat fieri cum bona conscientia id quod re ipsa fit vel sine ulla conscientia bona, vel contra propriam conscientiam. Unde totum pondus auctoritatis, & rationis, quod efficacissime probat sententiam illam esse falsam, pariter probat non excusari a peccato formali eum qui operatur iuxta illam, cum in hoc consistat eius falsitas. Est ergo sententia illa occasio innumerabilium peccatorum, & damnationis animarum. Omnes enim qui tali sententia confisi operantur in materia capaci malitiæ gravis, graviter peccant, & leviter in materia levi. Sic aliqui ante decretum Innoc. XI. inculpate docuerunt, speculative prudenter operari eum qui operaretur confisus probabilitate tenui; & tamen certum est sic operantem numquam potuisse operari prudenter: in hoc enim consistit falsitas illius sententiæ damnatæ in propositione 3. quod diceret, non dari imprudentiam, & peccatum, ubi dabatur, & semper dabitur imprudentia, & peccatum; quod diceret dari excusationem a peccato, ubi peccatum erat inexcusabile. Hoc supposito, „ & supposita existimatione quam fideles communiter habent de probitate, & doctrina Societatis, eiusque zelo in proximorum salute procuranda, si illi ipsi fideles videant sententiam Probabilismi defendi a Iesuitis pro religione, pro aris & focis, aut in illam nimium inclinare, iudicabunt utique plurimi, Religionem adeo sanctam, & doctam non amplexuram tanto conatu doctrinam moralem, nisi illa esset certissime tuta: unde operabuntur in praxi iuxta il-

„ lam,

„ lam, & peccabunt sine excusatione in innumeris, in quibus consisit auctoritate „ Iesuitarum putabunt se habere excusationem. Inde fit liquido, magnum fore „ dedecus, magnum piaculum, si Societas daret fidelibus fundamentum ad indi- „ candum, ipsam ita amplecti illam sententiam: quia esset fideles ipsos allicere „ ad practicandam talem sententiam: hoc autem esset, illos conducere ad pec- „ cata innumerabilia, nisi certum esset, illam Probabilismi sententiam esse ve_ „ ram: quæ certitudo longe abest, immo iam certum est vel illam sententiam „ esse falsam, vel saltem non esse certo probabilem, & esse proxime damnabi_ „ lem ad minus ut periculosam in praxi.

X. „ Quarta ratio. Quamvis sententiam Probabilistarum speculative secuti sint „ multi bona fide, quando res erat in alio statu; at in statu præsenti iam non „ erit facile quod alii Iesuitæ illam inculpate & bona fide teneant, & doceant. „ Antea non affulgebat illa lux quæ postea orta est ex pontificiis decretis; ne- „ que deventum erat ad fundum gravissimæ controversiæ; neque patefactæ in- „ gentes equivocationes, fallaciæ, & falsæ suppositiones, quibus unice nititur „ Probabilismus; neque collecta tot, tanta, & tam manifesta absurda, neque oc- „ currerant Auctoribus probabilistis efficacissima argumenta auctoritatis, & ratio- „ nis, quæ postea aliis occurrerunt. Quæ omnia nunc sunt examinanda, nisi „ quis velit ignorantia voluntaria laborare, & veritatis curam omittere: quod & „ in magistris præsertim, & in omnibus non contingeret sine gravissimo pecca- „ to, quod esset causa plurium aliorum peccatorum & suorum, & alienorum. „ Et quando ex omnibus Ecclesiæ gradibus & ordinibus tam multi sunt qui ani- „ madvertentes periculum receptui canunt; *fœda nimis res esset, quod Iesuitæ se- „ se, & alios in præcipitium urgerent*. Præsertim cum ab ipso Societatis ortu, „ & in corpore Instituti sui a S. Sede toties confirmati præscriptum voluerit no- „ ster optimus Pater S. Ignatius, qui *Part. IV. Constitutionum cap. v. §. 4.* ita præ- „ scribit: *Sequantur in quavis facultate securiorem, & magis approbatam doctri- „ nam*. Unde S. Pater non sustineret minus securam, & simul minus approba- „ tam. Cum postea P. Mutius Vitelleschi Præpositus Generalis toti Societati per „ litteras circulares præscripserit: *Omnes itaque studio perficiant ut qui docent, „ scribuntque, minime hac regula, ac norma in delectu sententiarum utantur*: Tue- „ ri quis potest: Probabile est: Auctore non caret: *verum ad eas sententias ac- „ cedant quæ tutiores, quæ graviorum maiorisque nominis Doctorum suffragiis sunt „ frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, „ & prodesse queunt, non vastare, non perdere*. Idem præscripsit P. Gosvvinus Ni- „ kel, ut satisfaceret ardentibus votis summ. Pontif. Alex. VII. per hæc verba „ gravissima: *Conemur omnibus quibus possumus modis calumniis istis ansam præ- „ scindere. Meminerimus quod suis omnibus præscripsit S. Pater noster in Constitu-*

„ *tio-*

„ *tionibus part.* IV. *cap.* V. *§.* 4. *scilicet* : Sequantur in quavis facultate securio-
„ rem, & magis approbatam doctrinam. *Et cum scopus doctrinæ omnis in Socie-
„ tate, uti monet idem S. P. N. initio cap. v. part. iv. sit suis, & proximorum
„ animis, Dei favore aspirante, prodesse, sectemur in praxi, sententias utiles potius
„ quam iucundas; & in dirigendis conscientiis tam voce, quam scripto studeamus
„ prodesse proximo magis quam placere.*

XI. „ Idem statuit sæpe tota Societas in Congregationibus generalibus V. XI.
„ & XII. Decretum Congregationis quintæ allegatur, & confirmatur a Congrega-
„ tione XI. dec. 22. quod sic habet. *Complurium Provinciarum postulatio fuit ut
„ cum Societas ita nunc passim male audiat, & traducatur, quasi nimis laxas in
„ moralibus opiniones doceat, & in praxi sequatur, aliquod adhibeatur efficax tan-
„ to malo remedium.* Congregatio amplexa iudicium Deputatorum pro studiis sta-
„ tuit: Primo monendos serio Professores Theologiæ moralis caute omnino ut
„ doceant, neque quod aliquid probabile reputent, illico sibi licere arbitrentur
„ illud in publicum scripto, verboque protrudere; sed ad id attendant maxime
„ quod monet Congregatio V. dec. 41. an communi Scholarum sensui congruat,
„ ac praeterea scandalum, vel offensionem aliquam uspiam parere possit. Super-
„ iores autem si quos novitatum amantes, aut parum cautos in docendo compe-
„ rerint, a munere docendi submoveant, speque omni illius privent, pœnis et-
„ iam aliis, si forte opus iis esse senserint, coerceant.

„ Decretum 28. Congregationis XII. idem præscribens. *Quamvis contra novita-
„ tem, laxitatemque opinionum præsertim in rebus moralibus abunde provisum sit,
„ & Præpositorum generalium ordinationibus, & superiorum Congregationum decre-
„ tis, & constitutionibus ipsis, quibus iubentur sequi in quavis facultate securio-
„ rem, magisque approbatam doctrinam; in re tamen tanti momenti, postulante
„ pro suo zelo Patre nostro, omniumque conspirantibus votis, nihil prætermitten-
„ dum rata Congregatio præfatis decretorum, quibus novæ illæ, laxioresque opinio-
„ nes doceri, ipsisque mandari prohibentur, vim totam renovat, roborat, & confir-
„ mat. Commendat præterea in primis Patri nostro, ut non tantum transgressores
„ loco, & cathedra amoveat, aliisve gravibus pro modo culpæ pœnis subiiciat, sed
„ ipsos etiam Superiores, si quando in cohibenda liberiori illa opinandi licentia ne-
„ gligentiores fuerint, severe puniat.*

XII. „ Denique (quod nobis præcipue observandum est) cum Sedes Apostoli-
„ ca præsertim per summos Pontifices Alex. VII. & Innoc. XI. satis aperte incli-
„ nationem, & voluntatem suam significaverit; licet prædictum Innoc. XI. man-
„ datum, & S. Inquisitionis decretum ad eiusdem Societatis notitiam non perve-
„ nerit.

„ Hæc omnia, & alia omittenda brevitatis causa, me relinquunt sine liberta-

„ te, Beatissime Pater, & omnino cogunt ut humillime petam a Sanctitate Ve„ stra auxilium paternæ providentiæ suæ, quod videtur futurum esse efficacissi„ mum (pro comperta mihi nostrorum reverentia erga sanctam Sedem, & sin„ gulari gratissimæ, & humillimæ benevolentiæ affectu erga sanctissimam perso„ nam Beatitudinis Vestræ) si Sanctitas Vestra dignetur serio commendare Su„ perioribus Societatis, ut diligentissime invigilent, & provideant quieti, paci, „ & honori Societatis, tamquam rem Sanctitati Vestræ gratissimam facturis: ut „ in ipsa promoveant studium impigrum doctrinæ moralis, & signanter huius ca„ pitalis controversiæ: ut summa sollicitudine caveant ne Iesuitæ in lectionibus, „ thesibus, aut libris aliquid doceant, aut defendant contra illos sensus in quos „ Sedes Apostolica inclinare visa est, contra mentem S. Ignatii P. N. in constitu„ tionibus expressam, contra ordinationes, & decreta Præpositorum, & Congre„ gationum generalium, quod sit alienum ab evangelica simplicitate, & SS. Pa„ trum doctrina, ex quo possit erumpere christianæ vitæ corruptela, & pernicies „ animarum gradientium per viam latam, quæ ducit ad perditionem; & quod in „ Societatem ipsam refundere possit & culpam, & pœnam, & dedecus, ipsamque „ reddere minus utilem ad suum finem, qui unice est inservire Deo, & sanctæ „ eius Ecclesiæ, & quærere toto corde cum divina gratia salutem, & perfectio„ nem propriam, & cum eadem impense in salutem, & perfectionem proximo„ rum incumbere.

XIII. „ Testor, Beatissime Pater, Christum Iesum Dominum nostrum, & So„ cietatis ducem, qui scrutatur renes, & corda, & in cuius tremendo iudicio „ accusari nollem ut servus infidelis, & negligens: testor, inquam, me ad hoc „ ardenter desiderandum, & humillime petendum unice moveri ex finibus præ„ dictis, ut consulam quantum possum conscientiæ meæ, & Societati mihi a Do„ mino commissæ, ac ingentibus eius obligationibus, & propter maiorem Dei „ gloriam, & propter reverentiam erga Apostolicam Sedem, & propter salutem „ æternam proximorum, ipsorumque Iesuitarum, & propter ipsius Societatis pa„ cem, quietem, & honorem. Spero autem firmissime Sanctitati Vestræ gratum „ esse futurum hoc desiderium meum, & Beatitudinem Vestram pro pastorali cu„ ra totius dominici gregis, & pro singulari benignitate sua erga minimam hanc „ Societatem, electuram illud medium quod Sanctitas Vestra iudicaverit magis „ efficax, & expediens, ut Societas a prædictis periculis liberetur, & iuxta In„ stitutum suum utiliter in vinea Domini laborare pergat. Deus Opt. Max. San„ ctissimam personam Beatitudinis Vestræ pro ardentissimis votis meis diutissi„ me, feliciter, & incolumem servet in culmine Apostolatus, & tandem ad cæli „ culmen felicissime perducat. Amen. “

Addito facta fuit huic libello supplici, & præsentata Suæ Sanctitati a P.

„ Em-

Emmanuele Sagarra 4. Septembris in audientia quam habuit a Sua Beatitudine.

„ Rem gratissimam Sanctitati Suæ facturos Superiores Societatis, si præstent ut
„ Iesuitæ abstineant a docenda, & defendenda sententia quæ asserit, licitum esse
„ usum opinionis minus probabilis, & minus tutæ, cum Sanctitati Suæ compertum
„ sit, ita omnino expedire ad incolumitatem, & honorem Societatis. “

C A P U T IX.

D E R I G O R I S M O.

Vera istius notio. Falsa Rigorismi idea quam prodit P. Francolinus. Istius in Instructionem Confessorum a S. Carolo Borromeo editam interpretamenta. Facilitas larvam Rigorismi, & Iansenismi inurendi Catholicis Ecclesiam perturbat.

I. NIhil hodiedum frequentius in omnium ore quam *Rigorismus*, cum de morum legibus sermo occurrit. Quid vero sit *Rigorismus* iste, vix est qui percipiat. Principio itaque eius vera promenda notio est. *Rigorismus doctrina est in genere morum æquo severior, expresse vel oblique a Sede Apostolica proscripta.* Exponuntur finitionis particulæ. *Doctrina æquo severior.* Doctrina evangelica, & Ethicea christiana rigidissima, & severissima est. At quia illius rigor iustus, & sanctus est, *Rigorismum* non constituit. Illa ergo doctrina *Rigorismum* constituit quæ iusti rigoris limites transilit. Iudex ergo istius extremi rigoris est Romana Sedes, quæ doctrinam plus iusto rigidam damnat. Quemadmodum ergo *Iansenista* est qui aliquam ex quinque damnatis sententiis defendit, sic Rigorista esset qui quampiam propositionem a Sede Apostolica damnatam ut rigidam, propugnaret.

II. Rigorismi notione paucis perspecta, reprimenda est illorum audacia & temeritas qui pro ingenio hanc Rigorismi larvam catholicis Scriptoribus affingunt. Designent nobis vel unicum Italum, Germanum, Hispanum Theologum, qui doctrinam æquo severiorem, & a Romana Sede proscriptam defendat. Quid quod severiores Gallorum Theologi sunt Merbesius, Natalis, Gennetus, P. Gabriel Antoine P. Paulus a Lugduno? Quamquam ne in istorum aliquo Rigorismi proscriptum? Quid itaque plenis buccis Rigorismum obtrudunt?

III. Oppositam illi quam nos dedimus, Rigorismi notionem prodit P. Balthassar Francolinus *in præfatione ad Clericum Romanum.* Primum *Rigorismi*, & *Rigoristarum* qualitates describit, lectoresque admonet ut sibi a Rigoristis caveant. *Cave*

inquit, *a Rigorismo, cave a Rigoristis, qui de regione longinqua veniunt ad te in vestibus ovium, in fronte modesta, in oculis submissis, in vultu demisso, in gestu composito, in toga decenti, in sermone suavi.* Si vultus modestia, gestus compositio, & universi corporis, atque incessus moderatio *Rigorismum* redolent: vale dicendum ergo erit modestiæ, humilitati, & cuique exteriori moderationi. Exhibita Rigorismi suspicione, ad Rigoristas ipsos depingendos Francolinus accedit. Pharisæis istos comparat, quorum tres prodit characteres. Primus est, Patrum antiquorum ostentare doctrinam, Pontifices Romanos parvi facere, recentes Theologos contemnere. Hæc sunt illius verba loc. cit. *At, inquies, quis est iste Rigorismus? Qui Rigoristæ sunt? Qui eorum libri, ut cavere possim? Respondebo. Habent Iansenistæ suam Theologiam speculativam, & practicam, seu moralem. Speculativa Iansenismus est, practica, seu moralis Rigorismus est. Huius tria principia sunt: Patres iactare plurimum, Pontifices æstimare parvi, Recentiores Theologos nihili. Patribus, ut ab ipsis exponuntur, deferre obsequium verum, Pontificibus simulatum, reliquis Doctoribus neutrum.*

Huius spiritus indoles tetrica est, suspiciosa, artificiosa, immisericors, tyrannica, pharisaica. Habes ex his, unde eos dignoscas, si nosti vitia Pharisæorum. Quatuor illa potissimum erant, facies simulata, cor durum, animus malignus, vota ambitiosa. Sanctitatem præferebant, zelum legis, amorem disciplinæ; sed tota erat in cute sanctitas, in corde vero durities. Quare nihil alienis laboribus, angustiis, periculis tangebantur, nihil ad humanæ infirmitatis commiserationem movebantur.

IV. Post Pharisæorum descriptionem lectorem instruit, eique signa exhibet quibus *Rigoristas* internoscere, eorumdem rescire artes, & fraudes, molimina, & insidias repellere possit. „ Quos igitur deprehenderis in facie sanctos, modestos, com„ positos, ecclesiastice in toto habitu comptos, sed habentes semper quid interro„ gent, quid inquirant, quid dubitent, quid obiiciant, quid non probent, quid re„ secent, quid restringant, quid addant, quid emendent: semper mussitantes, sem„ per deflentes nostram ætatem, nostros mores, nostram doctrinam; habentes num„ quam quod excusent, quod indulgeant, quod laudent, nisi aut sua sint, aut suo„ rum, quos evehere curant, ut evehantur ipsi, & dominentur in cleris, aut pro„ tegantur: habe illos ut nostrorum temporum Pharisæos, & veri nominis Rigo„ ristas. " Si plura capis, consule citatam *præf.* Distinguit in *Vindiciis cap. 2. num. 3.* Doctorem Rigidum a Doctore Rigorista: *Æstimo Merinum non ita Rigidum, ut sit etiam Rigorista.* Rigorismum in tria partitur genera, in Rigidissimum, Rigorismum Iansenianum, & Rigorismum non Iansenianum. Et ut validius lectores adversus *Rigorismum* muniat, indicia illis præbet quibus Rigoristarum libros dignoscere valeant. Quæ indicia per illum, non doctrina in libris contenta, sed regiones, Academiæ, Collegia sunt, unde exeunt. *Eorum vero libros facile dignosces ex Auctoris regione, Academia, familia, libri prima facie, modo probandi asser-*

assertiones suas, allegationibus &c. Nosti regiones, occulto morbo laborantes, Academias, familias, Collegia. Hæc suspicionem faciant. Ea vero celebris in fronte libri promissio, tradendi doctrinam sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, suspicionem augeat. In cit. præf.

V. Quam sint transcriptæ sive Rigorismi, sive Rigoristarum, sive eorumdem librorum descriptiones vagæ, futiles, atque invidentia plenæ, ceteri indicent. Regiones, ut ab ultimis verbis incipiam, familiæ, Collegia, signa sunt, libros Rigorismi fuligine tinctos esse? Quæ sunt, quæso, eiusmodi regiones? Belgium, & Gallia? Rigorismo ergo pleni erunt libri PP. Terilli, Lessii, Reginaldi, Gisberti, Antoine, aliorumque? Si Patrum, Scripturarum, Conciliorumque frequens allegatio suspicionem augeat Rigorismi, reiicienda erunt omnia Patrum tum antiquorum, tum recentiorum opera, utpote Scripturarum, Conciliorum, & præcedentium Patrum sententiis plenissima. Si frontis serenitas, colloqui suavitas, temporum nostrorum calamitatem lugere, Rigorismum produnt; Patrum nemo, quin, auderem dicere, Evangelistæ ipsi ab hac Rigorismi larva immunes haud essent. Terillus sententiam probabiliorem filiam efficit Iansenismi. Francolinus subdit, omnes Iansenistas esse Rigoristas, quamquam non contra. *Quamvis, ut non semel monui, non omnes Rigoristæ sint Iansenistæ, omnes tamen Iansenistæ sunt Rigoristæ.* Bene habet. Cum vos Antiprobabilismum Rigorismum, ipsosque Antiprobabilistas Rigoristas appellatis absolute, nulloque adiecto moderamine; cuius generis Rigorismi illos reos postulare intenditis? P. Francolinus duplex distinguit Iansenismum, speculativum, & practicum. Illum in quinque damnatis thesibus, hunc in severa Morali constituit. *Habent Iansenistæ Theologiam suam speculativam, & practicam seu moralem. Speculativa Iansenismus est; practica seu moralis Rigorismus*: loc. cit. Moralis rigida iuxta Probabilistas est sententia probabilior, minus probabili reiecta. Hanc rigidam illi appellant, & eiusdem defensores *Rigoristas*. Hinc consequitur, omnes Antiprobabilistas audire Iansenistas, sin speculativos, saltem practicos apud Probabilistas. Et hi sunt qui benigni appellantur.

VI. Si vera forent quæ ex P. Francolino delibavi, S. Carolus Borromæus non evaderet *Rigorismi* censuram; immo, ut indicavimus, nemo sanctorum Patrum immunis ab eadem esset. Quid quod sanctum ipsum Archiepiscopum oblique Francolinus carpit? Audiamus prius S. Carolum in *præfat. ad VI. Concil.* sic loquentem. „ Longe sint a nobis voces illorum qui consuunt pulvillos sub omni cubi-
„ tu, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas *. Nec
„ isti suis adulationum vocibus, vocumque blanditiis, cum nos fallere student,
„ istis etiam illecebris populum nostrum decipiunt. Dicunt enim bonum malum,
„ & malum bonum. O popule meus! Quis poterit omnia mala, quæ te premunt
„ undique, enumerando percensere? Audent tamen isti a salutis via te adulationi-

„ nibus longius abducere. Popule meus, qui te in tanta malorum colluvie beatum „ dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. " In hac amara mœstaque lamentatione, sanctæ Scripturæ verbis expressa, super malorum colluvie quæ populum premunt, P. Francolinus *Rigorismum* depictum vividis coloribus asserit. Ut S. Archipræsul gregis sui malis, quoad poterat, occurreret, aureum illum librum composuit inscriptum *Instructio Confessorum*, omnium nationum Episcopis, & doctis viris probatissimum. Hunc tamen se parvi facere indicat P. Francolinus. Istius quippe libri, a Sede quoque Apostolica probati, auctoritatem Episcopo Castoriensi sibi objicienti respondet Lib.II. disp.VIII. præsent. Eccles. Benig. pag.88. Edit. Ven. *Miror autem tanti a vobis fieri indirectum, & qualecumque sanctæ Sedis suffragium: a vobis, inquam, qui directa, clara, confirmata, iterum atque iterum explicata Pontificum decreta, atque toto orbe recepta eluditis tamen, aut etiam contemnitis.* Si illos damnas, quod refragentur pontificiis decretis; eadem ratione illos commenda, quando iisdem decretis quo par est obsequio se submittunt. Quid? Displicet tibi submissio in iis quæ in rem tuam non conferunt; placet vero in iis quæ arrident? Duo P. Francolinus refert, quæ auctoritatem præfati libri S. Caroli minuunt. Primum, quod *Instructiones* istæ a S. Archiepiscopo *juvene* compositæ fuerunt. Sic enim persequitur loc. cit. *Brevi videbis, cui negotium facessant istæ INSTRUCTIONES* (S. Caroli.) *Mihi certe faciunt nullum. Scio, ab aliquibus demptum aliquid auctoritatis illis fuisse, eo quod S. Præsul initio sui regiminis, adeoque ætate, & sapientia immaturus, ut ipsi dicebant, eas composuisset. Id ego non asseram; sed illud potius, fuisse illas, si quid rigoris habent aut præferunt, remedium eo tempore, eisque in regionibus necessarium.* Duo satis caute insinuat Francolinus. Unum est, quod aliorum judicio ejusmodi S. Caroli *Instructiones* parvi sint faciendæ. Cur? Quia a juvene Archiepiscopo conditæ. Hanc ille rationem invidiæ plenam, se non admittere asserit. Sed debuisset, ut sibi revera caveret, indicare auctores talis exceptionis. Hi non fuerunt Iansenistæ. Neque Antiprobabilistæ. Ergo Probabilistæ. Qui alieno ore loquuntur, auctore non citato, suspicionibus pluribus se se exponunt; sicut illi qui lapidem projiciunt manu abscondita. Alterum est, quod revera præfatæ *Instructiones* nullius sint auctoritatis. Quoniam, inquit *Francolinus*, conditæ fuerunt pro reformandis illius temporis, & illarum regionum moribus. *Remedium eo tempore, eisque in regionibus necessarium.* Hac ratione dici poterit, Concilium Tridentinum canones sanctos edidisse *eo tempore, eisque in regionibus necessarios*. Alteram ibidem assignat Francolinus rationem cur S. Carolus severam inierit viam: eaque est, quia Mediolanensium prava indoles poscebat ut duriori freno cohiberetur. *Alia etiam ratio divum Carolum movit hanc inire viam: ea fuit suorum subditorum indoles sibi bene perspecta. Non illa quidem mala est, aut minus aspera, & contumax, immo ad pietatem, & virtutem propensa; sed laboris*

non

non admodum amica, & largiori luxui dedita. Erat igitur freno duriori retinenda, ne caderet; & stimulis acrioribus monenda, urgenda, & perurgenda ad cursum, ut saltem incederet. Aliarum vero provinciarum, & nationum Christiani non *freno duriori*, ut Mediolanenses; sed *laxiori*, & *benigniori* moderandi erunt? Sæculum nostrum aureum est, æreum illud S. Caroli. Recentes Christiani a libidine, a luxu, ab usuris, & avaritia, a ludis, & theatris alienissimi sunt: idcirco summa sunt indulgentia tractandi. Addit tandem Francolinus, *Instructiones* S. Caroli rigorem præferre non in *substantia*, sed in *accidentibus*. Verum quia nullam nisi vagam, vanam, atque ineptam Rigorismi notionem exhibuit, ideo non est cur tempus teramus in eiusmodi commentis refellendis, Satis mihi sit pro plena confutatione transcribere verba quibus summus Pontifex Innocentius XII. omnibus, medio *Cardinali Carpegna* Urbis Vicario, harum *Instructionum* lectionem commendavit, quas etiam edi Romæ curavit anno 1700. *Vos itaque sanctissimus Pater hortatur ut legatis, relegatisque leges tam sanctas, instructionesque tam plenas cælesti sapientia, atque eas præ manibus iugiter habeatis, veluti auream regulam; quam sequendo depravatos populorum habitus facile corrigetis. Illud est quod ipsius iussu vobis omnibus significamus . . . ut unusquisque vestrum veram, solidamque doctrinam sequatur, non in novellis, infundatisque opinionibus fundatam, sed in doctrina, praxique sanctorum Patrum, quos cælesti Deus clarificavit lumine ad directionem plebis christianæ.* Hæc pauca verba satis sunt ad labefactanda omnia P. Francolini commenta, tum adversus *Instructiones* S. Caroli, tum in chimærica Rigorismi descriptione, sub qua vellicantur, & carpuntur Patres, Episcopi, Theologi, & probiores Catholici, quos per summam iniuriam Iansenistis, aut Iansenistarum damnato Rigorismo Francolinus immiscet.

VII. Audacia, qua plures Probabilistæ labem Rigorismi catholicis Theologis aspergunt, innumera mala in Ecclesiam derivat: audaciores Iansenistas efficit, qui hoc pacto arguunt. Secundum Probabilistas probabilior sententia filia est Iansenismi. Mala planta non parit bonos fructus. Optima autem est sententiæ probabilioris doctrina. Ergo malus esse nequit Iansenismus, qui peperit filiam adeo bonam, nempe sententiam probabiliorem. Retractanda ergo est Probabilistarum putida fabella, ut hæc Iansenistarum argutatio penitus convellatur. Scandala, & schismata, quæ similis censurandi libido primis sæculis peperit, describunt Athanasius, Hieronymus, Ruffinus, Augustinus. Etiam tum censuras Origenismi, Arianismi, Sabellianismi, Nestorianismi sibi homines mutuo impingebant; ut refert Vigilius Episcopus Africanus Lib. II. contr. Nestorium. *Videas eos luctuosis quibusdam, & omni lamentatione dignis insultationibus hæreticorum nomine se invicem accusare: Tu Eutychianus es: Tu Nestorianus es: apostolicæ sententiæ in totum obliti, dicentis ad Galat. v. Videte ne si invicem mordetis, ab invicem consumamini.*

VIII. Ad hanc doctrinam si animum intendisset P. Dominicus de Colonia, non tantam sibi usurpasset auctoritatem in suam intrudendi Iansenisticam Bibliothecam, paucis ab hinc mensibus proscriptam, Doctores catholicos. *Pag.* 25. *num.* 32. Iansenistis accenset Eminentissimum Cardinalem de Noris; *pag.* 208. illustrissimum Gennetum, & alios pios, doctissimosque Catholicos.

CAPUT X.

DE PHILOSOPHISMO.

Vera peccati philosophici notio: illius auctores: absurda quæ necessario illud consequuntur.

I. PHilosophismus legitima Probabilismi soboles est. Adeo hæc duo connexa sunt, ut nequeant ab hac historia separari. Peccatum philosophicum est actio rectæ rationi opposita; theologicum est gravis divinæ legis violatio. Philosophicum, tametsi grave, dum ignoratur Deus, aut de Deo actu non cogitatur, non est offensa Dei, nec amicitiam cum Deo dissolvit, nec æterna pœna est dignum. Hæc est vera notio peccati philosophici, quod Alexander VIII. diris devovit anno 1690. in sequenti damnata propositione: *Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; theologicum vero, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Ut clarius doctrinæ damnatæ errorem percipias, advertas oportet, revera intellectum duas has notiones distinguere posse. Actio enim criminosa reapse & naturæ rationali, seu rectæ rationi, & legi æternæ Dei repugnat. Ergo intellectus valet actionem vitiosam considerare & ut est offensa Dei, & ut naturæ rationali contraria. Hæc est doctrina S. Thomæ 1. 2. quæst. lxxi. art. 6. ad 5. *Dicendum, quod a Theologis consideratur peccatum, secundum quod est offensa contra Deum; a Philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi. Et ideo Augustinus convenientius definit peccatum ex hoc quod est contra legem æternam, quam ex hoc quod est contra rationem.* Non ergo in notionum distinctione, sed in earumdem separatione, damnatæ doctrinæ error situs est. In hoc Philosophistæ errant, quod velint, eos qui aut Deum ignorant, aut de Deo actu non cogitant, neque dubitant, exercere actionem vitiosam posse, rationi rectæ contrariam, quæ offensa Dei non sit, neque æterna pœna digna. Quoniam, inquiunt, actio hæc philosophicum tantum peccatum est, secus theologicum. Noli ergo confundere notionum distinctionem cum earumdem separatione. Constat in

pec-

peccato mortali distingui hæc duo posse: nimirum quod naturæ humanæ, quatenus rationali, disconveniat, quæ consideratio philosophica est; & sub hac consideratione peccatum est philosophicum & quod legem æternam Dei violet; & hæc consideratio theologica est; & peccatum hoc modo consideratum theologicum est. Si hæc duo separes, & contendas primam notionem absque secunda posse revera occurrere; incidis in Philosophismum: defendis enim peccatum philosophicum sine theologico reperiri posse. Fusius quam fortassis par erat notionem explicui: quia, cum metaphysicam sapiat subtilitatem, tolerabilior est brevitate prolixitas.

II. Recensita doctrina scandali plena ab Universitate Sorbonensi anno 1641. a Concilio Senonensi anno eodem, a Lovaniensi Universitate anno 1657. damnata fuit. Post tot anathemata P. Franciscus *Munsnier* in Collegio Divionensi anno 1685. sequentem thesim propugnavit. „ Peccatum philosophicum, seu morale, est „ actus humanus disconveniens rationi; theologicum vero, & mortale est transgres- „ sio libera legis divinæ. Philosophicum „ quamtumvis grave, in eo qui Deum „ vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est of- „ fensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœ- „ na dignum." Hæc propositio eadem omnino est ac illa quam anno 1690. damnavit Alexander Papa VIII.

III. P. Dominicus Viva in sua Trutina theologica hanc exponens propositionem fatetur, damnatam ab Alexandro VIII. decerptam esse ex thesibus propugnatis a P. Francisco Munsniero in Collegio Divionensi, sed addit, æmulorum invidia nonnulla addita verba esse, inquiens. „ Ortum ea habuit occasione arrepta ex qui- „ busdam thesibus publice expositis anno 1686. a quodam Professore Divionensi, „ in quibus licet hæc thesis, prout iacet, non reperiretur, nihilominus *paucis per* „ *invidiam mutatis* in hanc præsentem thesim una ex iis concinnata fuit, cum „ tamen mens Professoris in manuscriptis expressa, & verba expositæ thesis longe „ alium sensum haberent quam faciant verba thesis huius proscriptæ."

IV. Hoc est solitum effugium. Thesis detruncata fuit? Verba per invidiam addita? Hanc imposturam additorum verborum reiicit vel ipse P. Franciscus Munsnierus, qui scriptum evulgavit, in quo mentem suam eo meliori quo potuit modo exposuit. Scriptum istud insertum est Tomo inscripto *Recueil Historique des Bulles & Constitutions, Brefs, Decrets &c. A Mons 1698.* Initium scripturæ gallice exaratæ est: *Sentiment du Professeur du Dijon sur le these du peché philosophique. J' ai appris avec un extreme etonnement, & avec le sentiment de douleur, que je devois, en lisant l' ecrit intitulé* Nouvelle Heresie *&c. qu' a l' occasion d' une these que j' avois soutenue dans le College de Dijon le jour de juin 1685. sur le matiere &c.*

La these dans la quelle j' ai dit que le peché philosophique n' est point une offen-

se

se de Dieu, qu' il ne merite point sa haine, ni les peines eternelles : cette these, dis-je, est A LA VERITE conçue en des termes, qui contre mon intention, en peuvent faire deux propositions interement differentes &c. François Musnier I. Si vel apex, vel syllaba sua addita fuisset thesi per invidiam ab æmulis, siluisset ne P. Musnierus? Fassus ne fuisset, thesim suam *revera iis conceptam terminis esse* qui contra suam intentionem duos produnt diversos sensus, alterum absolutum, alterum hypotheticum? Unice ad suam intentionem P. Musnierus se recipit, & ad sua manuscripta, in quibus se docuisse declarat thesim in sensu non absoluto, sed conditionato : quod & credere convenit religioso viro adfirmanti, & simul ingenue confitenti, thesim suam talibus scriptam terminis esse qui *contra suam intentionem* efferunt sensum etiam absolutum, in quo continetur peccatum philosophicum. Hæc idcirco retuli, ut nova semper testimonia exhibeam illius nimium familiaris imposturæ, qua nonnulli Probabilistæ, ut imperitis faciant fucum, pro ingenio effingunt, propositiones, perquam sincere extractas ex eorum libris, truncatas esse, vel in sensum pravum, verborum additione detortas. Hoc est universale effugium Probabilistarum.

V. Paucis perstringere destinaveram peccati philosophici historiam. Proliziorem me esse cogunt PP. Dominicus *Viva*, Gabriel *Daniel*, & Ioannes *Berges*, qui illustrioribus Thomistis hæresim peccati philosophici adjudicant. Quare, ut veritati litem, rem paullo fusius enarrabo. Et primum, ut P. Dominicus Viva sensum damnatæ thesis extenuet, advertit, Alexandrum VIII. damnare minime voluisse antiquorum Theologorum doctrinam. *Quod vero attinet* (inquit P. Viva in Comment. damnat. thesis) *ad Doctorum sententias de peccato philosophico, certum in primis est, Alexandrum VIII. in hac thesi noluisse damnare ea quæ in antiquis, & gravibus Theologis de hoc peccato scripta legimus. aliter non diceret thesim hanc de NOVO ERUPISSE.* Mirifica doctrina hæc! Pontifex summus non damnat doctrinam quam de peccato philosophico antiquiores docuere Theologi! Eccur? Quia, reponit, Papa damnat peccatum philosophicum quod *de novo erupit*. Ergo non damnat peccatum philosophicum quod medium fere sæculum antea proscripserant Universitates Parisiensis, & Lovaniensis, & Concilium Senonense? Dum itaque Apostolica Sedes Quietistarum, Jansenistarum, Socinianorum, Calvinistarum damnavit errores, non damnavit antecedentium hæreticorum hæreses? Sed qui sunt, quæso, vetusti hi Theologi, quos *antiquos* P. Viva appellat, quorumque doctrinam de peccato philosophico subducit damnationi? Sunt præ aliis P. Martinon *disp.* XIX. *de peccat.* Ioannes Pontius *disp.* II. Lugo *disp.* V. *de Incar. sec.* 5. Bonæspei *disp.* V. *de Incar. dub.* 5. Isti ne antiqui Theologi? Iuniores illos vocat Caramuel, quia eodem quo damnatus *Philosophismus* sæculo est, Theologi isti scripsere de peccato philosophico. Sed ut ut de hac re sit, quæro a P. Viva, docuerint ne

ne laudati Theologi peccatum philosophicum, an secus. Si secundum; cur in scenam producti? Si primum, cur non damnata illorum doctrina? P. Viva quasi suo loquendi modo supponit Patres citatos philosophicum docuisse peccatum; sed istorum doctrinam non comprehendi sub pontificio anathemate. Quid citati, aliique Patres docuerint, infra dicam.

VI. P. Ioannes Berges in sua *Apologia pro Iesuitis* cap. 11. §. *Thomistas*, scribit: *Thomistas illustres hac in parte aliquid plus affirmasse quam Iesuitarum ullus hactenus ausus sit.* Quid inde? Ergo Iesuitarum nemo peccatum philosophicum docuit? Legitima ne consequentia hæc? Logicorum nemo illam admittet. Sed quinam sunt hi Thomistæ illustres, peccati philosophici assertores? Unum laudat P. Viva, nempe P. Franciscum Victoria. Sed hic *lect.* 13. non de *Philosophismo* sermonem habet; sed de puerorum conversione in Deum, dum illis lumen affulget rationis. Defendit primis illis momentis pueros haud distinctam Dei notionem, sed confusam tantum, communem, & universalem habere. Quo in sensu locutos fuisse Bannez, Medinam, & Alvarez dicitur. Quid hæc cum peccato philosophico? Habeant pueri illi primis rationis momentis distinctam, aut confusam Dei cognitionem, utcumque res sese habeat; perperam illa quæstio cum errore peccati philosophici confunditur. Unus Marietta adduci potest, tamquam peccati philosophici patrocinator: idque ego concessi in historia Probabilismi *Tom. I. diss.* 1. *cap.* v. *pag.* 92. iterumque assero, hunc Auctorem docere Philosophismum. De hoc infra sermo redibit. Ceterum, ut quod sentio dicam, P. Ioannes Berges sola sui libelli inscriptione, *Apologia pro Iesuitis*, & solo paragrapho *Thomistas*, tum Iesuitas, tum Thomistas carpit, & infamat. Quid? Iesuitæ ne errorem peccati philosophici defendunt? Calumniator mea quidem sententia esset, quicumque tam insigni Societati, & illustribus Thomistis adeo turpem errorem adscriberet. Aliud quippe est asserere Iesuitarum, aut Thomistarum aliquos, aliud Iesuitas, & Thomistas hunc propugnare errorem. Iesuitæ ergo haud indigebant P. Berges apologia, quæ, dum onus suscipit defensionis, dubium saltem excitat, a Iesuitis prodiisse Philosophismum.

§. I.

Theologi qui requirunt ad peccandum actualem considerationem, peccati philosophici principia iaciunt.

I. CONvenit penes omnes, ignorantiam, seu inadvertentiam omnino invincibilem a peccato excusare. Quare merito Alexander Papa VIII. damnavit hanc propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* Nulla quippe libertas absque cognitione aliqua. Nullum peccatum absque libertate. Ergo nullum

pec-

peccatum absque cognitione. Quaenam autem dicenda sit ignorantia invincibilis, dictum est *Lib. II dissert.* II. *cap.* I. *& seqq.* Id modo in controversiam vertitur, num quaecumque inadvertentia actualis sit invincibilis; ita ut qui actu non advertit se peccare, non peccet, eo quod defectus actualis considerationis constituat ignorantiam invincibilem; tametsi illa inconsideratio ortum ducat ex negligentia culpabili. Affirmant Probabilistarum plures. P. Gabriel Daniel in suis dialogis Cleandri & Eudoxi, se evasurum Iansenistam promittit, si probetur, quempiam Probabilistarum talem docere doctrinam. Audax sane promissio, & metamorphosis valde prodigiosa. Videamus num eventus promissioni respondeat.

II. Hanc quaestionem versat P. Thomas Sanchez *Lib. I. in Decal. cap.* XVI. *num.* 20. ubi inquit. „ Quidam sentiunt, sufficere advertentiam virtualem, seu interpre- „ tativam, ut ignorantia, & inadvertentia, seu oblivio censeantur vincibilia, non „ apposita debita diligentia ad ea vincenda, nec excusent a praecepti transgressio- „ ne. appellant autem considerationem virtualem, quoties, etsi ratio actu non „ consideravit malitiam obiecti, potuit tamen morali potentia, & debuit malitiam „ obiecti considerare." Pro hac relata sententia laudat Zumel, & Valentiam: & confestim suam promit opinionem his verbis *num.* 21. „ At probabilius existimo „ ad ignorantiam, inadvertentiam, seu oblivionem, sive iuris, sive facti, censen- „ da invincibilia sufficere ut nulla notitia nec specialis, nec confusa, nec aliqua „ dubitandi ratio in universum, aut peculiariter occurrat." Hactenus locutus est de peccato generatim accepto, abstrahens a mortali, aut veniali. Ceterum, ut evidentius mentem panderet suam, continuo sequentia subdit. *Quare nullum esse peccatum mortale in voluntatis consensu censeo, nisi cogitatio aliqua praecesserit, & consideratio expressa, quam actualem vocant, malitiae moralis, vel periculi, vel saltem EXPRESSA aliqua dubitatio, vel scrupulus. Itaque ut quis peccet mortaliter, debet considerare, vel opus illud esse malum, vel sibi esse malitiae periculum, vel dubium, vel scrupulum saltem aliquem habere: quod si nihil horum praecesserit, ignorantia, inadvertentia, seu oblivio censentur omnino naturalia, & invincibilia; & sic iuxta hanc sententiam, non satis est cognitio illa virtualis, seu interpretativa, quam sufficere dicebat sententia n. praeceden. relata*. Admissa hac doctrina, quae absurda, quae monstra non consequuntur? Quis fornicatorum, furum, adulterorum advertit actualiter ad peccati malitiam? Laudat pro hac sententia P. Vasquez, qui revera hanc doctrinam defendit I. 2. *quaest.* LXXIV. *art.* 7. *disp.* CIV. his verbis: *Concedimus numquam fieri peccatum sine conscientiae reprehensione ex parte cognitionis, quae consistit in cognitione periculi*. P. Vincentius Filliucius adoptat Sanchez, & Vasquez doctrinam *tract.* XXI. *cap.* II. *num.* 376. „ Si neque in apprehensione sit „ advertentia, tunc operatio ex se mala a peccato excusat. Et ratio est, quia „ inadvertentia aliquando excusat; & certe tunc quando obiectum nullo modo est

„ co-

„ cognitum : tunc enim operatio censetur indeliberata, & excusabitur a culpa, „ donec sit aliqua cogitatio malitiæ. Hoc pacto cum dicunt Doctores, aliquem „ peccare, quando advertit, vel debet advertere; intelligi debent de advertentia „ quæ supponat iam obiectum apprehensum, & sit posterior advertentia in appre- „ hensione alioquin ante primam apprehensionem advertere non tenetur. Debet „ enim semper præcedere aliqua apprehensio malitiæ, aut prohibitionis, vel alte- „ rius rei similis, quæ pertinent ad genus moris." P Escobarius laudatis Theologis subscribit, illorumque sententiam defendit *in princip. Theolog. moral. exam.* 11. *cap.* VI. „ Cum Sanchez assero non delinquere: quia ad ignorantiam vincibilem, „ & peccaminosam, præter obligationem advertendi, requiritur ante consensum „ expressa aliqua cogitatio, vel *consideratio actualis* malitiæ, aut periculi, vel sal- „ tem expressa aliqua dubitatio. Nam si de malitia operis nulla suspicio, vel „ scrupulus gravis veniat in mentem, opus, in quantum malum, non erit volun- „ tarium, cum nulla ratione fieri possit, voluntatem annuere malo, quod intelle- „ ctus non præcognoverit." Eadem omnino docet P. Martinon, celebris alioquin Theologus, *Tom. II. disp.* 11. *sect.* 2. *num.* 14. Sed clarius & expressius ceteris hanc doctrinam propugnat P. Georgius Rodes *disput.* 11. *de pec. quæst.* 1. *sec.* 1. „ Maneat „ igitur quod numquam ignorantia iuris, aut facti peccatum est, nisi actu confu- „ se saltem, aut dubitative advertatur eius malitia, & obligatio faciendi. *Neque „ sufficit ut tenearis advertere.*" Similia habet disp. 1 de peccat. quæst. III. sect. 2. a. 30. *Numquam est peccatum mortale, quoties non adest plena consideratio malitiæ, gravis offensæ divinæ, vel periculi eius.* Et paullo ante. *Si intellectus expresse non cognosceret malitiam, voluntas non posset etiam indirecte velle peccatum.* Item pag. 408. *Quæcumque actu non cogitas esse peccata, vel certe non dubitas, non sunt etiam* ullo modo *peccata, etiamsi antea* sciveris *illa peccata esse*. Locis laudatis plurima habet quæ hanc confirmant doctrinam, quæque missa facio brevitatis ergo. Porro hæc omnia adeo connexa cum Philosophismo sunt, ut uno posito, aliud consequi oporteat.

III. P. Daniel, ut a Philosophismi labe Probabilistas purget, contendit, eos haud negare præfatas actiones esse peccata in sua caussa, in qua etiam voluntaria, & libera sunt voluntate indirecta; sed tantum in se ipsis novæ malitiæ additione. Quod porro sint peccata in caussa, aut in se ipsis per novam malitiam, quæstio scholastica est, quæ in utramque disputari partem valet, absque ullius *Philosophismi* periculo, cum iuxta omnes hæc peccata clavibus sint subiicienda. Distinctio vera est, sed perperam applicatur recensitis Theologis, qui in allatis textibus conceptis verbis eam improbant, dicentes, *nullo modo* esse peccata. Claritatis gratia nonnullos alios textus adferam, ut penitus convellam P. Danielis commentum.

IV.

IV. P. Thomas Sanchez tres recenset, ad hoc quod attinet, sententias, *Lib. I. in Decal. cap. XVI. num. 45. pag. 77.* „ Quidam censent, si voluntas illa qua directe, „ vel indirecte volita sunt, non interrumpatur per pœnitentiam, antequam deve- „ niatur in statum in quo caveri non possunt, censeri peccata non in se proprie „ loquendo, sed in sua causa. “

V. Hæc est prima opinio. Secunda vero, quam immediate describit, est sequens. „ Alii existimant in priori casu, nempe quando voluntas per pœnitentiam „ non est interrupta, esse peccata in se, sed non distincta malitia a malitia suæ „ causæ, sed dici peccata denominatione, & imputabilitate extrinseca, quam con- „ trahunt ex præterita negligentia voluntaria. “

VI. Tertia sententia negat, quocumque modo, sive in caussa, sive in se, sive extrinseca denominatione, & imputabilitate. Quam opinionem continuo profert his verbis. *Aliis vero placet ea non esse peccata etiam denominatione extrinseca, derivata malitia ex voluntate præcedenti, sed esse solum quosdam voluntatis præcedentis effectus . . . Unde infert Vasquez num. 16.* non esse necessarium exprimere in confessione ea peccata *in somno, vel ebrietate, vel quando vitari nequeunt, contingentia; sed satis esse exprimere causam datam non apponendo diligentiam ad ea præcavenda, cum prævisa fuerunt.* Quid concludit P. Sanchez? Audi. *Omnes has tres sententias censeo satis esse probabiles, & tuto amplecti posse.* P. Gabriel Vasquez, laudatus a Sanchez, addit, Christianos ob propriam ignorantiam, qua credunt hæc esse peccata, se se eorumdem in confessione accusare. *Respondeo secundum eos Doctores, quorum sententiam secuti sumus, non esse exprimenda* (omnia exteriora) *in confessione. Fideles autem plurimi ea explicant, quia nesciunt ea non esse peccata. 1. 2. quæst. VII. disp. XCIV. cap. IV. pag. 438.* Subdit tamen, haud esse a tali confessione prohibendos fideles, instruendos tamen, quod si velint solum ea quæ vi præcepti confessionis tenentur, peccata pandere, non astringantur præfata peccata revelare. *Prohiberi non debent a talium eventuum confessione . . . At si quis præcise ea exprimere vellet quæ debet, non est cogendus eventus explicare ratione confessionis . . .* Sed satisfaceret præcepto, si diceret, *se dedisse proximam causam talis omissionis, aut pollutionis.* Ibidem. Hanc P. Vasquez sententiam transcribit P. Thomas Tamburinus, eamque consueta sua perspicuitate exponit. Lib. II Meth. Confess. cap. III. §. 3. num. 25. *Unum nota, aliquando actus ejusmodi inadvertenter factos non retinere ne malitiam quidem MATERIALEM, seu quam vocant objectivam: & tunc nec ipse actus, nec consuetudo est peccatum, adeoque neque confessioni subdendum. Talis communiter reputatur contumelia in ebrietate alicui facta ab ebrio . . . in se non erit peccatum, neque in causa . . . Eodem modo dicendum esse docent aliqui cum Joan. Sanchez de blasphemia, hæresi, & supradicto juramento, quod scilicet essentialiter requirant esse ab utente ratione, & consequenter ne in-* ad-

advertenter facta neque IN SE, neque IN CAUSA esse peccata, adeoque nec necessario confitenda. Sed hoc fusius explicare ad nos nequaquam spectat; cum satis nobis sit a peccato, & confessione regulariter ea excusare propter illud caput modo dictum num. praeced.

VII. Ad alterum nunc caput accedamus, quod scilicet peccata perpetrata non solum in ebrietate, sed etiam vi consuetudinis, non sint peccata. Hic crescit oratio. Nam ebrietas aufert actualem rationis usum, secus consuetudo. Nihilosecius Probabilistarum plures contendunt, peccata vi habitus, aut inveteratæ consuetudinis commissa, non esse peccata mortalia. Audi P. Thomam Tamburinum *Lib. II. Method. Confess. cap.* III. *§.* 3. *num.* 23. *& seqq.* „ Qui vero ex inveterata con„ suetudine inadvertenter iurat, licet videatur obligari ad consuetudinem confi„ tendam, *tamen communiter excusatur* . . . Iam quod *communiter* excusetur, ra„ tio est, quod communiter nemo advertit ad obligationem quam habet, illam „ consuetudinem propter eam rationem extirpandi, ne scilicet sua consuetudo sit „ causa proxima prædicti materialis mali, *& consequenter, cum excusetur a pec„ cato, excusabitur a confessione. Facit in simili de Lugo.*

VIII. P. Vincentius Filliucius tract. XXV. cap. I. num. 27. *Si desit advertentia plena, & ex ea oriatur blasphemia, etiamsi adsit consuetudo blasphemandi, non committitur peccatum mortale . . . Ad peccatum mortale requiritur advertentia plena, &* undequaque *oriatur defectus illius, excusat a peccato.* Item cap. II. num. 16. ibi. *Sit ne periurium cum inadvertentia naturali peccatum mortale speciale, quando est sine advertentia naturali . . . Nam obstante consuetudine NON RETRACTATA præsens inconsideratio, vel inadvertentia est invincibilis, cum sit naturalis. Ergo excusat a peccato saltem mortali, quia consuetudo non efficit inadvertentiam voluntariam.* Item num. 318. ibidem. *Nec refert quod inadvertentia oriatur ex prava consuetudine, aut ex passione: quia tam passio, quam prava consuetudo TOLLIT ACTUALEM USUM RATIONIS, qui necessarius est ad peccandum mortaliter.* Legantur P. Thomas Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* V. *num.* 28. *&* 33. P. Layman *Lib. I. tract.* III. *cap.* V. *num.* 13. *pag.* 29. P. Georgius Rodes *Tom. I. disput.* II. *de pec. quæst.* I. *sect.* I. *§.* 2. *pag.* 424. P. Martinon *disput.* XXI. *de pec. sect.* 2. P. Filliucius *tract.* XXI. *cap.* X. *num.* 364.

IX. Absurda, monstra, & scandala quæ hanc consequuntur doctrinam, fusius explicata sunt in *Historia Probabilismi & Rigorismi diss.* I. *cap.* V. idcirco missa facio, potissimum quod sint omnibus pervia.

X. Eo tempore quo hæc scribebam, ad manus venit libellus in casus reservatos Venetæ dioeceseos, in quo hæc habentur pag. 8. *Si blasphemia sit imperfecte deliberata ex prava consuetudine blasphemandi . . . secundum multos Doctores, utpote non voluntaria saltem perfecte, non est culpa saltem mortalis.* Propter hanc

pro-

propositionem, & aliam de tactu mamillarum Monialium proscriptus a Congregatione S. Officii fuit liber iste peculiari decreto. Consule, si plura cupis, epistolas nostras theologico-morales, ubi reperies decretum damnationis, & confutationem ejusdem libelli. Describi vix possunt scandala, rumores, turbas, & murmura quæ in universa Italia excitavit hic libellus tum ob doctrinam erroneam evulgatam; tum ob libellos quos aliqui in ejusdem defensionem evulgarunt. Omnes proscripti sunt. Suo tempore synopsis historiæ dabitur. Pauca nunc delibavi, ut compertum tibi sit, recensitam opinionem, quæ defendit, peccata blasphemiæ, & alia ejusmodi ex consuetudine prolata, non esse peccata mortalia ob defectum actualis advertentiæ ortæ ex consuetudine, proscriptam certo esse. Nam certum est, proscriptum esse præfatum libellum, ut continentem propositiones falsas, improbabiles, scandalosas &c. Hæ autem propositiones sunt potissimum duæ, nimirum de tactu mamillarum, & de blasphemia ex consuetudine, ut cuique patet. Verum de his plusquam satis.

§. II.

Ignorantia invincibilis Dei mater est Philosophismi. Qui illam defendunt, & hunc propugnent necesse est.

I. IGnorantismus & pater, & mater est Philosophismi. Demonstratum hactenus fuit, Theologos illos qui docent peccari non posse absque actuali consideratione, in errorem Philosophismi necessario prolabi. Nam si quis actu non advertat ad legem æternam, aut ad Deum, proferatque in Deum, aut in proximum contumelias, calumnias, ipsumque proximum percutiat, advertatque se illum percutere, quin Deum actu consideret, tum philosophicum, non theologicum peccatum peccabit. Verum proximior *peccati philosophici* parens est *Ignorantismus*, seu ignorantia invincibilis Dei. Theologi non pauci, hoc ignorantiæ invincibilis Dei prætextu, plures infideles, potissimum Sinenses, ab atrocioribus flagitiis, vel ab ipsis homicidiis, & parricidiis excusabant. Cujus erroneæ doctrinæ quinque Galliarum Episcopi certiorem fecerunt summum Pontificem Innocentium XII. P. Ferdinandus Navarrete *tract.* VII. *pag.* 303. refert decretum sacræ Congregationis latum an. circiter 1674. quo ejusmodi prohibetur doctrina. *Hæc nempe* (scribunt laudati Episcopi) *ad Sinensium solatia deferebant, quibus excæcatæ gentis, ac de parentum suorum sapientia immensum glorianti superbiam demulcerent. An infideles, præcepta naturalia transgredientes, pœnas æternas mereantur? Negabant aliqui, quia ignorantia Dei, & Legislatoris a tam gravi pœna excusantur . . . . At sacræ Congregationis auctoritate Consultores respondebant proculdubio damnari eos, idque pœnis æternis, de quibus quæstio instituta erat: nec illam turpissimam ignorationis Dei excusationem admittebant.*

II.

II. P. Antonius Terillus Philosophismum propugnare videtur *tract. de consc. probab. quaest.* 11. *num.* 1. *pag.* 156. ubi hæc scribit. „ Suppono nunc ex optimorum „ Theologorum doctrina, nullum peccatum theologicum, quo scilicet aliquo mo„ do separamur a fine ultimo, & meremur pœnas illas æternas damni, & sen„ sus, quas Deus pravis nostris actionibus pro futura vita destinavit, committi „ posse *cum invincibili Dei ignorantia, immo nec absque actuali cognitione*, per „ quam infinita Dei bonitas, & maiestas aut explicite, aut certe sub terminis „ cum clariore eiusdem conceptu convertibilibus, implicite nobis innotescat. " Nec hic P. Terillus loqui in sensu hypothetico docet præfatos Theologos, quibus ipse subscribit, sed absolute. Quare toto ostio aberrat P. Dominicus Viva, qui in expositione 2. *propos. Alex. VIII. num.* 3. contendit, Theologos recentes, quos ipse antiquos vocat, non admisisse absolute ignorantiam invincibilem Dei, sed solum quod, *si per impossibile quis haberet invincibilem Dei ignorantiam, aut de Deo actu invincibiliter nullatenus, ne implicite quidem, cogitaret, dum advertit furtum v. g. esse rationi dissonum, in tali casu peccatum non foret Dei offensa, nec peccatum theologicum, sed pure philosophicum, eo quod impossibile sit Deum offendi, nisi aliquo modo cognoscatur.* Quoties ergo palam fecerim, Theologos docuisse reapse dari ignorantiam invincibilem Dei; ipso P. Viva fatente, probatum quoque erit, eosdem Philosophismum propugnasse.

III. Porro ut adducam Theologum, omni exceptione apud P. Viva maiorem, eidem propono P. Ludovicum Molina, qui in *I. Part. D. Thomæ quaest.* 11. *art.* 1. *pag.* 36. hæc scribit. „ Et quidem Epicurus, ut est apud Ciceronem *Lib. I. de na„ tur. deor.* in ea fuit sententia, ut affirmaverit, *gentes omnes perceptionem quam„ dam* (quam ipse prolepsim appellat) *habere, quod Deus sit, naturaliter hominum „ animis sine lege, sine instituto, aut sine doctrina insertam:* quam sententiam se„ quitur eo in loco Tullius. "

IV. Sententia M. Tullii adeo splendida est, & opportuna, ut eam duxerim transcribendam. „ Solus enim (Epicurus) vidit primum esse deos, quod in omnium „ animis eorum notionem impressit ipsa natura. Quæ est enim gens, aut quod „ genus hominum quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam deo„ rum? Quam appellat πρόληψιν Epicurus, idest anticipatam omnino rei quam„ dam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputa„ ri possit. Cuius rationis vim, atque utilitatem ex illo cælesti Epicuri de re„ gula, & iudicio volumine accepimus. Quod igitur fundamentum huius quæ„ stionis est, id præclare actum videtis. Cum enim non instituto aliquo, aut „ more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma con„ sensio, intelligi necesse est, esse deos, quoniam *insitas eorum, vel potius inna„ tas cogitationes habemus.* De quo autem omnium *natura consentit*, id verum

„ esse necesse est. Esse igitur deos confitendum est. Quod quoniam fere constat „ inter omnes, non Philosophos solum, *sed etiam indoctos*; fateamur constare et„ iam illud, hanc nos habere *sive anticipationem, ut ante dixi, sive praenotionem* „ *deorum.*" Et Libro I. legum haec scribit. *Nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat Deum qui ortus sit, quasi recordetur, & agnoscat.* Quoties haec, & similia in ethnicis Scriptoribus lego, dissimulare nequeo, quin manifeste fatear, me pudere illorum loco qui media in luce evangelica scribere audent, Deum posse inculpate nesciri.

V. Laudato P. Ludovico Molinae *Rigorismus* visa est haec Epicuri, & Ciceronis doctrina. Quapropter *pag.* 37. oppositam sententiam docet his verbis. „ Ex dictis „ colligi potest, tam rudes, & incultos posse aliquos homines esse, ut *maxima* „ *cum probabilitate* affirmare possimus, in eis *ignorantiam invincibilem Dei POS-* „ *SE reperiri.* Quod primo, & secundo, cum de ignorantia ageremus, obser„ vavimus. Porro ea ignoratione excusabuntur a peccato infidelitatis, & quod „ Deum non colant, nec eidem honorem debitum exhibeant, *non erit eis culpae* „ *tribuendum.*" Nemo ratione praeditus negaverit, P. Molinam hic in sensu absoluto loqui. Ubi vel vestigium sensus hypothetici? Quemadmodum Epicurus, & Cicero absolute negant admittendam esse Dei invincibilem ignorantiam; ita Molina e contrario adfirmat absolute, quacumque hypothesi sublata, *ignorantiam invincibilem Dei posse reperiri.*

VI. P. Ludovici Molinae sententiam defendendam suscipit, eamque confirmare pluribus nititur paralogismis P. Rodericus Arriaga *Tom. I. edito Antverpiae anno* 1643. *disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 17. *pag.* 31. his verbis. „ Probabiliorem censeo sen„ tentiam *Molinae*, quam facile inde probo. Nam, ut supra ostensum est, non est „ veritas per se nota Deum existere: debet ergo &c. Ego sane vix dubito, quin „ multi possint inveniri in quibus nec *per umbram* similis excitetur ratiocinatio. „ *Poterunt ergo habere ignorantiam invincibilem Dei.*" P. Arriaga sibi obiicit argumenta, eaque solvere studet. Ad auctoritatem S. Iob, & Hieronymi tria exhibet responsa, quorum tertium hoc est. „ Respondeo tertio, illis testimoniis pro„ bari, eum qui habet aliqualem vim ingenii, per hoc tamen non dici, nemi„ nem id posse ignorare, vel ex duriori ingenio, vel ex educationis defectu. „ Quod si conceditur unum posse, debet concedi & multos posse: quia non est „ ratio quare in his terris possint aliqui, & non etiam totidem alibi, his annis „ aliqui, & non sequentibus totidem vel plures." Post multa sibi opposita, & suo modo soluta, ultimo loco absurdum sibi obiicit. „ Ultimo obiicies. Ergo ta„ lis homo ignorans Deum non peccabit mortaliter, etiamsi alium occidat, & „ putet se malum facere. Nam peccatum mortale definitur communiter: *Est di-*

„ *ctum*,

„ *ctum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei*. Ille autem eam le-
„ gem ignorat. Ergo non peccat, licet *noscat se contra rationem agere*. Resp. De
„ hoc egi in materia de actibus humanis, ubi proprius est illius locus: *dixique*,
„ *talem non promeriturum per illud factum pœnam æternam*, sed temporalem gra-
„ vem, qua a Republica sufficienter punitur furtum, quatenus est contra illam,
„ vel virgis, vel suspendio. Nam ratio promerendi pœnam æternam solum de-
„ sumitur ex eo quod aliquis homo saltem in confuso noscat se offendere Deum
„ summum, quod in ignorante non reperitur. *Nec inconveniens est in tali con-*
„ *cedere eam actionem non esse æterna pœna dignam ex ignorantia illa invincibi-*
„ *li*. " Quis inficias iverit, P. Arriagam peccatum propugnare philosophicum?
Quid quod Philosophismum damnato pejorem ille propugnat?

VII. Porro, ut hoc evincam, primum describam argumentum quod sibi obiicit idem P. Arriaga *loc. cit. pag.* 32. & 33. Inquit ergo: „ Licet non sit per se no-
„ tum, Deum esse; semper tamen videtur annexa aliqua saltem dubitatio in hac
„ re, sicut in præceptis naturalibus, quæ statim lumine naturæ noscuntur. " Et adducit testimonium Victoriæ, qui ait, non posse esse invincibilem ignorantiam præceptorum naturalium.

VIII. Duplex præbet responsum. Secundum tantum referam, magna dignum consideratione, estque huiusmodi: „ Facile tamen respondeo, verum quidem es-
„ se multo minus requiri ad dubitandum (ut objectio contendit) quam ad for-
„ mandam ipsam demonstrationem *de Deo*, de qua nos supra, semper tamen ad-
„ huc nostram conclusionem subsistere: nam illud ipsum excitari speciem *de*
„ *Deo*, est utcumque difficile, & saltem in multis, quin a se ipsis eam non ac-
„ quirant primo. "

„ Secundo respondeo, & hoc est valde considerandum in præsenti, nos hic age-
„ re de ignorantia culpabili. *Non est autem omnis ignorantia vincibilis culpabi-*
„ *lis*. Ratio est, quia multæ sunt res de quibus mihi occurrit ratio dubii, *non*
„ *tamen pecco non ulterius inquirendo: sunt enim res quarum mea non interest:*
„ & de his non teneor amplius inquirere, ut per se patet. Quo posito, etiamsi
„ aliquod dubium suboriatur in multis barbaris hominibus, an sit aliqua causa,
„ v. g. quæ producit cælos; non tamen propterea excitatur species, quod illa sit
„ legislator, vel veneratione digna, quod illa dederit præcepta, quæ ego debeam
„ inquirere. *Immo forte sæpius in contrarium ad me talia discutere non pertinet*,
„ *nec utile est. Sicut si jam excitetur dubium in aliquo, quo pacto arbores cre-*
„ *scant, non peccat certe, ulterius non inquirendo causam. Unde infertur non esse*
„ *culpabilem in tali ignorantia, etiamsi FUERIT VINCIBILIS PHYSICE*. "

IX. Quis ista aut legere, aut audire sine horrore valet? Non omnis ignorantia vincibilis est culpabilis in genere morum? Non plus nostra interest inquire-

re, sit ne Deus, ac quo modo plantæ crescant? Utile est aliquando Deum ignorare? Nisi perspicuos recitassem textus, fortasse aliqui dubitarent, minus me sincere eosdem descripsisse. Sed Arriaga præsto omnibus adest. Revolvatur in locis productis, ubi plura mirifica occurrent. Quis dixerit, P. Arriagam loqui de aliquo Philosophismo hypothetico?

X. Inter Theologos, quos immunes a Philosophismo P. Viva contendit, unus est *P. Martinon*, celebris ob disputationes habitas cum Iansenistis. Verum fallitur P. Viva in hac defensione. Hæc quippe scribit P. Martinon. „ Multi peccant agendo contra rationem, qui finem ultimum numquam sibi proposuerunt, aut de illo non actu cogitant, neque advertunt se a fine deflectere. Atqui nihil potest esse expresse volitum, nisi sit cognitum. Multi etiam peccando non cogitant *semper de lege divina, neque de Deo, neque de gratia supernaturali*, de qua plerique infidelium nihil umquam audierunt. " *Disp.* XV. *de pec. sect.* XI. *num.* 102. Expressius hanc eamdem doctrinam confirmat *sect.* XII. *num.* 117. ubi declarat, nullam occurrere rationem cur non sit dicenda invincibilis Dei ignorantia. „ Quidquid autem de invincibili ignorantia Dei perpetua dicendum sit, *non apparet cur sine culpa non possit ignorari aliquando*, & cogitari, quod supra rationem hominum sit alia ratio. Nam hæc cogitatio non est simpliciter necessaria. Deinde quando cognosceretur ratio supra rationem hominis, *tamen non apparet, quod nullus possit aliquando ignorare sine culpa, vel non advertere* in aliquo suo actu providentiam divinam, & curam hominum talem, ut contra illius voluntatem agatur quidquid agitur contra rationem humanam. Etenim intellectus humanus est valde limitatus, & exiguus, facileque circa pauca, & circa rem unam occupatur. *Neque illæ rationes sunt adeo connexæ, ut concepta una concipiatur necessario altera.* " Ut iam supra advertimus, error Philosophismi in hoc situs est, quod separentur hæ duæ notiones, alioquin distinctæ; ita ut in praxi fieri possit ut quis violet legem naturalem, cognoscendo se peccare contra rectam rationem, simulque ignoret Deum, aut de Deo, vel de eadem lege relative ad Deum non cogitet. Et tunc peccabit peccatum philosophicum; secus theologicum, ob ignorantiam Dei, aut legis æternæ. P. Georgius de Rodes pressius rem hanc resolvit *disp.* I. *de pec. quæst.* I. *sect.* I. „ In peccato actuali duo reperiuntur. Primo, quod sit malum morale, quia est recessus a regula. Secundo, quod aversio sit a Deo, & vera eius offensa: *Quæ duæ rationes distinctæ sunt, cum una sit altera prior, & illam fundet, possintque invicem separari.* "

XI. P. Iacobus Platellius in Synopsi cursus theologici *Part. II. cap.* III. *§.* 3. *num.* 189. conceptis verbis docet peccatum philosophicum. „ Peccatum, quamtumvis graviter repugnans, commissum ab invincibiliter ignorante, aut non ad-

„ ver-

„ vertente Deum esse, aut peccatis offendi, non est mortale. Cum enim nullum, etiam virtualem, Dei contemptum includat, stare potest cum caritate perfecta, & amicitia divina. Unde tale peccatum esset quidem grave gravitate philosophica . . . non tamen theologica, consistente in repugnantia cum lege, & bonitate divina."

XII. Inter Philosophistas collocat P. Henricus a S. Ignatio etiam Cardinalem de Lugo, cuius textum affert *ex disp.* V. *sec.* 5. *de Incar.* Sed, ut veritati litem, dico, integram me legisse citatam sectionem, & nihil invenisse quod non queat sano in sensu exponi. Lugo siquidem in sensu hypothetico loquitur. Et de hoc Theologo verum scribit P. Dominicus Viva, secus de ceteris quos adduximus.

XIII. Plures alii inter Philosophistas recenseri solent. P. de S. Liger anno 1686. Lugduni hanc thesim defendendam exposuit: *Peccatum philosophicum possibile est*. P. Beon Massiliæ anno 1689. docuisse scribit laudatus P. Henricus a S. Ignatio sequentem sententiam. „ Quæritur, utrum aliquando offensa (Dei, materialis) non fiat formalis, seu utrum detur de facto aliquando peccatum philosophicum, hoc est actus pravus, & de se displicens Deo, ita tamen ut displicentia ignoretur, sive quia ignoratur Deus, sive quia ignoratur, quod peccatum ei displiceat, sive denique quod non attendatur & ipsa displicentia. Quocirca alii alia respondent. Ego dico, posse contingere ex triplici illo capite, ut non evadat offensa, fiatque tantum peccatum philosophicum, non pertingens usque ad malitiam theologici." Adversus hanc doctrinam apparuit anno 1692. liber inscriptus, *Le Philosophisme des N. N. de Marseille*. Et Episcopus Massiliensis Professorem Beon coegit suam retractare doctrinam. P. Iurre an. 1671. perspicue propugnavit Philosophismum his verbis. *Dico Peccatum philosophicum est possibile . . . Verisimile est dari de facto peccata philosophica*. Apud laudatum Henricum a S. Ignatio *Tom. I. Lib. X. part.* V. *cap.* VIII.

XIV. Ex his constat, quantum a via aberraverint P. P. Viva, Berges, & Daniel. Plures alios Theologos Philosophismi patrocinatores recensere possem; sed brevitas non sinit. Id præstabunt alii, ut perfectius morum Theologiam ab erroribus purgent.

XV. Illud nunc colligendum, *Ignorantismum* nempe proximum esse Philosophismi parentem, ut sub initium indicavimus. Absurda nunc quæ Philosophismum consequuntur, describenda essent. Sed, ne a præstituta brevitate discedam, paucis omnia complector. Athei isti, quos vocant negativos, adulteria, furta, fornicationes, sodomias, homicidia, & parricidia horrendissima perpetrabunt, quin Deum offendant. Quoniam ignorantia invincibilis a culpa omnino excusat. Ergo qui præfata scelera perpetrant, Deum invincibiliter ignorantes, peccabunt quidem contra rectam rationem, secus contra Deum, quem cum igno-

ignorent, offendere nequeunt. Hoc sibi argumentum obiicit P. Gabriel Marletta *Tom.II. quaest.* 11. *contr.*2. *num.* 22. „ Licet tunc actus ille non censeretur grave „ peccatum quasi theologice, quia abesset Dei cognitio explicita; ac proinde „ apud Theologos non imputaretur atheo, tamquam explicita iniuria, & of„ fensa Deo irrogata: esset tamen peccatum grave, quasi philosophice: quia na„ turale lumen rationis dictaret esse tale ob materiam gravissimam circa quam „ versaretur, dignumque maxima animadversione ac pœna ex ipso iure gentium. „ Unde Respublica quælibet, nisi bestiarum more vixerit, in parricidas, & ma„ tricidas exquisitis suppliciis animadvertit." Hanc sententiam *num.* 23. vocat apud se valde probabilem. Auctor iste, ut iam supra indicavi, lapsus in Philosophismum est. Quamobrem P. Vincentius Ferre *Tom.I. in I.Part. tract.* 11. *quaest.* 1. *§.* 10. *pag.* 147. a censu Thomistarum abrogat. *Sed iste in hoc profecto Thomista non est, neque praeceptorem suum sequitur D. Thomam.* Marletta alios Thomistas laudat in præsidium suæ opinionis. Si qui sint, non secus ac Marletta, improbantur. Quid quod vel ipsum D. Thomam sibi patrocinari effutit? Ex quo S. Thomas admittat infidelitatem negativam mysteriorum fidei, illatione nimium crassa colligit, S. Thomam admittere invincibilem unius Dei ignorantiam: quo nihil magis cum S. Doctoris doctrina pugnat.

XVI. Non posse reperiri invincibilem Dei ignorantiam, nec excusari umquam a culpa, sive atheismum, sive idololatriam, fuso calamo ostendam in prolegomenis in decem Decalogi mandata. Quare, ne actum reagam, ab hoc illustrando argumento nunc abstineo. Satis sit indicasse, ex hoc Ignorantismo omnia vel horrendiora monstra proficisci. Quid quod Caramuel in apologia contra Fagnanum atheos ipsos in cælum mittit? Hæc enim scribit. „ Nascitur Petrus, bapti„ zatur, antequam loqui sciat, capitur a barbaris, in silvam inducitur, & atheis„ mum positive docetur. Ad usum rationis pervenit. *Posse invincibiliter Deum* „ *nescire, Theologi nobiliores affirmant.* Moriatur igitur, antequam ignoret vincibi„ liter Deum, & consequens aliquod committat peccatum mortale, licet *gravia* „ *multa contra lumen rationis committat.* Quo puerum D. Fagnanus mittit? Non „ ad infernum, quia originali ille, & actuali mortifero caret. *Ad cælum ergo.*" Ad cælum athei? Quis hæc audit, & non perhorrescit? Hæc satis sint, ut quisque colligere valeat, quo laxitatis progressi sint recentiorum Theologorum non pauci.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE

PROBABILISMO.

QUAEDAM EXPONUNTUR AD STATUM QUAESTIONIS PERCIPIENDUM.

PROOEMIUM.

HActenus synopsim historiæ Probabilismi paucis perstrinxi. In præsentia, antequam caussam ingredior, nonnulla explicem oportet quæ necessaria sunt ut quisque sciat quid sit disputandum, & in quo difficultatis cardo vertatur. Facile dictu non est, quot vocum, & reflexionum ambagibus recentes Probabilistæ huius quæstionis statum obnubilaverint. Ne lector sub initium tædio tot cavillationum, & distinctionum afficiatur, plurima prætereo eorum quæ recentiores agglomerant. De iisdem ad sobrietatem, & prout expediens fuerit, in caussæ progressu sermonem instituam. Hæc brevissima Dissertatio est velut ad caussæ tractationem præloquium.

CAPUT I.

Opinionis notio.

I. HAEC est opinionis finitio, quam tradit S. Thomas I. Part. quæst. lxxix. art. 9. ad 4. *Opinio significat actum intellectus qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Ut istius definitionis sensum plene assequaris, duo distinguas velim in propositione circa quam intellectus opinatur, nimirum veritatem, & verisimilitudinem, seu probabilitatem. Actus opinativus non probabilitatem, seu verisimilitudinem, sed veritatem propositionis cui adhæret, spectat. Ratio evidens ex finitione data eruitur. Intellectus, dum opinatur, fert iudicium absolutum, & determinatum super veritate unius propositionis cum formidine oppositæ partis. Si iudicium istud spectaret probabilitatem, non opinativum, & cum formidine partis oppositæ esset; sed certum & evidens. Evidenter quippe intellectus videt splendere probabilitatem, & verisimilitudinem in propositione cui adhæret; immo eam videt in utraque contradictionis parte. Non potest autem iudicare utramque partem esse veram, aut falsam: quia si una vera est, altera falsa sit oportet. Movetur autem intellectus a veri-

verisimilitudine, seu probabilitate, vi cuius iudicio absoluto indicat partem cui adhæret, esse veram, & quam reiicit, esse falsam. Sed quia verisimilitudine, seu probabilitate intellectus movetur, non aliquo principio certo, & evidenti; idcirco tale iudicium est cum formidine oppositæ partis. Ex hac sola definitione colligis summi momenti principium, quod est universæ controversiæ basis, & fundamentum; videlicet, solam veritatem vel certo, vel probabiliter cognitam, esse regulam positivam honestæ operationis, & conscientiæ rectæ; probabilitatem vero esse regulam negativam, quæ interdum excusat a culpa, ut toties dictum & dicendum sæpius est. Hinc quoque colligis, conscientiam revera adæquate dividi in veram, & falsam, seu in rectam, & erroneam. Est enim actus intellectus, qui aut verus, aut falsus est. Aliæ divisiones in rigore aut nullæ sunt, aut ad hanc reducuntur. Verum fusius de hoc actum est *Lib. II. diss. 1.*

II. Formido, assensui opinativo annexa, non est motus, sive recessus ab ea parte cui assentitur. Quoniam tunc intellectus motibus contrariis ageretur. Sed hæc formido est defectus, seu carentia omnimodæ firmitatis. Principium enim seu motivum inclinans intellectum est ipsa verisimilitudo, & apparentia veritatis. Et quoniam infirmum motivum est, & debile, idcirco parit iudicium, absolutum utique, sed cum formidine oppositæ partis.

III. Quamquam iudicium opinativum non probabilitatem, sed veritatem spectet; non tamen communiter appellatur iudicium verum, sed probabile, eo quod vi motivi probabilis attingit verum. Tunc autem appellari iudicium verum solet, quando intellectus dirigitur principio certo & evidenti. Hæc omnia clarius in decursu controversiæ explicabuntur.

CAPUT II.

Sententiæ probabilis finitiones variæ quas tradunt Probabilistæ.

I. IMmensus forem, & maximam parerem confusionem, si omnes explicare definitiones opinionis probabilis, quas excogitarunt Probabilistæ, vellem. AEdificium undequaque ruinosum multis sustentari fulcris indiget. Probabilismus machina quædam est humana conficta mente, innumeris rimis, & cuniculis circumsepta. Ut tamen anfractus omnes Probabilistæ abscondant, spissum mentalium reflexionum velum, & telam ordiuntur, vocum farraginem coacervant.

II. Antiquior penes Probabilistas definitio hæc est. *Opinio probabilis est quæ rationibus alicuius momenti innititur, quæ non opponatur Scripturæ sacræ, Conciliis, Patribus, aut rationi evidenti*. Hæc finitio omni laxitati viam aperit. Sententiæ cui adversatur aut ratio evidens, aut clarus sacræ Scripturæ textus, aut Ecclesiæ

clesiæ definitio, non opinio probabilis, sed error est manifestus. Porro si ea est probabilis opinio quæ *alicuius momenti rationibus nititur*, vix erit opinio laxa quæ probabilis non sit: si probabilis; ergo licite amplectenda iuxta Probabilistas. Absurdum patet. Nam ut dicatur opinio niti *rationibus alicuius momenti*, sat est ut tres quatuorve docti iuniores illam propugnent. Nec est quod opponas, Probabilistas nomine *rationis alicuius momenti* intelligere rationem validam, firmamque. Quoniam hoc asserere possunt, sed defendere nequeunt. Docent quippe ipsi, licitum esse sequi opinionem minus probabilem faventem libertati, opinionem quæ appareat ipsi operanti potius falsa quam vera. Valida ne & firma illa ratio alicuius sententiæ reputari ab eo potest qui iudicat sententiam eiusmodi esse falsam?

II. Altera definitio, quam tradit Cardenas tract. 1. disp. 1. num. 16. *Opinio moralis probabilis est conclusio incerta, prudenti fundamento innixa.* Hæc non minoribus, ac prima, subiecta incommodis est. *Quid est prudens fundamentum?* Prudens illud reputant fundamentum quod contrario fundamento comparatum, minus verosimile est: ergo non prudens, aut saltem sub iudice lis est, sit ne prudens: & nos infra invictis argumentis evincemus, esse imprudentissimum.

III. Tertiam definitionem exhibent PP. Terillus, & Esparza. P. Terillus *quæst. 2. de conf. probab. num. 41. pag. 29.* hoc pacto definit opinionem probabilem. *Est*, inquit, *iudicium absolutum de aliquo obiecto, sed incertum, nixum motivo prudenti, cui homo irreprehensibiliter assensum præbet*. Subdit ibidem, nullam opinionem esse probabilem quæ sacræ Scripturæ, Patrum traditionibus, aut Ecclesiæ, idest Pontificum, & Conciliorum, definitionibus opponatur. Simillimam definitionem tradit P. Esparza in appendice ad quæstionem de usu licito opinionis probabilis *art. 112.* inquiens, requiri ut opinio probabilis *nitatur fundamento absolute, & comparative magno, idest fundamento, quod non solum seorsim, & secundum se sit difficile solubile, & valide pertrahat ad assensum; sed quod comparatum etiam cum fundamento oppositæ partis, retineat adhuc vim magnam pertrahendi ad assensum.* Hæ definitiones penitus destruunt machinam probabilisticam, non minus ac præcedentes. Si enim veræ sint, falsus est Probabilismus, quo asserunt licitum esse usum opinionis minus probabilis in conspectu probabilioris. Qui enim fieri potest ut solidum, prudens, & grave fundamentum, non modo seorsim, sed comparate etiam acceptum, habeatur illud cuius oppositum probabilius, & verosimilius apparet? Qua sinceritate dici potest, hominem *irreprehensibiliter* amplecti illam opinionem quam vel falsam, vel minus probabilem contraria, quam respuit, arbitratur? Qua ratione vocari potest fundamentum magnum non absolute modo, verum etiam comparate ad oppositum, si minus movet intellectum quam contrarium, immo reapse nullo modo inclinat, vel pertrahit ad se; ut exemplo liber suo loco palam fiet? Definitiones ergo allatæ non alio tendunt, nisi ut calamistris laxitatem Probabilismi obtumbant.

bant, imperitisque fucum faciant. Quandoquidem non plus cum re definita, seu cum Probabilismo componi valent, quam veritas cum falsitate. Illud fit argumento extrinsecus petito, quod P. Terillus, ut relatam suam definitionem exponat, duas supra centum paginas implet. Illam vero tot conditionibus, regulis, notis, exceptionibus, distinctionibus munit, ut ars inveniendi opinionem probabilem difficilior sit, inquit argute P.Ignatius de Camargo *Lib. I. contr.* IV. *art.* 2. *num.* 25. arte inveniendi medium, quam Dialectici in Summulis tradere solent, quamque sophistæ per irrisionem appellavere *Pontem Asinorum*. Et, quod mirificum est, secundum Probabilistas lex divina inventu impossibilis est; istorum vero probabilitas cuique pervia est ad legis divinæ rigorem temperandum. Verum de hoc suo loco.

C A P U T III.

Probabilismi vera pictura suis nativis coloribus expressa.

I. VIX percipere tu vales, quo ausu recensitas definitiones promere in lucem Probabilistæ possint, ob momenta quæ cursim indicavimus. Quamobrem, ut sub initium disputationis arcana Probabilismi quoquomodo teneas, duplicem distingue Probabilismum, alterum *directum*, *reflexum* alterum. Princeps Probabilismi *reflexi* est P. Antonius Terillus, vir sane acuti ingenii, qui in hac illustranda sparta diu adlaboravit, duosque Tomos edidit. Animadvertit perdoctus Theologus, paradoxon esse, quod opinio minus probabilis in conflictu probabilioris sit gravi fundamento nixa, & quod *irreprehensibiliter* intellectus eam amplecti valeat, illo ipso momento quo contrariam probabiliorem, & sæpius veram reputat. Auctores Probabilismi directi sub initium ortæ disputationis id propugnabant. Omnia quippe rerum ab humana mente confictarum initia infirma sunt & exilia. Laudatus Terillus, cum acrius ferveret dissidium, vidit Probabilismum hunc informem, & directum haud posse consistere. Dicitur *directus*, ut infra fusius explicabo, quia intellectus judicio immediato decidit e. g. hunc contractum esse injustum, secundum opinionem quæ sibi probabilior, & sæpe vera apparet, justum vero secundum aliorum opinionem, quam minus probabilem putat. Durum porro visum fuit propugnare, posse hominem agere contra propriam conscientiam directam: idcirco excogitarunt Probabilismum reflexum quo suspendatur prius judicium directum, & loco illius hoc aliud substituatur, tali syllogismo partum *Opinio quam docent quatuor aut quinque Theologi, probabilis est. Hanc docent plures Theologi. Ergo probabilis.* Ut autem penitus prius judicium deponatur, abstrahere intellectum debes a probabilioris sententiæ consideratione, & compressis ciliis, luci oculos occludere.

II. Ne-

II. Ne quid per exaggerationem dictum suspiceris, verba Terilli exscribo. *In rebus obscuris unusquisque suspendere potest iudicium nulli parti affixum. Ergo, sicut peccatum esset agere contra propriam sententiam actu existentem, facillimum esset se a peccati periculo eximere: quia suspendendo actuale iudicium de veritate obiecti, quod habitualiter habetur pro vero, formari posset conscientia per principia reflexa de absoluta eius honestate: atque ita posset operans a peccato excusari.* Tract. de consc. probab. quæst. xxx. pag. 595.

III. Via quam Probabilistæ *Reflexistæ* aperuerunt, ut Probabilismi horrorem aliquantulum temperarent, hac tempestate communis est. Hac quippe *reflexionum* sæpe circumdant suum Probabilismum, illumque munire student. Porro, ut vividis coloribus istius imaginem depingam, penicillum mutuabor a perdocto Iesuita P. AEgidio Estrix, qui libello Innocentio XII. porrecto graphice vultum Probabilismi format, refertque ad vivum. Illius verbis maiori ex parte utar, paucis propriis adiectis.

IV. „ *Sempronius* Deum timens, & non tam doctus, quam bona præditus mente, invitatur ad ineundum contractum qui ipsi est de usuræ aut simoniæ vitio suspectus. Ut conscientiæ suæ consulat, pro captu suo rem sub examen inducit: rationum momenta quæ in utramque partem urgent, expendit: Doctores consulit. Comperit Doctores longe plures damnare contractum, & horum rationes ipsi videntur fortiores. Iudicat ergo & ipse contractum usuræ, aut simoniæ labe inquinatum; idcirco contrahere renuit. Occurrit ei Theologus *Probabilista* exclamans. Quid times? Ignoras ne septem esse Doctores, qui contractum a cuiusque sive usuræ, sive simoniæ macula immunem propugnant? Sat scio, inquit *Sempronius*: sed scio itidem, viginti Doctores asserere, eumdem esse simoniacum; horumque rationes validiores mihi sunt. Quid refert? subdit *Probabilista*. Te ne latet, licitum tibi esse sequi opinionem minus probabilem? Reponit *Sempronius*: Etiamne opinionem quam iudico falsam? Scilicet, ait *Probabilista*, dummodo nitaris probabilitate contrariæ opinionis, quamvis minore. Ego ne, clamat *Sempronius*, contractum inibo quem simoniacum, vel usurarium iudico? Nimium meticulosus es, inquit *Probabilista*. Non est cur timeas: quoniam illud primum tuum iudicium nascitur ex principiis *directis* de contractu secundum se; cum quo bene consistit aliud iudicium ex principiis *reflexis* de licito contractu, ut subsistat *probabilitati, quamvis minori*. Quid reflexiones mentales, mi *Probabilista*, obtrudis? Nonne arbitraria humanæ mentis figmenta reflexiones istæ? Ais? Nequeunt ergo contractus sive iustitiam, sive usuram immutare. Apage itaque cum his tuis reflexionibus, quas non plus curo quam rabularum in foro artificia, & tutelas.

„ Bona verba, quæso, resumit *Probabilista*. Macte virtute, mi Semproni, & ne

gra

„ graveris duo alia audire verba, quibus omnem tibi eximam scrupulum. Illud „ tuum iudicium, cum sit opinativum, est tibi liberum. Id quippe dumtaxat men- „ ti necessitatem imponit quod evidens est. Illud igitur tantisper suspende. Quid „ mihi inde emolumenti? Nam, etiam suspensione iudicii facta, altius in mente „ resident rationes, & auctoritates quas pro simonia, & usura contractus clare vi- „ deo prævalere. Eia tandem sile, Semproni, & arcanum benignæ doctrinæ de- „ misso animo ausculta. Ut undequaque securus sis ac tutus, suspenso iudicio di- „ recto, animum tuum averte a consideratione rationum, & auctoritatum quæ „ evincunt contractum fuligine usuræ, & simoniæ tinctum: & solas contrariæ opi- „ nionis probabilis rationes, quæ licitum contractum repræsentant, intentus com- „ meditare. Quid facilius? Abrumpo filum, ne satyra scripta videatur. Verum sic „ res est, si obiiciatur oculis sine fuco."

V. Hæc, fucis & calamistis sublatis, *Probabilismi* genuina imago, hæc eius nativa indoles. Qui loco satyræ habet præfatam descriptionem, is sane probabilisticum systema penitus atque penitus ignorare se prodit. Probabilistas omnes provoco, ut designent, quid sit in hac descriptione carpendum? quis color falsus? quæ umbra picturæ addita? Singulas propositiones conceptis recentium Probabilistarum verbis me confirmaturum spondeo. Quod ideo præstare negligo, ne in re certa & evidenti demonstranda tempus teram. Posita descriptionis veritate, quid aliud expectas, ut Probabilismum detesteris? Lumine illo *directo*, super vultum animæ tuæ signato, sincere iudicas contractum esse simoniacum, usurarium. Ut autem avaritiæ, & ambitioni faveas, hoc repudiato lumine, ad ratiunculas humanæ mentis, ad artificia te recipis, quibus abscondere iniustitiam, & simoniam contractus valeas. Retrahis mentem a consideratione rationum, & documentorum quæ evincunt contractum iniustum; eamque detorques in oppositam partem, ut minores expendat rationes. In quos, amabo te, melius quadrat S. Iobi increpatio: *Ipsi fuerunt rebelles lumini. nescierunt vias eius?* cap. XXIV. Nonne basilice isti clamant: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus?* cap. XXI. Probabilistæ minime audent veram Probabilismi notionem perspicue prodere, quoniam continuo appareret eiusdem deformitas. Quamquam, ut id quod res est, dicam, adeo vaga est, & multiformis Probabilismi natura, ut nulla possit vera notione comprehendi.

CAPUT IV.

Quid significet hæc vox Probabile. *Vera opinionis probabilis notio. Antiquis Probabilius idem est ac Probabile. S. Augustinus. Probabilistas recentes exagitat non secus ac Cresconium.*

I. PRimum omnium explicanda est hæc vox *Probabile*. Hæc autem id significat quod est approbatione dignum, seu *approbabile*. Natura sua obiectum afficit, sicut *visibile* parietem, qui videri potest; *amabile*, quod est amore dignum. Iudicium autem intellectus revera non est probabile, sed probans, seu, ut aiunt, *probativum obiecti*; nisi quando iudicium directum evadit obiectum alterius iudicii reflexi. Usus tamen obtinuit, ut non solum obiectum, sed etiam actus intellectus, atque adeo opinio ipsa probabilis dicatur. Hoc tamen discrimen parum, immo nihil ad rem pertinet, dummodo clare constet, quid hæc vox *Probabile* significet.

II. Vera opinionis probabilis notio hæc est: *Assensus intellectus ad unam partem cum formidine oppositæ partis propter motivum probabile*. Hæc est definitio quam supra dedimus ex D. Thoma *I. Part. quæst.* lxxix. *art.* 9. *ad* 4. Opinio ergo probabilis, & opinio absolute accepta, idem, si presse loqui velimus, sunt. Quoniam deficiente obiecto probabili, inclinante intellectum in unam partem, intellectus non opinatur, sed aut fallitur, aut dubitat, aut in credulitatem incidit. Si vero occurrat obiectum, seu motivum leve, suspicatur; si sit probabile, opinatur. Hæc doctrina tota est S. Thomæ 2. 2. quæst. 11. art. 1. in c. *Quidam vero actus intellectus habent quidem cogitationem informem absque firma assensione; sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti; sive in unam partem magis declinent, sed tenentur aliquo levi signo, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti*. Evidens ergo est, absolute loquendo, opinionem simpliciter, & opinionem probabilem eodem recidere. Illæ particulæ, *propter motivum probabile*, distinguunt opinionem a quocumque alio intellectus assensu. Nam etiam verum evidens probabile, seu approbabile est, sed propter evidentem certitudinem: & credibile probabile, seu approbabile est propter auctoritatem attestantis. Hæc clariora sunt quam ut fusiore explicatione egeant. Et ecce quomodo ex doctrina S. Thomæ brevi, & clara finitione natura exponitur opinionis probabilis absolute consideratæ. Hanc doctrinam prius tradiderat Ioannes Martinez de Prado *Tom. I. quæst.* 11. *num.* 1. *& seqq.*, Consule S. Thomam *quæst.* xiv. *de veritate art.* 1. ubi explicat perspicue, intellectum numquam uni adhærere parti, nisi maior verisimilitudo eluceat in obiecto. Quæ sane doctrina brevissi-

ma

ma satis superque totam dirimit controversiam, quam Probabilistæ suis reflexionibus impeditissimam effecerant.

III. Obiicies. Admissa laudata doctrina, quæ dicitur, maiorem verisimilitudinem obiectivam necessariam esse, ut intellectus probabiliter opinetur, nulla datur opinio minus probabilis, nec æque probabilis. Hoc autem repugnat communi Theologorum consensui. Resp. Nulla datur opinio minus probabilis *subiective*, apparente maiore verisimilitudine obiectiva; concedo. Nulla datur opinio minus probabilis *obiective*; nego. Distinctio perspicua est. Probabilitas *subiectiva* est, quando intellectus, omnibus utriusque partis expensis momentis, adhæret uni parti propter maiorem verisimilitudinem obiecti. Et tunc fieri nequit ut in hoc intellectu sit altera inferior probabilitas circa eamdem rem. Hoc evidens est ex ipsa voce *Probabile*, quod dignum est ut *approbetur*. Quod autem est minus probabile, non est approbatione, sed reprobatione dignum. Probabilitas vero obiectiva in aliorum mentibus residet. Vides plures opiniones a Theologis propugnatas, in quibus maiorem, aut minorem deprehendis verisimilitudinem. Vocantur hæ opiniones magis, aut minus probabiles obiective. Nec propterea quod sint aliis, tibi quoque sunt probabiles. Quemadmodum non ex hoc quod obiectum aliquod sit visibile Petro, est etiam visibile Paulo. Quando opiniones contrariæ sibi sunt æque probabiles, intellectus non opinatur, sed dubitat, & anceps hæret, ut conceptus verbis docet S. Thomas *loc. cit. de ver.*

IV. Quamvis quæ delibavi, verissima sunt, tamen in ampliori sensu opinio alia est probabilis, alia improbabilis; alia vera, alia falsa. Quocirca opinio virtus intellectualis non est, quod hæ virtutes solam veritatem spectent, ut docet S. Thomas 1. 2. *quæst.* lv. *art.* 4. & *quæst.* lvii. *art.* 2. *ad* 3. & *quæst.* xviii. *de verit. art.* 5. Etiam Dialectici tribuunt consequentiam in bonam & malam, tametsi sola bona consequentia sit consequentia. Quapropter peroptime de more Angelicus docet *quæst.* xvi. *de malo art.* 6. quod *falsa opinio est quædam defectiva operatio intellectus; sicut partus mostruosus est quædam defectiva operatio naturæ.*

V. Hactenus de opinione probabili in tota sua latitudine, prout ad omne verum, intellectui per motivum incertum probabile, extenditur. Opinio probabilis in strictiori sensu, seu in genere moris est *iudicium opinativum circa passionem ex digno, sufficientique fundamento enuntians obiectum aliquod esse, aut non esse lege prohibitum.* Si fundamentum eruatur ex ipsa obiecti cum prædicato, ut dicitur, connexione, aut ex circumstantiarum natura; tum iudicium probabile intrinsece dicitur. si sola Doctorum auctoritate nitatur; vocatur probabile extrinsecus: si denique ex utroque capite oritur, tum & ab intrinseco, & ab extrinseco probabile nuncupatur.

VI. Notandum, aliam opinionem communiter reputari sive probabilem, sive pro-

probabiliorem (de horum vocabulorum diversitate nunc non contendimus) quæ pluribus, & gravioribus viris talis apparet. Quare Aristoteles *I. Topic. cap. IV.* docet, *ea esse probabilia quæ videntur omnibus, aut plurimis, vel sapientioribus; & iis vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis, & illustribus.* Quo enim in aliqua propositione maior est veritatis apparentia, eo notior est sapientibus. Et contra quo plures sapientes in aliqua sententia conveniunt, eo firmiori fundamento nititur sententia eiusmodi: & quo plures ab una sententia recedunt, eo imbecillior esse talis sententiæ ratio solet. Hæc absolute loquendo, & communiter vera sunt.

VII. Non obstat tamen, quo minus interdum possit alicui viro docto probabilior esse opinio quæ pauciores habet Doctores. quoniam evenire potest ut vir doctus deprehendat post maturum examen, citra passionem, & solo veritatis amore ductus, aliquam validiorem rationem aliis incognitam, vi cuius sententia quæ erat minus probabilis, evadat eidem probabilior, aut contra. Hoc tamen non adeo frequenter evenit, immo raro: & plura concurrere debent, ut hoc absque culpa eveniat; quemadmodum dicetur infra, dum de Probabiliorismo *subiective* sermo recurret.

VIII. Tandem adverte, hanc vocem *Probabile* idem absolute esse ac verisimile. Nam probabilitas relationem dicit ad veritatem, sicut & verisimilitudo. Quo propius veritati accedit probabilitas, eo est maior; sicut maior quoque est similitudo, seu apparentia veritatis, quo proximius veritatem exprimit. Ipse M. Tullius probabile pro verisimili usurpavit. *Volunt probabile aliquid esse, & quasi verisimile:* Lib. de invent. idemque repetit Lib. II. Tuscul. Qq. *Nos sequimur probabilia, nec ultra quam id quod verisimile occurrerit.* Nota tamen, quod quando probabile accipitur pro approbabili, seu pro illa propositione quam unice intellectus approbat, ut practicam regulam suæ operationis; tum probabile accipitur solum *subiective*; quod sicut distinguitur a probabili obiectivo, ita quoque a verisimili. Ne multa, probabile obiectivum, & verisimile semper idem sunt. Plura non dico, ne in re nullius momenti confusionem pariam.

IX. Ultimo loco animadvertas velim, antiquis Doctoribus, antequam Probabilismus erumperet in mundum, idem omnino fuisse Probabilius, ac Probabile; immo unice Probabile quod est Probabilius. Ut brevitati studeam, nonnulla referam ex S. Augustino, qui centum in locis Probabilius usurpat pro eo quod unice Probabile est. Qua de re reprehensus a Cresconio Grammatico, sic illum refellit *Lib. III. contr. Crescon. cap.* LXXIII. „ Tu vero callidus examinator appensorque verborum, do„ ces nos, quid valeat comparans gradus, tamquam victor exultans, quod non „ possum dicere, *Traditionem Probabilius nos vobis obiicimus*, nisi vos nobis *Pro„ babiliter* obiicere confiterer. Si enim vos, inquis, *Probabilius*, nos ergo *Proba-*

„ *bi-*

„ *biliter*. Et hoc doces, *quia sic est Probabilius*, *ut si dicas vere*, *& verius* : & „ quia gradus iste quod ante positum est, auget, non quod ante dictum est, im- „ probat. Adiungis alia verba, quibus hoc evidentius intelligamus : ac dicis. Sic „ est bene & melius, male & peius, horribiliter & horribilius, *sic esse ostendens* „ *Probabiliter & Probabilius*. Unde colligi putas, quia, *si ego Probabilius, quod* „ *falsum est*, *obiicio*, superest ut vos *Probabiliter*, *quod verum est*, obiecisse con- „ firmes."

X. Quis iverit inficias, S. Patrem Augustinum in obiectione sibi a Cresconio facta proponere quæstionem probabilisticam, seu, utrum in conspectu probabilioris, probabilis remaneat, & appellari possit opposita sententia? Hoc contendebat Cresconius, qui, ex quo Augustinus dixerat, *probabilius* se obiecisse traditiones, colligebat *probabiliter* se quoque docere contrarium.

XI. Respondet ibidem Augustinus *cap*. lxxiv. „ Considera tamen diligentius, ne „ forte invenias in latinæ locutionis Auctoribus, quibus grammaticorum artificialia „ serviunt, non semper istum gradum, quod ante positum est, augere, sed aliquan- „ do contrario superferri. Cuius locutionis exemplum interim mihi ex Apostoli e- „ pistola occurrit, quam scripsit ad Hebræos. Cum enim loqueretur de benedictio- „ ne terræ, quæ, accepta pluvia, fructum reddit, deinde subiecit : *Proferens au-* „ *tem spinas & tribulas*, *reproba*, *& maledictioni proxima est*, *cuius finis in com-* „ *bustionem*. Quod ne illis quibus loquebatur, optasse videretur, addit : *Confidimus* „ *autem de vobis*, *fratres carissimi*, *meliora*, *& harentia saluti*. Attendis certe, „ quomodo hic dixerit *meliora*, non quia bona erant, sed ut, illis devitatis, meliora „ eligerent, & optarent, hoc est bona tantis malis contraria. Sed forte Apostolum „ sic audiendum esse arbitraris, quemadmodum de se ipse dicit, tamquam homi- „ nem, etsi imperitum sermone, sed non scientia. & ideo non verborum in eo, sed „ rerum atque sententiarum auctoritatem putas esse sectandam; bona poni debuis- „ se contendes ubi posuit ipse *meliora*. *Quod si & ego in his litteris assuefactus*, *&* „ *illas quas puer didici*, *oblitus*, *sic dixi* · *Obiicitis traditionem*; *hanc ipsi multo* „ *Probabilius* nos vobis obiicimus. tamquam dicerem *Probabiliter*, comparativum „ pro positivo ponens · *non quia vos Probabiliter* (Audin'?) *sed magis quia impro-* „ *babiliter*, sicut ille *meliora*, non quia illa erant bona, sed magis quia mala : „ tu quare tam temere concludis, ex hoc confirmasse me, *vos Probabiliter*, quia „ dixi nos *Probabilius*?

„ Quamquam nec secundum grammaticos in verbo me errasse reprehenderes, „ si saltem verborum suorum auctores vel attenderes, vel memoriter recolere vo- „ luisses. Pueriles enim habent litteræ, sed non a puero imperito dictum :

„ *Dii meliora piis*, *erroremque hostibus illum*:
„ *Discissos nudis laniabant dentibus artus*.

„ Quo-

„ Quomodo ergo meliora piis, quasi bona essent istis, ac non potius magna ma-
„ la, qui discissos nudis laniabant dentibus artus? Iam vides certe, quia sicut iste
„ piis potuit optare meliora, quamvis illa in quorum comparatione optabat,
„ non essent bona, sic & ego potui dicere, *Traditionem Probabilius vobis obiicimus,*
„ *quamvis eam vos nobis non Probabiliter obiiceretis.*"

XII. Nec reponant Probabilistæ cum Cresconio, comparativum quandoque tantum pro positivo, & dum figurata locutio est, accipi, passim vero significare augmentum formæ, in qua fit comparatio, quæque in utroque extremo reperitur. Quoniam, si de comparativo absolute accepto sermo fit, non repugno. Si hoc tale comparativum *Probabilius* spectemus, nego. Etenim, ut infra ostendam, illud tantum in rebus dubiis probabile, & tutum est quod probabilius, & tutius apparet. Scio hoc negare Probabilistas, neque hoc illis vitio verto: quia, eorum admisso systemate, reapse id negare debent, & nos infra hoc idem ostendemus. Interim nos certe palam fecimus, Augustinum Probabilius pro Probabili usurpasse. Indicent nobis ipsi, ubinam Augustinus, vel antiquorum unus dixerit, aliquid esse probabile, dum oppositum est probabilius. Nos vero *dissert. seqq.* ostendemus, Augustinum semper probabiliora sectanda docuisse.

XIII. Referendi essent alii antiqui Doctores, qui Probabilius pro Probabili usurparunt. Sed satis mihi sit allegare auctoritatem P. Seraphini Piccinardi, qui in sua dogmatica Philosophia *Tom. I. pag.* 195. ubi laudat Antonium Cottonium in Universitate Patavina Metaphysicæ Professorem *contr.* v. *quæst.* v. inquit: *Omnes antiqui tam Theologi, quam Philosophi, Probabile pro eo quod nunc Probabilius dicitur, frequentius usurpabant.*

CAPUT V.

Quotuplex sit opinio probabilis. Quid tuta, & tutior. Quid probabilitas conscientiæ, & probabilitas impunitatis. Qua ratione Censores librorum excusantur a mendacio, dum approbant doctrinas quas reputant falsas.

I. PLurimæ sunt opinionis probabilis divisiones. Celebriores delibabo. Celebris est partitio in probabilem speculative tantum, & speculative simul ac practice: quæ partitio optima est absolute accepta. Nam scientiæ aliæ speculativæ, aliæ practicæ hoc in sensu, quod aliæ scientiæ sistunt in mera speculatione, aliæ opera spectant. Sed evellendus communis error, etiam penes quosdam minus peritos Scholasticos, qui putant, scientias quæ opera spectant, non esse speculativas. Falluntur, ut ego quidem arbitror. Nam in quolibet obiecto, quantumvis mate-

tiali, prædicata, & subiecta, proportiones, commensurationes, & proprietates considerari possunt. Quid materialius ipsa domo! Et tamen plura ad regulas artis meditari intellectus valet. Quare omnes scientiæ, qua tales, speculativæ primario sunt, extensione practicæ nuncupantur. Verum hæc præter institutum.

II. Hæc divisio, prout a Probabilistis scientiæ morum applicatur, plures patitur difficultates. Ea penes ipsos est opinio *speculative* probabilis quæ spectat actionem a suis peculiaribus circumstantiis abstractam. *Practica* e contrario quæ obiectum proponit omnibus circumstantiis particularibus vestitum. Hinc fit quod propter variationem unius circumstantiæ, opinio quæ erat probabilis *speculative*, fit improbabilis practice. Hanc divisionem acriter impugnat Vasquez *Tom. I. in* 1. 2. *disp.* LXII. *cap.* IV. & *disp.* LXV. *cap.* I. Certe, quando variantur circumstantiæ, non est amplius eadem, sed altera opinio. Quare abusus distinctionis laudatæ manifestus est penes Probabilistas, ut ex dicendis palam fiet.

III. In dies quoque ebulliunt opiniones, quæ sub initium *speculative* probabiles nuncupantur. Nam infirma quædam, & exilis probabilitas appellari a Probabilistis solet probabilitas speculativa. Hæc probabilitas speculativa debilis & exigua, temporis decursu fit practica: quod est manifesta falsitas, nisi aliqua accedat circumstantia. A probabilitate quippe speculativa oritur probabilitas practica, immo ipsa probabilitas speculativa extensione fit practica, quatenus tendit ad opera moderanda. Quare Probabilistæ communiter abutuntur hac distinctione probabilitatis speculativæ, & practicæ. Rursus subdistinguunt probabilitatem *practicam* in formalem, & materialem. Opinio quæ tibi probabilis reipsa est, vocatur ab ipsis practica formaliter. Quæ alius practice probabilis est, & non tibi, ut sunt plurimæ opiniones minus probabiles, quæ Probabilistis probabiles practice sunt, vocatur probabilitas practica materialis. Hæc divisio potest esse vera, & falsa iuxta diversum sensum quem excipit.

IV. Alia est divisio in probabilitatem ab *intrinseco*, & in probabilitatem ab *extrinseco*. Illa ratione, hæc sapientum auctoritate nititur. Tò *ab intrinseco* omne *rationis* genus comprehendit; sive ratio hæc ex connexione prædicati cum subiecto, sive ex Scriptura sacra, Conciliis, & Patribus eruatur. Hi enim sunt loci proprii, unde moralis sententiæ probationes, & confirmationes eruuntur. Quando autem talem sententiam plures Theologi defendunt, vocatur ea probabilis ab *extrinseco*. Quare hæc extrinseca probabilitas in solo Auctorum consensu in eamdem sententiam sita est. Si quis aliter philosophari voluerit super utriusque vocabuli significatu, nullam ei litem movebimus.

V. Dividitur quoque opinio in tutam, & tutiorem. His vocibus frequentissime abutuntur imperiti. Ut tibi ab errore caveas, primum omnium adverte, has voces non esse applicandas sententiis de quibus nulla est penes Catholicos disputatio.

tio. V. g. status religiosus tutior, seu securior, & perfectior est statu laicali, seu matrimoniali. Uterque tamen status tutus, & securus est. Et quia hoc exemplo utitur P. Bartholomæus Medina l. 2. *quæst. xix. art. 6.* in explicatione opinionis probabilis, & probabilioris; idcirco excusari a multis solet a *Probabilismo* recentiorum.

VI. Usus ergo huius distinctionis potissimum locum habet, quando ambæ propositiones certæ sunt; sed una remotior est a peccandi periculo, etiam materialiter, quatenus legis observantiam certo includit. Advertas velim, quod licet hæ voces sensum comparativum efferant, tamen passim in sensu positivo accipi ab Auctoribus solent. Quare *ly tutior* accipitur *adversative*, ut aiunt, pro parte tuta; *minus tuta* accipitur pro parte non tuta. Opinio quæ stat pro lege, *tutior*; quæ favet libertati, *minus tuta* nuncupatur. Porro licet, ut dixi, comparative hæ voces sumantur, revera tamen in sensu positivo accipi debent in rebus dubiis. Sola enim opinio quæ favet legi, tuta est; opposita minime tuta.

VII. Multi pro ingenio sensum harum vocum effingunt. *Tutior*, inquiunt, est quæ magis removet a periculo peccandi: *tuta* est quæ absolute liberat a periculo peccandi. Hæc explicatio, rebus disputabilibus applicata, falsa est. Ultra procedunt Probabilistæ, negantque usum huius distinctionis, inquientes esse de subiecto non supponente. Omnis quippe opinio favens libertati, quæ vere probabilis sit, nullo modo, clamant, dicenda minus tuta est, sed *tuta*, & *tutissima*. Immo omnes *Caramuelizantes*, & *Terillizantes*, idest communiter recentiores Probabilistæ, intrepide asserunt, opinionem faventem libertati, licet minus probabilis sit, & minus tuta in actu primo, reapse probabiliorem, & tutiorem esse opposita probabiliore, & tuta stante pro lege. Huc progressa est benignitas, & moderatio Probabilistarum. Cum premantur, fieri posse ut reipsa legem violent, dum opinionem oppositam legi, & faventem libertati sequuntur, hoc præbent responsum. Verum habet, inquiunt, frequenter coniungi posse usum opinionis minus probabilis cum legis violatione; sed violatio hæc *materialis* est, quæ nullo modo nocet. Huius violationis incurrendæ periculum nihili faciendum est, atque pro non periculo habendum. Tantum fidunt suo *Probabilismo*. De hoc infra. Sub initium tamen hæc adnotasse expediens fuit, ut, antequam viam instituas, prærupta, & præcipitia cavere, & quam monstrosus sit Probabilismus, deprehendere valeas.

VIII. Rursus confundere imperiti solent sententiam probabilem, vel probabiliorem cum tutiori, aut minus tuta, cum ab utraque præscindant. Opinio stans pro lege iuxta communem intelligentiam tutior est, utpote magis remota a peccandi periculo; at eo ipso non est probabilior, quin minus probabilis, & etiam improbabilis esse potest, si destituta sit fundamentis, & documentis, quæ prudentem assensum promereantur.

IX. Postrema divisio est in probabilitatem *conscientiæ*, & in probabilitatem *impunitatis*. Probabilitas conscientiæ ea est de qua hactenus. Hæc format conscientiam, atque pro ejusdem regula accipi solet, in sensu tamen a nobis explicando. Alia est probabilitas quæ vocatur communis, seu transcendentalis, vulgaris, secundum dici: & clarius eam appellat P. Elizalde *probabilitatem impunitatis*. Hæc probabilitas impunitatis locum habere solet contra certum, ut ita dicam, & evidens. Plurimis exemplis rem patefacere possem. Unum ex multis seligam. Thomistæ communiter pro certo habent gratiam divinam natura sua indifferentem repugnare verbo Dei, contra Molinistæ pro certo habent, prædeterminationem divinam physicam destruere humanam libertatem. Isti objiciunt Lutheranismum Thomistis, & contra hi Molinistis Semipelagianismum exprobrant. Pontificis decreto cautum est ut utraque pars suam propugnet sententiam, quin alterutra censura notetur. Probabilis ergo est utraque opinio, sed probabilitate impunitatis. Hanc probabilitatem impunitatis præbent summi Pontifices, Concilia, Fidei Quæsitores, & Censores librorum, quatenus approbant, edi posse talem, aut talem librum.

X. En quam imbecille & vanum sit argumentum illud quod fautores peculii monastici eruunt ex auctoritate propriarum constitutionum, in quibus peculii permissio intrusa est: quæ constitutiones sunt pontificia auctoritate approbatæ in *forma communi*, secus in *forma specifica*. Prior approbatio impunitatis est, qua conceditur ut liber edi possit, secus qua probentur omnes sententiæ in libro contentæ, sed solummodo permittuntur. Verum de hoc obiter.

XI. P. Michael Elizalde *Lib. II. quæst. v. & vi.* fuso calamo explicat probabilitatem, quam vocat *opinionibus dari solitam*, ut distinctam a probabilitate conscientiæ. Ad probabilitatem *opinionibus dari solitam*, seu vulgarem, & impunitatis, sat est id non esse a superioribus prohibitum, neque concordi Theologorum assensui evidenter repugnare. Hinc colliges, qua ratione Thomistæ, vel Molinistæ Revisores librorum teneantur approbare libros vel physicæ prædeterminationis, vel scientiæ mediæ, quamquam Thomistæ Molinianorum, & Moliniani Thomistarum sententiam evidenter falsam reputent. Quoniam probabilitas hæc *impunitatis*, ut distincta a probabilitate conscientiæ, datur etiam contra certum & evidens privatum judicium, ut fuse ostendit Elizalde *loc. cit. quæst. v.*

XII. Objicies. Si hæc vera sunt, Revisores librorum mendaces sunt, dum approbant doctrinas scholasticas, evidenter cognitas ut falsas. Solemnius mentiuntur dum approbant libros morales, puta, dum antiprobabilistæ Censores approbant Dianam, Tamburinum, Escobarium &c. Testantur enim nihil in iisdem reperiri quod *rectæ fidei, & bonis moribus repugnet*.

XIII. Argumentum istud, alioquin obvium, & in praxi frequens, non leve facessit negotium. Ut solvatur in memoriam revocanda est doctrina quæ publi-

eum iudicem spectat. Reus ex publicis actibus convictus est homicidii perpetrati: iudex cognitione extraiudiciali scit eum esse innocentem. Contra, reus ex actis publicis innocens apparet: iudex privata scientia scit eum revera commisisse homicidium. Quamquam in primo casu a S. Thoma dissentiat Scotus cum plurimis aliis Theologis; in secundo tamen conveniunt omnes, privatam iudicis notitiam obesse reo non posse. Disputant, an prodesse valeat; at non disputant, sed unanimi assensu fatentur, non posse obesse. Revisores publicæ personæ, & publici iudices sunt. Istorum privata scientia obesse non potest reo, seu Auctori, qui medio libro se sistit Revisoribus. Hæc ergo probabilitas *impunitatis* opponitur certo, & evidenti privato; secus certo, & evidenti publico: quoniam nec Romanus Pontifex, nec Concilia, nec omnes Theologi hactenus damnarunt doctrinam in libro contentam. Quapropter hæc probabilitas *impunitatis* dicitur.

XIV. Solus P. Antonius Terillus contradicere huic doctrinæ ausus est *I. Part. de reg. mor. quæst.* VI. Sed, ut advertit P. Ignatius Camargo *Lib. I. contr.* IV. *art.* 2. *n.* 19. tot adversarios habet, quot habet Orbis litterarius libros. Legantur Suarez *Tom. de fide disp.* XXI. *sect.* IV. *num.* 20. & 21. *in III. Part. Tom. III. disp.* VI. *sec.* 1. & *disp.* XXI. *sec.* 1. & *Tom. V. de censur. disp.* VII. *sec.* V. *num.* 12. Sanchez *Lib. I. Summ. cap.* 11. *num.* 13. Fagundez *Tom. II. in Decal. Lib. VII. cap.* XX. & alii penes ipsos: & tunc comprehendes, quam animosus fuerit Terillus in promovendo Probabilismo.

CAPUT VI.

Vera notio sententiæ benignæ, & sententiæ rigidæ. Terillus cœpit vocare benignam opinionem minus probabilem. Qui dicantur Benignistæ, Probabilistæ, Rigoristæ, Tutioristæ.

I. CUM primum Probabilismum ab omnibus viris doctis contemni animadverterunt Probabilistæ, illos imitati sunt qui alicuius criminis conscii, ut sibi caveant, occultato proprio, ascititio nuncupari nomine solent. Similiter Probabilistæ, desinente secunda Probabilismi epocha, sententiam minus probabilem, seu Probabilismum, hoc proprio nomine misso, *opinionem benignam* vocavere. Oppositam vero probabiliorem *rigidam* appellare occeperunt. Benignitatis dulce nomen omnibus arridet. Tetricus rigor cuilibet displicet. P. Francolinus, ut hoc bellum inventum promoveret in suis dialogis, Auctorem sententiæ probabilioris appellat *Doctorem rigidum*, & Probabilistam *Doctorem discretum*. His fucis obtegere curarunt Probabilismi minus venustum aspectum. Paucis illius nativam benignitatem patefaciam.

II. Benignam sententiam suam vocant Probabilistæ, quod eximat ab onere le-

gis, & faveat libertati. Rigidam oppositam, quod libertatem subiiciat legis observationi. Duplex benignitas, alia carnalis, alia spiritualis; quemadmodum Apostolus duplicem distinguit prudentiam, alteram carnis, alteram spiritus. Illa inimica, hæc amica legis est. *Ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum . . . Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta:* ad Rom. VIII. D. Thomas in hunc Apostoli locum exponit, illam prudentiam spiritus appellari quæ spiritum subiicit legi. Benignitas respondet prudentiæ. Ergo si prudentia carnalis est, eiusdem generis benignitas sit oportet. Audiamus Angelicum. *Dicitur autem prudentia spiritus, quando aliquis præsupposito fine spiritualis boni consiliatur, & iudicat, & præcipit quæ ordinantur convenienter ad ultimum finem. Unde talis prudentia est vita, idest causa vitæ gratiæ, & gloriæ.* Quisnam finis sententiæ benignæ? Bonum terrenum. Quod contractus non sit usurarius, in dubio quod non tenearis ieiunare &c. Ne te multis detineam, non alio spectat hæc benignitas, seu minus probabilis sententia, quam ut aliquod temporale commodum pariat, & voluntatem a legis observatione eximat. Porro iuxta D. Paulum, & S. Thomam illa prudentia, illa benignitas carnalis est quæ *legi Dei* (inquit Paulus) *non est subiecta*. Vera autem benignitas veram utilitatem spiritualem parit. Utilitas autem vera spiritualis in observatione legis sita est. *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti*. Sententia probabilior promovet observantiam legis, & magis liberat a peccandi periculo. Ergo secundum Apostolum Paulum sententia probabilior benigna est secundum spiritum; sententia vero minus verisimilis, minus probabilis, benigna est benignitate carnali, quæ fovet humanas appetitiones, quæ carnis caussam agit. Tot exemplis confirmare hanc doctrinam possem, quot sunt in universa Theologia morali opiniones minus probabiles. Sed, his missis, audi Davidem dicentem: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

III. P. Antonius Terillus, qui præ ceteris Probabilistis omnibus Probabilismi iurisdictionem amplificavit primus, aut inter primos, utriusque sententiæ nomenclaturam excogitavit, ut voce saltem, sin ratione, fucum faceret imperitis. Suam vocavit *benignam*, oppositam *rigidam*. En eiusdem verba ex tract. de consc. probab. quæst. XXII. num. I. *Opus est ut sententiam nostram, quam* benignam imposterum *appellabo, sicut oppositam, quia nimis austera est, vocabo* rigidam, *clare explicem*. Nota ly *imposterum*. Antea enim non obtinebat eiusmodi denominatio. Citata verba satis clara indicant, eiusmodi denominationis ipsum fuisse inventorem primum.

IV. *Probabilistæ* ii nuncupantur qui defendunt extra materias a Pontificibus proscriptas, quascumque opiniones probabiles, etiam in conspectu probabiliorum, etiam quas iudicant esse falsas. Quibusdam Probabilistis hæc doctrina sic nuda,

nul-

nulloque illita fuco, nimis laxa videtur: idcirco aliquibus reflexionibus eam obtegere curant. Requirunt isti ut opinio minus probabilis non appareat falsa operanti; vel, si appareat potius falsa iudicio directo, docent deponendum hoc iudicium esse, & substituendum reflexum. Hoc antidoto reflexionum quaslibet opiniones sive æque, sive minus probabiles reduci posse ad praxim, & modo unam, modo alteram seligi posse, prout magis arridet, defendunt. Quæ limitatio re nihil coarctat laxitatem priorem. Hi omnes modo *Probabilistæ*, modo *Benignistæ* vocantur.

V. Antiprobabilistarum nomine illi veniunt qui recensitis laxitatibus bellum indicunt, qui ex opinionibus probabiliorem sequendam docent. Hi a Probabilistis appellantur *Rigoristæ*. Alii tandem vocantur *Tutioristæ*, qui, spreta quacumque probabilitate, semper quod tutius est, sequendum volunt. Nemo quem ego viderim, Catholicorum hunc errorem docet. Quare per summam iniuriam Probabilistæ hanc larvam *Tutiorismi* affingunt Theologis catholicis, qui necessarium usum sententiæ probabilioris propugnant. Iansenistarum plures in hoc *Tutiorismi* extremum impegerunt. Itaque Benigni appellantur Probabilistæ, & eo benigniores, quo laxiores. Ego, inquit P. Muniessa *disp.* VI. §. 2. has nomenclaturas nec amo, nec timeo: quoniam opiniones nec insequor, quia benignæ sint, nec amplector, quia rigidæ: sed eas insequor, quia mihi falsæ; & illas amplector, quia mihi veræ. Veritas lux illa est unica, in quam oculorum aciem intendimus, cum sancto Paulo dicentes: *Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus*: ad Ephes. IV.

CAPUT VII.

Germanus quæstionis status paucis perstringitur.

I. QUemadmodum Probabilistæ nullam certam, præcisam, perspicuam probabilitatis, quæ regula sit conscientiæ, definitionem assignare hactenus potuerunt, ut ex dictis patet, ita certum constituere quæstionis statum nequeunt; &, quod credibile vix est, istorum etiam doctiores id præiacent tamquam certum, & extra disputationis aleam constitutum, quod est unicum controversiæ *subiectum*. Ecce illorum syllogismum, quem loco primi in hac caussa principii collocant. *Licet sequi opinionem vere probabilem. Sed opinio minus probabilis in conspectu probabilioris est vere probabilis, ut ex terminis constat. Ergo licitum est illam sequi*. Dum illis minorem negamus, scandalum patiuntur, excandescunt, irritantur. Porro istos ignorare quæstionis statum, evidentissimum est. Illud quippe in quæstionem vocatur, sit ne *vere probabilis* opinio minus probabilis in conspectu probabilioris. Et tamen, ut rem extra controversiam positam, constituunt

Probabilistæ, opinionem minus probabilem in conspectu probabilioris esse *certo* probabilem. Tenllus, aliique Probabilistæ continenter fucum faciunt imperitis hac particula *certo*, adjecta probabili opinioni.

II. Quare, ut istius celeberrimæ controversiæ statum, quoad fieri potest, perspicue exponam, a pluribus cavillis, & sophismatis, quibus illum implicare non pauci solent, abstineo. Hoc ergo disputandum. *Quis dubitat sit ne aliqua actio mala moraliter, seu divina lege prohibita. Is agnoscit in utramque partem Theologos graves, ac pios invicem pugnare, sibique contradicere. Omnibus mature, & citra passionem, & debita diligentia expensis tum ab auctoritate, tum a ratione momentis, deprehendit, & judicat verosimilius, talem actionem esse malam, prohibitamque: videt enim fundamenta, quæ evincunt malitiam, & prohibitionem, graviora esse, & superare fundamenta opinionis oppositæ, quæ stat pro honestate ejusdem actionis. Quæritur, possit ne is, rejecta verisimiliore, seu probabiliore sententia, amplecti minus probabilem, & præfatam actionem licite exequi?*

III. Hic genuinus est controversiæ status. Cetera omnia, quibus hunc quæstionis statum obscurare Probabilistæ solent, missa facimus. Quare præscindimus a modo quo is in hypothesi qua amplecti vellet opinionem minus probabilem, formare conscientiam debeat, nimirum, an suspendendo judicium circa objectum directum; vel contra judicando directe ex momentis, licet levioribus, actionem dictam licitam esse. Hæc, & alia similia infra sub examen inducentur. Paucis perstrinxi quæstionis statum, ut confusionem devitem. Quibus principiis resolvitur quæstio exposita, iisdem omnino dirimitur altera æqualis probabilitatis pro utraque parte, nimirum, quando post maturum examen citra passionem momenta utriusque oppositæ opinionis ita æqualia apparent, ut nullus omnino excessus unius supra aliam partem percipiatur.

IV. Ut brevitati studeamus, missa vocum superfluitate, sententiam minus probabilem *Probabilismum* sæpe vocabo, probabiliorem aliquando *Antiprobabilismum*. Utriusque sententiæ patronos *Probabilistas*, & *Antiprobabilistas* pariter appellabo, ut communi loquendi modo morem geram.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE

PROBABILISMO

Ab auctoritate summorum Pontificum, Congregationum Romæ, Episcoporum Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, & Concilii nationalis Gallicani convulso.

PROOEMIUM.

A Facilioribus orsa capio in dirimenda impeditissima controversia. Duplici principio convellitur Probabilismus, auctoritate, & ratione. Auctoritas factum spectat, & veluti sub sensus rem constituit. Quare nihil facilius quam palam facere, quid in hac caussa Pontifices, Concilia, Episcopi doceant. Momentis itaque ab auctoritate petitis primum incessere Probabilismum aggredior, non modo quia in quaque oranda caussa, quæ magis perspicua sunt, præmitti debent; verum etiam quia in re theologica primam sedem auctoritas occupat. Accedit quod documenta quæ relaturus sum, non leviter historiam priori dissertatione delibatam illustrant, & augent. Tandem, cum lector veluti manibus contrectaverit, Sedem Apostolicam, Concilia, Patres, Episcopos Probabilismum reprobare, facilius colliget quam sint absona illarum reflexionum paradoxa quæ Probabilistæ excogitarunt, ut ruentem caussam sustinerent.

CAPUT I.

Summorum Pontificum documenta adversus usum opinionis minus probabilis in conspectu probabilioris.

I. DEcreta Pontificum ante primam Probabilismi epocham in favorem sanioris doctrinæ missa facio. Tria pontificia decreta edita adversus Probabilismum referam, quæ rem pene conficiunt. Primum est Alexandri VII. latum anno 1665. die 24. Septembris. „ Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, *complures opiniones* christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam *luxuriantium ingeniorum* licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS OPI-

„ NAN-

„ NANDI IRREPSIT, alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque
„ Patrum doctrina, *& QUEM si pro recta regula fideles in praxi sequerentur*, in-
„ gens eruptura esset christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo umquam tem-
„ pore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cuius verba in æternum per-
„ manent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius per-
„ verti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab eiusmodi
„ spatiosa lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudi-
„ ne in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sa-
„ cra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis DD. Car-
„ dinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus serio commi-
„ sit. Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & ma-
„ ture discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus &c. "

II. Duo in hoc decreto summopere perpendenda. Unum sunt propositiones ipsæ damnatæ, de quibus in præsentia disputatio nulla. Alterum est systema opinandi, oppositum evangelicæ simplicitati, sanctorumque Patrum doctrinæ. *MODUS OPINANDI irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina*. Fuse in Historia Probabilismi italice scripta provocavimus Probabilistas, ut designent *hunc opinandi modum* diversum ab ipsis propositionibus. Numquam alium, præter Probabilismum, designare hactenus potuerunt, nec designabunt imposterum. Obtinuere semper quolibet tempore laxæ aliquæ opiniones. Inter tot Ecclesiæ catholicæ Scriptores vix umquam defuerunt aliqui qui errores tum fidei, tum morum evulgarent. At systema numquam obtinuit ita opinandi, ut ex eodem, veluti e fonte, *complures opiniones christianæ vitæ relaxativæ partim antiquatæ iterum suscitentur, partim noviter prodeant*. Vi quippe probabilistici systematis & veteres, & novæ laxitates in dies ebulliunt, atque augentur. Cur ita? En rationem. Ante natum Probabilismum Scriptores aliqui, humanæ mentis imbecillitate decepti, aliquas opiniones laxas propugnarunt, quas veras, & probabiliores reputabant. Et quia interdum accidit ut error pro veritate, nedum probabilius pro minus probabili, accipiatur; idcirco aliquæ opiniones laxæ, reputatæ ut veræ, vel ut probabiliores, prodierunt. At raro id evenit, quia non adeo familiare est ut post maturum, & citra passionem peractum examen opiniones falsæ appareant veræ, aut minus probabiles probabiliores. Verum vi systematis probabilistici non solum licitum apparet quod verum, aut verisimilius, sed etiam quod minus verisimile, immo quod falsum reputatur. Ut quis valeat licite exercere aliquam operationem, contractum, & quodlibet opus, sat est ut sciat, reperiri aliquos Auctores qui talem actionem, vel contractum ut licitum defendant, quamvis ipse illicitum eumdem reputet. Hic est *MODUS opinandi* qui *in rebus ad conscientiam pertinentibus, irrepsit*, *alienus OMNINÒ ab evangelica sim-*

simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela. Luce ergo meridiana clarius est, Pontificem citatis verbis sermonem non habere de aliqua peculiari opinione, vel doctrina (nam peculiares opiniones sigillatim damnat) sed loqui de systemate opinandi, quod *pro regula* accipi possit. Porro sententiæ peculiares non *regula*, sed *regulæ* fructus sunt. Regula autem formandi conscientiam est Probabilismus; ut late probat P. Antonius Terillus præ ceteris in suo Tomo in folio de *regul. morum*. Regula morum est Probabilismus, ipsis Probabilistis fatentibus. *Regula* secundum ipsos *benigna*, in utramque partem veluti cera ductilis, *regula tuta*. Pontifex autem sanctissimus definit, *regulam* hanc veneficam esse, *alienam ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina*: regulam fatalem, quam si fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ *corruptela*. Adeo hæc perspicua sunt, & luculenta, ut numquam quid solidi reposituri Probabilistæ sint; quemadmodum nihil hactenus reponere valuerunt.

III. Accedit, non solum ex obvio, & perspicuo decreti pontificii sensu colligi, declaratum esse Probabilismum alienum ab evangelica simplicitate, Patrum doctrina, & ingentis corruptelæ fontem; verum etiam ex testimoniis, omni exceptione maioribus. Unum seligo, nempe *Stephanum Gradium*, Alexandro VII. supparem, & Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum, atque decretorum sacræ Congregationis illius temporis peritissimum. Is autem in *Voto*, sacræ Congregationis iussu edito, eidemque porrecto, paucis post Alexandri decretum mensibus, perspicue asserit, Probabilismi *doctrinam a S. Inquisitione reprobatam fuisse, & mensibus præteritis damnatam*. Ita testatum fuisse *Gradium* affirmat vel ipse *P. Honoratus Faber* dialogo VI. Quam attestationem infirmare frustra nititur, contendens, nihil in materia Probabilismi damnatum ab Alexandro VII. præter illam propositionem, *Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem*. Verum hoc inane Fabri commentum egregie confutavit *Gradius* in disputatione anno 1670. Romæ edita adversus ipsum *P. Fabrum*. Evincit *Gradius*, Alexandrum VII. illis verbis, *Modus opinandi* &c. voluisse Probabilismum notare; quemadmodum vi sensus nativi eiusdem decreti clare ostensum est, id votis ac animo Pontificis insedisse. Siquidem Pontifex sanctissimus, tot acceptis Episcoporum, potissimum Gallorum, & Belgii, epistolis adversus Probabilismum, *cœperat* (inquit Gradius) *impetum egregius Dei zelator, gravia omnino ac severa de hac re tota* (de Probabilismo) *& malum, ut aiebat, in sua fonte & radice funditus exscindendi, diserta edita constitutione, ex qua futurum huiusmodi regnandorum leges, & rationes facile peterentur. Nec vero quicquam propius fuit quam ut id faceret; fecissetque sine dubio, nisi intervenisset eius consilio Cardinalis Pallavicinus, cui accuratiorem deliberatio-*

nem,

nem ea visa res est postulare, quam ut celeriter, quod apparebat futurum, explicari posset, ac multo fore consultius, si dilata tantisper pleniori censura, ipsae in praesentia opiniones nominatim configerentur, ut factum est: nam scandalosae non absolute, ut sibi videtur, sed ut nimium scandalosae iudicatae sunt, adiectaque praefatio, quae, licet sub involucro verborum, vere manifestum facit decernentis animum ab hac philosophandi de moribus ratione alienum, quam propterea, ut vides, appellavit modum opinandi contrarium evangelicae simplicitati, sanctorumque Patrum doctrinae &c.

IV. Exploratum itaque compertumque est, Alexandrum VII. declarasse, *Probabilismum* adversari Evangelio, & Patribus, atque ingentis corruptelae fontem esse. Solemni constitutione, ut illi erat in votis, Probabilismum non damnavit, sed ea tamen suo decreto inseruit quae & damnandum declarant, & ab eodem abstinendum, ceu ab ingentium malorum radice, admonent.

§. UNICUS.
Singularia P. Terilli *responsa*.

I. P. Antonius Terillus opponit sibi hoc Alexandrinum decretum *de regul. mor. Part.* I. *quaest.* VIII. *num.* 15. *pag.* 96. pluraque exhibet responsa, quorum aliqua referam. Quod mihi inter cetera eiusdem effugia magis absonum apparet, illud est, quo se recepit *num.* 25. ubi inquit. *Respondeo in primis, nil horum ad intentum facere. Quia querelae illae* (Alexandri VII.) *solum impetunt doctrinas DIRECTAS nimis laxas; de reflexa mentionem non faciunt, ut constat ex dictis.* Hoc responsum fusius, & clarioribus verbis exprimit num. 22. *Hic solum quaeritur, quid de doctrina reflexa Alexander senserit, & an illius extirpationi studuerit. De qua quaestione ex generali illa exhortatione nil inferri potest, nisi aliunde probetur, Alexandrum existimasse doctrinam reflexam de licito probabilium usu esse nimis laxam. Verum hoc nec ex dicta illa adhortatione, nec aliunde probari potest.* Item num. 23. *Alexander ergo non iniunxit Generali Praedicatorum curam exterminandi doctrinam communem reflexam; sed solum sollicitus fuit de doctrinis DIRECTIS nimis laxis.*

II. Quam sit hoc responsum peregrinum, nemo non videt. Damnavit Pontifex doctrinas *directas*, secus *reflexas*? Tanta ergo facilitate eluduntur pontificia decreta? Si damnavit doctrinas directas, damnavit & reflexas. Nonne doctrinae reflexae ex directis eruuntur? Nonne doctrinae directae sunt obiectum opinionum reflexarum? Damnatur opinio directa, quae licitum asserit contractum *mohatrae*, secus opinio reflexa?

III. Verum pressius inane commentum labefactemus. Duo praestat Alexander.

der Propositiones peculiares, ut vidimus damnat. Sed primum omnium ipsam OPINANDI MODUM declarat Evangelio, & Patrum doctrinæ repugnantem. *MODUS opinandi irrepsit, alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina.* Si ad istorum verborum sensum animum intendisset Terillus cum suis Probabilistis, haud obtrudere ausus fuisset quæ scribit *loc. cit. num.* 18. ubi hoc pacto arguitur. Doctrina reflexa de licito usu opinionis probabilis erat potissima, contra quam, ut laxitatum radicem, clamabant adversarii. Illa fuit in discrimen adducta, evasitque nulla censura confixa. Consistit ergo immunis, & veluti triumphans. Conferatur interpretamentum istud cum laudatis Alexandri VII. verbis. *Modus opinandi irrepsit, alienus OMNINO ab evangelica simplicitate* &c. & continuo palam erit, quam sit P. Terilli infelix ratiocinium. Expressa & solemni censura Alexander VII. non damnavit Probabilismum, sed in suo decreto ab simplicitate evangelica, & Patrum doctrina alienum declaravit. Quid quod, si etiam siluisset Alexander, non propterea salva consisteret reflexa doctrina? Nam ut significavit Innocentius XI. non ideo sana aliqua doctrina dicenda est, quia oblata Pontifici damnata non fuit. Quod subdit Terillus, Pontifices sæpe usos esse opinione minus probabili, alibi repulsum est. Usi hi sunt interdum opinione minus probabili objective, seu quæ communiter reputabatur minus probabilis; verum illis probabilior subjective judicata fuit. Fagnanus testatur, Pontifices summos, & Romana Tribunalia semper probabiliora sectari.

CAPUT II.

Innocentii XI. decreta adversus Probabilismum.

I. SUmmus Pontifex Innocentius XI. vestigiis inhærens sui Antecessoris Alexandri VII. nihil non egit ut Probabilismum exterminaret. Primum decretum edidit, in quo 65. propositiones anathemate confixit, quarum quatuor primæ sunt ipsa Probabilismi principia. Convenit penes omnes, hunc sanctissimum Pontificem damnasse Probabilismum in re sacramentaria, judiciaria, in rebus fidei, atque ipsam etiam probabilitatem generatim acceptam damnationi subjecisse. Evincam infra ratiocinio, ut ego quidem arbitror, evidentissimo Pontificem hunc diris devovisse Probabilismum. In præsentia illius documenta transcribam. Et primum anno 1679. hoc edidit decretum. *Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis, a fel. rec. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum, prosequi volens, plures propositiones* &c. Inchoatum itaque opus ab Alexandro VII. in segregandis a fidelis perniciosis doctrinis, quæ ex *modo illo opinandi, alieno ab evangelica simplicitate & Patrum do-*

ssima, dimanant, non secus ac rivuli e fonte, persecutus est Innocentius XI. Verum de hoc plura infra.

II. Aliud decretum edidit sanctissimus Pontifex, quo conceptis verbis declaravit se Probabilismum improbare. Et quamquam tum historia Probabilismi vernacula scripta lingua, tum libro superiori illud retulerim; nihilosecius isthuc illud iterum transcribere operæ pretium existimavi.

Die xxvi. Iunii 1680.

Facta relatione per Lauriam contentorum in litteris P. Tyrsi Gonzalez Soc. Iesu sanctissimo Domino Nostro directis, Eminentissimi dixerunt scribendum per Secretarium Status Nuncio Apostolico Hispaniarum, ut significet dicto P. Tyrso, quod Sanctitas sua, benigne acceptis, & non sine laude perlectis eius litteris, mandavit ut ipse libere, & intrepide prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet sententiam asserentium licitum esse sequi opinionem minus probabilem in concursu PROBABILIORIS SIC COGNITAE, & IUDICATAE, eumque P. Tyrsum certum faciat, quod quidquid in favorem opinionis magis probabilis egerit, & scripserit, gratum erit Sanctitati suæ.

Iniungendum pariter Generali Societatis Iesu de ordine Sanctitatis suæ, ne ullo modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione minus probabili, & impugnare sententiam asserentium, licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in concursu magis probabilis sic cognitæ, & iudicatæ; verum etiam velate ad omnes Universitates Societatis Iesu mentem Sanctitatis suæ esse, ut quilibet pro sui libitu libere scribat pro opinione magis probabili & impugnet contrariam prædictam, eisque IUBEAT ut MANDATO Sanctitatis suæ omnino se submittant.

Die viii. Iulii 1680.

Intimato prædicto ordine Sanctitatis suæ P. Generali Societatis Iesu per R. P. D. Assessorem, respondit, se in omnibus quanto citius pariturum; licet nec per ipsum, nec per suos prædecessores fuerit umquam interdictum scribere pro opinione magis probabili, eamque docere.

III. Nemo ratione præditus in dubium revocare nunc valet, sanctissimum Pontificem Probabilismum improbasse, & doctrinam Probabilismo adversam omni conatu promovisse. Neque aliud ad universaliorem, solemnioremque Probabilismi condemnationem defuit, nisi amplior, & solemnior constitutio. Illud dumtaxat quis rogaverit, cur necesse fuerit Societatem Iesu peculiari Pontificis mandato urgeri, ut Antiprobabilismum libere in scholis eiusdem Theologi docere possent? Id autem fuit in caussa, quod P. Tyrsus Gonzalez edere curabat tunc opus suum adversus Probabilismum; sed facultatem a P. Generali Paulo Oliva impetrare haud potuit. Assistentes tum P. Generalis magnopere Probabilismo addicti erant, potissimum P. *Esparza*. Is ediderat eodem tempore opus probabilisticum: idcirco Revisor

for institutus operis P. Gonzalez, auctor cum aliis Revisoribus P. Generali fuit, ne opus istud ederetur. Videtur enim tum temporis Probabilismus regnasse præ opposita doctrina in Societate. Verum de hoc nihil ad nos. Censuram P. Esparza infra dabimus.

CAPUT III.

Congregationes S. Romanæ Ecclesiæ in casibus conscientiæ decidendis, Probabilismo reiecto, probabiliorem & securiorem doctrinam amplectuntur.

I. DUAE potissimum institutæ Romæ sunt Congregationes, nempe *Concilii* & sacræ *Pœnitentiariæ*, quæ resolvendis conscientiæ casibus operam navant. Istorum responsa regulæ tutæ sunt conscientiæ. Pluribus sæculis Pontifices ipsi responsa ad propositos casus dabant, quæ in corpus iuris canonici collecta habemus. Gravissimi distenti Pontifices negotiis, & dubitationum, seu casuum resolvendorum multitudine in immensum aucta, onus istud delegarunt præfatis Congregationibus, hac tamen limitatione, ut graviorum difficultatum resolutio haud fieret inconsulto Pontifice summo. Porro quod sacra hæc tribunalia probabiliorem, reiecta minus probabili, sententiam semper amplectantur in casuum conscientiæ decisione, testantur Prælati, & Cardinales rerum istarum peritissimi. Plura hac de re documenta congessit Cl. Ballarinus *prælect.* 11. in S. Anton. quæ isthuc transcribere iuvat.

II. Celeberrimus Cardinalis Gabriel Paleotus, Romanæ Curiæ negotiorum peritissimus, *Lib. de sacri Consistorii consultationibus anno* 1594. *edito par.* III. *quæst.* XIII. hæc scribit. *Cum non de rebus, sed de hominibus, nimirum de actionibus, seu de factis ipsorum hominum agitur; ita in his versari debemus, ut, si revera dubitationem habent, & animus in his diiudicandis in contrarias partes distrahitur, semper in tutiorem partem, si ex alterius electione periculum peccati imminet, iuxta sanctorum Patrum sententiam iudicemus . . . Non loquimur de iudicandis actionibus alienis, sed de iudicio quod quisque de rebus suis facere debet in foro interiori, quas, ubi dubium est de peccato, in tutiorem partem interpretari debemus, ut a pœnæ spiritualis periculo longius arceamur. Sapientis enim est cum B. Iob dicere: Verebar omnia opera mea.* Hanc decidendorum casuum regulam non unum Consistorii Collegium, sed ceteræ itidem Congregationes sequuntur.

III. Cardinalis Petra, maior Pœnitentiarius a pluribus annis, hæc scribit in tractatu de *sacra Pœnitentiaria* anno 1712. edito, cap. IX. num. 6. *In opinionum vero electione sacra Pœnitentiaria eas amplectitur, ac sequitur quæ saluti animarum obesse non possunt; & propterea non se credit cuicumque Doctorum iudicio, nisi veritatem*

ritate fulciatur. Quod si inter oppositas sententias versetur, ut vere ambiguum, & dubium maneat, quod solide statui debeat, tutiorem partem præeligit, a qua omnino distet quælibet ruinæ spiritualis suspicio, ut animadvertit Syro in citato Libello de minoribus Pœnitentiariis quæst. XII. prælim. & P. Thesaurus sacræ Pœnitentiariæ MS. tit. XLIII. num. 5. P. Thesaurus Soc. Jesu vivebat anno 1634. teste eodem Cardina. Petra *cap. X.* qui subdit *cap. IX. num. 7.* eamdem esse in aliis Romanæ Curiæ Congregationibus in decidendis conscientiæ casibus praxim. *Hujusmodi vero si non procedendi, quam sequitur sacræ Pœnitentiariæ Officium, complectuntur quoque quælibet tribunalia majora Urbis, atque consuetudini inhærent summorum Pontificum, qui semper in certiorem partem confugere solent, quotiescumque intercedit aliquod salutis periculum.* Plura sacrarum Congregationum exempla profert, ut testes hujusce facti, additque quæ sequuntur. *Summorum Pontificum semper fuit, & est veluti quoddam axioma: In dubiis via tutior est eligenda, & quod certius existimamus, tenere debemus.*

IV. Cardinalis Lambertinus, nunc summus Pontifex feliciter regnans, BENEDICTUS XIV. *Tom. IV. Notif. num.* 20. quæ diximus, confirmat. *Sacra Pœnitentiaria semper opinionibus securioribus adhæret.* Item Tom. II. notif. 6. num. 17. *Quæ libere in utramque partem disputantur in scholis, hac felici sorte non gaudent, cum deferuntur ad tribunalia, quæ, quod securius est, sequi volunt severoque examine controversiæ discutiuntur.* Clariora adhuc sunt & urgentiora quæ scripsit sapientissimus Pontifex Tom. V. notif. 18. *Nobis cordi est actiones nostras moderari opinionibus, non dubiis, sed tutis, & sententiis sacrarum Congregationum Urbis, quæ Auctorum privatorum opinationibus prævalent. Hi quippe ex ingenio scribunt quæ magis illis arrident, quin præ oculis habeant disciplinam ecclesiasticam, cujus moderatrix est, debetque esse Romana Sedes.*

CAPUT IV.

Documenta Conciliorum, & Episcoporum adversus Probabilismum.

I. PRimum post natum Probabilismum decretum, eidem infestum, latum fuit a S. Carolo Borromæo, insertumque est *Parti* IV. *Actorum Tom.* I. *tit.* XXI. ubi de *Definitore* controversiarum hæc præcipit. *Ejus munus erit, ubi omnium sententias audierit, summatim colligere quæ fuse dicta sunt, prætermissa commemorare, falsa a veris, dubia a certis, singularia a communibus secernere, & quæ VERIOR DOCTRINA sit, exponere, ac rem denique omnem explicare. Ut vero muneris sui partes præclare obeat, magnum in eo studium ponet, ut gravissimos quosque Scriptores evolvat, optimas sententias seligat, quas bene notas, planeque perspectas habeat.* Ne-

que

que audiendus est Francolinus *Lib. II. praef. Eccl. benig. pag. 88. edit. Venet.* haec peracta fuisse a S. Carolo iuvene, vel pro coercendis Mediolanensium solutioribus moribus: quoniam similia commenta, audaciae plena, pias Catholicorum, quibus summae venerationi est sanctissimi Archipraesulis auctoritas, aures offendunt.

II. Quae Congregationibus resolvendorum casuum S. Carolus praescripsit, Confessoribus servanda mandat Flaminius Filonardus in sua Synodo Aquinate habita anno 1581. & confirmata anno 1721. ab eius successore Iosepho de Carolis his verbis, cap. XLVII pag. 148. edit. Rom. an. 1738. *Caveat Confessor ne facile pronunciet esse mortale quod certo nesciat esse tale, sed in dubiis inclinet in tutiorem partem, & proprio deinde studio, peritorumque consilio (quod semper in rebus difficilioribus est adhibendum) rem compertam poenitenti indicet.*

III. Eamdem regulam servandam praecipit Cardinalis Gabriel Paleotus in Synodo celebrata Sabinae anno 1594. insertaque collectioni Synodorum, factae a Cardinali Albano 1737. pag. 92. *Cum diversa iudicia occurrerint, ignoretque Congregatio definire id quod VERIUS eligendum sit; tum ad Auditorem Episcopi scribat, cui incumbet Theologi decisionem remittere.* Pro comperto habet, id quod *verius* est, in controversiis seligendum esse. Si autem Congregatio nesciat definire quid *verius* sit in tali controversia, Auditorem Episcopi consulat.

IV. Aloysius Molinus Episcopus Tarvisinus in decretis synodalibus editis anno 1601. part. III. cap. XXVIII. de Congregat. num. 9. *Quando praecipue disserendum erit de iis quae circa casus conscientiae proposita in medio fuerint, sedeant omnes, sententiam quisque suam promat, quomodo melius potuerit, verborum prolixitates, atque ambages praetermittat, ut & ceteris vacet posse dicere. Sententiam prior dicat qui ultimum locum in Congregatione tenet, ita ut ab inferiori inceptus ordo in superiores sigillatim ascendens in Primicerium desinat: qui quidem PROBATIOREM propositae rei intelligentiam sequens difficultatem solvat.*

V. Marcus Maurocenus eiusdem Tarvisinae urbis Episcopus in Synodo celebrata anno 1642. *cap.* XXXV. haec praecipit servanda. *Dum disputatio casuum incipit, primo loco loquatur qui ultimum in Congregatione locum sortitur; ita ut ordo ab inferioribus inceptus ad superiores gradatim ascendens terminet in Primicerium: qui PROBABILIOREM opinionem secutus difficultatem solvat.*

VI. Marcus Cornelius Episcopus Patavinus in Synodo septima habita anno 1624. *part.* III. *cap.* I. haec decernit. *Quaestionum in praeterita maiori Congregatione propositarum decisio habeatur: quam in eiusdem initio ex duodecim unus, quod Patribus, collatis inter se sententiis, TUTIUS, & PROBABILIUS visum fuerit, maiori qua potest brevitate, & perspicuitate recitet.*

VII. Augustinus Priolus Bergomensis Episcopus in constitutionibus synodalibus, anno 1628. editis, haec pro resolvendis casibus decernit part. III. tit. IV. *Variae Do-*

vitate fulciatur. Quod si inter oppositas sententias versetur, ut vere ambiguum, & dubium maneat, quod solide statui debeat; tutiorem partem præeligit, a qua omnino distet quælibet ruinæ spiritualis suspicio, ut animadvertit Sara in citato Libello de minoribus Pœnitentiariis quæst. VII. prælim. & P. Thesaurus sacræ Pœnitentiariæ MS. tit. XLIII. num. 5. P. Thesaurus Soc. Jesu vivebat anno 1634. teste eodem Cardinal Petra *cap. X* qui subdit *cap. IX. num. 7.* eamdem esse in aliis Romanæ Curiæ Congregationibus in decidendis conscientiæ casibus praxim. *Huiusmodi vero stil in procedendi, quam sequitur sacræ Pœnitentiariæ Officium, complectuntur quoque quælibet tribunalia majora Urbis, atque consuetudini inhærent summorum Pontificum, qui semper in certiorem partem confugere solent, quotiescumque intercedit aliquod salutis periculum.* Plura sacrarum Congregationum exempla profert, ut testes huiusce facti, additque quæ sequuntur. *Summorum Pontificum semper fuit, & est veluti quoddam axioma: In dubiis via tutior est eligenda, & quod certius existimamus, tenere debemus.*

IV. Cardinalis Lambertinus, nunc summus Pontifex feliciter regnans, BENEDICTUS XIV. *Tom. IV. Notif. num.* 20. quæ diximus, confirmat. *Sacra Pœnitentiaria semper opinionibus securioribus adhæret.* Item Tom. II. notif. 6 num. 17. *Quæ libere in utramque partem disputantur in scholis, hac felici sorte non gaudent, cum deferuntur ad tribunalia, quæ, quod securius est, sequi volunt, severoque examine controversiæ discutiuntur.* Clariora adhuc sunt & urgentiora quæ scripsit sapientissimus Pontifex Tom. V. notif. 18 *Nobis cordi est actiones nostras moderari opinionibus, non dubiis sed tutis, & sententiis sacrarum Congregationum Urbis, quæ Auctorum privatorum opinationibus prævalent. Hi quippe ex ingenio scribunt quæ magis illis arrident, quin præ oculis habeant disciplinam ecclesiasticam, cuius moderatrix est, debetque esse Romana Sedes.*

C A P U T IV.

Documenta Conciliorum, & Episcoporum adversus Probabilismum.

I. PRimum post natum Probabilismum decretum, eidem infestum, latum fuit a S. Carolo Borromæo, insertumque est *Parti* IV. *Actorum Tom.* I. *tit.* XXI. ubi de *Definitore* controversiarum hæc præcipit. *Eius munus erit, ubi omnium sententias audierit, summatim colligere quæ fuse dicta sunt, prætermissa commemorare, falsa a veris, dubia a certis singularia a communibus secernere, & quæ VERIOR DOCTINA sit, exponere, ac rem denique omnem explicare. Ut vero muneris sui partes præclare obeat, magnum in eo studium ponet, ut gravissimos quosque Scriptores evolvat, optimas sententias seligat, quas bene notas, planeque perspectas habeat.* Ne-

que

que audiendus est Francolinus *Lib. II. praef. Eccl. benig. pag. 88. edit. Venet.* haec peracta fuisse a S. Carolo iuvene, vel pro coercendis Mediolanensium solutioribus moribus: quoniam similia commenta, audaciae plena, pias Catholicorum, quibus summae venerationi est sanctissimi Archipraesulis auctoritas, aures offendunt.

II. Quae Congregationibus resolvendorum casuum S. Carolus praescripsit, Confessoribus servanda mandat Flaminius Filonardus in sua Synodo Aquinate habita anno 1581 & confirmata anno 1721. ab eius successore Iosepho de Carolis his verbis, cap. xlvii pag. 148. edit. Rom. an. 1738. *Caveat Confessor ne facile pronuntiet esse mortale quod certo nesciat esse tale, sed in dubiis inclinet in tutiorem partem; & proprio deinde studio, peritorumque consilio (quod semper in rebus difficilioribus est adhibendum) rem compertam poenitenti indicet.*

III. Eamdem regulam servandam praecipit Cardinalis Gabriel Paleotus in Synodo celebrata Sabinae anno 1594. insertaque collectioni Synodorum, factae a Cardinali Albano 1737. pag. 92. *Cum diversa iudicia occurrerint, ignoretque Congregatio definire id quod VERIUS eligendum sit; tum ad Auditorem Episcopi scribat, cui incumbet Theologi decisionem remittere.* Pro comperto habet, id quod *verius* est, in controversiis seligendum esse. Si autem Congregatio nesciat definire quid *verius* sit in tali controversia, Auditorem Episcopi consulat.

IV. Aloysius Molinus Episcopus Tarvisinus in decretis synodalibus editis anno 1601. part. III. cap. XXVIII. de Congregat. num. 9. *Quando praecipue disserendum erit de iis quae circa casus conscientiae proposita in medio fuerint, sedeant omnes, sententiam quisque suam promat, quomodo melius potuerit, verborum prolixitates, atque ambages praetermittat, ut & ceteris vacet posse dicere. Sententiam prior dicat qui ultimum locum in Congregatione tenet, ita ut ab inferiori inceptus ordo in superiores sigillatim ascendens in Primicerium desinat: qui quidem PROBATIOREM propositae rei intelligentiam sequens difficultatem solvat.*

V. Marcus Maurocenus eiusdem Tarvisinae urbis Episcopus in Synodo celebrata anno 1642. *cap.* XXXV. haec praecipit servanda. *Dum disputatio casuum incipit, primo loco loquatur qui ultimum in Congregatione locum sortitur; ita ut ordo ab inferioribus inceptus ad superiores gradatim ascendens terminet in Primicerium: qui PROBABILIOREM opinionem secutus difficultatem solvat.*

VI. Marcus Cornelius Episcopus Patavinus in Synodo septima habita anno 1624. *part.* III. *cap.* I. haec decernit. *Quaestionum in praeterita maiori Congregatione propositarum decisio habeatur: quam in eiusdem initio ex duodecim uni, quod Patribus, collatis inter se sententiis, TUTIUS, & PROBABILIUS visum fuerit, maiori qua potest brevitate, & perspicuitate recitet.*

VII. Augustinus Priolus Bergomensis Episcopus in constitutionibus synodalibus, anno 1628. editis, haec pro resolvendis casibus decernit part. III. tit. IV. *Varias De-*

Aliorum sententias circa quæstiones propositas insinuare expedit, ut PROBABILIOR seligatur. Hoc decretum confirmarunt duo successores Episcopi, Aloysius Grimanus in Synodo habita 1639. decreto XXIII. & Antonius Radetto in epistola pastorali anno 1735. his verbis latine redditis. *Ne ex opinionum diversitate dubitationes oriantur, animadvertendum, ideirco varias opiniones in disputationem adduci, ut PROBABILIOR seligatur, quemadmodum in Synodo Prioli statutum est* &c.

VIII. Joannes Antonius Lupus Episcopus Tarvisinus in constitutionibus synodalibus an. 1661. *cap.* XXIV. hæc in casuum decisionibus, in Parochorum conventibus stato tempore faciendis, decernit. *Ad Primicerium spectabit, ubi omnes suam dixerint sententiam, PROBABILIOREM, & COMMUNIOREM afferre, atque propositas difficultates enodare.*

IX. Bartholomæus Gradonicus Episcopus pariter Tarvisinus in Synodo an. 1670. *cap.* XXIX. hæc præscribit. *Postquam omnes suam protulerint sententiam, Primicerii munus sit PROBABILIOREM, & COMMUNIOREM afferre.*

X. Octavius Rubeus Episcopus Volateranus in constitutionibus ann. 1684. tit. 11. pag. 30. *Deinde discutiantur duo casus conscientiæ . . . referendo sententias Doctorum hinc inde; & firmando opinionem semper PROBABILIOREM clarius, & fusius.*

XI. Cardinalis Carolus Barberinus in Synodo Farfensi, habita an. 1685. cui interfuere duo Episcopi, Franciscus Giangerolamus civitatis Ducalis, & Joannes Franciscus de Laurentiis Venusinus, & Joannes Franciscus Albanus postea Clemens XI. cap. V. hæc præscribit pro directione Congregationum casuum conscientiæ pag. 872. quæ latine sic reddo. *Præsidentis erit, ne disputatio suspensa remaneat, sed semper resolvatur seligendo opinionem certiorem, & securiorem.*

XII. Cardinalis Chisius, Episcopus Albanensis in Synodo Romæ edita an. 1699. *pag.* 345. hæc præscribit. *In Cathedrali P. Theologus noster in suis resolutionibus, quas leget, certiorem, & securiorem opinionem rationum momentis confirmabit.*

XIII. Joannes Baptista Sanudus Episcopus Tarvisinus in Synodo habita an. 1690. *cap.* XXIX. de Parochorum Congregationibus hæc statuit. *Primicerius, qui omnium ultimus disputationem claudet, PROBABILIOREM, aut magis communem sententiam afferat.*

XIV. Præstantissimus magis virtutum splendore, quam purpura, Cardinalis Barbadicus Episcopus Montisfalisci, & Corneti in Synodo habita 1692. *cap.* XXXII. hæc decernit. *Præfectus, auditis omnium sententiis, suam proferat opinionem, distinguendo, definiendo, dividendo, ampliando, limitando, ut VERIOREM, atque communiorem sententiam ostendat: ad quod peragendum ei maiori studio quam ceteris opus erit.*

XV. Vincentius Cardinalis Ursinus postea Benedictus XIII. in Synodo provinciali habita an. 1692. cui quatuordecim Episcopi interfuere *tit.* XVII. *cap.* IX. hanc methodum in casibus decidendis servandam præcipit. *Disputatione peracta, Præfectus breviter decernat, quam conclusionem ipse reputaverit VERIOREM.*

XVI. Cardinalis Denhoff Episcopus Cesenatensis, an. 1697. in sua celeberrima instructione pastorali admonet ne clausis oculis in praxim deducantur sententiæ, quod sint a Doctoribus catholicis traditæ. Idque evincit exemplo propositionum damnatarum, quæ antequam damnarentur, probabiles erant. *Et hæc animadversio*, inquit, *cautiores efficere homines prudentes deberet in aliarum opinionum delectu, ut easdem serio dispiciant, illasque seligant quæ VERITATI MAGIS accedant, & oppositas, quæ cupiditati favent, ut suspectas rejiciant.*

XVII. Hactenus recensuimus decreta Episcoporum Italiæ adversus Probabilismum lata; nunc transcribere lubet pauca eorum quæ Episcopi Galliarum statuerunt contra eamdem probabilisticam doctrinam. Bonus Merbesius in sua Summa Christiana *part.* I. *quæst.* XXXVI. plures Episcoporum censuras contra probabilitatis doctrinam adfert in medium, quarum aliquas isthuc transcribam.

XVIII. Ludovicus Henricus de Gondrin, Archiepiscopus Senonum, anno 1658. primum damnavit librum *P. Pirot*, inscriptum *Apologia Casuistarum*, &, plurimis pestiferis opinionibus proscriptis, tandem relata doctrina de probabilitate hæc definit. *Hæc doctrina, quatenus omnes probabiles opiniones, quæ falsæ utique esse possunt, & sæpe sunt, in conscientia tamen tutas asserit, ac proinde cæcis, idest falsam, & æternæ legi contrariam regulam sequentibus, immunitatem a peccato, & securitatem spondet, falsa, & erronea est, Scripturæ contraria: summam humanarum actionum regulam, legem scilicet æternam, destruit: divinæ legis, & evangelicæ veritatis amorem, & studium extinguit: utriusque necessitatem evacuat, & perniciosam in hominum mentibus securitatem ingenerat.* Nec est quod opponas, hic tantum proscribi quamlibet probabilitatem tenuem, & exiguam: quoniam confestim aliam censuram adjicit adhuc urgentiorem. *Hæc doctrina*, inquit, *qua Auctor fas esse censet, neglecta probabiliore, & tutiore, sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam; idest, amplecti, & exequi quod illicitum esse, quam licitum, probabilius putet, atque ad probabilitatem opinionis unius Scriptoris auctoritatem sufficere affirmat. falsa, & periculosa est, innumeris corruptelis viam aperit bonam conscientiam, quæ secunda est humanarum actionum regula, prorsus extinguit: ac proinde erronea est, ac B. Paulo contraria, & Christianos ad certam salutis perniciem inducit.* Hæc censura, qua reprobatur Probabilismus, non est privatum Episcopi judicium, sed decretum latum in plena Synodo, cui interfuere sexcenti, vel septingenti Abbates, Priores, Decani, Parochi, aliique doctissimi viri.

XIX. Probabilismum, una cum famosa *Apologia Casuistarum*, communi consilio damnarunt quinque Episcopi, Alectensis, Appamiensis, Convenensis, Bazatensis, & Conseranensis, eodem anno 1658. die 28. Octobris his verbis latine redditus. „ Quamobrem accurate legimus, expendimusque magna cum maturitate Apo„ logiam illam, seu verius opus illud periculosissimum, ac deprehendimus esse fe-

„ tum ingenii, suo ipsius judicio addicti, eoque deterius, quod omnis doctrinæ ist „ eo contenta duobus principiis generalibus nititur, *quibus positis, nihil est in Morali „ evangelica quod adulterari, vel immutari non possit*: securitatem conscientiæ, at„ que hoc pacto falsam pacem inducit, ex qua sine sensu consequitur plerorumque „ hominum pernicies ac ruina, in quibus naturæ corruptio semper sensuum blan„ dimenta sectatur, & cupiditatum expletionem.

„ Sunt autem illa duo principia, probabilitas, & directio intentionis, quibus adeo „ inconsiderate abutitur Auctor, ut de priori loquens affirmare non dubitet, e „ duabus opinionibus minus probabilem eligere licere. "

XX. Leonorius de Matignon Episcopus Lexoviensis an. 1659. die 10. Martii in censura laudatæ Apologiæ inquit: *probabilitatem vocari posse matrem funestam omnium aliorum errorum Casuistarum.*

XXI. Annas de Levy de Vantadour Archiepiscopus Bituricensis eamdem Apologiam damnat, *tamquam propositionibus periculosis, absurdis, scandalosis, & temerariis plenam.* Erant autem propositiones a promotore oblatæ quæ sequuntur. 1. *Vera regula, quam sequuntur Casuistæ, docet hoc ipso quod opinio probabilis est, ita esse tutam, ut qui eam sequuntur, periculo damnationis nequaquam se committant.* 2. *Quamobrem addo, opinionem minus probabilem non esse minus tutam quam probabiliorem.* 3. *Licet adhærescere opinioni, quamvis minus probabilis videatur quam alia.*

XXII. Felix Vialar Episcopus Catalaunensis in ejusdem Apologiæ damnatione die 12. Martii 1659. *scientiam probabilitatum* enumerat *inter artificia, & blandimenta carni aptata.*

XXIII. Eustachius de Chery Episcopus Nivernensis, præfatum librum damnans die 8. Novembris an. 1658. enumeratis multis erroribus, quibus scatet, concludit: *Tandem defendit perniciosam doctrinam probabilitatis, ratione prorsus humana nixam, decretum maxime impium, errorem periculosissimum, venenum exitiosissimum Moralis christianæ.*

XXIV. Archiepiscopus Rothomagensis Normanniæ Primas anno 1659. die 4. Februarii declarat, laudatam Casuistarum Apologiam, quæ tota est in defensione Probabilismi, & laxarum opinionum, quæ hinc dimanant, *scatere innumeris erroribus, utpote quæ falsis principiis nitatur, redundet sophistarum argutiis, consecutionibus perniciosis, & doctrinæ Christi Evangelio penitus contrariis: in qua denique sacrilego quopiam consilio congestum est quicquid infandum, quidquid corruptum & dissolutum ab variis superiorum ætatum Auctoribus in orbem christianum, gementibus bonis, sparsum & effusum fuerat.*

XXV. Archiepiscopus Bituricensis Probabilismum una cum Apologia Casuistarum damnavit anno 1659. die 6. Februarii.

XXVI. Archiepiscopi Parisiensis Cardinalis Radesii Vicarii generales, habitis plu-

ribus

ribus congregationibus doctorum virorum; plures ex Apologia Casuistarum exceptas propositiones nigro tetha notarunt: & cum ventum ad doctrinam probabilitatis esset, qua asseritur quempiam posse, citra damnationis periculum, sequi opinionem probabilem in sensu Probabilistarum, hanc tulerunt censuram: *Hæc doctrina generatim & indefinite accepta falsa est, temeraria, periculosa, confusionem in christianam morum disciplinam invehens, ab inquirenda, & invenienda veritate prohibens, & unicuique naturæ corruptæ cupiditatibus obtemperare liberum relinquens.*

XXVII. Henricus Andegavensis Episcopus an. 1658. die 11. Novembris pulcherrimo, atque doctissimo decreto damnavit Probabilismum, vocavitque *probabilitatem novarum, & portentosarum opinionum originem.* Admonet *unumquemque oportere adhærere antiquitati veritatis, & omnem repudiare novitatem, utpote teterrimam omnis erroris scaturiginem. Nam, ut ait S. Augustinus, antiqua est veritas, novitium, & temporale mendacium: idcirco Dominus noluisse ob antiquitatem veritatis in Apocalypsi albo capite apparuit.* Quapropter præfatus Antistes *proscribit, & damnat novellam Casuistarum probabilitatem, & Apologiam, utpote veras Ethices christianæ regulas labefactantem, implacabile Christianorum odium in immania scelera extinguentem, ad molliorem, & salutiorem vitam incitantem, alentem, & augentem morum corruptelas, omnem e Christianorum animis Dei, & proximi caritatem avellentem, interiorem mysteriorum venerationem omnino perimentem . . . . debitam sanctis Patribus, & sacro-sanctis Ecclesiæ canonibus reverentiam evertentem, omnem denique summissionem cordis, & obedientiam plerisque Christi, & Apostolorum præceptis indispensabilibus debitam obterentem.* Apud Bonum Merbesium *loc. cit.*

XXVIII. Nicolaus Episcopus Bellovacensis, & Comes vice-dominus de Gerboredo, Par Franciæ, Parochorum suorum supplici libello, & privato tuendæ veritatis studio incitatus, Probabilismum una cum Apologia Casuistarum damnavit anno 1658.die 12. Novembr. Prolixam censuram refert laudatus Merbesius *loc. cit.*

XXIX. Probabilismum, & Apologiam Casuistarum damnarunt Carolus Episcopus Suessionensium die 23. Octobris an. 1659. Episcopus Tullensis die 18. Aprilis an. 1658. Alphonsus Dalbene Episcopus Aurelianensis, qui primus sacri belli signum adversus Apologiam Casuistarum extulit anno 1658. die 4. Iunii. AEgidius Eboracensis Episcopus die 15. Ianuarii an. 1659. aliique fere omnes Galliarum Episcopi, quos referunt Merbesius, Antonius Charlas, Gonet, Contensonius, Gennetus, Natalis ab Alexandro, & ceteri qui hoc de argumento scripserunt.

XXX. Antonius Godeau Episcopus Vencensis, cuius vel nomen panegyricum facit, inquit Merbesius, hæc statuit, dum esset Episcopus Grassensis: *In declaratione casuum contingentium, sit vobis hæc generalis regula, ut eam semper eligatis opinionem per quam Deus magis glorificatur, quæque maiorem cum stricta Evangelii via habet conformitatem. Maxime vero periculosa est illa . . . . quod, probabiliore reli-*

relicta, liceat minus probabilem sequi. In Synodo vero habita 6. die Maii an. 1659. Venetii edictum promulgavit adversus Probabilismum, & sæpe citatam *Apologiam* Probabilistarum, eamque damnavit, *ut oraculis evangelicis, Christi Domini exemplis, Apostolorum doctrinis, sanctorum Patrum opinionibus, & Ecclesiæ definitionibus maxime contrariam, & scatentem innumeris erroribus, propositionibus temerariis, scandalosis*.

XXXI. Anno circiter 1670. Ioannes de Aranton d'Alex collegit constitutiones synodales S. Francisci Salesii, cuius fuit in Episcopatu Genevensi successor, nonnullis factis additionibus, in quibus *IV. Part. tit. IX. cap. 11.* de opinionum delectu a Confessariis faciendo hæc statuit: *Quam in rem opportunam duximus omnibus Confessariis eam salubrem admonitionem tradere quam magnus Cardinalis Bellarminus nepoti suo dedit*. „ Si quis (*ait sapiens, & pius vir*) velit in tuto salutem suam „ collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid „ multi hoc tempore dicant, aut faciant, & si rei certitudo non possit ad liqui- „ dum apparere, *debet omnino tutiorem partem sequi*, & nulla ratione, nullius „ imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minus tutam partem declinare. „ Agitur enim de summa rei, cum de æterna salute tractatur. Et *facillimum* est „ conscientiam erroneam induere, & eo modo conscientia non remordente, ad „ eum locum descendere ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur. “ En nobile societatis fœdus Episcoporum Gallorum cum Episcopis Italis in sacra adversus Probabilismum pugna.

CAPUT V.

Conventus universi Cleri Gallicani solemni edicto damnat Probabilismum.

I. NAtalis ab Alexandro in Appendice ad *Tom. II. Theolog. dogm. & mor.* integram censuram celeberrimi Concilii universæ Franciæ refert. Ut brevitati studeam, pluribus omissis, ea omnia dumtaxat transcribam quæ damnationem sententiæ minus probabilis spectant. Summam, qua pollet, post Concilium generale, Synodus nationalis vastissimæ Monarchiæ, & doctissimi Cleri, auctoritatem non est quod exponam: res enim omnibus comperta est. Hæc ergo quæ sequuntur, Concilium istud anno 1700. celebratum decernit.

II. „ Religionem christianam fide & moribus constare; dogmatum autem, tum „ fidei, tum morum, eumdem esse fontem, ac bene vivendi regulam ad ipsum „ fidei caput pertinere, Ecclesia catholica semper intellexit .... Nos Cardinales „ Archiepiscopi, Episcopi permissione Regia in Palatio San-Germano congregati, „ assistentibus aliis viris nobiscum congregatis, loci nostri memores, atque ante- „ cesso-

„ cessorum nostrorum in comitiis quoque generalibus monitis, & exemplis permoti, his Ecclesiæ laborantis incommodis occurrere, quantum Dominus ex alto concesserit, omni ope decrevimus: atque unanimitatem nostram, tot tantisque dissidiis opponendam duximus in spiritu caritatis, nulli personæ graves, nullis, quoad ratio temporis sinet, erroribus parcituri . . . .

III. . . . „ Nunc, ut ad aliud fidei caput veniamus, ad moralem scilicet Theologiam, his postremis temporibus prava ingeniorum licentia, ac subtilitate corruptam, præmittenda putamus verba felicis memoriæ Alexandri VII. quibus *magno animi sui dolore testatur, complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, atque animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS OPINANDI irrepsit* &c. Qua sententia non modo errores increvisse queritur; verum etiam, *quod caput est*, adnotari voluit, *ipsam* rei tractandæ *rationem* esse introductam, unde videremus corruptelam morum non modo secuturam, verum etiam, facto veluti impetu, irrupturam, quam vix cohibere possemus.

„ Neque vero satis fuit sanctissimo Pontifici (perpendant hæc verba Probabilistæ) novam hanc methodum ludificandæ conscientiæ, & involvendæ veritatis, hoc est ipsum mali detexisse fontem; sed exitialis doctrinæ rivulos insectatus, complures propositiones . . . prohibuit . . . Quod salubre opus Innocentius XI. pro sua pietate prosecutus &c.

„ Sed enim incredibile dictu est, ex pessimis principiis, tota licet reluctante Ecclesia, quanta malorum incrementa provenerint: subtilioribus ingeniis in id unum intentis, ut eo quisque se vel maxime Theologum videri velit, *quo plura ejusmodi inventa in probabilitatis auctoritatem adduxerit*. Verum hæc constabilire, aut per eam speciem mentes infirmorum in falsam, & noxiam securitatem inducere, nihil est aliud quam animas perdere, *ac doctrinas, & mandata hominum*, vanasque traditiones exemplo Pharisæorum divini mandati loco obtrudere. Quare tot errorum experientia devicti, necesse habuimus *ipsam malorum radicem exscindere, eam scilicet opinandi rationem*, quæ ignota SS. Patribus tanta de rebus maximis dissidia peperit, ut iisdem in parochiis, iisdem in templis, passim cerneremus ab aliis teneri, & ligari quæ ab aliis solverentur; ac plebem christianam in varia atque incerta discerpi, nec scire, quibus credat, magno dedecore ecclesiasticæ auctoritatis, magnaque aperta janua ad salutis incuriam, & indifferentiam; quam vincere non Episcopi singulares, sed sola episcopalis unanimitas, & auctoritas possit, dicente Apostolo: *Obsecro vos fratres . . . . ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.*“

IIII. Tandem, latis censuris adversus magnum propositionum ex Probabilismo,

veluti ex fonte, dimanantium numerum, sequens solemne edictum tulit adversus Probabilismum, omnium laxitatum scaturiginem.

DE OPINIONUM PROBABILIUM USU.

„ Absit vero ut probemus eorum errorem qui negant, licere sequi vel inter „ probabiles probabilissimam. Sed ad rectum usum probabilium has regulas a iu„ste praescriptas cognoscimus.

„ Primum est, ut in dubiis de salutis negotio, ubi aequalia utrimque animo se „ offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive id quod est in eo „ casu unice tutum; nec id consilii, sed *PRAECEPTI* loco habeamus, dicente „ Scriptura: *Qui amat periculum, in illo peribit. Haec est prima regula.*

„ *Altera.* Ut circa probabiles de christiana doctrina sententias sequamur id quod „ *Viennense Concilium oecumenicum* circa infusas tam parvulis, quam adultis in ba„ ptismate virtutes decrevit his verbis: *Nos hanc opinionem, tamquam probabilio„ rem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiae magis consonam, & „ concordem, duximus eligendam.* Quod Concilii iudicium, eo magis ad dirigendos „ mores pertinere constat, quo magis ex ipsis fidelium sanctitas, ac salus pendet.

„ Ex hoc igitur regula sit consequens. *Primum*, ut in rebus theologicis, ad fi„ dei, & morum dogmata spectantibus, Theologos quidem etiam modernos audia„ mus, si tamen consonas SS. Patribus tradant sententias: deinde, si ab eisdem „ recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua habeatur „ „ aut ulla eis tribuatur auctoritas. Denique, ut nemini liceat eligere eam senten„ tiam quam non magis veritati consentaneam duxerit.

„ Quod ergo in praxi *eam nobis liceat sequi sententiam quam nec ipsi ut probabi„ liorem eligendam iudicemus*, hoc novum inauditum, hoc certis, ac notis *Auctoribus* „ *postremo demum saeculo proditum, & ab eisdem pro morum regula positum*, repugnat „ huic effato (Vincentii Lirinensis commonit. 1. cap. III.) celebrato (*quod ubique*, „ *quod semper, quod omnibus*) nec habere potest christianae regulae securitatem.

„ *Hoc initium malorum esse, atque omnium antedictarum corruptelarum caput. Hoc* „ *in censuris Apologiae Casuistarum ab Antecessoribus nostris viris fortibus ac religio„ sis* censorie notatum. Hoc saepe reprehensum, hodieque reprehendi, nullo incu„ sante, immo bonis probantibus, diffiteri nemo potest. Estote prudentes sicut ser„ pentes, qui protecto, quod praecipuum est, capite sibi consulunt. Nec quisquam „ in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non *ad nutum voluntatis* „ *aut ex cupiditatis instinctu*, sed ex recta ratione deposito, dicente Scriptura: *Ra„ tionabile obsequium vestrum*: & iterum: *Sapiens timet, & declinat a malo: stul„ tus transilit, & confidit*. Postremo audiatur apostolicum illud. *Omne quod non est* „ *ex fide*, idest ex conscientia, *peccatum est*. Denique, *testimonium reddente conscien„ tia ipsorum*, non aliorum utique, sed ipsorum, & sua."

IV.

IV. In hoc celebri Concilio laudatur auctoritas Concilii œcumenici, Synodorum, & Episcoporum præcedentium, atque Universitatis Parisiensis. Hæc omnia Patres Concilii in epistola encyclica ad universum Galliarum Clerum significant. „ Quare cum ad extrema (inquiunt) ventum est tempora, in quibus decor pristinus, imminuta fide, refrigescente caritate, labente disciplina morum corruptelis, ac „ denique, ut fit, fallacium opinionum illuvie deteri videbatur: id egerunt omnes „ pii, atque ipsa præsertim Ecclesia Gallicana, ut *moralis Theologiæ dignitatem* „ *vindicarent*. . . . Et quidem doctissimæ, ac celeberrimæ Theologiæ Facultates, „ maxime vero Parisiensis cum Lovaniensi conjuncta, etiam interrogantibus Episcopis, pro officio suo gliscentem novandi libidinem represserunt. Compresbyteri „ quoque nostri parochialium Ecclesiarum Rectores, ceterique Doctores in amplissimis civitatibus constituti, ad nostra usque tempora non cessarunt exaltare vocem suam in plateis Sion, atque Episcopos in altiore specula collocatos assiduis „ efflagitationibus incitarunt . . . Nec tacere possumus, Religiosissimi Patres, memorabilem sententiam qua maximus, ac doctissimus Coetus anno 1655. & sequentibus, Parisiis congregatus, gravissimo suo iudicio damnavit perversam, ac „ falsi nominis scientiam, qua instructi homines, *non tam accommodarent mores* „ *suos ad evangelicæ doctrinæ normam, sed in ipsam potius regulam, ac sancta mandata ad cupiditates suas inflecterent, novaque & inani Philosophia christianam disciplinam in academicas quæstiones, ac dubias fluctuantesque sententias verterent*. „ Hæc illi. Qua sententia versatilem illam, ac noxiam opinionum flexibilitatem, „ *hoc est ipsum mali caput*, *conterebant* . . . Hanc paternam velut hereditatem, „ Cleri Gallicani Coetus anno 1682. Parisiis congregatus exceperat: sed, Conventu interrupto, ne salutaris consilii memoria intercideret, sapientissimi Patres „ pravarum propositionum indiculum, anteaquam discederent, edi, ac per Ecclesias mitti voluerunt . . . . Huius ergo rei gratia nos in Spiritu sancto, & in „ Christi nomine adunati, eiusque ope freti, non tam opus novum aggredimur, „ quam sancta decreta colligimus, ordinamus. "

CAPUT VI.

Episcoporum Hispaniarum, & Concilii Romani, sub BENEDICTO XIII. celebrati, auctoritate Probabilismus evertitur.

I. GAllis Episcopis concinunt Hispaniarum Antistites. Eminentissimus, atque sapientissimus Cardinalis Aguirre in præfatione ad Conciliorum Hispan. collectionem testatur, Probabilismum improbasse Fagundes de Torres Episcopum Calagurritanum, Venerabilem Ioannem Pallafoxium Episcopum Oxomensem, & Lu-

Ludovicum Crespium Episcopum Placentinum, quos *hortatu Eminentissimi Cardinalis Balthassaris de Moscoso Archiepiscopi Toletani... cœpisse communi consilio exagitare Probabilismum, tum longe & late grassantem*, testatur laudatus Cardinalis Aguirre.

II. Accedant recentiores Hispaniarum Antistites plures, qui anno 1717. libellum supplicem miserunt ad Romanum Pontificem Clementem XI. in quo magno animi mœrore deplorant huius sæculi potissimum disciplinæ christianæ laxitatem, & morum dissolutionem. Tantorum originem malorum inde derivant, quod pluribus displicere desiit laxitas, ex quo viderint eam vel ab ipsis Iansenistis oppugnari. *Immo* (inquiunt Antistites illi) *placere aliquibus* (cœpit) *eo nimirum prætextu allectis, quod sic a Iansenismi partibus magis recessisse viderentur*. Revocant simul hanc laxitatem in ipsum Probabilismum late acceptum.

III. Postremum Concilium Romanum sub BENEDICTO XIII. celebratum anno 1725. . . . regulas constituit Probabilismo manifeste adversas. Concilium non est generale, est tamen post œcumenicum summæ auctoritatis. Eidem interfuerunt summus Pontifex BENEDICTUS XIII. Cardinales XXXII. Archiepiscopi V. Episcopi XXXIX. Procuratores Cardinalium IV. Episcoporum vero XXVI. *tit. v. cap. ix.* præscribitur ut in resolvendis casibus hæc servetur regula. *Sub finem disputationis Præfectus, aut alius quispiam . . . casum propositum definiet ex doctrinis quas veriores, magisque fundatas iudicabit*. Concilium, cui interfuit per procuratorem, interpretatus est Sebastianus Pompilius Bonaventura Episcopus Montisfalisci, & Corneti. Porro ad *caput* 11. *tit.* 1. hæc scribit latine reddita. *Cum non habeamus pro religionis scientia alias scholas præter illas quæ in Seminario apertæ sunt, eo securitatis gaudio fruimur, quod in omnibus huiusce scientiæ partibus tum videlicet in fidei mysteriis, tum in morum doctrina, tum in Ecclesiæ disciplina sententiæ communiores, & tutiores defendantur, executionique demandentur consuetudines quæ communius obtinent, magisque receptæ sunt, sublatis illis opinionum novitatibus, & singularitatibus quæ in his materiis semper periculum induxerunt.*

CAPUT VII.

Ex recensitis auctoritatibus evidens colligitur argumentatio adversus Probabilismum.

I. PRimum omnium repellendum est Probabilistarum commentum, quo imperitis repræsentant Probabilismum defendi a Cardinalibus, & Episcopis. P. Claudius La Croix, ut ceteros sileam, scribit *Lib. I. quæst.* xli. *num.* 268. sequentes Cardinales, & Episcopos a Probabilismo stare. *Albert. M. S. Anton. Palud. Panor. Alv. B. Med. Ledesm. Zerol. Marol. Mald. Banac. Barb. Caram. Tolet. Lug. apud De-Champs.*

III.

II. Plura falsa paucis lineis promuntur. Albertus M., & S. Antoninus conceptis verbis Probabilismum, antequam nasceretur, diris devoverunt. Bartholomaeus Medina non fuit Episcopus. Paludano ignotus fuit Probabilismus nondum natus. Verum haec, & similia leviora sunt menda. Impostura non ferenda est, quod nemo ex citatis Episcopis quidquam, quatenus Episcopus, definierit in favorem Probabilismi. Caramuel, Bonacina, Barbosa, ceterique, Episcopi fuerunt. At numquid aliquam epistolam pastoralem evulgarunt? Numquid Synodum celebrarunt? Numquid regulas servandas a Theologis in casuum decisione ediderunt amplectendi in rebus dubiis sententiam minus probabilem? Nihil horum umquam attulerunt vel *La Croix*, vel *De Camps*, vel quispiam Probabilistarum. Cur ergo Episcopos citatos allegant? Bonacina edidit cursum Theologiae moralis, propositionibus damnatis scatentem, & postea institutus Episcopus fuit. Idipsum praestiterunt ceteri. In propriis operibus, quae ut Theologi, vel ut Canonistae ediderunt, sententiam minus probabilem propugnarunt. Ceterum, ut Episcopi, nec in Synodis, nec in epistolis pastoralibus quidquam in favorem Probabilismi definierunt. Ergo evidens est, *De Champs*, *La Croix*, ceterosque falli, & fallere, dum Episcopos in praesidium Probabilismi adferunt. Eosdem laudent ut Theologos, vel Canonistas, secus ut Episcopos iuxta communem sensum.

III. Vidimus ergo quae summi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. decreta ediderunt contra novum *probabilizandi* MODUM. Vidimus Romana tribunalia, ad casus conscientiae resolvendos instituta, probabiliorem, minus probabili neglecta, doctrinam amplecti. Vidimus Italiae Episcopos in suis Synodis, aut instructionibus pastoralibus, Probabilismo reiecto, probabiliorem doctrinam servandam in suis dioecesibus praescribere. Vidimus plurimos Galliarum Episcopos in suis pariter Synodis, Probabilismo expresse damnato, probabiliorem sententiam amplectendam praecepisse. Episcopis Italiae, & Franciae accedunt Episcopi Hispaniarum. Tandem universus Clerus Gallicanus Parisiis congregatus solemni decreto declaravit, Probabilismum omnium in genere moris laxitatum, & malorum fontem esse: illum damnavit, & probabiliorem, atque in rebus dubiis tutiorem sententiam sequendam esse sanxit: idque non consilii, sed *praecepti* esse decrevit.

IV. Haec omnia explorata compertaque fecimus, documentis luculentissimis in medium allatis. Ergo, spectato auctoritatis principio, *Probabilismus reprobatus est*. Quid ad haec Probabilistae? Non aliud sane mussitare valent, nisi Ecclesiam universalem solemni expressa constitutione dogmatica non damnasse *Probabilismum*: quod & ipsi concedimus: nam tunc nulla esset disputatio. Ex hoc asylo pulsi respondeant presse, & perspicue. In quacumque theologica controversia non damnata adhuc solemni ritu a Romana, & universali Ecclesia dogmatica aliqua constitutione, desiderari ne maior potest auctoritas pro illa quam hactenus in medium

prom-

prompsi adversus *Probabilismum*, & in confirmationem doctrinæ probabilioris ; Decretum Alexandri VII. obvium est. Documenta Congregationum Romanarum, & Episcoporum Synodi, atque decreta perspicua sunt. Sed, quod rem conficit, Concilium nationale Gallicanum solemni edicto damnasse Probabilismum, revocari ne in dubium, eludi ne aliqua cavillatione potest? Nequaquam. Hoc nationale Concilium universæ Galliæ laudat in damnationem Probabilismi Concilium œcumenicum Viennense, laudat auctoritatem summi Pontificis Alexandri VII. laudat maiorum traditionem, prædecessorum Episcoporum consensum, & auctoritatem. Hæc omnia luce meridiana clariora sunt. Iterum ego repeto: Quid fortius, quid validius adversus Probabilismum? Qua conscientia ergo in conspectu tot Synodorum, Episcoporum, Congregationum defendere Probabilismum audent? Nonne vel unicum Gallicanum Concilium prævalet mille Theologis Probabilistis, si forent? Probabilistæ ergo non aliquod habent pontificium decretum a nato Probabilismo, non vel *unicam* Synodum diœcesanam, non vel *unicam* Pastoralem, non unius Episcopi documentum, quo gregi sibi a Deo commisso pabulum *Probabilismi* præbuerit. Quid, si adversus doctrinam probabiliorem adferre illi in medium possent aliquam Synodum? Quid, si Concilium nationale? In tympanis, & citharis triumphos, & pæanas in viis & plateis canerent, sibilisque exciperent Antiprobabilistas. Sed nihil proferre hactenus potuerunt, nec proferent umquam.

V. Dicant iterum Probabilistæ. Medio integro sæculo Episcopi Gallicani, qua pastoralibus litteris, qua Synodis, Probabilismo bellum indixere. Post improbum diuturnumque studium, post disceptatam in tot Synodis, disputationibus, libris typis editis controversiam, universa Ecclesia Gallicana in Concilio nationali congregata Probabilismum terra marique exterminavit. Edisserant, inquam, nobis Probabilistæ: Ecclesia isthæc iniecit ne laqueum animabus? Imposuit ne fidelibus suis iugum *asperum* & nimium opprimens? Id sane præstitisset, si licitus opinionis minus probabilis usus esset. Chimærica ergo est *benignitas* probabilistica, commentitia, & deceptrix eiusdem *dulcedo*.

VI. Quæso, lector, sepositis præiudiciis, serio meditare, Episcopos institutos a Deo esse Ecclesiarum Rectores. Recogita Synodos diœcesanas, maxime in propria diœcesi, provinciales in tota provincia, nationales in universa natione pollere auctoritate. Si Synodi istæ approbatæ sint apostolico calculo, summa fruuntur auctoritate. Concilium Gallicanum anni 1700. ut cetera præteream, Romanæ Sedi compertum est. Nihil a medio iam sæculo adversus illud constituit, constitutura omnino, si quid in fidei, aut morum negotio peccasset. Ergo tacite approbavit. Iunge huic Concilio cetera omnia documenta quæ recensuimus. Post animo anticipationum vacuo tute controversiam dirime. Nullus dubito, quin ex iis quæ diximus, debeas bellum implacabile Probabilismo indicere. Hæc ergo serio expen-

expende, & Deum precare ut Probabilistis lumen veritatis infundat, quo Elizaldos, Camargos, Tyrsos, Aguirrios, aliosque imitentur, qui, Probabilismo abjurato, probabiliorem doctrinam sunt amplexati.

CAPUT VIII.

Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. *probabiliorem sententiam amplectendam decernit.*

I. HUic dissertationi finem imponat BENEDICTUS XIV. feliciter regnans, qui hoc anno sancto, quo scribimus, plura edidit documenta pro Confessariorum instructione. Inter alia unum eminet lingua vernacula ab ipso doctissimo Pontifice exaratum, inscriptumque *Lettera circolare della Santità di Nostro Signore BENEDETTO PAPA XIV. a tutti i Patriarchi, Arcivescovi, e Vescovi sopra la preparazione all' anno santo. = Datum ex Arce Castri Gandulphi die 26. Junii 1749. Pontificatus Nostri anno nono.* Epistola hæc latine reddita fuit; sed lubet ipsum textum originalem transcribere ab ipso, ut dixi, Pontifice summo scriptum. deinceps statim latinam versionem adiiciam, ut ipsi lectores deprehendere versionis sinceritatem queant. Hæc igitur ibi habentur.

II. „ La seconda cosa si è, che succedendo, come pur troppo va succedendo, „ che il Confessore intenda dal penitente qualche cosa che abbia bisogno di qual„ che discussione, esso non tiri ad indovinare; ma prima di rispondere prenda „ tempo, e consiglio. Sarebbe desiderabile in ogni Confessore una eminente lette„ ratura; ma una competente, e sufficiente letteratura è assolutamente necessaria: „ nè forse di più si può sperare, comprendendo la morale Teologia tante e tali „ questioni, che dipendono dalla notizia de' canoni, e delle costituzioni apostoli„ che, che è moralmente impossibile che un uomo abbia presente tutto, e possa, „ come suol dirsi, rispondere in piedi a tutto, come dee fare chi ha una scienza „ eminente, senza aver bisogno di ricorrere ai libri, come fa chi ha una scienza „ solo sufficiente, giusta ciò che riflette il nostro Predecessore Innocenzo IV. nei „ Commenti al cap. *Cum ex conflictu* al num. 2. sotto il titolo *de electione, & electi* „ *potestate*, ove così scrive. *Scientiam autem reputamus eminentem quæ subtiles* „ *quæstiones discutere, & definire novit, & in promptu responsiones habet: ille ha-* „ *bet mediocrem qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat* „ *respondere, & qui in libris veritatem rerum quæ scire tenetur, scit quærere, &* „ *si in promptu omnia non habet.* Ridotto perciò il Confessore nelle questioni dub„ bie, o in quelle delle quali non ha notizia, a ricorrere ai libri, non diremo „ cosa nuova. se diremo, esservi pur troppo nella gran farragine de' Scrittori „ chi pensa e scrive in un modo che è tutto alieno dalla simplicità evangelica, „ e dal-

„ e dalla dottrina de' Padri . *Cum plures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas*, „ *& animarum perniciem inferentes*, *partim antiquas iterum suscitari*, *partim noviter prodire*, *& summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere*, *per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate*, *Sanctorumque Patrum doctrina*, *& quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur*, *ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela*. Sono parole del nostro Predecessore Alessandro VII. nel suo decreto „ *dei 7. Settembre 1665*. Ma senza entrare in verun dettaglio particolare, e nelle „ inestricabili questioni, che sopra il credito degli Autori, e delle loro dottrine „ potrebbero eccitarsi, ci contentaremo di dire, che il buon Confessore nelle materie dubbie non dee fidarsi della sua privata opinione; ma prima di rispondere si contenti di vedere non un solo libro, ma 'ne veda molti, vêda fra questi „ i più rispettabili; e poi prenda quel partito, che vedrà PIU' ASSISTITO „ DALLA RAGIONE, E DALL'AUTORITA'. Così ci spiegammo „ nella nostra Lettera Circolare sopra le usure, che è *la 143. nel Tom. I.* del nostro Bollario *al §. 8.* = *Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant*, *sed priusquam responsum reddant*, *plures Scriptores examinent*, *qui MAGIS inter ceteros prædicantur*, *deinde eas partes suscipiant quas tum ratione*, *tum auctoritate plane confirmatas intelligent* : così ora ripetiamo, non dovendo la massima esser „ ristretta alla sola materia delle usure, ma dovendo estendersi ad ogni altra cosa che appartenga al foro sagramentale, ed alle regole della coscienza." *Quæ sic latine reddo*.

„ Secundum pro Confessariis Monitum hoc est, ut si contingat, sicut frequentius quidem contingere solet, Confessarium in suo ministerio aliquid a pœnitente audire quod examine opus habeat, caveat ne divinando definiat; sed „ antequam responsum præbeat, tempore congruo, & consilio rem expendat. „ Optanda in quolibet Confessario esset scientia eminens, sed mediocris & sufficiens omnino necessaria est. Nec ultra sperare licet, cum morum Theologia „ tot tantasque complectatur quæstiones, quæ a canonum, & apostolicarum constitutionum notitia pendent: adeo ut fieri vix possit, ut homo præsentia omnia habeat, valeatque, ut dicitur, stans pede in uno, ad quodlibet respondere, quemadmodum præstare solent eminenti scientia prædıti: opus isti minime „ habent ad librorum lectionem confugere, quod facere consuescunt ii qui sufficienti dumtaxat scientia pollent, ut animadvertit Prædecessor noster Innocentius „ IV. in commentariis ad cap. *Cum in cunctis* num. 2. tit. *de electione*, *& electi potestate*, ubi ita scribit. *Scientiam autem reputamus eminentem quæ subtiles quæstiones discutere*, *& definire novit*, *& in promptu responsiones habet*: *ille habet mediocrem qui scit aliquo modo examinare negotia*, *quamvis ad omnia nesciat*

„ *respon-*

„ *respondere, & qui in libris veritatem eorum quæ scire tenetur, stit quærere, &*
„ *si in promptu omnia non habet*. Cum igitur Confessarius in dubiis quæstioni-
„ bus, aut in iis quarum notitia caret, evolvere libros coactus sit, non sine de-
„ lectu id præstet. Nihil quippe novi pronuntiabimus, si dixerimus, in tanta
„ Scriptorum multitudine reperiri illos qui opinantur, scribuntque iuxta modum
„ ab evangelica simplicitate, & Patrum doctrina prorsus alienum. *Cum plures o-*
„ *piniones christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes*
„ *partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam lu-*
„ *xuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad*
„ *conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica*
„ *simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles*
„ *in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela*. Verba sunt
„ Prædecessoris nostri ALEXANDRI VII. in decreto suo *diei 7. Septembris 1665*.
„ Verum, prætermissis implicatissimis quæstionibus quæ excitari de Scriptorum au-
„ ctoritate, eorumque doctrinis possent, sat nobis erit Confessarium monere, ne
„ in dubiis controversiis propriæ adhærescat opinioni; sed antequam deliberet, e-
„ volvat non unum, sed plures libros: inter istos consulat præstantiores: postea
„ illam amplectatur sententiam *cui MAGIS suffragari rationem, & auctorita-*
„ *tem favere cognoverit*. Ita docuimus in nostra *Epistola Encyclica* de usuris, quæ
„ est 143. in *Tom. I.* nostri Bullarii §. 8. *Suis privatis opinionibus ne nimis adhæ-*
„ *reant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui MA-*
„ *GIS inter ceteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant quas tum ratione,*
„ *tum auctoritate plane confirmatas intelligent*. Idipsum nunc in memoriam revo-
„ camus. Nostra quippe sententia coerceri intra fenoris confinia non debet, sed
„ ad ea omnia extendi quæ ad forum sacramentale, & conscientiarum regimen
„ attinent."

III. En quam constans, & luculenta sit Apostolicæ Romanæ Sedis doctrina contra Probabilismum. In memoriam revocat BENEDICTUS XIV. decretum Alexandri VII. quo novus hic opinandi modus notatur tamquam ingentis corruptelæ fons, & cum evangelica simplicitate, & SS. Patrum doctrina pugnans. Quapropter decernit Pontifex summus & in Epistola Encyclica adversus usuram, & in hac de præparatione ad annum sanctum, ut Confessarii eam deligant opinionem *quæ magis fulcitur ratione, & confirmatur auctoritate*.

DIS-

DISSERTATIO IV.

ADVERSUS PROBABILISMUM

Theologorum omnium Ordinum auctoritate labefactatum.

PROOEMIUM.

CUM Probabilistæ neque decretum pontificium, neque Synodum aliquam peculiarem, neque Concilium sive provinciale, sive nationale allegare in præsidium Probabilismi queant, ad recentiorum Casuistarum patrocinium sese recipiunt. Quantum fuci hoc in genere imperitis faciant, dictu facile non est. Ut invidiam declinem, & veritati litem, repetam quod toties dixi, & quod semper intellectum volo, me omnes Probabilistas probitate, & morum integritate præditos existimare, illorum intentionem piam, atque ex zelo viam salutis faciliorem efficiendi profectam, illorum perfecta esse opera pro certo habere. Nihil mihi cum illorum personis, animique intentione, & fine est. Hæc omnia nostrum fugiunt tribunal; & propterea aut bene, aut nihil de iis dicendum. In eorum nos scripta unice inquirimus, adversus hæc calamum acuimus. Et quia in citandis Theologis incredibiles offendi falsitates; ideo hæc præfatus sum, ut si illorum relationes sæpe ad fabulas, ad imposturas, & arbitraria commenta amandavero, id vitio mihi non vertatur, sed materiæ.

CAPUT I.

Præmonitum ad germanum plurium elapsi sæculi Theologorum sensum assequendum.

I. NOn idcirco sensum plurium Theologorum exponere aggredior, ut aliquod inde mihi emolumentum comparare velim, sed ut illorum innocentiam vindicem a falsis Probabilistarum interpretamentis. Quæ autem dicturus breviter sum, fusius ante me scripsis consignarunt P. Vincentius Baronius, P. Vincentius Contensonius, & ceteris uberius P. Tyrsus Gonzalez *integra dissert.* 11.

II. Igitur dum plures elapsi sæculi graviores Theologi asserunt, licitum esse sequi opinionem quamlibet practice probabilem, seu minus probabilem, hic est illorum sensus. Quoties ipsi operanti practice probabilis est aliqua opinio, licet absolute alius sit minus probabilis, sitque minus communis *objective* considerata, licite

cite illam operans sequi potest. Quoniam cum practice solido gravique fundamento ductus aliquam opinionem iudicat practice probabilem, hæc opinio illi est probabilior. Impossibile enim nos arbitramur (idque evincemus infra) hominem ratione præditum posse iudicare opinionem quampiam practice probabilem eo ipso tempore quo oppositam iudicat probabiliorem. Hæc nobis chimæra est post ortum Probabilismum nata. Hinc frequens est penes graviores elapsi sæculi Theologos, iudicium probabile satis esse ad moraliter operandum. Quod enim probabile est, dignum est approbatione; & quod dignum est approbatione, licite sequi vales. P. Gonzalez, ut rem hanc confirmet, plurimos textus allegat PP. Suarez, Sinnichii, Vendrochii, Navarri, Venerab. Ludovici a Ponte, S. Antonini, Sylvestri, Ioannis a S. Thoma, & aliorum.

III. Pluribus exemplis omissis, unum referam ex Ioanne a S. Thoma celeberrimo Theologo, quem laudatus P. Gonzalez describit *cit. dissert.* 11. *num.* 6. Inquit ergo Ioannes a S. Thoma 1. 2. quæst. XVIII. disp. XII. art. 3. *Quod attinet ad conscientiam probabilem est unica regula certa licere sequi conscientiam probabilem, dummodo de eius probabilitate constet practice, & prudentialiter, & non solum speculative: quia, probabilitate practice stante, licet oppositum appareat probabilius & tutius, licite potest talem conscientiam sequi. Hanc regulam censeo generalem, & universaliter veram pro omnibus actionibus moralibus.* Manifestum est, inquit Gonzalez, hunc Theologum loqui de iudicio, seu opinione propria. Unicuique autem opinio sua probabilior etiam in actu primo & directe est & verisimilior. Quare, dum asserit licitum esse sequi opinionem probabilem, etiamsi opposita appareat probabilior, sensus est: quamvis hæc opinio in mente aliorum probabilior sit, tamen mihi hic & nunc operanti minus probabilis est, & contrariam iudico probabiliorem. Ne multa. Theologus iste cum plurimis aliis docet, licitum esse sequi opinionem quæ *obiective* quidem, seu penes Auctores est minus probabilis, sed sibi est probabilior. Theologus laudatus semper inculcat, licitum esse sequi quamcumque opinionem, dummodo *practice* sit probabilis. De hoc controversia nulla. Illud disputatur, sit ne *practice* probabilis opinio quæ, omnibus expensis, apparet operanti minus verisimilis, & contraria verisimilior. Hoc non docere Ioannem a S. Thoma, & plurimos alios Theologos, defendunt Contensonius, & Gonzalez.

IV. Laudo ego istorum conatum; sed, ut id quod sentio, sincere promam, utcumque res ista se se habeat, tanti illam non facio, ut multum temporis terere debeam in ea dispicienda. Ad celebrem Theologum Ioannem a S. Thoma quod attinet, ut mea præfert opinio, implexa est, & impedita illius disputatio. Requirit ad recte operandum probabilitatem practicam: quia, inquit post laudatum textum, *stante probabilitate practica, in quacumque materia licite procedi potest*, quan-

quantumcumque dubitationes, vel difficultates aliquas quis patiatur: quæ in tali casu erunt dubitationes speculativæ, quæ nihil obstant; aut etiam si opposita pars tutior & probabilior appareat. Sufficit enim probabilitas practica, & non requiritur probabilitas speculativa, ut licite quis possit operari. His verbis perspicue declarat, se non loqui iuxta communem sensum Probabilistarum, qui contendunt, ex duabus opinionibus practicis de eadem re, eisdem circumstantiis vestita, licitum esse sequi opinionem minus probabilem in conspectu probabilioris existentis in mente operantis: quod monstrum nobis apparet. Porro quod citatus Theologus in sensu a nobis explicato loquatur, patet ex rationibus quibus immediate probat suam expositam sententiam. Sic ergo eam evincit. *Primum ergo probatur. Quia probabilitas speculativa illa est quæ nititur rationi, seu discursui probabili circa ipsam veritatem rei, seu circa id quod est, vel non est in ipsa re, sed nondum descendit ad formandum dictamen prudentiale, prout hic & nunc, & secundum varias circumstantias occurrentes, quæ DIVERSAM habent inspectionem, & possunt diverso modo attendi, & magis, vel minus cognosci, & sic diversum iudicium producere. Et bene stat quod aliquis habeat plures rationes probabiles speculative, & tamen in formando dictamine practico, seu prudentiali patiatur dubium, ita quod practice non sit certa, idest prudens, probabilitas. Quia speculatio procedit magis abstractive, & præcisive, & considerando rem secundum se; prudentia vero cum omnibus circumstantiis, quæ hic & nunc occurrunt: nec possunt omnes in prima speculatione, seu inspectione considerari: & multoties, considerata una circumstantia, redditur aliquid dubium, & incertum, quod, illa non inspecta, certum, aut probabile videbatur.*

V. Compertum itaque est, Theologum hunc docere, licitum esse sequi opinionem *practice* probabilem, idest omnibus circumstantiis quæ occurrere possunt, inspectis, licet opposita speculative considerata, quæ ab his circumstantiis abstrahit, probabilior appareat: quia, inquit, adiecta, vel sublata una circumstantia, practice variatur opinio, & quæ erat certa moraliter, evadit dubia, aut contra; propter variationem circumstantiarum. Nemo Antiprobabilistarum quidquam horum negat. Quare tria mihi de hoc Theologo videntur certa. Primum est, eum absolute a recentioribus Probabilistis omnino discrepare, immeritoque in proprium patrocinium ab ipsis allegari. Alterum est, eumdem hanc controversiam, præter illius morem, nimis confuse versare. Nonnulla enim habet quæ Probabilismo affinia sunt. Tertium est, quocumque tandem in sensu exponatur illius sententia, illud esse evidens, quod probabilitas talibus ab ipso coarctatur terminis, ut in praxi id tandem sustineat quod docent Antiprobabilistæ.

VI. Principium probabilisticum de possessione libertatis adversus legem sic limitat num. 22. *Exceptio ista est sicut vulnus legis, & quædam eius abscissio. Cum au-*

tem

tem lex semel est statuta, & stabilita, est in possessione præcipiendi. Probabilitatem coarctat in omnibus quæstionibus in quibus occurrit damnum proximi. *Inspiciendum est damnum, seu effectus, qui ex aliqua parte sequi possunt*. Hanc regulam potissimum in contractibus servandam præscribit. *Sicut ex eo quod possint cum eodem simul fieri contractus societatis, & assecurationis circa aliquam pecuniam, nihil improbabilitatis in speculatione, & disputatio inferri videtur; tamen ipsa experientia, & usu comprobamus, ex hoc consequi multas palliatas usuras, immo nihil tam inveniri tam usurarium, quod non possit ratione prætensi lucri cessantis assecurationis dandæ iustificari. Unde factum est quod fere omnes in pecunia, & negotiatione plus confidant quam in labore, & fructibus terræ, & omnia repleantur fraudibus, negotiationibus, & otiositate*. Legatur integer §. ubi probabilitatem extrinsecam declarat, regulasque præscribit, quibus dignoscantur Theologi, aut Confessarii seligendi. *Plerumque homines placere desiderant aliis, a quibus consuluntur, cum sint multi magistri prurientes auribus*. Coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus. Ubi ly coacervabunt *multitudinem opinantium insinuat qui placere desiderant, præsertim si sint Principes, & Magnates hi qui consulunt*. Verum de hoc plusquam satis. Legesis laudatum Gonzalez.

CAPUT II.

Falsa commenta Terilli, Segneri, aliorumque Probabilistarum, qui iactant Auctorum multitudinem pro suo Probabilismo.

I. P. Paulus Segneri, assertus Auctor trium epistolarum in defensionem Probabilismi, quas penitus, nisi me omnia fallunt, labefactavi in historia Probabilismi italice scripta, *epist. 1. num. 47.* scribit, Terilli auctoritate deceptus, omnes, *paucis exceptis*, Probabilismum defendere. Hoc prius adfirmaverant PP. Terillus, Moya, de Camps, Ardeskin; atque in dies scribere idem haud erubescunt PP. *La-Croix, Viva*, & ceteri juniores. Præ omnibus tamen P. Terillus Auctorum sibi faventium catalogo augendo desudavit. Fabellis vix anicella dignis catalogum hunc infartum mox ostendam.

II. Illud nunc est summopere animadvertendum, Theologos Probabilistas integro fere sæculo, nempe a nato Probabilismo ad annum usque 1656. nullum laudasse Auctorem faventem sententiæ minus probabili, Medina antiquiorem. Hoc factum luculentissimum est. Probabilistas omnes provoco, ut vel unum producant Auctorem antiquiorem Medina, a Probabilistis dicti primi sæculi citatum. Medina primus inventor neminem laudat. Lopez, Mercado, Vasquez, Sanchez, Diana, Amicus, Tamburinus neminem laudant. Quin Caramuel clamitabat:

Theologia nostra nova est. Reginaldus: *Quæ circa fidem emergunt difficultates, à veteribus haurienda: doctrina morum a recentioribus. Quærunt casus temporum Doctores temporum.*

III. Cum primum a barbarie, & nimio abusu assurrexit sacræ Theologiæ studium, quo, tricis, & futilibus speculationibus missis, veros divinæ scientiæ fontes adiri cœptum est; continuo Probabilismus defecit. Quem ut sustinerent illius asseclæ, ad antiquorum patrocinium tum primum, necessitate compulsi, non veritate duce, se se receperunt. Doctissimus P. Palaneus, Ordinis Minimorum illustre decus, animadvertit, idem omnino in hac controversia *Probabilismi*, ac in altera de concordia creatæ libertatis cum efficacitate divinæ gratiæ, accidisse. P. Ludovicus Molina candide fassus est, suam de scientia media sententiam incognitam Augustino fuisse, seque eiusdem artificem primum prodere non est dedignatus, ut patet ex eiusdem *Concordia* &c. Posteriores Theologi, cum summum sibi creari præiudicium viderent ex defectu auctoritatis antiquorum, tum expiscari in Patrum operibus studuerunt quosdam textus, quibus propriæ sententiæ famam conciliarent, invidia sublata. Idem præstiterunt Probabilistæ.

IV. Lubet transcribere verba P. Palanchi. „ Antequam insurgerent Theologi „ RR. qui Probabilismo noviter invecto bellum indicerent, usus non erat Pro„ babilistis pro sententia sua Theologos, aut Summistas antiquos allegare, im„ mo contra suam sententiam, de minori probabilitate sequenda in conspectu „ probabilioris contradicentis, ingenue citabant *S. Antoninum*, *Sylvestrum*, *Ca„ ietanum*, *Conradum*, *Cordubam*, *Adrianum*, *Armillam*, *Sotum*, *Navarrum*, „ *Gabrielem*, *Maiorem*, *Comitolum*, & alios, ut videre est apud Ioannem San„ chez in *select. disp.* xli. Castropalaum *Tom. I. de consc. opin. disp.* 11. Dianam „ *Tom. VIII. tract.* 1. *resol.* 1. & alios. Attamen postquam, Deo, ut existimo, „ inspirante, cœperunt nostri sæculi Theologi *vehementius insurgere in illam no„ vitatem*, antiquorum Theologorum auctoritatem contra magnum Casuistarum „ numerum, & RR. Theologorum in dies exurgentium catalogum in subsidium „ sibi asciscere; videntes *Probabilistæ novitatem* iure debere antiquitati cedere, „ cœperunt contentiose antiquitatem nobilem Theologorum in sui favorem com„ pellare. Factumque est ut Auctores, quos antea ingenue pro nostra senten„ tia citabant, imposterum pro sua iam contra nostram militare contendant; „ adeo ut neminem ex antiquis nostræ, omnes suæ parti favisse decertent. „ Quod in speciem contigit in doctrina illa, rationeque conciliandi nostram li„ bertatem cum divina gratia, & prædestinatione: quam uti noviter a se in„ ventam introduxit Molina, & primi eius Auctores; imposterum autem eius „ sectatores eam antiquam, & Augustinianam esse contendunt. Idem & aliis „ quibuslibet doctrinis de novo inductis sæpe contigit. In quibus unum mihi

„ con-

„ certissimum est, eas nostris saeculis minime traditas fuisse, quia antiquas, quia „ ex PP, & antiquis Theologis erutas, alias primi eius Auctores id allegassent. „ sed e contra sectatores illarum, ut semel iam traditas tuerentur, curasse au- „ ctoritatem antiquorum eis doctrinis accommodare, & attemperare." *Tract. de consc. quaest.* XXIX. *art.* 4. *num.* 189. *pag.* 122.

V. Factum istud, ad Probabilismum saltem quod attinet, evidens est ac manifestissimum, ut ex sola lectione Medinae, Lopez, Vasquez, Sanchez, Dianae, Castropalai constat. Ergo ex solo facto in fumum occidit Probabilismus. Sententia enim quae communi antiquorum Theologorum auctoritati adversatur, nova est, atque adeo falsa, & temeraria. Sed, testibus Medina, Vasquez, Lopez, Sanchez, Diana, Castropalao, & ceteris Probabilistis omnibus primae epochae, Probabilismus novus est, & omnibus Theologis *Medina* antiquioribus incognitus. Ergo sententia, defendens licitum usum opinionis minus probabilis, nova est, falsa, & temeraria. Saepe inculcabo similem argumentationem, quia facillima, & omnium captui accommodata est, simulque ineluctabilis, ad quam obmutescant oportet Probabilistae.

VI. Primus, qui post integrum fere saeculum subferari antiquorum Theologorum suffragia aggressus est, fuit celebris P. Antonius Terillus, qui, ad hoc quod attinet, nullius sane est auctoritatis: quia incredibiles, & putidissimas fabellas divendit ut manifestas veritates. Tanta Auctor iste libertate ausuque pro se allegat SS. Thomam, Bonaventuram, Scotum, Antoninum, ceterosque omnes antiquos, quanta citat Dianam, Tamburinum, Sanchez, & Vasquez. Probabilistae recentiores, ut La-Croix, Viva, Casnedus, ceterique Terillum, ceu Principem Probabilismi reflexi, sequuntur, eiusque dictis summam adhibent fidem. Quamobrem nos pluribus evincemus, nullam sibi Terillum mereri fidem in iis quae historiam spectant, illius vero argumentationes mera esse sophismata, cavillationesque apertissimas. Neque tibi in mentem veniat, nimis aspere nos Terillum excipere: quoniam non in illius personam, quam colimus & suspicimus, sed in illius scripta tota nostra oratio tendit. Cum audieris quae hic Auctor scribit in sapientissimum piissimumque P. Michaelem Elizalde, & in innumeros suos Probabilistas, quos a *satana* deceptos, & ambitionis fumo excaecatos asserit, cum intelliges, nos mitissime refutare illius incredibilia paradoxa.

CAPUT III.

S. THOMAS AQUINAS luculentissimis argumentis Probabilismum labefactat.

I. MIssis antiquioribus Patribus, quorum doctrinam alibi explicabo, primum omnium in medium promo S. Thomam, quem pro se allegare Terillus cum ceteris Probabilistis ausus est. Quæstionem hanc proponit S. Thomas *quodlib.* VIII. *art.* 13. cuius hic est titulus. *Utrum quando sunt diversæ opiniones de aliquo facto, ille qui sequitur minus tutam, peccet, sicut de pluralitate præbendarum.*

II. Probabilistæ, conspicientes perspicue in hoc titulo contineri quæstionem probabilisticam, cavillantur, hunc titulum non esse D. Thomæ. Cur? Quoniam in *summario* dumtaxat *quæst.* VI. dicti quodlibeti habetur. Titulus qui immediate præcedit *articulum* 13. eiusmodi est: *Utrum ille qui habet plures præbendas, peccet.* Hoc ex imperitia in operibus S. Thomæ dictum est. Angelicus solos articulorum titulos in *summario qq.* recensitos scripsit, nec præfatos titulos repetit cum ad articulos componendos accedit; sed hoc pacto incipit: *Circa primum videtur* &c. *Circa secundum* &c. *Ad tertium* &c. Tituli qui immediate præcedunt articulos, adiecti sunt ab editoribus, ut ex collatione omnium codicum, & antiquarum cum recentioribus editionibus colligitur. Textus articuli nunc describendus.

III. „ Respondeo dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. „ Uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur. Alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem; ut si conscientia dictet „ alicui, quod levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, *sive habeat certam fidem de contrario eius „ quod agit: sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod „ agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod sit secundum „ conscientiam.* Et similiter quod est contra conscientiam, est malum, quamvis „ non sit contra legem. Quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, „ non potest esse peccatum. Dicendum est ergo, quod quando sunt duæ opiniones „ contrariæ de eodem, *oportet alteram esse veram, alteram falsam.* Aut ergo ille „ qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas, *facit contra veram opinionem; & sic, cum faciat contra legem Dei, non excusatur „ a peccato, quamvis non faciat contra conscientiam:* sic enim contra legem Dei „ facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, „ ita quod vere liceat habere plures præbendas: & tunc distinguendum est: quia „ vel talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam, quamvis non contra legem: aut non habet conscientiam de contrario, *sed*

„ certitudinem (legendum, *seu certitudinem*) sed tamen in quamdam dubitationem „ inducitur ex contrarietate opinionum; & sic si manente tali dubitatione plures „ præbendas habet, periculo se committit; & sic proculdubio peccat, utpote ma- „ gis amans beneficium temporale quam propriam salutem: aut ex contrariis opi- „ nionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, „ nec peccat. Unde patet solutio ad objecta. "

IV. P. Antonius Terillus *tract. de consc. quæst.* xxix. integrum hunc articulum exscribit. Ut quoquomodo veritatem obnubat, alias D. Thomæ sententias, quæ huic doctrinæ contrariæ videntur, obtrudit. P. La-Croix *Lib. I. num.* 321. scribit: *Plura circa S. Thomam videri possunt apud Terillum*. Nimium a scopo deflecterem, si omnia refellere istorum commenta vellem. Corpus doctrinæ S. Thomæ exponamus, nugis missis.

V. Ut veritas clarius pateat, in varia membra doctrinam tribuo. Duplici via peccare homo valet, aut legem violando, aut propriæ conscientiæ repugnando. *Duobus modis ad peccatum obligatur. Uno modo faciendo contra legem, ut cum quis fornicatur; alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem; ut si conscientia dictet alicui, quod levare festucam de terra, sit peccatum mortale.* Nulla de hoc quæstio est.

VI. Adversus conscientiam homo peccat, aut dum evidenter cognoscit, aut cum dubitat criminosam esse operationem quam exercet. *Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit; sive habeat opinionem cum aliqua dubitatione.* Hæc sola doctrina ab imis convellit Probabilismum radicibus. Quando enim Probabilista adhæret opinioni minus probabili, dubio procul *habet opinionem de contrario cum aliqua dubitatione*. Texant Probabilistæ telam illam reflexionum suarum, quantum ipsis arridet; numquam tamen quidquam vel apparens reponent ad hanc D. Thomæ doctrinam.

VII. *Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Compertum est, S. Thomam hic de ignorantia vincibili sermonem habere. Nam centies ait, ignorantiam invincibilem a culpa excusare. Qui ergo violat legem vincibiliter, peccat; secus qui invincibiliter. Num reperiri aliquando possit invincibilis ignorantia legis naturalis & divinæ, alibi dictum est.

VIII. Si opinio quam homo amplectitur, vera est, si tamen existimet contrariam esse veram, peccat contra conscientiam, licet non contra legem. *Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod vere licet habere plures præbendas; & tunc distinguendum est: quia aut talis habet conscientiam de contrario; & sic iterum peccat, contra conscientiam faciens, licet non contra legem.* Falsum ergo est Probabilistarum principium, quo asserunt, licitum esse sequi opinionem, quantumvis opposita existimetur aut æque, aut magis probabilis. Duo

S. Thomas postulat ut actio expers culpæ sit, unaque bona: ut sit vera sententia, ut sit ab operante cognita ut vera.

IX. *Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum*. Mendum est in hoc textu, ut P. Palaneus, aliique observarunt. Nam ly *sed* obscurum reddit sensum: legendum est *seu*. Contrarietas opinionum dubitationem inducit; & hoc est verum dubium, & in hoc omnes conveniunt, operationem suspendendam esse.

X. *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat*. Hanc periocham a toto articuli corpore præcisam obtrudere Probabilistæ solent, ut evincant hominem, inter duas constitutum opiniones, posse ab omni dubitatione abstinere, & quam maluerit partem eligere. Quæ interpretatio evidenter falsa est, & S. Doctori iniuriosa. Docet Angelicus, regulam honestæ operationis duplicem esse, legem, & conscientiam. Conscientia legi, & operatio legi, & conscientiæ conformis sit necessum est. Insuper, *quando sunt duæ opiniones de eodem, oportet alteram esse falsam, alteram veram*. Duo ergo requiruntur ut homo declinet a malo, & faciat bonum. Unum est, ut veram amplectatur sententiam; alterum, ne dubitet de contraria ob auctoritatem Doctorum. Quoties veritate victus adhæret veræ sententiæ, *& ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, sic non committit se discrimini, nec peccat*. Iste est legitimus sensus illius ultimæ periochæ, ut ex totius articuli corpore constat, & potissimum ex doctrina quam Angelicus exhibet in argumento *Sed contra*, quod corpus articuli præcedit. *Potest esse*, inquit, *quod in tali casu aliquis adhibeat diligentiam, inquirens, an habere plures præbendas sit licitum, nec inveniat aliquid quod eum moveat ad hoc quod sit illicitum: ergo videtur quod sine peccato possit plures præbendas habere*. Ut ergo operatio vere honesta sit, veritas omnium primum requiritur, tum ut operanti innotescat, ac denique ut ita convictus operans sit, ut nullæ occurrant rationes quæ ad dubitandum illius mentem inclinent super honestate eiusdem actionis. Hæc omnia perspicue S. Doctor in laudato articulo explicat. Proponit quæstionem probabilisticam conceptis verbis in hoc titulo. *Utrum quando sunt diversæ opiniones Magistrorum de aliquo facto, qui sequitur minus tutam, peccet*. Cur non respondit: *Melior est conditio possidentis*? Cur non adiecit: *Lex dubia, seu in disputationem vocata non est lex*? Cur non aliud: *Si illa est opinio probabilior, hæc est probabilis*? Cur non postremum: *Ex duabus opinionibus æqualiter probabilibus elige quam mavis*? Quidquam horum dicendum & materia, & argumenta, & omnes circumstantiæ poscebant, si licitum docuisset usum opinionis minus probabilis. Nihil horum, sed oppositum docet. Ergo aperte improbat Probabilismum.

XI. Adfero aliam doctrinam, qua Angelicus labefactat duo Probabilistarum principia,

cipia; quibus sublatis, corruat probabilistica machinatio necessum est. Unum est: In controversiis de lege aliqua possessio stat pro libertate. Alterum. Lex dubia non est lex. Proponit S. Thomas ix. *quodlib. quæst.* vii. *art.* 15. sequentem quæstionem: Utrum habere plures præbendas sine cura animarum absque dispensatione, sit peccatum mortale? Cui quæstioni ut respondeat, hanc angelicam doctrinam præbet. *Respondeo dicendum, quod omnis quæstio in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur: quia error quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Error vero quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi VERITAS AMBIGUA est, quod in hac quæstione accidit. Cum enim hæc quæstio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex iure divino, vel ex iure naturali; & ad Iuristas, in quantum dependet ex iure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Iuristæ Iuristis contraria sentire.*

XII. Res plena periculi est, in duarum conflictu opinionum unam præ altera eligere, *ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit.* Cur in hac quæstione ambigua veritas est? Quia, respondet Angelicus, *inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Iuristæ Iuristis contraria sentire.* Nonne in simili casu oppositum apertissime docent Probabilistæ? Nonne inficiantur quodcumque periculum; aut dicunt periculum esse materiale, secus formale? Nonne summam ostentant securitatem, quando eligitur illa opinio quæ magis arridet, cum super ea in utramque partem Theologi disputant? Nonne deridenr periculum istud, quod S. Thomas cum ceteris Patribus obiicit? Quare lepide eos excipit celebris Iesuita P. Ignatius Camargo. *Sed beati Probabilistæ, quibus nullo discrimine, nullo labore, nulla difficultate, turmatim occurrunt viri prudentes, quorum auctoritate, eaque irrefragabili, opiniones morales passim obviæ, humanæ libertati faventes redduntur veræ, ac certo probabiles, & liberi sunt vel a minimo periculo aberrandi a via salutis. Adeo felicia sunt tempora nostra præ temporibus Augustini, Bernardi, Thomæ &c.*

XIII. Aliud principium habet Angelicus, quo Probabilismum destruit. Est autem eiusmodi. *Intellectus noster respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non magis inclinatur in unam quam in aliam, vel propter defectum moventium, ut in problematibus, de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utrámque partem & ista est dispositio dubitantis, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.* quæst. xiv. de verit. art. 1. in corp.

XIV. Quid, quæso, ad hanc doctrinam reponunt Probabilistæ? Audi P. Claudium La-Croix *Lib. IV. num.* 407. „ Sicut bilanx, habens æqualia utrimque pondera, manet immota, nisi una lanx aliunde ab extrinseco impellatur, ita intelle-
„ ctu-

„ ctus per se manet immotus, si adsint æquales rationes : sed sicuti, quamvis utrinque pondera sint æqualia, *aut etiam in una lance sit maius pondus, tamen potest ab extrinseco, v. g. digito hominis altera lanx deflecti magis, non aliter ac si plus ponderis haberet; ita intellectus hominis per voluntatem deflecti potest ad illam etiam partem pro qua est minus motivum.* "

XV. Quoties Probabilistæ e labyrintho suarum reflexionum pedem efferunt, continuo falsitatem, & horrorem produnt probabilisticæ doctrinæ. Idque mirum in modum evincit allatum exemplum. Mercator qui non ponderibus, sed digito movet libram, seu stateram, infamis raptor habetur, si in illam partem in qua minus est ponderis, digito suo bilancem inclinet. Bilanx intellectus humani rationum ponderibus movetur. Quando pondera sunt æqualia, fluctuat, anceps hæret, inquit Angelicus. Verum habet reponunt Probabilistæ, nisi voluntas *digito* affectionis, cupiditatis, voluptatisque impellat mentem in partem sibi magis faventem. Ergo quemadmodum mercator, ita voluntas iniqua, raptrix, fraudulenta, vaferrima est, dum mentem humanam in æternæ salutis controversiis, non rationis pondere, sed *digito* voluptatis movet. Evidentiora sunt hæc quam ut explicatione egeant.

XVI. Aliud ineluctabile principium habet Angelicus 1. 2. *quæst.* xix. *art.* 4. quo evincit, omnem moralitatem veram conformem esse debere legi æternæ; quodque Probabilismum funditus evertit. Sed quia illud explicuimus *Lib. II. diss.* 1. *cap.* v. ideo ab eodem abstinemus.

C A P U T IV.

B. ALBERTUS MAGNUS, & S. ANTONINUS Probabilismum improbant. A vanis iuniorum commentis vindicantur.

I. PP. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 296. pro se laudat B. Albertum Magnum, & S. Antoninum, quia citatos legit a PP. Stephano de Camps, & Antonio Terillo. Sed, ut argumento extrinsecus petito evincam evidenter, falso laudari a Probabilistis recentibus hos duos Doctores, illud in memoriam revoco, quod *cap.* 11. diximus; videlicet, antiquiores Probabilistas, *Vasquez*, *Sanchez*, *Dianam*, ceterosque communi assensu fassos esse, S. Antoninum probabiliorem sententiam propugnare. Sed textus afferamus.

II. B. Albertus Magnus tract. 1. de hom. quæst. lxx. art. 2. Tom. XVIII. pag. 325. *Præterea quæritur hic de regula quorumdam dicentium, quod si aliquis est dubius de aliquo, an sit mortale peccatum, & facit illud peccatum, peccat mortaliter propter contemptum. Ponamus enim, quod dubitet, & habeat rationes probabiles ad oppo-*

oppositum, sed tamen non sufficientes: tunc enim non videtur contemnere, eo quod sequitur magis probabile.

Adjicit sequentem quæstionem, quæ tertia est. *Præterea quæritur de hoc quod etiam datur pro regula, quod dubia in securiorem partem interpretanda sunt. Securior autem videtur pars esse quæ plures rationes habet.*

Contra hanc tertiam quæstionem sibi opponit hoc argumentum. *Ibi non est securitas, ubi est timor periculi. Sæpe autem ibi est timor periculi, ubi sunt plures rationes.*

III. Habemus hic quæstionem de dubio probabili. Habemus, nec in discrimen vocatur, sed ut certum constituitur, sequendam esse sententiam magis probabilem. Id dumtaxat in disputationem tum vertebatur, num securitas sit, in dubio probabili sequi id quod habet probabiliores rationes.

IV. Respondet Albertus ad quæstiunculam 2. *Dicendum, quod duplex est dubitans; idest dubitans supponens aliquid magis esse quam non esse: & de tali intelligitur regula. Et est dubitans nihil supponens. & hoc non est verum.*

V. Deest perspicuitas Angelici Doctoris. Ceterum, si responsum istud cum regula in conclusione tradita conferas, evidenter colliges damnatum ab Alberto Probabilismum. Quando ergo dubitans supponit *aliquid magis esse quam non esse mortale*, de tali intelligitur *regula*, quod nimirum peccet ex contemptu, si facit id de quo habet rationes magis probabiles, quod sit peccatum. Contra, illum non peccare ex contemptu asserit qui sequitur probabiliores rationes, *nihil supponens* (pro gravi peccato.) *Et hoc non est verum* (quod peccet.)

VI. Ad ultimum argumentum contra quæstiunculam 3. respondet: *Dicendum, quod duplex est securius, scilicet remotius a falso, & remotius a periculo. Et secundo modo intelligitur regula. Prima vero objectio procedit in sensu primo.* Regula ergo intelligitur: *Dubia in securiorem partem interpretanda esse*. Porro duplici modo aliqua opinio potest dici securior: vel quia habet pro se rationes magis probabiles; vel quia magis removet a periculo peccandi. Porro Albertus docet, in dubiis eam amplectendam esse partem quæ securius removet a periculo peccandi. Cur? Quia *sæpe ibi est timor periculi, ubi sunt plures rationes*. Hic est sensus illorum verborum: *& secundo modo intelligitur regula*, de amplectenda nempe opinione magis remota a periculo peccandi. *Prima vero objectio procedit in sensu primo*, videlicet quod falsum reperiri possit, ubi sunt plures rationes. Lege B. Albertum M. in *IV. Sentent. dist.* XXI. *art.* 12.

VII. Non modo clarius, sed evidentissime, S. Antoninus Probabilismum detestatur. Hæc scribit I. Part. tit. III. cap. X. *§.* 10. *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti*. Hanc detruncatam periodum obtrudere Probabilistæ solent, ab integro textu fide mala decerptam. Sic enim prosequitur textus: *Alias oporteret omnes ingredi*

gredi Religionem, in qua tutius vivitur quam in sæculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi TUTA. Sicut enim diversæ viæ tendunt ad unam civitatem, licet una tutior alia sit, sic ad civitatem cælestem alius sic, alius sic vadit, & tute, licet aliquis tutiori modo. Nonne luculentum est, S. Archiepiscopum loqui de duabus sententiis non dubiis, sed utrisque tutis, licet una tutior sit altera? In iis quæ sequuntur, loquitur de opinionibus super re dubia. Sic enim pergit. *Qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, peccat mortaliter, etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo stricte, & proprie dubitationem, videlicet, prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis quis declinat ad unam quam ad aliam. Sed si dubitet leviter quis per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat de opposito, sic agendo contra tale dubium, non peccat, dum adhæret opinioni alicuius Doctoris. & habet RATIONES PROBABILES PRO IPSA MAGIS QUAM PRO OPPOSITA OPINIONE.*

VIII. Et post pauca eodem §. 10. sic pergit. *Notandum, quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicuius opinionis, & secundum eam operari, secluso saltem scandalo, quæ scilicet pars habet pro se notabiles Doctores; dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ catholicæ. & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum; sed bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo quod credit, tamquam de PROBABILIORE parte: & præcipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid quod eum sufficienter moveat ad hoc ut sit illicitum.*

IX. Adeo evidentes sunt textus isti, ut nulla eludi cavillatione possint. Qui plura de mente S. Antonini cupit, legat Cl. Ballarinum *prælect.* 1. in opera eiusdem S. Archiepiscopi. Unum dumtaxat expendam, quod obiicere solent Probabilistæ. Opponunt itaque sequentia S. Antonini verba. *Ex responsis quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius Doctoris magni opinionem sequatur.* Hoc nemo in dubium revocat. Quilibet idiota, & simplex homo potest acquiescere consilio sui Parochi, Confessoris, aut probi Theologi, dummodo bona fide, & amore sciendæ veritatis id præstet. Idque fusius suo loco explicabo. Hic obiter adnotare volui, quam inepte obtrudatur relata auctoritas, ut evincatur Probabilismo favere B. Albertum M.

CAPUT V.

Recensentur testimonia antiquorum Theologorum adversus Probabilismum.

I. UT sæpius dictum est, omnes antiquiores Probabilistæ, Medina, Lopez, Vasquez, Sanchez, Diana, Amicus, ceterique fassi sunt, Theologos omnes qui Medinam præcesserunt, probabiliorem doctrinam secutos fuisse. Quoniam vero Caramuel natum inter Angelos malos Probabilismum contendit, & P. Terillus antiquorum textus allegat: opere pretium existimavi præcipuos textus a Terillo allatos, levioribus missis, expendere; idque brevissime præstabo, ab antiquioribus initium capiens.

II. GUILELMUS ANTISIDORENSIS, qui floruit anno 1235. hæc scribit in tract. de pollut. *Regulam illam magistralem, quod dubitans de aliquo, an sit illicitum, & stante dubio illud agens, peccat, quia discrimini se committit, esse intelligendam de dubio tali quod est vehemens, & magis, aut saltem æque inducit mentem credere, quod est mortaliter illicitum, sicut quod est licitum; secus est, ubi mens plus inclinatur & iudicat quod est licitum, quam quod est illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem, aut finam, quia nec hoc ipsum requiritur.* P. Terillus *quæst. XXII. de consc. num.* 179. contendit, Antisidorensem in hoc textu Probabilismum docere. An id verum sit, lectoris iudicio subiicio. Peccat, inquit Antisidorensis, homo qui inter duo dubia, seu duas opiniones æquales, vel quarum una magis inclinat mentem ad iudicandam actionem esse illicitam, operatur: *Secus est, ubi mens plus inclinatur, & iudicat quod sit licitum.*

III. S. BONAVENTURA, qui floruit circiter annum 1274. *opusc. de process. V. cap. III.* hæc scribit. *Dubia interpretatio præcepti est periculosa, sicut pons semiputridus, aquæ præcipitis, & profundæ, de quo dubium est an sub transeunte corruat, an subsistat. Veluti si is qui pro Christo maiora certamina subire decrevit, & omnia reliquit in sæculo, se periculo committeret pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro parvo commodo in incerta opinione sua, vel alterius, ut si Deus approbet illam opinionem evadat sine lucro meriti, si autem reprobet eam, damnetur. maxime cum tales opiniones quandoque periculosiores sunt quam apertæ transgressiones: quia, ubi scit homo se delinquere, inde facile corrigitur, ubi tamen nescit se peccare, & insuper credit sibi licere. unde nec in morte pure convertitur propter falsam spem, quod forte licuerit, vel minus in eo peccaverit, baculo arundineo, & confracto innititur. Voluntas bona, & plana via regia, & secura debet incedere, & relictis dubietatum diverticulis, quasi suspectis latronum semitis, apertos, & tutos iustorum calles ambulare, ne veluti pænitens boni incohati, quærat diverticula declinandi a via* per-

perfectionis, in qua voverat ambulare. Quid enim est, unde omnes in damnationem incidimus, nisi talis dubia interpretatio praecepti Dei de ligno vetito?

IV. IOANNES SCOTUS, qui circiter annum 1300. scripsit, tanta perspicuitate Probabilismum damnat, ut solus Terillus, aut eidem similis refragari valeat. Hæc autem scribit in prol. ad Lib. Sent. in fin. quæst. 11. *Etsi obicias: Multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum: respondeo tamen, quod non est dubia via salutis, quia a talibus tamquam a periculosis debet sibi homo cavere, & se custodire, ne dum exponit se periculo, incidat in peccatum. Quod si noluerit quaerere salutem; sed non curando exponit se periculo, ubi forte actus de genere suo non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter se si periculo exponendo.* Item in *III. dist. xxv. quæst. 1. §.* Dico tunc. *Sicut in moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, an sit mortale, ut si unus peritus in scientia dicat quod non licet sic mercari, alius dicat, quod licet, tutum non est procedere sic, sed expectare, quousque pateat aliunde. Si enim ita est quod unus Doctor diceret aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret; tum simplex foret perplexus: ideo bene videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur* Iterum in III. dist. xxxvi. *Voluntas enim eligens oppositum alterius recte dictati, non permittit intellectum diu stare in illo recto dictamine, sed avertit ipsum ab illo ad considerandum rationes pro opposito, si quae possent esse sophistica, vel probabiles.* Ex hac via, concludit, cæcitas inducitur *privative, quia avertit a consideratione recta.*

V. P. Philippus Faber celebris Scotista *tract. de pœnit. disp. vi. num. 46.* inquit: *Vult ergo Scotus, quod in rebus dubiis locum habeat labor Doctorum & Expositorum . . . Vult ergo Scotus, quod probabilior opinio in dubiis locum habeat.*

VI. P. Antonius Terillus *cit. quæst. xxii. num. 159.* inquit: *Doctor Subtilis in nullo a communi sententia discrepat . . . Scotus hic laxior est quam nos.* Hic est Terilli genius. Nec mirum, quod pro se Scotum citet, si a se stare Mercorum, Sinnichium, omnesque scribit.

VII. MONALDUS, qui vixit circiter an. 1320. scribit in prolog. Summ. aur. *Opiniones antiquorum Doctorum, & etiam aliquorum modernorum proferuntur, quamvis plura diversimode ab ipsis sint notata, quae inter se varietatem ostendere videantur; non tamen ausus sum scripta tantorum virorum respuere. Sed ea, licet diversa, circa unam & eamdem materiam in praesenti opusculo conscribens, duxi hic discretis lectoribus relinquendum, ut illam opinionem accipiant quae ipsis videtur MAGIS consona rationi: quia non credo posse praeiudicium aliquod erga veritatis sententiam generari, quaecumque accipiatur ex eis, cum qualibet sit a Magistris, & probatis Doctoribus in scriptis authenticis annotata.* Monaldus ergo docet, nullum creari præiudicium veritati, si ex opinionibus a probatis Magistris

ftris confirmatis, accipiatur illa quæ videtur magis confona rationi. *Quis quæso*, inquit Terillus num. 148. *aliud aut prætendit, aut docet?* Quifque veftrum docet, eligi poffe opinionem eam quæ *minus* rationi, & *magis* cupiditati confona eft.

VIII. DURANDUS qui an. 1316. interpretabatur libros Sententiarum in *IV. dift.* XVII. *quæft.* XIII. hæc habet. *Qui fic confitetur, & de facto abfolvitur, tenetur iterum eadem confiteri, & de illis abfolvi. Nec eft dubium, quin hæc opinio fit fecurior. quia confitendo iterato nullum periculum fequitur, fed maxime fecuritas: qui autem omittit iterum confiteri, committit fe dubio, quod eft valde periculofum in his quæ tangunt falutem, vel damnationem animæ.* Et tametfi oppofitam opinionem probabilem iudicet, nihilominus concludit: *Illud tamen quod eft tutius, femper eft tenendum.* Prolixo commentario obfcurare hanc fententiam Terillus nititur *num.* 146. *& feq.* fed fruftra de more.

IX. ASTESANUS vivebat an. 1330. Illum pro fe P. Terillus citat. P. Palanceus fcribit, fe legiffe Librum VI. eiufdem infcriptum *Silva Nuptialis*, ex quo hæc refert num. 2. *Stante opinionum ambiguitate, aut diverfitate, infequenda eft mens legis*. Probabiliftæ dicunt, tum non extare legem. Num. 3. *Opinionum differentium illa fequenda eft quæ eft magis iurium amica.* Num. 7. *Stante opinionum dubietate, ftandum eft faniori, & fanctiori, & pugnandum eft pro veritate.* Ego illum legi in *Summ. Lib. VI. tit.* XLIX. *art.* 1. *pag.* 327. *edit. Rom.* ubi hæc habet. *Si quæratur de verbis in contractibus habitis, aut eft certum quod non confenferint. & tunc aut valet intellectus fecundum unam partem tantum, & tunc fit interpretatio fecundum illam . . . aut valet fecundum intellectum utriufque, & tunc accipiendum illud quod eft VERISIMILIUS, & quod magis convenit iuri.*

X. GUIDO de Monte Rocheni fcripfit circiter an. 1333. Manipulum Curatorum & *Part. III. cap.* VII. circa obligationem confitendi eadem peccata proponit tres fententias, & concludit: *Quæ iftarum opinionum fit melior, & verior, relinquo iudicio meliori, & unufquifque quam voluerit eliget.* Supponit ergo Guido meliorem, & veriorem eligendam effe. Porro quænam *verior* fit, ipfe non indicat, fed iudicium aliis relinquit. Unufquifque fibi eligat quam iudicaverit meliorem, & veriorem. Hic eft genuinus illorum verborum fenfus, quidquid cavilletur Terillus *num.* 137.

XI. ROBERTUS Holcot vixit ufque ad annum 1349. tefte Leandro Alberto. Ex eodem fequentem textum tranfcribit Terillus num. 129. & feq. *Ex dictis inferre poffumus, quod tunc folum proprie, & per fe deferit anima gratiam, quando fcienter facit aliquid per quod æftimat fe gratiam perdere, vel incerta eft fi gratiam perdat . . . Quod fi homo dubius, vel incertus fit, numquid ex commiffione*

ut vel perdat gratiam, vel non, & hoc non obstante committit, vel literam propterea deserit gratiam, quia non zelat pro ea, IMMO OMITTIT, ET RENUIT CONSERVARE GRATIAM EX HOC QUOD VULT FACERE ILLUD de quo INCERTUS EST, si perdat gratiam. Ideo dici potest sic: quod solus ille actus voluntatis ex se est peccatum mortale, quo quis se æstimat gratiam perdere, VEL DUBIUS, vel incertus est, an gratiam perdat. Ex quo sequitur quod, ut aliquid sit peccatum mortale ex se, requiritur ut aliquis existimet gratiam perdere, vel INCERTUS sit, numquid illam perdat. Disput. de imputabilit. peccat. lit. R. Ex hoc textu infert Terillus, Holcot docuisse Probabilismum. Et tamen compertum est, oppositum potius colligi, cum doceat operantem cum incertitudine, orta ex duabus opinionibus, peccare.

XII. IOANNES GERSON, qui vivere desiit an. 1429. hæc scribit. *Exponere se periculo peccati mortalis est peccatum mortale: vel sic, agere incertum, & dimittere certum in materia mortali est peccatum mortale, non solum per conjecturas leves, aut ex suspicione trepida, & scrupulosa proveniente ex nimio timore cadendi in via Dei, sed intelligitur, dum tale est vehementer, & probabiliter incertum æque sicut oppositum. TUNC ENIM ILLUD QUOD AGITUR, NON CAREBIT MORTALI CULPA.* Nihil clarius contra Probabilismum.

XIII. IOANNES NYDER vivebat an. 1440. Scripsit inter alia opera librum nuncupatum *Consolatorium timoratæ conscientiæ*, in quo animabus scrupulis vexatis remedia porrigit. Et quia alia cum infirmis, alia cum sanis ratio tenenda est, ex hoc libro in solamen, ut inscriptio præfert, scrupulosorum composito, plures arripit Terillus textus in favorem Probabilismi. Unum aut alterum transcribam. *Cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicuius opinionis, & secundum eam operari, saltem secluso scandalo, quæ habet pro se notabiles aut NOBILIORES Doctores, dummodo talis opinio non sit contra expressam auctoritatem sacræ Scripturæ, neque contra determinationem Ecclesiæ catholicæ: & dummodo ex contrarietate non inducatur quis ad dubitandum, sed bonam conscientiam, seu fidem sibi formet de PROBABILIORI PARTE, præcipuè ubi quis adhibet diligentiam quærendo, an liceat, nec invenit aliquid quod eum sufficienter moveat, quod sit illicitum* III. Part. cap. 11. Hæc Nyder in illo ipso libro pro convellendis scrupulis composito. Ex præcipuo illius opere in Decalogum nec verbum exscripsit Terillus. Unum solum textum transcribam ego. *In moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando est peccatum mortale: ut si unus dicat expertus in scientia, quod non licet sic mercari, alius dicat, quod sic: tutius est sic non procedere, quousque veritas pateat aliunde ... Securior via tenenda est ... In dubiis enim securior via eligenda est.* In 9. præcep. cap. IV. Quid evidentius? Valeant ergo Terilli fabulæ, quibus obscurare antiquorum sententias solet.

XIV.

XIV. SUMMA ROSELLA, sive P. Ioannes Baptista Trovamala an. 1483. *In dubiis non generatur aliquod praeiudicium veritati, cum inter diversas opiniones a magistris approbatas, illam quis amplectitur quae sibi videtur MAGIS CONSONA RATIONI.*

XV. Thomas Caietanus in *Sum. verbo* Opinio. *In operandis, nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cuiuscumque assumere in regulam operis: quia ex eo ipso quod operatio committitur opinioni, committitur regulae ambiguae: quia opinio omnis ambigua est, utpote cum formidine alterius partis.*

XVI. IOANNES DE TABIA in *Sum. verbo* Opinio. *Quaeritur, quae opinio sit sequenda secundum Canonistas? Respondeo primo, quod in dubiis non generatur aliquod praeiudicium veritati, quando inter diversas opiniones a Doctoribus approbatas illam quis amplectitur quae sibi videtur MAGIS CONSONA RATIONI; idest quae sibi est MAGIS PROBABILIS.*

XVII. CONRADUS floruit circiter an. 1500. *Qui sequitur minus tuta, peccat, quando aut habet probabilem conscientiam, quod ille actus sit mortalis; & dicitur probabilis, ubi plus declinat ad credendum quod sit mortalis, quam quod non sit talis: aut etiam quando habet aequilibrem conscientiam, quod sit mortalis, hoc est aeque credit quod sit mortalis, sicut quod non: aut quando vir doctus adhaeret opinioni iustificanti actum illum, quam ponit contra rationes notabiliter magis pugnantes pro opinione damnante eumdem actum.* Quaest. 100. de contract. Hic ab imis suffossa sunt omnia Probabilismi fundamenta.

XVIII. ADRIANUS VI. anno pariter 1500. floruit. In *quodlibet.* 1. & *in IV. Sent. de rest.* edit. Lugd. fol. 277. *Si una partium sit minus dubia, vel minus peccatum secundum genus mortalis, & venialis, in talibus semper eligere oportet quod securius est, vel minus dispendiosum . . . Si non movetur ad dubitandum, non peccat, eo quod periculo se exponat, licet peccare possit ratione temeritatis, quia suae existimationi nimis innititur. Unde ut perperam, temere, & contra rationis ordinem, dubitantibus his, quos scio limpidius, & clarius videre, tenerem constanter & firme personam a remotis visam esse Petrum, non minus temerarium est, simplicem hominem nullatenus dubitare, ubi doctiores, & praeclarissimos viros noverit in materia varios esse, dubios, perplexos, & cavillare plurimum.* Expressius loquitur in quodlibeto 2. *Iusta statera librandae sunt rationes utriusque partis, ut quae purae rationis acumine inventae fuerint VALIDIORES, ceteris paribus vincant affectum, ut etiam eis obediatur.* Fol. 34. Et inferius: *Nullus opinatur, nisi quod sibi apparet verum, sive magis probabile.* Fol. 41. Audias nunc velim Terillum nostrum sic Mercoro improperantem loc. cit. num. 58. *Mirum ergo est Adrianum a Mercoro contra nos citari, cum certissime nobis faveat.* Nec potes, Terillum aliquem textum Adriani in patrocinium afferre Probabilismi.

XIX. IOANNES MAIOR, Adriano suppar, in IV. Sent. in prolog. quaest. 11.

Teneatur pro doctrina, tamquam esset coelo in silice scripta, quod in via morum modus certior est tenendus. Qui enim se exponit periculo peccati, peccat. Et paullo infra in 3. concl. *In materia morum securior pars est tenenda.* Et tamen hunc quoque, ut fautorem Probabilismi, Terillus intrepide allegat.

XX. CORDUBA 1570. floruit septem annos antequam Probabilismus appareret. Terillus hæc de eodem scribit cit. quæst. XXII. num. 68. *Corduba si rite intelligatur, per omnia nobiscum est.* Hæc frequenter ex Terillo transcribo, ut evidentius ubique pateat illius ingenii festivitas. Textus Cordubæ nunc transcribo ex Quæstionar. Lib. II. quæst. 111. *An sit tutus in conscientia qui sequitur opinionem aliquorum Doctorum qui sibi magis placent, si contingat eos sequendo errare cum eis? Respondeo secundum Conradum, Adrianum, & Maiorem clarius eos resolvendo per tres propositiones sequentes: quarum prima est. Quando opinio probabilior definit quod secundum se a parte rei tutum est, & condemnat oppositum; tunc necessario talis opinio tenenda est. E. g. si communis, aut probabilior opinio tenet pluralitatem beneficiorum, aut non residere in suo Curatu sine causa legitima, aut talem contractum esse illicitum, cum ipsum cum cavere, & oppositum facere sit tutissimum, dicit propositio hæc, talem opinionem esse tenendam, & sequendam. Et in hoc OMNES DOCTORES CONSENTIUNT. Quia agens contra PROBABILIOREM opinionem agit contra rectam rationem: quia agit contra rationem, & auctoritatem, cui renitì non licet. Nam ideo dicitur probabilior, & quia validioribus nititur rationibus, & fundamentis, quibus naturaliter convincitur intellectus, ut uni parti potius quam opposita assentiatur &c. Tum tertio quia aliter agens, temere, & irrationabiliter ageret, dum sine ratione sufficienti eligit partem periculosam minus rationabilem, quam ratio ipsa minus dictat, postposita ea quam magis dictat esse necessario amplectendam &c.*

Quando opiniones sunt, vel creduntur æque probabiles, semper id quod videtur minus malum, & tutius, sequendum est, quando est dubium de peccato mortali. Probatur dupliciter. Quia in dubiis non solum facti, sed etiam iuris, tutior & certior pars est eligenda. Nunc autem qui illas opiniones æque probabiles scit, vel arbitratur, necesse est ut maneat dubius, quænam earum sit vera, & per consequens, an sibi liceat agere quod altera opinio condemnat: æque enim movetur naturaliter intellectus ad assentiendum uni opinioni, sicut alteri habenti æqualia motiva, & æqualem probabilitatem, vel, si non manet dubius, saltem temere, & periculose sine ulla ratione, sed voluntarie, & ex sua affectione adhæret huic vel illi opinioni. Quis sit P. Terillus, collige ex his verbis, quæ habet cit. quæst. XXII. num. 68. pag. 342. de consc. *Inter alios Mercorus citat* Cordubam *contra benignam sententiam. Verum Corduba, si rite intelligatur, per omnia nobiscum sentit.* Quis hunc non colligit P. Terilli genium?

XXI. MARTINUS NAVARRUS, qui e vivis descessit an. 1586. laudatur a Terillo *loc. cit.* pro Probabilismo, cuius hunc textum transcribit. *Regula sectandi tutiora non est praeceptum, sed consilium, paucis casibus demptis.* Qui sunt hi casus? Silet cate Terillus. Nos illos promimus. *Septimo addendum, illud, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, etiam extra casus in quibus id faciendum iura exprimunt, duobus concurrentibus, esse praeceptum. Alterum est, quod casus ille dubius rem non tangat animae saluti necessariam. Alterum, quod res sit vere dubia. Exemplum potest desumi ex D. Thoma quotidianum de illo qui plures praebendas obtinet.* Audistin'? Res vere dubia est, quando inter Doctores in utramque partem disputatur.

XXII. Sed persequamur exscribere doctrinam Navarri *de poenit. disp.* VII. *cap.* Si quis autem *num.* 42. ubi habetur descriptus textus: *num.* 56. sic pergit. *Undecimo infertur resolutio, non solum illum peccare qui in re ad fidem, & mores pertinente, in qua re declaratum est, tutiorem partem eligendam esse, minus tutam eligit, ut dictum in corollario 7. sed etiam eum qui in re adeo sibi dubia, ut neque probabili auctoritate credat alteram partem esse veram, adhaeret illi parti de qua est dubium, an liceat, si saltem potest adhaerere contrariae securae, quia de illa non dubitatur an liceat. Pro quo principalia fundamenta sunt illud Ecclesiastici* III. Qui amat periculum, peribit in illo: *& ratio illa naturalis, qua convincitur quis plus amare Petrum quam Ioannem, qui potens agere, quo utrique sit gratus, agit tamen propter Petri amorem id de quo dubitat, an ex eo sit inimicitiam Ioannis incursurus. Pari ergo ratione qui dubitat, an tali facto sit gratiam Dei amissurus, & facit illud ob sui vel proximi gratiam, plus amare se, vel proximum quam Deum convincitur. Auctoritas principalis in hoc est D. Thomae quodlib.* VIII. *art.* 13. *& Cancellarii Parisiensis II. Part. tit.* 1. *de regulis mor. col.* 2. *ubi exponit illam regulam: Exponens se periculo peccandi mortaliter, mortaliter peccat: & exponens se periculo peccandi venialiter, venialiter peccat: loc. cit. num.* 101.

Iterum Navarrus *loc. cit. num.* 57. & 59. doctrinam datam validius urget, & Probabilistarum cavillos praevenit, ac repellit. *Contra hanc resolutionem*, inquit, *facit primo, quod qui ex causa probabili, & urgenti dubitat, neque debet, neque potest illam dubitatem exuere.* Favet ne Probabilismo Navarrus? Sed persequamur textum. *Duodecimo subinfertur, eum etiam peccare qui facit aliquid quod magis, vel aeque ab ipso putatur esse peccatum, quam non esse: quod asseverat Cancellarius in illo titulo de regul. mor. Immo peccat qui facit aliquid quod opinatur non esse peccatum; hoc est, magis inclinat in eam partem, quod non sit peccatum, quam in contrariam, cum formidine tamen quod altera pars sit vera, & ita non credit certo non esse peccatum. Probatur primo: quia eadem videtur omni-*

ne ratio. Nam ratio principalis, quare qui dubitat, an aliquid sit peccatum, & nihilominus illud facit, peccat, est, quia periculo se peccandi exponit, ut dictum est in corollario II. *num.* 4. *Sed qui opinatur aliquid non esse peccatum, cum tamen certo ita non credat ita esse, immo timet & formidat illicitum esse, periculo se peccandi exponit, animi sui conceptu attento. Igitur eadem ratio: ergo idem ius. Secundo probatur per illud Thomæ quodlib.* VIII. *art.* 13. *Ex quo manifeste videtur, quod iuxta B. Thomæ sententiam, quamvis magis credat, vel existimet partem quam sequitur, esse veram, si nihilominus ob contrariam opinionem aliqua dubitatione moveatur, non licet sibi propter discrimen hoc operari, supposito etiam quod nullum sit discrimen a parte rei, sed veritas. Tertio confirmatur hoc similitudine illa, qua medicus qui magis æstimaret ægroto vinum mortem inferre non posse, at propter alteram contrariam opinionem dubitat, & nihilominus, ut illud experiatur, vinum ægroto propinat, & ob hoc ille moriatur, peccat, non alia ratione, quam quod ægrotum periculo mortis exposuit . . . Ergo non licet agere partem quæ magis æstimetur vera, quando formidamus ne alia quoque pars vera sit, sed oportet certo credere id licere, quo a peccato excusemur. Facit quod in probabilibus dubiis quælibet pars est verisimilis, sicut & probabilis; licet altera pars sit probabilior, & verisimilior: ergo qui agit quod probabilius est, cum formidine tamen, & timore deliberato, quod pars contraria vera sit, probabili ac verisimili periculo peccandi se exponit. Ergo peccat.* Non modo a Probabilismo Navarrus abhorret; sed insuper merito vult non quamlibet maiorem probabilitatem sufficere in dubiis probabilibus, sed magnam requirit, quæ prudentem timorem excludat: alioquin tutius, quod magis a peccandi periculo abest, amplectendum est.

XXIII. SYLVESTER DE PRIERO, seu PRIERAI floruit circiter an. 1570. Hunc Theologum gravissimum fatetur vel ipse P. Thomas Sanchez refutare Probabilismum cum Conrado, & Cordube. Contra Terillus noster *loc. cit. num.* 53. inquit. *Sylvester per omnia nobiscum sentit.* Terillo concinit P. Stephanus de Champs, Scriptor alioquin gravis, *quæst. facti cap.* V. Verum textum Sylvestri exscribamus. *Dubium contrariarum est rationum æqualitas. Unde proprie homo dubitat de aliquo, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter moventes, ita quod non inclinatur ad hoc magis quam ad aliud notabiliter . . . In dubiis tutior pars est eligenda. Dubium est duplex. Scilicet probabile, cum scilicet rationes probabiles ad utramque partem sunt quasi æquales & scrupulosum, quando quis scilicet ex levi suspicione timet alicubi esse peccatum. Scrupulosum dubium ad consilium boni viri est deponendum secundum omnes Doctores; & idem est, si dubitatur, an sit scrupulosus, nec ne. DUBIUM AUTEM PROBABILE est de quo dictum illud, seu regula intelligitur* (In dubiis tutior pars

pars est eligenda) *& secundum Archidiaconum peccatum grave est tali dubio se exponere, ubi est dubium de mortali. Et secundum Panormitanum in cap.* de sponf. *in DUBIIS, scilicet PROBABILIBUS, ubi versatur periculum animæ, SEMPER TUTIOR PARS EST ELIGENDA, & quod tutius est, tenendum. Et tamen intellige, quod si opinio securior sit minus probabilis notabiliter, non est eligenda necessario: quia jam cessat ratio dubii. Si tamen probabilitas hinc inde esset æqualis, TUTIOR ELIGENDA EST NECESSARIO, quando ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis. quia tunc est verum illud Ecclesiastici* III. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Verb. *Dub. 2. quæritur.* Hæc est sententia Sylvestri, Archidiaconi, Panormitani, & juxta Sanchez, Vasquez, Dianam, Amicum, omnium antiquorum.

XXIV. DOMINICUS SOTO extremum diem obiit anno 1560. Hic, inquit Terillus *loc. cit. num.* 35. expresse tradit benignam sententiam. Sed audiamus Sotum ipsum, qui *Lib. III. de just quæst.* VI. *art.* 5. *ad* 4. hæc habet. *Imprimis igitur necessarium est semper sententiæ secundum PROBABILIOREM opinionem subscribere, etiamsi altera sit probabilis. In speculabilibus namque scholarum disputationibus nullum inde conflatur periculum, quod quisquam minus probabilia ingenii gratia defendat. In practicis vero, quia aliena jura respiciunt, nefas est judici infirmiorem partem sectari; sicut & medico in practica, ex qua salus pendet infirmi. Et MULTO MAGIS THEOLOGO in his quæ sunt fidei.* Addit, judicem posse, quando pariles sunt rationes, sequi aut unam, aut alteram, prout circumstantiarum varietas unam præ altera probabiliorem repræsentaverit. *Ubi pariles esse omnino contigerit opiniones, non est apertum scelus, nunc unam, nunc alteram opinionem amplecti; VIX tamen carere potest scandalo. In his autem CUNCTIS vigilanter cavendum est ne vel amicitia, vel quicumque alius affectus caliginem intellectus effundat, ut eam opinionem PROBABILIOREM judicet quam pro sua libidine mallet.* Extra disputationis aleam constitutum supponit Sotus, *probabiliorem* opinionem amplectendam esse. Admonet dumtaxat evigilandum, nitendumque esse ne occulta aliqua inclinatio caliginem menti offundat, ut frequentissime evenit, (hinc enim opinionum varietas) judicetque, eam esse probabiliorem opinionem quæ magis carni & sanguini arridet.

CAPUT VI

Incredibilia paradoxa PP. Antonii Terilli, Claudii La-Croix, *aliorumque Probabilistarum, Terillum sequentium. Fabella, quod Antiprobabilismus sit Iansenismi filius. P. Ignatius de Camargo hac impostura injuste vexatus.*

I. P. Antonii Terilli nonnulla paradoxa monstrosa, & vix homini sana prædito mente credibilia, idcirco convellenda suscipio, quod iste sit Probabilistarum reflexistarum facile Princeps, quem posteriores Probabilistæ ceu ducem sequuntur, ut videbimus. Terillus autem post allegatos Auctores omnes, quos duobus superioribus capitibus retuli, hæc scribit cit. quæst. XXII. num. 113. pag. 358. *Atque hic provoco adversarios, ut vel unum ex antiquis afferant, qui unanimem hanc Gersonis, Nyder, S. Antonini, Conradi, Sylvestri, aliorumque sententiam ex professo impugnarit. Si aliquem invenerint, fatebor rigidam sententiam esse Iansenismo antiquiorem, a priscis agitatam, & ab aliquibus saltem approbatam. Quod si neminem invenerint (certum autem est, eos neminem reperturos) desinant in meridiana luce cæcutire, & aperta veritate convicti tandem fateantur, benignam sententiam semper in Ecclesia viguisse, rigidam vero ante Iansenismum numquam fuisse auditam.*

II. Parcendum homini esset, nisi tres celebres Iesuitæ, illi ipsi comperti, ex instituto Probabilismum refutassent, antequam in mundum oriretur Iansenismus, nempe *Comitolus*, *Rebellus*, *Blancus*: illi an. 1608. & 1609. iste an. 1642. Probabilistæ ipsi falsitatis manifestæ in quæstione facti Terillum revincunt.

III. Gabriel Vasquez Probabilista 1. 2. *disp.* LXII. *cap.* 1. & 2. testatur, Henricum Gandavensem, Caietanum, Sylvestrum, Cagnazzium, Trovamala, Angelum Probabilismum aperte reiicere. Deinde hæc subdit: *Ex quibus colligi videtur, in ea sententia ipsum fuisse* (Navarrum) *ceterosque Summistas, ut assererent, probabiliorem opinionem esse amplectendam .... Cum quibus in hac sententia EXPRESSE consentit D. Antoninus.* Adiicitque *Cordubam*, *Adrianum*, *Conradum*. In Probabilismi patrocinium laudat solum *Medinam*.

IV. Ludovicus Lopez, Probabilista Vasquezio suppar, hæc scribit in Instruct. cap. CXX. *Scio, COMMUNEM esse sententiam Soti, Cordubæ, Caietani, Conradi, & Navarri, non satis esse probabilem opinionem sequi, sed PROBABILIOREM esse sequendam.*

V. P. D. Antoninus Diana Probabilista hos laudat adversus Probabilismum Tom. VIII.

VIII. resol. 1. *Antonium Perez, Comitolum, & ante illos Gabrielem, D. Antoninum, & ex Thomistis Sylvestrum, Caietanum, Conradum, Sotum, & alios.*

VI. P. Thomas Sanchez Probabilista Iesuita in *Decal. Lib. I. cap.* IX. *num.* 13. contra Probabilismum pugnare sequentes Auctores scribit his verbis. *Ita docent Gabriel, D. Antoninus, Sylvester, Conradus, Navarrus, Corduba.* Neminem vero Medina antiquiorem citat pro sua sententia.

VII. P. Franciscus Amicus Probabilista Iesuita scribit Tom. III. disp. XV. num. 75. *OMNES fere antiquos Theologos negare, licitum esse operari secundum sententiam minus tutam & simul minus probabilem: semperque ad licite operandum ex sententia minus tuta exigere ut illa sit probabilior.* Similia docent Castropalaus, Ioannes Sanchez, aliique.

VIII. Laudati Auctores, exceptis Lopez, & Diana, sunt Iesuitæ, antiquiores Terillo, & Iansenismo. Ergo ipsorum præcipuorum Probabilistarum testimonio P. Terillus fabulas divendit, & in quæstione facti gravissime imperitis imponit, fucumque facit. Quid quod Terillus sibi ipsi contradicit? Inquit enim in eadem quæst. XXII. num. 40. pag 332. *Sunt, fateor, plures ex antiquis qui expresse dicant hominem, ut excusetur, debere sectari vel tutiora, vel probabiliora.* Ut autem istorum doctrinam obnubat, subdit, eos loqui non de probabilitate directa, sed reflexa, se tenente *ex parte actus hominis operantis.* Sed eiusmodi futiles cavillationes indignæ refutatione sunt. Ubi in antiquioribus Theologis vestigium, aut vola aliqua chimærici huius Probabilismi reflexi?

IX. Sed audiamus iterum Terillum in suo Iansenismo argutantem, & monstra promentem: sic enim scribit cit. quæst. XXII. num. 181. pag. 381. *Certum est opinionem oppositam in scholis usque ad Iansenium fuisse inauditam. Et audacter dico* (non minori sane opus audacia erat ad similia scribenda) *nullum Theologum, nullumve Casuistam ullius famæ in Ecclesia catholica usque ad illa tempora viguisse, qui aut expresse, & signate, aut certe exercite, & in particulari non tradiderit benignam sententiam ut sufficientem conscientiæ regulam.* Patentius se exprimit in præfat. ad *regul. mor.* inquiens *Itaque hæc adversariorum sententia una cum Iansenismo orta est. Immo aliam matrem non agnoscit quam hæresim Iansenianam.* Hanc putidissimam fabulam transcripsit Terilli discipulus P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 293. *pag.* 27. & 28. Mirum est homines conscientiæ sibi non vertere in re gravissima tam immanes imposturas evulgare, imperitosque decipere. Sanctum suppono animum, sanctam intentionem; sed quæ in libris occurrunt, nec sancta, nec vera sunt.

X. His imposturis non solum lectores deserunt sanam doctrinam, quam audiunt matrem habere hæresim Iansenianam; sed piissimos Catholicos vexant, & ut hæresis suspectos accusant. Quas vexationes, quas persecutiones passus non est

doctissimus, & piissimus P. Ignatius de Camargo? Nonne sæpius ad sacra tribunalia, ut hæresis fuligine tinctus, delatus fuit? En illius verba Lib. II. contr. IV. art. 8. §. 9. num. 575. *Adeo misero & infelici sæculo vivimus, ut qui illam* (minus probabilem opinionem) *pro viribus refellimus, haud semel apud iudices, & tribunalia fidei delati, ac diffamati simus, frustra tamen, propitio Deo, ut homines suspectæ doctrinæ, qui scilicet velimus in Hispaniam Iansenismi pestem invehere. Porro benigni Theologi Iansenismum sapere dicunt, docere, quod possimus peccatum formale timere, ubi putamus minime nos peccare. Sic hodie errores dogmata theologica, & dogmata reputantur errores. Quod neque doleremus, neque meminissemus* (*cum gaudii potius magni iuxta doctrinam Domini materia sit*) *nisi doctrinam tangeret veritatis, cuius infamiam pati non possumus citra christiani populi scandalum.* Calamitates, quibus sapientissimus P. Michael Elizalde obnoxius fuit, modeste indicat ipse pluribus in locis, in præf. ad II. Part. *Non in doctrinam*, inquit, *certe bonam, non in alios ullos, in me unum, & peccata mea totum refero.* Hæc tamen enormis Iansenismi calumnia est, quæ extorsit lamentationem III. Part. Lib. VII. quæst. V. §. 4. pag. 29. *Ergo via nostra non plus de Iansenismo habet quam habent ipsa præcepta Dei. Quare quod esse nequit, aut Deus Iansenista est, impossibilia præcipiendo, aut nos Iansenistæ non sumus, solas veras doctrinas regulam vivendi constituendo.* Epistolas quas P. De la Quintenise dedit ad SS. Pontificem Innocentium XI. penes me habeo, illasque, quia non editas, nec publicas, occultas volo. Nil tamen mali continent præter iniurias latas ob probabilioris doctrinæ propugnationem.

CAPUT VII.

Plura alia paradoxa PP. La-Croix, Terilli, *aliorumque Probabilistarum in Auctorum censu quem pro se texunt. Terillum nullius esse auctoritatis in hac caussa, nec illos qui eumdem sequuntur, eiusdem Terilli doctrina evincitur.*

I. P. Claudius La-Croix, commentator Busembau, & P. Terilli assecla, ad numerum Auctorum faventium Probabilismo quod attinet, fabulas Terilli fideliter exscripsit. Inquit enim La-Croix Lib. I. num. 269. pag. 25. *Quod ad Auctores attinet certos, & agentes hac de re propriis terminis, singulis Theologis partis contrariæ respondet DECAS ut minimum Theologorum pro parte nostra, idque iuxta supputationem ipsorum adversariorum. Terillus in Reg. quæst.* XXXVIII. *num. 33. dicit, pro hac sententia esse 40. ubi pro opposita unus.* Quin addit P. Terillus

loc.

loc. cit. pag. 339. *Praeterea ex adversariis OMNES ferme decepti sunt in intelligendo sensu opinionis quam impugnarunt ; ideoque reipsa nobis non contrariantur.* Hæc surda aure prætereunda, ne in convellendis dicteriis operam ludamus. Duos Auctorum catalogos Terillus format, alterum textum a Iulio Mercoro, estque huiusmodi.

II. Alvarez, Aversa, Ariaga, Aragon, Azorius, Bannez, Baldellus, Bardi, Barbosa, Bonacina, Bresserus, Candidus, Coninch, Comeus, Diana, Escobar, Lugo, Filiucius, Gordonius, Granadus, Guttierrez, Henriquez, Layman, Lessius, Ledesma, Lezana, Larea, Lopez, Maldero, Martinez, Medina, Montesinus, Merula, Naldus, Oviedus, Pontius, Petrus Navarrus, Portel, Rodriquez, Sayrus, Salon, Suarez, Sa, Spinula, Sanchez, Santarellus, Tannerus, Vasquez, Viguerius, Villalobos, Valentia.

III. Alterum catalogum componit Terillus ipse, sequentesque Auctores allegat, Sotum, Fabrum, Bosium, Esparza, *Pallavicinum*, Sylvium, Pontium, Ferrerium, Lugo, Gammacheum, Fragosum, Ioannem Medinam, Pesantium, Toletum, Caramuelem, Milard, Chapeaville, Curiel, Fabrum, Ioannem a S. Thoma, Tamburinum, Cottonium, Bernardinum, Possevinum, Præpositum, Turrianum, Cabrera, Mendum, Pellizarium, Petrum a S. Ioseph, Clarum, Herinx, Velascum, Brancatium, Ledesmam, Galliego, Rua, Ildephonsum, Martinez, Pasqualigo, Hallo, Perez, Guimenium, Mascarenam, Marchinum, Villar, Rocafull, Vernuel, La Crux, Gallo, Manzium, Texeda, Samuelium, Possentium, Soria, Cutellium, Larea, Fagundez, Machado, Trullench, Vallerium, Zerolla, Isambert, Bail, Nazarium, Caberudum, Blanchis, Hacquetum, Beia, Urbanum, Corniolanum, Gesualdum, Raggium, Leandrum, Vidal, Lanfrancum, De Bonis, Gargia, Ochagavia, Solerzanum, Carbo, Zeccum, Mercerum, Gaugericum, Iustinianum Caspensem, Lao, Homem.

IV. *Paradoxon I.* Expleto elencho, hæc scribit Terillus cit. quæst. XXII. num. 17. pag. 325. *Quid opus est plures congerere, cum ipsi adversarii unanimiter fateantur, Theologos ferme omnes, atque etiam Iuristas nobiscum sentire ?* Qui sunt hi qui hoc asserant. Ab anno 1620. usque ad annum 1656. Casuistas plurimos Probabilismum docuisse nemo inficiatur. Verum absoluta Terilli assertio paradoxon est inauditum.

V. Paradoxon II. *Præter hos ergo innumerabilis adhuc multitudo superest eorum qui in expressis terminis benignæ sententiæ subscribunt. IMMO AUDACTER DICO, NEMINEM qui multum de Morali tractavit, inveniri qui eam veram esse non supponat*, cit. quæst. XXII. num. 18.

VI. Paradoxon III. *Sianchius magna ex parte nobiscum est*, loc. cit. num. 12. pag. 324.

VII.

VII. Paradoxon IV. *Nihilominus audacter dico*, Mercorum *in praxi nostrae sententiae adhaerere*. Ibidem num. 34. pag. 330.

VIII. Paradoxon V. *Sed quis quaeso adversariorum universaliter suam sententiam in praxi sectatur? Audacter dico, NEMO. Percurrant, quas velint, Summas casuum, & ante oculos ponant omnes sententias strictiores, non quidem certas, sed tantum probabiles. Tum in vitam singulorum inquirant, & procul dubio invenient eos multa fecisse, & factitare quae solum probabiliter sunt licita; atque ipsi, si conscientiam examinent, verum esse invenient. Atqui haec praesumptio est eos interius non sentire QUOD EXTERIUS PROFITENTUR: alioquin essent homines impii.* Audistin' hominem benignissimum?

IX. Porro, ut evincatur, Terillum nullius esse in hac caussa auctoritatis, sicuti nec alios qui eumdem sequuntur, argumentum in sequentes breves §§. tribuo, claritatis gratia.

§. I.

Textus Terilli transcribitur, quo ille ipse declarat, innumeros Probabilistas satanae fraude deceptos laxa docuisse.

I. ORO lectorem ut quae descripturus ex Terillo sum, serio commeditetur. Alibi hunc textum descripsi, verum, ut iterum eum sub oculos reducam, argumenti ratio postulat. Scribit ergo Terillus in *prolog. ad tract. de consc.* quae sequuntur. „ Fuerunt vero ex *recentioribus* non pauci qui levissimis ratiun„ culis ducti, *antiquorum Theologorum in opinando severitatem* non modo clam „ carpere, sed palam ausi sunt suis scriptis condemnare. Quod enim priores do„ ctiores, ac severiores Theologi unanimi sententia damnabant ut malum, recen„ tiores isti, *ausu plane temerario*, pro bono, & honesto venditare non erubue„ runt. Cum enim *plus aequo famae*, *vanaeque* de sua doctrina *existimationis* es„ sent cupidi, mirum est, quo ardore, atque animi contentione ad scripta sua „ typis mandanda incubuerint. Nullus annus elabi poterat, quem ingens libro„ rum recenter editorum multitudo suorum natalium annum in fronte notatum „ non praeferret. UNIVERSALIS hic scribendi pruritus in nulla materia, quam „ in RE MORALI, lamentabilius grassatus est. INNUMERABILES sunt qui a „ xxx. annis Summis casuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas im„ pleverunt. Quid autem facerent, *ut ad famam, quam aucupabantur*, perveni„ rent? Non satis illis visum est, si ab aliis dicta, novo ordine, novaque me„ thodo, & ad legentium captum faciliori digesta (quod tamen laude dignum „ fuisset) vulgarent. Ergo ad *nova* promenda animosiores effecti, *in opinioni*-

„ *la-*

„ *laxiores* oculos, animumque conjecerunt, *gnari eas præ omnibus* rudiori le- „ gentium *vulgo miram placituras*. Verum, ne propter apertam ab UNANIMI „ ANTIQUORUM opinione defectionem temeritatis arguerentur, coeperunt ra- „ tiones aliquas excogitare, quibus & suum a maioribus recessum honestarent, „ & apud imperitum vulgus de suæ sententiæ veritate plausum aliquem obtine- „ rent. Hi ergo, dum animo, ut in istis fieri solet, pro veritatis indagatione „ minus bene disposito, ad confirmanda prurientis ingenii commenta incumbe- „ rent, quidquid vel minimam veritatis speciem præferebat, avidiore animo ar- „ ripuisse, atque in illo sibi mire complacuisse noscuntur. “

II. Parumper textum interrumpamus. Prævidit Terillus, plures sibi opposito- ros, Auctores quos carpit, homines fuisse probos, egregiosque. Quare sic resu- mit sermonem suum. „ Vidi ego ex his recentioribus nonnullos viros, *cæteroquin* „ *egregios*, qui, cum in rebus summi momenti, ad Dei legem, & conscientiæ ob- „ ligationem pertinentibus, ab unanimi omnium sententia ad intolerabilem opi- „ nandi laxitatem declinassent, aliud tamen, quo moverentur, quam argumentum „ a simili ductum, non habebant. VIDI, ET EXHORRUI. Quis enim non hor- „ reret, Dei præceptum ab omnibus prius agnitum, solidissimisque argumentis „ comprobatum, tam frivolo argumento a legis divinæ, & ecclesiasticæ tabulis „ non *minus impudenter* quam imprudenter eradi! Neque hic stetit *quorumdam* „ *audacia*. Plurimi enim, etsi doctrina longe inferiores, similem quoque agendi „ modum sibi licitum existimantes, ex *laxis resolutionibus ad alias laxiores* iter „ sibi, rectius dixerim, & sibi, *& aliis præcipitium aperuerunt*: (N. B.) atque „ ita brevi effectum est ut plures laxitates, vere non ferendæ, in oculos legen- „ tium non sine plurimorum scandalo frequenter incurrerent. Nec defuere qui „ laudi sibi verterent laxiores sententias in unum colligere, easque, tamquam „ legitimas conscientiæ regulas, *sub specioso probabilitatis tegmine* venditare. „ Cum enim apud Auctores, jam in ore vulgi ob suam laxitatem celebres, re- „ solutionem aliquam invenissent, illico eam pro vere probabili habuerunt. Le- „ gerant enim apud gravissimos Scriptores, unius Doctoris auctoritatem ad pro- „ babilitatem suis dictis asserendam sufficere; & rationibus efficacissimis ducti, „ *& unanimi Theologorum auctoritate edocti*, *nullatenus* dubitabant. Unde factum „ est ut quascumque opiniones, expresse ab Ecclesia non condemnatas, apud „ quemcumque reperissent, eas pro vere probabilibus & ipsi haberent, & aliis „ pro regula ad conscientiæ tranquillitatem opportuna traderent. IMMO IN- „ CREDIBILE NON EST EOS SUBTILI SATANAE INSINUATIONE DE- „ CEPTOS sub humanitatis cujusdam lenocinio, *mutuique honoris specie* quibus- „ vis aliorum dictis probabilitatem ideo attribuisse, ut quam ipsi prærogativam „ prioribus ultro dedissent, eam ipsis posteriores non inviderent. Hac arte dolo-

„ sus

„ sus inimicus, postquam doctiores, qui & sibi invigilare, & aliis prospicere de-
„ buerant, *prægustato plausu amplioris famæ per laxarum opinionum vulgationem*
„ *sibi certo acquirendæ fascinasset*, *per eos nimis incautos in campo moralis Theo-*
„ *logiæ optimo severarum opinionum tritico abunde sato* detestanda laxitatis ziza-
„ nia superseminavit, & abiit. Conscius quippe erat, ea absque boni tritici ia-
„ ctura numquam evellenda. Certam proinde sibi gratulatus est victoriam, quia
„ norat se humana industria vix impediri posse quo minus sui voti compos fie-
„ ret. Quid enim? Tolerandæ erant *scandalosæ laxitatis opiniones nocivæ?* At
„ hoc ipsum erat quod omni cura, ut fieret, conabatur. Quid ergo? Eradican-
„ dæ erant non tam emergentes gemmæ, quam adultæ, vinculatæque cum triti-
„ co zizaniorum herbæ? At id absque tritici iactura, idest absque sinceræ veri-
„ tatis radicitus non tam convellendæ, quam evellendæ periculo fieri haudqua-
„ quam posse non immerito gloriabatur.

„ Hæc sunt quæ a multis annis dolens perspexi, quando primum *viros magni*
„ *sed effrenis ingenii*, *fractis severæ*, *iustæque moderationis habenis ad laxe opinan-*
„ *dum*, quasi calcaribus adactos, præcipitanter cucurrisse, & adhuc currere ani-
„ madvertebam."

III. Plurima hic habet Terillus, quæ infra expendemus. Unum & alterum hic adnotabo. Primum est, INNUMERABILES istos Theologos, qui, amplificandæ famæ prægustato plausu, & *satanæ* insinuatione decepti, scandala laxitatis multiplicarunt, non sibi tantum, sed aliis quoque *præcipitium* aperuisse: quod summopere perpendendum est. Nam posteriores Probabilistæ auctoritate præcedentium scripserunt: illos se secutos esse gloriantur. Ergo, si a via veritatis aberrarunt illi, & posteriores aberraverint oportet. Alterum, *viros magni ingenii*, *fractis iustæ moderationis habenis*, viam latam, & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, cucurrisse, Terillus luget. Qui sunt hi viri magni, & *effrenis ingenii*, qui laxitatis iurisdictionem amplificarunt? Sunt iuxta Fabrum *Caramuel*, *Diana*, *Pasqualigus*, & similes. At Terillus hos Auctores magnifacit, exaltat, & ut magistros laudat. Ex his qui Cursum Theologiæ moralis probabilisticæ edidere, vix est qui laudatis possit anteferri: & tamen hi sunt qui laxius scripserunt. Si cum ipsis de palma Leander a SS. Sacramento contendere potest; iure sibi eam vendicare nequit. Hæc pauca delibasse nunc sufficiat; sequentibus vero §§. res tota innotescet.

§. IV.

§. II.

INNUMERABILES Probabilistæ, qui iuxta P. Antonium Terillum *spiritu falsitatis, & ambitionis decepti laxas opiniones evulgarunt, omnes ingrediuntur elenchum Auctorum formatum ab eodem* P. Antonio Terillo. *Evidenti demonstratione evincitur nullius esse Doctores istos auctoritatis.*

I. P*Rima propositio*. Iuxta Terillum INNUMERABILES Theologi recentiores ab anno circiter 1630. ad annum usque 1660. in campo moralis Theologiæ laxarum opinionum zizania seminarunt, ut apud indoctum vulgus plausum vanæ existimationis, & popularis auræ sibi compararent.

II. *Secunda propositio*. Huiusmodi omnes Probabilistæ sunt, componuntque *elenchum* Auctorum quos Terillus ut defensores Probabilismi citat. Ergo, Terillo iudice, *innumerabiles*, idest fere omnes, delendi sunt ab eiusdem elencho.

III. Primam propositionem evinco verbis ipsius Terilli inquientis. *INNUMERABILES sunt qui a xxx. annis Summis casuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas impleverunt. Cum enim plus æquo famæ, vanæque de sua doctrina existimationis essent cupidi, ad nova promenda animosiores effecti, in opiniones laxiores oculos coniecerunt. Ex laxis resolutionibus ad alias laxiores, & alias, & sibi præcipitium aperuerunt. Nec defuere qui laudi sibi verterent laxiores sententias in unum colligere. Immo incredibile non est, eos subtili SATANAE insinuatione deceptos. Hac arte dolosus inimicus, postquam DOCTIORES, prægustato plausu amplioris famæ, per laxarum opinionum evulgationem sibi certo acquirendæ, fascinasset, per eos in campo moralis Theologiæ detestanda laxitatis zizania superseminavit.*

IV. Secundam propositionem, videlicet, innumerabiles præfatos Theologos omnes esse Probabilistas, verbis pariter eiusdem Terilli evinco. Inquit enim cit. tract. quæst. CCXXIII. *Certum enim est omnes omnino Doctores totius Ecclesiæ, præter unum Comitolum, qui in re ab aliis non discrepat, iam a centum & amplius annis in terminis expressis tradidisse benignam sententiam*. Ergo evidens est, hac clausula *Omnes Doctores totius Ecclesiæ* includi *innumerabiles* illos qui ab anno 1577. ad annum usque 1660. scripserunt in re morali. Sed istorum innumerabiles fuerunt iuxta Terillum spiritu Satanæ decepti. Ergo Probabilismus magna ex parte a Satana proficiscitur.

V. Illustratur demonstratio. Facti veritas est manifestissima, omnes ad unum Theologos probabilistas, qui usque ad sua tempora scripsere, suo inseruisse Teril-

lum

lum elencho. Si quem casu omisit, id evenit, quod illius mentem fugerit. Porrius. Iuxta Terillum, *Satanas* doctiores dementavit. *Hac arte dolosus inimicus postquam DOCTIORES fascinasset* &c. Quis dixerit, Terillum *Doctores* Probabilistarum suo non inseruisse elencho? Semidocti, & vulgares Casuistæ, seu *Summularii*, secuti doctiores sunt. Ergo hi ab illis, & illi a doloso inimico, Terillo teste, decepti fuerunt. Ergo omnes Probabilistæ delendi sunt ab elencho Auctorum quos obtrudunt *Terillus*, *Ardeskin*, *La-Croix*, ceterique Probabilistæ. Urgeo iterum. DOCTIORES, qui Probabilismum amplificarunt, quique laxiores, & scandali plenas opiniones docuerunt, sunt Caramuel in Apologia damnatus, Pasqualigus in pluribus prohibitus, Ioannes Sanchez prohibitus, Moya prohibitus, Marcus Vidal prohibitus, Diana, Tamburinus, Baunius, Leander, Escobarius, Castropalaus, aliique similes. Hi omnes laudantur a Terillo. Oro nunc Probabilistas, ut designent nobis Doctores inter ipsos doctiores, qui præ laudatis laxius scripserint. Terillus in laudato *prologo* testatur, Theologos laxarum opinionum inventores scripta sua typis mandasse. *Mirum est quo ardore ad scripta sua typis mandanda incubuerint*. Cedo: inter libros typis editos a *doctioribus* Probabilistis, qui sunt in quibus laxiores reperiantur opiniones, & non sint a Terillo laudati? Ergo, Terillo iudice, nullius omnino sunt auctoritatis Doctores quos citant Terillus, Ardeskin, La-Croix, Viva, aliique. Nam doctiores secundum P. Antonium Terillum decepti fuerunt *Satanæ* insinuatione, & mundanæ famæ plausu. Vulgares vero Casuistæ, ut oves, & aves secuti sunt doctiores inter ipsos.

§. III.

Alia evidenti demonstratione evincitur, nec Terillum, nec eiusdem doctrinæ asseclas quidquam in hac caussa auctoritatis habere.

I. Illi Auctores nullius sunt in re morali auctoritatis secundum Terillum, qui student legis obligationem extenuare, & diminuere. Nemo hactenus tantum vim legum extenuavit, quantum Terillus. Ergo nulla illius, eiusdemque sequacium auctoritas.

II. Evinco primam propositionem verbis eiusdem Terilli, qui in *cit. tract. quæst.* VI. *num.* 44. *pag.* 94. hæc scribit. „ Ad hanc classem accedunt ii qui, nescio qua de causa inducti, toti in eo laborant ut rationes inveniant *ad obligationes aut tol-„ lendas, aut minuendas*. Hi enim cum debita animi dispositione ad veritatem in-„ vestigandam non accedunt, quia ex industria in omnibus latissimam viam ini-„ re conantur: atque, dum laxiorem viam sua auctoritate conantur stabilire, si-„ bimetipsis obstant; illudque quod prætendunt, non modo non assequuntur, sed

„ illi

„ illi obsistendo potius obicem ponunt. Efficiunt enim *ut ex sua ipsorum aucto-*
„ *tate nulla probabilitatis accessio parti cui favent, accedat, cum ansam dent præ-*
„ *sumptionibus, quod ob affectum in unam partem indebite propensum in suis discur-*
„ *sibus non, ut virum prudentem decet, conclusionem elicuerint, rationesque pro par-*
„ *te opposita, ut decet, examinaverint.* Atque ita fit ut apud sinceros rerum æsti-
„ matores *propria eorum auctoritas vilescat*, quodque in omni deliberatione quam
„ inordinatus affectus regulat, *ut moris est*, evenit, ut medium quod auctoritati
„ acquirendæ opportunum credebant, *eidem aut perdendæ, aut diminuendæ causam*
„ *præbeant.* Quocirca si tales viri aliquid singulare afferant, maxime vero con-
„ tra sententiam, aut sensum communem, non illico censeri poterit certo proba-
„ bile. Si vero aliquid cum aliis affirment, id eum quidem gradum probabilita-
„ tis habebit quem a priorum asserentium auctoritate habuerant, *sed ab illius au-*
„ *ctoritate probabilitas illa vix ullum incrementum accipiet*, nisi forte pro casu ra-
„ ro, *quo arctiorem sententiam amplecteretur*, aut aliunde constaret eum nulla pas-
„ sione vehementi impeditum suam sententiam protulisse. Neque vero ex *moder-*
„ *nis casuum Scriptoribus, & Collectoribus desunt aliqui*, quibus hæc nota inuri
„ posse videtur, ut ex eorum libris, & modo discurrendi, ac procedendi apparet:
„ qui proinde parvam suis dictis auctoritatem conciliant. *Novi etiam ingeniosos*
„ *Theologiæ magistros, qui sibi laudi vertebant ad laxiorem in rebus moralibus sen-*
„ *tentiam propendere, eamque defendere.* "

III. Evinco secundam propositionem verbis pariter eiusdem Terilli. Theologorum nemo plus detrahit legibus divinis iurique naturæ quam qui hæc duo ponit principia. Primum: *Nulla lex quæ in utramque partem a Theologis disputatur, obligat*. Alterum: *In legibus divinis, & humanis controversis libertatis humanæ possessio prævalet.* Nihil sane laxius quisquam Theologorum excogitavit. Hæc duo principia constituit Terillus, ut capitalia sui systematis. Ergo Terillus omnes alios Theologos in diminuendis legum divinarum obligationibus superat. En verba Terilli loc. cit. quæst. XXIII. num. 14. pag. 411. *Nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgetur. At quoties rationes adsunt probabiliter arguentes, partem minus tutam esse licitam, impossibile est legem præcipientem partem tutiorem esse sufficienter promulgatam. Ergo impossibile est illam legem obligare quemquam, quamdiu probabile est partem oppositam non esse prohibitam.* Hoc est primum potissimumque Terilli, & ceterorum Probabilistarum fundamentum. Alterum quoque principium, quod propugnant *cit. quæst.* XXIII. *num. 46. & quæst.* XXVI. capitale est; nempe, in legibus dubiis prævalere libertatis possessionem. Hæc sunt illius verba *Evidens est voluntatem esse sui iuris. Ratione huius dominii voluntas ex naturali sua conditionis excellentia est in plenissima possessione dominii . . . Ergo, donec pari certitudine constet, legem aliquam, restringentem dominium naturale, eiusque usum existere, non tenetur homo talem legem admit-*

mittere. Ecce regula illa iuris · In dubio melior est conditio possidentis. *Non solum ad æqualitatem, sed cum manifesto excessu potiorem locum tenet in voluntate relate ad omnem materiam . . . Atque hinc efficacissime confirmatur ratio quarta, in qua diximus, legem dubiam non obligare: hoc enim multo magis valet, quando dubitans est in possessione suæ libertatis, quia melior est conditio possidentis*. Hæc sunt duo Terilli, & Probabilistarum principia. 1. *Lex disputationi subiecta, non est lex*. 2. *In legibus dubiis melior est conditio possidentis*. Ergo Terillus superat omnes Theologos in extenuandis legibus. Iuxta Terillum Theologi eiusmodi nullum addunt opinionibus probabilitatis gradum. Ergo Terillus iuxta ipsum Terillum nullius auctoritatis est in hac caussa. Ergo nullius quoque auctoritatis sunt ceteri Theologi qui Terillum sequuntur, præsertim P. Claudius La-Croix, P. Dominicus Viva, qui potissimum ipsi adeo addicti sunt, ut lectores mittant ad *Terillum* ceu ad magistrum.

§. IV.

Aliæ exceptiones, quibus diminuitur, & ad nihilum redigitur elenchus Terilli, Ardeskin, & La-Croix. Numerus Auctorum Probabilistarum adeo exiguus est in conspectu Antiprobabilistarum, ut nullius sit ponderis in hac caussa.

I. P. Ioannes Cardenas, inter Probabilistas Theologus revera acutus & pius (qui, si Probabilismum, quem speculative, ut sic dicam, & præiudicits Scholæ præventus defendit, excipias, saniorem doctrinam amplectitur) quatuor assignat exceptiones, ob quas nullius auctoritatis reputat Theologos quibus hæc quadrant. Sunt autem eiusmodi. *Prima, si pars opposita sit certa. Secunda, levitas, vel nullitas fundamenti, cui innititur. Tertia, si Auctor docuerit improbabilia. Quarta, si Auctor affirmat conclusionem, sine eo quod examinet fundamenta utriusque*. tract. 1. de probab. disp. 11. cap. IV. num. 106.

II. Exceptio cui potissimum subiacet Terillus, tertia est; quamvis nec ab aliis immunem eum facio. Quod ille *docuerit improbabilia* in hac controversia, tum facti, tum iuris, evidens est. Ad facta quod attinet, illius paradoxa sunt incredibilia. Docet, sex tantum Auctores repugnare Probabilismo. Antiprobabilismum filium esse hæresis Iansenianæ. Antiprobabilistas aut esse hypocritas, aut impios. In materia iuris damnata, nedum improbabilia, docet. Hæc quippe scribit. *Universaliter tam in materia fidei, quam morum, unicuique licitum est sequi quamcumque opinionem directe minus probabilem, minusque tutam, etsi opposita sit, & credatur pro-*

probabilior, ac tutior: sed sermo restringitur ad opinionem cuius practica probabilitas est certa operanti. tract. de consc. quæst. XXIII. assert. I. num. 5. pag. 407. Cavillosa petitio principii est, quod opinio minus probabilis in conspectu probabilioris sit certa ipsi operanti. Hoc est principium, quod semper supponunt, & numquam probarunt Probabilistæ. Verum de hoc suo loco. Illud nunc est summopere animadvertendum, Terillum propugnare suum Probabilismum æque concludere in morum ac fidei controversiis. Hoc pluribus in locis sui tractatus ostendit. *Quæst* XXVII. *num.* 23 *asser.* 3. *pag.* 543 hæc scribit in titulo. *Hac regula efficaciter ostendit licitum esse in materia morum, & FIDEI sequi opinionem minus probabilem, probabiliore relicta, & convincit Augustinum ita sensisse* &c. Atqui Ecclesia usum Probabilismi damnavit in materia fidei. *Ab infidelitate excusabitur infidelis ductus opinione minus probabili*. Ergo secundum Terillum, si Ecclesia damnavit Probabilismum in materia fidei, pariter eumdem damnavit in materia morum. Ergo Terillus, qui penes suos Probabilistas Doctor classicus audit, nullius est auctoritatis iuxta doctrinam eiusdem Terilli.

III. Vi secundæ exceptionis ab elencho *Terilli*, *Ardeskin*, & *La-Croix* delendi sunt omnes meri Summularii, & puri Collectores, qui maior sane sunt Casuistarum pars. Isti enim, ut ait Navarrus in Manual. *cap.* XXVII. *num.* 289. Cardenas, Elizalde, aliique Theologi, veluti aves aliam volantem avem sequuntur.

IV. Ab elencho præfato arcendi sunt omnes illi qui docent, Probabilismum æque in externo, ac interno foro valere. Porro isti iuxta Dianam sunt quadraginta, secundum Camargum septuaginta, & iuxta Salmanticenses tract. XXIX. cap. I. puncti 4. *fere omnes, & multorum iudicio satis consequenter* immo ita consequenter, ut numquam quidquam veri discriminis assignare hactenus potuerint Probabilistæ posteriores. Si ergo citati Auctores, qui nullum discrimen agnoverunt in usu Probabilismi tam interni, quam externi fori, viverent, Probabilismum detestarentur, cum viderent illum proscriptum pro foro externo.

V. Tandem ab elencho detrahendi sunt illi omnes qui negant usum Probabilism in praxi, licet illum defendant speculative. Hos inter eminet P. Nicolaus Peguler, seu *Gualdus Cler. Reg.* Hic integrum Tomum edidit, proscriptum tamen a S. Romana Sede, in defensionem Probabilismi, & *cap.* VI. hæc scribit: *Ego ob reverentiam quam summam illustrissimo Cœtui Gallicano profiteor, non audeo definire, opinionem nostram in praxi licere .... Idcirco in praxi probabiliore utemur*. Idem repetit sæpius tum in *cit. Tom.* tum *Tom. III. D. Aug. ver. Probab.* Similes Scriptores quo loco haberi debeant, nullus ignorat. Volumina edunt in re morali, ut id defendant cuius praxim damnant? Ut minus & otio, & litteris isti abutuntur.

VI. Paucis rem expediamus. Ex iis quæ delibavimus, duo constant. Alterum:

Doctores præcipui Probabilismi sunt sequentes, Caramuel, Diana, Ioannes Sanchez, Thomas Sanchez, Terillus, Pasqualigus, Tamburinus, Bordonius, Vidal, Leander, Moya, Ardeskin. Istorum quinque sunt prohibiti; ceteri omnes in hac caussa laxa, & improbabilia docent. Ergo, testibus Terillo, & Cardenas, nullius sunt auctoritatis.

VII. Alterum numerum spectat. Hic autem, demptis demendis, exiguus est. Quare vereor ne multi Probabilistæ, qui pro ingenio, & ut factionem augeant, hunc numerum multiplicant, rei sint damnabilis falsitatis. Inquit P. Riccius Iesuita: *Longus ille Doctorum syllabus, qui pro usu licito sententiæ benignæ producitur ad terrorem, in causa est ut quamplurimi certo persuadeantur opinionis minus tutæ, & minus probabilis licitum esse usum . . . Unde fit ut longus ille Doctorum index terroris simul, & erroris causa fit.* Quot imperiti Confessarii, vel Summistæ in Probabilismum prolabuntur Auctorum multitudine compulsi! Recentiores Probabilistæ, La-Croix, Catalanus, Viva, ceterique hunc elenchum, a P. Terillo compositum, citant. In fide Terilli scribunt. Porro evidentissime ostensum est, nullius hac in re fidei Terillum esse. Quoniam adfirmat, & negat facta, luce meridiana clariora. Ergo sicuti Terillus dux, ita sequaces nullius sunt auctoritatis. Qua vero conscientia in facto gravissimo universum hominum cœtum fallere conentur benigni isti Auctores, penes ipsos sit.

VIII. Ceterum, ut Probabilistas ad incitas redigamus, verus sit elenchus Auctorum quem formavit Terillus. Sint Auctores Probabilistæ ducenti, qui est numerus supremus ab illis formatus. Mille alios ego Auctores eiusdem generis concedere illis volo. Quid inde? Adhuc assero, ita exiguum hunc esse numerum in conspectu Auctorum Antiprobabilistarum, ut nullius omnino sit auctoritatis. Et primum decreta Capitulorum generalium, aut constitutiones omnium præcipuorum Ordinum Regularium adversus Probabilismum non prævalent fortassis ducentis Theologis? Quindecim Synodi diœcesanæ Ecclesiæ Gallicanæ, plures Synodi Italiæ, pluresque Episcopi Hispaniæ non prævalent mille Probabilistis? Respondet P. La-Croix Lib. I. num. 232. *Episcopos aliquos* Galliæ *quandoque favisse Iansenistis*. Ita res se habeat. At Episcopi Italiæ, & Hispaniæ faverunt ne Iansenistis? Verum, his omnibus missis, in medium prodeant Comitia universi Cleri Gallicani, anno 1700. celebratum. Prodeant omnes Episcopi, omnes Universitates, omnes Theologi, tum sæculares, tum regulares, vastissimæ monarchiæ Galliarum. Hæc sola Comitia integræ doctissimæ nationis, & Concilium œcumenicum Viennense, & antecessores Episcopi, qui ibi laudantur, prævalent mille Theologis, nedum ducentis Probabilistis. Hoc solum Concilium, hæc integra natio, iuncta Theologis, & Episcopis aliarum nationum, obstruit æternum os omnibus Probabilistis, & Casuistis. Ergo evidens est quod proposui, videlicet elenchum Auctorum contextum a Terillo, etiamsi

etiamsi admittatur ut sincerus, nullius omnino esse auctoritatis in conspectu auctoritatis Conciliorum, Episcoporum, & omnium Theologorum, qui, reiecto Probabilismo, probabiliorem doctrinam defendunt.

CAPUT VIII.

Theologi Ordinum regularium, qui detestantur Probabilismum, & probabiliorem doctrinam propugnant.

HActenus Pontifices, Episcopos, & Concilia attulimus adversus Probabilismum. Doctrinam quoque SS. Thomæ, Antonini, Alberti Magni, qui per summam iniuriam ab adversariis minus peritis allegari solent, expendimus. In præsens singulorum Ordinum regularium Theologos dabimus, ut quisque conferre hos valeat cum illis a Terillo citatis. A Theologis Dominicanis initium capiam.

§. I.

Theologi Ordinis Prædicatorum, convulso Probabilismo, probabiliorem doctrinam propugnant.

I. PRimum omnium expendam oportet textum quem ex prologo constitutionum huius Ordinis opponunt Probabilistæ, sequentes Terillum, qui de *Reg. morum quæst.* VIII. *Part. I. num.* 25. illum describit. Est vero eiusmodi. *Declaramus, quod tria sunt præcipue quæ salutem animarum impediunt.* Omitto duo priora. *Tertium est austeritas in consiliis, & opinionibus. Terrentur enim homines in tantum, ut salutem propriam negligant. Quapropter relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas, & austeritas in consiliis, ac homines benigne tractandi sunt.* Quid hinc? Numquid insinuatur, eligendam minus probabilem in conflictu probabilioris opinionis? Integer Ordo, qui in comitiis generalibus ann. 1656. suos subditos animavit ad confutandum Probabilismum, numquid violavit præfatam prologi interpretationem? Relaxanda est austeritas, quantum fieri potest. Verum habet. Sed non est inducenda perniciosa laxitas. Etiam D. Paulus lacte benignitatis potandos fideles infirmos docuit. Quid inde? Summa benignitate tractandi homines sunt, ut reducantur ad pœnitentiam; non laxitate palpandi, ut volutentur in vitiorum cœno. Hæc fusius confutata invenies, ubi legitimus sensus explicatur evangelici oraculi: *Iugum meum suave est.* Ad rem.

II. Duas in classes tribuo Theologos Ordinis Prædicatorum qui Probabilismum reiecerant. In priori antiquos, qui, antequam erumperet in lucem Probabilismus, eumdem penitus labefactarunt. Sunt autem sequentes. *S. Thomas, Vincentius Bellovacensis, S. Raymundus, B. Umbertus de Romans V. Generalis Ord., B. Albertus M.,*

 Du-

Durandus de S. Portiano, Petrus Paludanus, S. Antoninus, Joannes de Friburgo, Joannes Lambacus, Joannes Erdemberg, Cardinalis Caietanus, Joannes de Tabia, Bartholomaeus de Pisa, Franciscus Ferrariensis Generalis Ordinis, Sylvester Prieras Magister Sac. Palatii, Dominicus Soto.

III. Probabilismo invecto a P. Bartholomaeo Medina plures Theologi Dominicani adhaeserunt. Quid ultra adversarii expectant? Non candide fatemur, plures Dominicanos ad scopulum allisisse Probabilismi; sed addimus, Religionem hanc numquam subditorum adoptasse opiniones, quin easdem, pro re nata, confutasse, ac si fuissent ab exteris invectae. Unicum Magistrum sequitur S. Thomam. Ut primum vidit, Probabilismum laxandis moribus, animarumque perniciei inservire, tum classicum in eumdem cecinit, & calamum acuerunt Theologi

IV. *Ven. Seraphinus a Porrecta, Iulius Mercorus, Petrus Passerinus, Petrus Labat, Vincentius Contensonius, Jo: Baptista Gonetius, Vincentius Baronius, Ludovicus Bancellus, Seraphinus Picinardus, Iacobus de S. Dominico, Maiolus, Natalis ab Alexandro, Franciscus Sanchez, Franciscus Texeda, Martinus VVigandt, Joannes Martinez de Prado, Thomas Lucionius, Marius Diana, Joannes Conradus, Ludovicus Minutulus, Petrus Martyr Petrucci, Dominicus de Marinis, Cardinalis Capisucchi, Cardinalis Gotti, Antonius Irribaren, Oliverius Richecour, Marcellus Morona, Josephus Bono, Hyacinthus Amat de Graveson, Antonius Bordonius, Ildephonsus a S. Thoma, Norbertus del Becque, Franciscus Vanrast, Vincentius Ferrerius, Hyacinthus Serry, Vincentius Bossus, Thomas Pius Milante, Ioseph Augustinus Orsi Sac. Palatii Magister.* Ne multa: omnes istius Ordinis Theologi, quin Ordo ipse universus doctrinam Probabilismi detestatur, & oppositam amplectitur.

§. II.

Theologi Ordinis S. Benedicti adversus Probabilismum.

I. SApientissimus Cardinalis Aguirre Benedictinus, plurium annorum spatio Probabilismi caligine obductus, cum primum ad Patres, & Concilia revolvenda animum adiecit, lucem aspexit veritatis, & continuo adversus Probabilismum calamum acuit tanto zelo, ac si perniciosissimum errorem confutandum suscepisset. Testatur, spiritum universae Ecclesiae omnium saeculorum fuisse Probabilismo adversum, semper in Ecclesia in controversiis morum, aut fidei probabiliorem doctrinam regnasse, pulsa minus probabili. Haec quippe scribit in praefat. ad Concil. Hisp. *Hic fuit semper spiritus Ecclesiae, tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, & Episcopis, quotquot canones Conciliorum ediderunt, quam in his qui pietatis, & doctrinae laude illos usque modo imitati sunt . . . . Haec videtur fuisse praxis assidua SS. Pontificum, ac Theol. doctrina, ac pietate insignium a tempore nascentis Ecclesiae*

usque

usque ad finem fere sæculi præcedentis, quo cœpit reputari securus usus opinionis benignæ probabilis in concursu opinionis austerioris, æque probabilis, aut probabilioris per restrictiones antiquis ignotas.

II. Præter hunc doctissimum Cardinalem Probabilismo bellum indixerunt *Cœlestinus Cardinalis Sfondrati, Gabriel Gerberon, Ioannes Mabillon, Abbas Gardius custos Bibliothecæ Pontificiæ, Facundus Torres Generalis Congregationis Hispaniæ, Anselmus Gomez, Ioannes Baptista Larditus.* Sunt & alii *plures* (concludit Cardinalis Aguirre) *eiusdem sententiæ in diversis Congregationibus Benedictinis Italiæ, Galliæ, & Germaniæ.* Addo, hac nostra tempestate universam hanc perillustrem, doctissimamque Religionem Probabilismum repellere. Quis validius hunc labefactavit adversus P. Danielem quam P. D. *Matthæus Petit Didier*?

§. III.

Theologi Franciscani adversus Probabilismum.

I. *Alexander de Ales, S. Bonaventura, Ioannes Scotus, S. Bernardinus Senensis, Angelus de Clavasio, Antonius Cordubensis, Ioannes Trovamala, Cardinalis Brancatius de Laurea, P. Philippus Faber, Antonius Matteucci, Bartholomæus Durant, Franciscus Henno, Cyrillus Rabeus, Bernardinus Ciaffoni, Bonaventura Recanatis Concionator Apostolicus, Paulus a Lugduno, Caietanus a Bergamo, Palbuncitus, Donadoni Episcopus Sebeniccensis, Cardinalis Cassinus.* Quid quod Religio ipsa Seraphica decretum edidit sequendi sententias probabiliores?

§. IV.

Theologi Augustiniani adversus Probabilismum.

I. *Lambertus Le Drou Episcopus Porphiriensis, Ignatius Lacerda Episcopus Aquilanus, Henricus Noris Cardinalis, Franciscus Farvaque Professor Lovaniensis, Ioannes Schervietzerus Doctor Coloniensis, Bartholomæus Riccius, Fredericus Gavardi, Leonardus Vanroy, Nicolaus Girchen, Aurelius Piette, Ioannes Libente, Fulgentius Belleli, Antonius Guerrerus, Ioannes Laurentius Berti*, qui Lib. XXI. suæ Theologiæ, eleganti stylo conscriptæ, hæc habet cap. XII. *Et, si Gibbonem, & Salonem excipias, omnes, quot quot ad manus meas pervenerunt*, Probabilismum refutant, & probabiliorem sententiam defendunt. Nonnulli mihi obiecerunt, cur in Historia Probabilismi silentio præterierim Christianum Lupum? Quibus respondeo, idcirco me illius non meminisse, quod in sua illa dissertatione posthuma controversiam hanc nostram reapse non verset saltem ex instituto. Et, quantum colligere mihi liceat, Antiprobabilistis, minime vero Probabilistis, favet. Audi iudicium P.

Bernardi Desirant, præmissum laudatæ dissertationi, insertæ Tom XI. edit. Venet. *De opinione probabili eximius Auctor tam certa statuit, ut probabilitatem superet: sic probat, ut Probabilista non sit. Observes tamen, ne incautus proberis errasse. Probabile enim vocat, non quod probari posse a paucis putes, sed quod probatum a pluribus, omni hac in parte exceptione majoribus: & ne tunc quidem hoc indulget, ut si a juris naturæ tramite recedere te contigerit, culpa omni solutus sis.* Integram hanc dissertationem legi non sine difficultate. Posthuma enim est, & informis fetus. Eo spectat, ut evincat, licitum semper fuisse in Ecclesia usum opinionis probabilis tum circa leges positivas humanas, tum circa leges naturales, & divinas. Ignorantiam tamen juris naturæ ab omni culpa non purgat, ut notavit *Desirant*. Innumera exempla congerit, quibus evincat, obtinuisse in Ecclesia opiniones contrarias probabiles, & gravissimos Doctores secutos fuisse minus tutas, quæ tamen sibi probabiliores erant. *Cap. XII. quæst. V.* docet, licitum esse contra proprium judicium sequi opinionem aliis probabilem, dum cogit aliqua *dispensatoria necessitas*. Ita sanctus Dracontius obedivit contra proprium judicium judicio S. Athanasii: & similiter quisque subditus obedire debet suo Prælato. Hæc docemus omnes. Soli Probabilistæ defendunt, posse subditum non obedire Prælato, ductum opinione probabili. Non modo Cl. *Lupus* in hac dissertatione Probabilistis non favet, sed opiniones defendit quæ & Antiprobabilistis ipsis nimis rigidæ videntur. Lege quæ docet de homicidio ob necessariam defensionem patrato. Sed audiant Probabilistæ quæ scribit cap. II. *Hinc oritur quæstio*, inquit, *an unicus Doctor possit facere sententiam probabilem? An ipsam non dumtaxat inchoare possit, sed etiam solus constituere, & firmare? Plures hodie affirmant* (Probabilistæ.) Ejusdem sententiæ *fuit Hæresiarchæ Pelagii collega* Celestius. *Etenim in Carthaginensi Synodo, cum dixisset circa originale peccatum utramque contradictionis partem esse probabilem, & negativam probari variis Ecclesiæ catholicæ Doctoribus, a S. Paulino Diacono rogatus ipsorum nomina, respondit*: Sanctus Presbyter Ruffinus, Romæ qui mansit cum sancto Pammachio. Ego audivi illum dicentem, quod tradux peccati non sit. *Et rogatus alios & non valens adducere plures, denuo reposuit*: Non tibi sufficit unus Sacerdos? *Ad statuendam probabilem sententiam volebat solum Ruffinum sufficere. Ita habes apud sanctum Augustinum in libro de peccato originali.* De hac quæstione legendum suggerit S. Augustinum *Lib. III. cap. IV. de baptismo*, ubi sic incipit: *Quid ad Iubaianum* &c. Verum de hoc plusquam satis.

§. V.

§. V

Theologi Carmelitæ, Trinitarii, & Minimi adversus Probabilismum.

I. CArmelitæ excalceati hac tempestate, quantum colligere potui, communiter Probabilismum oppugnant. Illum strenue exagitarunt *Carolus ab Assumptione* sub ascititio nomine Philaleti Eupestini, *Henricus a S. Ignatio*, *Marinarius Brocardus*, *Christophorus a S. Ioseph*, qui integrum Tomum in folio Romæ an. 1711. edidit, in quo *num.* 686. hæc scribit. *Placuit etiam hic apponere ad confusionem meam, quod mihi contigit, ut ignorantia mea innotescat. Per plures annos amplexus sum benignum Probabilismum, nec cognovi meam deceptionem, donec procedente tempore mihi divina pietas tribuit lucem, ut illam cognoscerem, & palinodiam libentissime recantarem.* Et contra Probabilismum laudat S. Matrem *Theresiam*, & S. *Ioannem a Cruce*. Dent nobis Probabilistæ vel unum virum gravem, qui, innutritus Probabiliorismo, ætate provecta, hoc abiurato, amplexus Probabilismum sit.

II. Ex Trinitariis *Michael a S. Ioseph* librum edidit inscriptum *Estudio de la Verdad* anno 1715. in quo efficaci, & eloquenti stilo Probabilismum refellit. Et Magister Vincentius Ferrerius Dominicanus in sua adversus Probabilismum dissertatione, edita anno 1725. scribit *num.* 125. de Trinitariis sequentia: *Hæc sententia iam diu evaserat communis apud Discalceatos, ut a viris fide dignis eiusdem Ordinis accepi.*

III. Ex Minimis *Maignanus*, & unus pro omnibus sapientissimus *Palancus*, qui integro Tomo, inscripto *de conscientia*, ad nihilum redegit Probabilismum.

§. VI.

Theologi Societatis Iesu adversus Probabilismum.

I. ANtequam Theologos Inclytæ Societatis, qui strenue adversus Probabilismum pugnaverunt, refero, nonnulla Scriptorum eiusdem Societatis contraria hac de re placita explicem fas est.

II. P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 169. docet, *Auctores fere OMNES e Societate Iesu* Probabilismum defendere. Similia docent Terillus, Esparza, Casnedi, & communiter recentiores Iesuitæ, qui præcipuos Societatis Doctores, ut Bellarminum, Pallavicinum, Toletum, Suarez, vel repugnantes, in Probabilismum pertrahere conantur.

III. Contra gravissimi Societatis Scriptores calumniatorum loco habent eos qui

Probabilismum Theologis Societatis adscribunt: atque ut ab hac nota Societatem propugnarent, innumeras ediderunt Apologias. P. *Stephanus de Champs* librum edidit, cuius hic est titulus:

QUAESTIO FACTI,

Utrum Theologorum Societatis Iesu propriæ sint istæ sententiæ duæ.

PRIMA.

Ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minus tutam.

SECUNDA.

Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem.

Initium primi capitis hoc est: *Utrum veræ sint istæ sententiæ, an falsæ, non disputo. Hoc unum quæro, suntne Theologorum Societatis IESU propriæ? Dudum est enim, quod id Montaltius, aliique Scriptores larvati, quam importune, tam falso illis exprobraverunt.* Illud est animadversione dignum, quod *P. De Champs* non improperat Montaltio, sive Paschali, quod laxas opiniones de usura, de homicidio, de mendaciis, periuriis, aliisque materiis adscripserit pluribus Societatis Theologis, neque hos Theologos ab eiusmodi opinionibus defendendos expediens iudicavit; sive quod ratum sibi fuerit, textus sincere relatos fuisse; sive quod melius existimaverit, ad fontem laxitatis digitum intendere.

IV. *P. Matthæus Moya* volumen quoque edidit, quo sibi probandum suscepit, Probabilismum non esse Societatis doctrinam. *P. Honoratus Fabri* duo volumina in folio edidit sub hoc titulo, *Apologeticus Societatis Iesu*. *P. Daniel*, *P. Gonzalez*, *P. Camargo* validas quoque apologias ediderunt, ut Societatem a nota Probabilismi vindicarent.

V. Hinc colligo duo. Alterum est apertissima pugna inter Scriptores Societatis super hoc facto: sit ne Probabilismus eiusdem Societatis adoptata doctrina. Adfirmant Terillus, La-Croix, & ceteri Theologi Probabilistæ; negant de Champs, Annatus, Daniel, Gonzalez, Camargo. Alterum est. Si doctrina probabilisti, ea adeo est benigna, & salvandis animabus adeo opportuna; cur reputantur calumniatores qui talem doctrinam Theologis Societatis adscribunt? Dicendi ne calumnia-

mniatores sunt qui sanam doctrinam alicui communitati tribuunt? Neque dicas, ideo calumniæ postulari illos qui Societati tribuunt hanc doctrinam, quod Dominicani, non Iesuitæ illam excogitarint. Quoniam quæstio haud est de inventione, sed de fautoribus talis doctrinæ. Si sana est, cur tanto studio gloria inventionis respuitur? Si sana non est, cur adoptatur? Plura hic dicenda essent, quæ prætereo. Pugna Scriptorum non alio pacto conciliari potest, nisi hac via. Qui Probabilismum propugnant, ut *La-Croix*, *Terillus*, *Viva*, *Casnedi*, ceterique, Theologos *fere omnes Iesuitas* Probabilistas volunt. Contra, qui Probabilismum oppugnant, a Probabilismo, quoad fieri potest, alienos ostendere conantur præfatos Theologos. Facti veritas est. Nam Gonzalez, Camargo, Muniessa, de Champs defendunt a nota Probabilismi Theologos Societatis, quia hi Probabilismum detestantur. La-Croix, Viva, Casnedi, & ceteri recentiores Iesuitæ Theologos fere omnes suæ Societatis contendunt esse Probabilistas, quia ipsi Probabilistæ sunt. Verum hoc quid ad nos?

VI. Illud ego assero, celebriores, sapientioresque Theologos Societatis Probabilismo infestos esse. Istorum nunc splendida nomina exhibeo. Sunt itaque loco primo tres celeberrimi Cardinales *Bellarminus*, *Toletus*, *Pallavicinus*. Adeo evidens est piissimum, doctissimumque Bellarminum Probabilismo infestum fuisse, ut P. Christophorus Rassler Iesuita vereatur ne Cardinalis sapientissimus ad Rigorismum declinaverit. Inquit enim disp. III. quæst. IX. art. 2. num. 499. *Contrarius quippe est benigniori in hac quæstione sententiæ, statque pro rigidiore. Merito tamen dubitari potest an non & ipse deflexerit in nimium rigorem.* Cardinalem Pallavicinum abjurasse Probabilismum, testantur PP. Elizalde, Nicolaus Pallavicinus, Gonzalez, Camarguo, testes suppares, omnique exceptione majores. Quare nimis temere P. Claudius La-Croix pronuntiavit *Lib. I. num. 323. Quod Pallavicinum satis est quod benignam certo tenuerit, quam an retractaverit, certo non constat.* Conferantur hæc cum testium dignitate, quorum testimonia alibi retulimus, & postea judicetur, quam sint non pauci Probabilistæ in citandis Auctoribus sinceri. De Cardinali Toleto vix est difficultas, si excipias vitilitigatores.

VII. Celebriores Theologi Iesuitæ, qui Probabilismo bellum indixerunt, sunt sequentes. *Ferdinandus Rebellius*, *Paulus Comitolus*, *Mutius Vitelleschi Generalis*, *Andreas Blancus*, *Ludovicus Scildere*, *Michael Elizalde*, *Tyrsus Gonzalez Generalis*, *Thomas Muniessa Provincialis*, *Ægidius Estrix*, *Gabriel Antoine*, *Edmundus Martene*, *Adamus Ehrentreich*, *Gisbertus*. Hi fere omnes integros ediderunt Tomos adversus Probabilismum, in quo exagitando, & convellendo singularem sibi pepererunt gloriam. His accedunt *Franciscus Maletra*, *Compilator Gonzalez*, *Andreas Iunius*, *Christophorus Rassler*, qui defendunt sequendam probabiliorem in conflictu minus probabilis.

VIII. De laudatis Theologis hoc judicium profert P. Magister Laurentius Berti Augusti-

gustinianus Lib. XXI. cap. XIII. *Istos vero, præsertim Bellarminum, Pallavicinum, Toletum, Comitolum, Gonzalez æquiparare possumus Jesuitis ceteris universis*, qui Probabilismum defendunt. Adde his alios duos, in confutando Probabilismo nemini secundos, *Elizalde*, & *Camargo*. P. Claudius La-Croix hac exceptione reiicit Comitolum, & Blanchum Lib. I. num. 327. *Comitolus Theologiam non docuit, unde & minoris auctoritatis est, uti nec docuit Thidalctus, a Superioribus prohibitus suum, aut Societatis nomen libro suo præfigere.* Hoc, & similibus textibus utuntur adversarii Societatis, ut evincant eamdem adoptasse Probabilismum. Arguunt. Paulus Comitolus, doctior est mille *Busembaus*, *La-Croisiis*, *Escobariis*, *Tamburinis*, aliisque innumeris Casuistis. Illius Tractatus de contractibus, Catena in Iob, ut alia omittam opera, tantam præferunt eruditionem linguarum, & doctrinam Patrum, & iuris tum naturalis, tum divini, ut prævaleant libris plurimorum Probabilistarum. Comitolus non docuit Theologiam. Blanchus non docuit Theologiam. Ergo isti doctissimi viri invisi Societati fuere: ergo vexati ob defensionem probabilioris doctrinæ. Quæ passi sunt Camargo, Elizalde, aliique, indicavimus supra. Vera ne, an falsa sit argumentatio huiusmodi, non definio. Ansam certe maximam *P. La-Croix*, & ceteri Probabilistæ exhibent inferendi, Probabilismum esse doctrinam Societatis. P. Camargo in præfatione §. 9. pag. 22. hæc in antecessum scribit adversus La-Croysium, similesque Auctores. *Quod unus vel alter Jesuita (non enim plures, sed paucissimi sunt) Probabilismum ipsum benignum, aliasque laxas opiniones, tamquam doctrinam propriam Jesuitarum, immo & Societatis ipsius, publice venditare non erubuerint, id quidem ceteri nequaquam excusamus: neque enim seria ulla excusatione, sed revera dignissimum reprehensione censemus. Quod Societas Probabilismum ipsum ulla ratione aliquando probaverit, immo quod Jesuitæ tamquam doctrinam propriam non modo Societatis, sed neque ipsorum Jesuitarum eumdem propugnandum susceperint, id quisquis effutire non dubitavit, cæca quadam affectus vehementia in benignam Theologiam delusus est, ut quod fieri optaret, factum crediderit, cum tamen prorsus incredibile esset.* Digna sane increpatio. Mirum, quod Societas La-Croix, similesque corrigendos non decernat. Sed hæc peregrina nobis; quæ ideo retulimus, ut omnes intelligant, me de Inclyta Societate optime, ut decet, sentire: illam quippe, data occasione, a quorumdam suorum Casuistarum ineptis commentis assero. Et qui mihi ob hanc caussam convicia rependunt, male ipsi de Societate sua merentur, dignasque dare pœnas deberent. Sed hæc obiter.

IX. Illud certum est, omnes Theologos Probabilistas simul iunctos quam maxime inferiores esse, ac exiguæ auctoritatis, comparatos cum Cardinalibus, & Præpositis generalibus Antiprobabilistis eiusdem Societatis. Theologi Jesuitæ qui ex instituto defendunt Probabilismum, habenturque ut classici, & non collectores, sunt Vasquez, Esparza, Terillus, Cardenas, Moya, Sanchez. Vasquez hanc controversiam ver-

versavit anno 1598. quando Probabilismus nondum venenum effuderat. Vasquez Theologus est insignis, eximii ingenii, vastæ eruditionis; sed quodam novitatis spiritu actus, & in laxandis legibus facilis fuit. Verum quid Vasquez cum Bellarmino? quid cum Pallavicino? quid cum Toleto, & Gonzalez? Moya auctor est toties proscriptus. Terillus nullius prorsus auctoritatis est: similem fateor me legisse numquam, qui facta evidentissima neget, quique ex cerebro sic loquatur. Sanchez scatet opinionibus damnatis, & laxis; Theologus tamen est acutus, doctus, & sacrorum canonum peritus. Ejusdem lectio, si caute fiat, ac debita critice, utilis est. Ioannes Cardenas est ille Theologus Probabilista quem magni facio, quoniam in praxi saniores opiniones amplectitur. Verum quid Cardenas cum Elizalda, Camargo, & Gonzalez, aliisque?

§. VII.

Alii Theologi non Regulares adversus Probabilismum.

I. HActenus Theologos Regulares recensui, nunc producendi essent ceteri omnes qui extra claustra scripserunt. Verum neque omnes mihi occurrunt, neque res necessaria est. Paucos dumtaxat indicabo.

II. Ex Canonistis *Fagnanus*, *Ioannes Andreas*, *Fortunatus Garzia*, *Antonius de Butrio*, *Abbas*, *Alexander*, *Baldus*, *Merenda*.

III. Ex Theologis Flandri, & Galli communiter. Aliquos indicabo. *Daniel Episcopus Petrocoricensis*, *Franciscus Genet*, *Armandus Bordonius*, *Ioseph de la Verdure*, *Iacobus Bendort*, *Cabassutius*, *Merbesius*, *Steiartius*, *Vigens*, *Florentius Cocque*, *Ludovicus Habert*, *Antonius Charlas*, *Ioannes Pontas*, *Ioannes Sinnichius*, *Nicolaus Le Hermenier*, *Iacobus Pontanus*, *Franciscus Vanvianen*, *Gerardus Vanroverm*, *Lambertus Vincent*, *Ioannes Richt*, *Gumarus Huygens*, *Laurentius Neessen*, *Petrus Ballerinus*, aliique plurimi.

CAPUT IX.

Præcipui Regularium Ordines in suis aut constitutionibus, aut comitiis generalibus, Probabilismo proscripto, probabiliorem doctrinam sequendam præscribunt. Ineptum P. Claudii La-Croix *commentum.*

I. THeologos Ordinum Regularium, & Cleri sæcularis recensui. Lubet in præsens sensum ipsorum sacrorum Ordinum communem breviter exponere. Magnæ quippe auctoritatis sunt plures unius, aut plurium Ordinum Theologi; sed longe

longe maioris auctoritatis sunt decreta ab universo Ordine lata. Istorum aliquâ dabo.

II. Primum omnium profero Inclytam Societatem Iesu, quæ in suis constitutionibus hæc statuit. *Sequantur in quavis facultate SECURIOREM, & magis approbatam doctrinam, & eos Auctores qui eam docent*. Part. IV. Const. cap. v. num. 4. Quæ constitutio instaurata pluries est, & potissimum ann. 1682. in *Congreg. XII. decreto* 28. quod habetur *Tom. I. Constit. pag.* 606. „ Quamvis contra novitatem, laxitatemque „ opinionum, *præsertim in rebus moralibus*, abunde provisum sit, & Præpositorum „ generalium ordinationibus, & superiorum Congregationum decretis, & constitu„ tionibus ipsis, quibus *iubemur* sequi in quavis facultate *securiorem*, magisque ap„ probatam *doctrinam*, in re tamen magni momenti, postulante pro suo zelo Patre „ nostro, omniumque conspirantibus votis, nihil prætermittendum rata Congregatio „ præsens, decretorum, *quibus novæ illæ, laxioresque opiniones doceri, ipsisque man*„ *dari prohibentur*, *vim totam renovat, roborat, & confirmat*. " Plura alia decreta hanc rem confirmantia ex Inclita Societate afferre possem. Hinc collige, quam falso locuti sint P. Claudius La-Croix, P. Terillus, & alii non pauci, qui Probabilismum tribuunt *fere omnibus Theologis Societatis*. Quoniam, si fere omnes Theologi Societatis docerent opinionem minus probabilem, fere omnes Theologi Societatis violatores essent laudatæ constitutionis quod nemo dicere audebit. Quid? Dicturus eris, opinionem minus probabilem esse securiorem in rebus controversis in utramque partem? Id fortasse aliquem cum Terillo, & Caramuele asserere non pudebit, confugiendo ad telam illam confictarum reflexionum. Sed commentum istud adeo fabulosum, adeo absonum est, ut, hoc admisso, nihil sit tam sanctum, nihil tam verum, quod eludi Probabilismo nequeat. Alterutrum ergo inferendum, aut Theologos Societatis a suis recedere legibus, aut ad fabulas amandandam assertionem P. Claudii La-Croix, Terilli, Segneri, aliorumque Probabilistarum.

III. Sacer Carmelitarum Ordo aperte arcet a sua Religione doctrinam probabilisticam: hæc quippe præscribit: *Prælector casuum conscientiæ breviter, dubia dissolvat, & omnes opiniones, in TUTIOREM partem incumbens, semper sequatur*. Const. Part. II. cap. xv. §. 7. edit. an. 1606.

IV. Clerici Regulares iam ab anno 1598. decretum ediderunt adversus Probabilismum, ut testantur Merenda in *præfat. consil.* VIII. *num.* 485. Fagnanus cap. *Ne innitaris*.

V. Eminentissimus Cardinalis Laurea in *III. disp.* XII. scribit, Religionem Seraphicam securiores, seu probabiliores sententias amplecti. Et quod rem conficit, in *Directorio* trium Ordinum Franciscanorum, Romæ edito anno 1685. & ab Innocentio XI. approbato, hæc habentur num. 63. *Omnibus nostri Ordinis, ac aliis sub nostra directione, seu obedientia degentibus personis in Domino suademus, ac*

man

mandamus ut doctrinas tutiores, & probabiliores semper doceant, & amplectantur.

VI. Ordo Trinitariorum redemptionis captivorum, Probabilismo reiecto, probabiliores sententias eligendas praescribunt in suis constitutionibus. *In opinionum delectu habeant PP. Lectores specialem advertentiam, & enixe studeant communiores, magisque probatas sententias tueri, nec ad ostendendam ingenii subtilitatem adducant opiniones . . . minus probabiles.*

VII. Cardinalis doctissimus Aguirre in saepius laudata *praefat. ad Concil. Hispan.* testatur, sacros Ordines qui profitentur Regulas *S. Francisci*, & *Carmelitarum*, item *Augustinianos*, *Praemonstratenses*, *Congregationes Oratorii* in Gallia, Congregationes *Benedictinorum*, potissimum *Maurinam*, *Helveticam*, *Hispanicas*, *Germanicas*, *Italicas*, Probabilismo reiecto, probabiliorem sententiam propugnare.

VIII. Ordo Praedicatorum in comitiis generalibus, anno 1656. celebratis, cum Probabilismus potissimum serperet, hoc condidit decretum. „ Caveant ab omni „ pruritu exoticarum, minusque cum littera S. Thomae cohaerentium opinionum, „ praecipue vero in moralibus, ubi pressius de salute, ac indemnitate animarum „ agitur. Porro in his studeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas, ac „ parum tutas, abstineantque a paradoxis, ac *monstris recentium placitorum*, *seu* „ *problematum*, *quae magis vanitati*, ac periculosae ostentationi militant, quam ve„ ritati. Denique satagant, non tantum fidelissime in omnibus adhaerescere sanae „ doctrinae nostri Angelici Praeceptoris, quam ille ceu e limpidis, & incorruptis „ SS. Patrum fontibus integerrime in alveos suorum operum corrivavit, verum „ etiam assuescere propriae ipsius phrasi, & modo loquendi; ita quod, quantum „ fieri potest, ne quidem ab ipso verborum eius ordine, stilo, emphasi longius „ discedatur. “

IX. Universo Ordini, in his comitiis congregato, & adversus Probabilismum iam arma stringenti, calcaria adiecit SS. Pontifex Alexander VII. ut testantur Historici tum domestici, tum extranei. Haec quippe scribit Cardinalis Aguirre in citat. praefat. *Sed & laudandus est maxime inter Regulares clarissimus Ordo S. Dominici, qui hortatu laudati Alexandri VII. vexillum extulit adversus Moralem laxam per doctissimos Alumnos suos, Ioannem Martinez de Prado, Iulium Mercorum, Vincentium Baronium, Vincentium Contensonium, Ptcanardum, Gonettum, aliosque similes amplissimo fructu. Et merito quidem ita se gessit, cum nihil aliud discere potuerit ab incomparabili suo Magistro Doctore Angelico, immo ab Augustino, ac ceteris Patribus, quorum germanam mentem circa fidem, ac mores ille divino ingenio admiranda claritate explanavit, atque in methodum redegit.*

X. Haec omnia decreta festivo lepidoque commento eludit P. Claudio La-Croix. Hunc frequenter commemoro, quod recentior sit, & notior, atque Con-

fes-

fessariis, quibus illuminandis hæc scribimus, familiarior. Inquit enim, non aliud evincere laudata decreta, nisi quod, dum fuerunt condita, suffragia prævaluerint eorum qui rigidæ adhærebant sententiæ. Sed audi perridiculum consectarium quod heinc colligit. Theologi, subdit, illorum Ordinum qui sententiam probabiliorem docent, minoris sunt auctoritatis, eo quod vi legis adacti, libertate oppositum docendi sublata, probabiliorem sententiam propugnant. Sic enim scribit Lib. I. num. 324. *Ordinum istorum decreta plus non evincunt, quam quod eo tempore prævaluerint suffragia pro rigida sententia, per quod MINOR accedit auctoritas, si Ordinum illorum Professores eamdem retineant. Nam tenent ex obligatione. Nec eam, quam alii, habent libertatem sentiendi. E contra benignam tenent ex aliis Ordinibus numero longe plures, nec sapientia inferiores, & cum libertate dicendi quod sentiunt.* Scite scripsit P. Michael Elizalde, multos Probabilistas *caramuelizare.* Caramuel, expendens decretum celeberrimi Generalis Claudii Aquavivæ, quo cautum voluit ne in Societate quisquam doceret dari parvitatem materiæ in re venerea; *Ergo Societatis Auctores* (inquit in Theol. Fundam. num. 1743.) *sententiæ Aquavivæ probabilitatem non addunt: in hac enim materia Superiorum imperio diriguntur.* Hanc Caramuelis doctrinam exscripsit P. La-Croix. Falsa est, & scandali plena. Nullam ergo auctoritatem, sive probabilitatem addent piæ sententiæ de Immaculatæ Virginis Conceptione Theologi, qui ei post decreta pontificia, aut vi votorum adhærent? Nullam probabilitatem addent Universitates celeberrimæ, & sacri Ordines, qui vi voti aliquam propugnant opinionem? Nullam probabilitatem catholicæ Religioni Doctores addent, quod iurati illam defendunt? En absurda immania in quæ se se conciunt Probabilistæ nostri, ut suum quoquo modo labantem Probabilismum sustineant. Si vis ampliorem erroneæ doctrinæ confutationem, lege Cardenas *tract.* v. *disp.* xlv cap. 1.

DIS-

DISSERTATIO V.

IN QUA

PROBABILISMUS damnatus ostenditur in potissimis Theologiæ moralis controversiis, seu in universis fere secundæ tabulæ mandatis. Heinc infertur demonstrationibus invictis absolute damnatum, aut damnandum esse.

PROOEMIUM.

HAEC dissertatio præcedentium complementum est. Hactenus in genere auctoritatis Probabilismum profligavimus, & in nihilum penitus redegimus fabulosa illa commenta quæ plenis buccis imperitorum auribus insusurrant Terillus, Ardeskin, Tamburinus, La-Croix, Viva, asserentes se decem, immo & quadraginta Auctores Probabilistas pro uno Antiprobabilista exhibere posse. Quam sit thrasonica hæc iactatio, quam commentitia, lippis, & tonsoribus ex iis quæ diximus, patet. Probabilistæ enim *non unum* sacrum Ordinem, *non unam* Societatem, quæ aliquo publico decreto Probabilismum adoptaverit, allegare valent; contra, nos omnia hæc in medium adduximus. Unicum Concilium nationale Gallicanum elidit auctoritatem omnium Probabilistarum. Quid, si omnia simul, quæ adduximus, accipiantur? Et tamen ultra nunc progrediemur, damnatumque evincemus Probabilismum in re sacramentaria, in materia iustitiæ, fidei, & in iis omnibus quæ damnum temporale proximo inferunt. Nihil ergo solaminis adferre Probabilismus valet in materiis iustitiæ, sacramentorum, iudiciorum, compensationum, detractionum, calumniarum. Væ ergo Auctoribus libellorum famosorum. Quid ergo obtrudunt, Probabilismum jugum suave efficere? Illud fere solum in disputationem veniet, sit ne damnatus Probabilismus in præceptis primæ tabulæ, seu in iis in quibus de sola actionis honestate, aut malitia disputatur. Damnatum & in his, ratiociniis invictis palam fiet. Postremum, si damnatus Probabilismus non est, damnandum demonstrabimus.

CAPUT I.

Recensentur propositiones damnatæ ab INNOCENTIO XI. in materia Probabilismi.

I. Ostendimus supra, Alexandrum Papam VII. in suo decreto Probabilismum improbasse illis verbis: *In rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS OPINANDI irrepsit, alienus omnino ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina.* Quem opinandi modum non alium esse nisi Probabilismum, iam alibi palam fecimus. Nec alium opinandi modum, præter Probabilismum, designare hactenus vel ipsi Probabilistæ potuere. Aliqui dumtaxat commenti sunt, Pontificem damnasse *abusum* Probabilismi. Quod sane inventum chimæricum est. Hac ratione & Iansenistæ, & ceteri hæretici dicere possent, Ecclesiam abusum systematis liberi arbitrii, non systema ipsum Calvinianum, aut Iansenianum damnasse. Duo damnavit Pontifex, *MODUM opinandi*, & abusum, seu quadraginta quinque propositiones inde proficiscentes.

II. Accedit quod universa Ecclesia Gallicana in suo Concilio nationali celebratis anno 1700. declaravit, Pontificem summum Probabilismum confixisse. Hæc sunt Concilii verba. *MODUS opinandi irrepsit* &c. hoc pacto interpretatur. *Quæ sententia non modo errores increvisse queritur, verum etiam, quod caput est, admitari voluit, ipsam REI TRACTANDAE RATIONEM eam introductam esse, unde videremus corruptelam morum, non modo secuturam, verum etiam, facto velut impetu, irrupturam, quam vix cohibere possimus.* Subdit Concilium, satis minime fuisse Pontifici ad radicem securim ponere, sed insuper stolones inde surgentes, propositiones videlicet ex Probabilismo proficiscentes, damnare voluisse. *Neque vero fuit satis Sanctissimo Pontifici, novam hanc methodum iudicandæ conscientiæ, & involvendæ veritatis, hoc est ipsum mali detexisse fontem, sed exitialis doctrinæ rivulos insectatus complures propositiones . . . damnavit, & prohibuit.* Hæc latius supra explicata sunt: quorum hic idcirco memini, ut evincam, non ratiocinio tantum, sed auctoritate quoque nationalis Concilii Alexandrum VII. Probabilismum vellicasse, & alienum a simplicitate evangelica, Patrumque doctrina declarasse. Unum defuit dumtaxat, nimirum illud solemne decretum quo conceptis verbis expresse anathemata infligeret illis qui eumdem propugnant. Quare ne nos Probabilistæ cuiuspiam exaggerationis arguere valeant, dicimus, Alexandrum VII. declarasse Probabilismum alienum a simplicitate evangelica, & Patrum doctrina; solemni tamen, & expressa damnatione eumdem non confixisse. Et assertio nostra auctoritate celebris Concilii nationalis nixa est.

III. Innocentius XI. decretum peculiare, quo declaravit Generali Societatis Iesu

Pro-

Probabilismum alienum omnino esse a Sede Apostolica, supra dedimus. Nunc propositiones, quæ sunt Probabilismi consectaria, quasque sanctissimus Pontifex damnavit, hic describimus.

1. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.*

2. *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*

3. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.*

ALEXANDER VII.

27. *Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede Apostolica, tamquam improbabilem.*

IV. Nonnulla obiter declaranda sunt circa sensum huius ultimæ propositionis ab Alexandro VII. damnatæ. Eam docuit Verricelli *Tom. II. quæst.* v. immo quid laxius pronuntiat: *Puto*, inquit, *posse me operari secundum opinionem cuiusvis recentioris contra communem, & contra propriam opinionem, quamvis iudicem illam esse falsam ex principiis intrinsecis.*

V. P. Dominicus *Viva* in expositione laudatæ propositionis eam tribuit Mag. Acacio de Velasco *res.* 316. Quid doceat Acacius, ignoro, quia illius operibus careo. Illud displicet, quod P. Viva de more, ut suis Probabilistis existimationem afferat, neget illam docuisse suos Auctores. Nec aliud est displicentiæ nostræ momentum, nisi imperitorum damnum. Simultates enim scholarum nauci facimus. Miseri imperiti, auctoritate P. Viva delusi, putant, doctrinam e. g. P. Sanchez securam esse; quæ tamen in laudata propositione aut damnata est, aut damnatæ propositioni proxima. Et, ut mihi caveam, verba Sanchez transcribam.

VI. P. Thomas Sanchez *Lib. I. cap.* IX. *num.* 7. *pag. mihi* 30. hæc scribit. *Opinio probabilis est quæ non levi innititur fundamento. At auctoritas viri docti & pii non est leve fundamentum. Si enim non est levis momenti, sed magni potius, ut aliquid Romæ contigisse credamus, id virum pium asserere; cur non magni erit in re morali dubia, quod vir pius, & in ea materia doctus censuerit? Nec placet limitatio Adriani .... ut hoc intelligatur, si sit error iuris humani, secus si sit divini ....* Sed non placet &c.

Num. 8. sic persequitur: *Limitat etiam Corduba, ut hoc in viro indocto, utriusque*

partis rationes expendere nescientis, intelligatur; secus in viro docto, qui id novit: At quamvis fatear . . . . id inter doctum, & ignarum in opinionibus eligendis distare, ut ille, qui prudenter agat, rationes examinare, ac ponderare debeat, hic vero non, sed satis sit, si viri docti consilium sequatur: potest tamen vir doctus in re dubia reputare ex hominis docti & pii sententia reddi opinionem probabilem, cum hujus auctoritas saepe maioris sit ponderis, etiam apud virum doctum, quam aliqua verisimilis ratio, quae ei ad probabilitatem sufficeret.

VII. Quid plura? Subdit *num. 9.* cum Vasquez, & Azorio *licere viro docto, qui* non parum *litteris vacavit, & recte utriusque partis fundamenta expenderit, suam singularem opinionem probabiliorem iudicare, & illam sequi. Quod in hoc eventu non videtur hic imprudenter operari . . . . Duo tamen in hac re fateor: prius est cum Azor. non crebro, & passim recedendum a communi, sed quando iudicatur illam firmiori niti fundamento.* Ut autem iudicet prudenter niti firmiori fundamento, sat est ut probabiliter iudicet. & licet fundamentum directe appareat minus firmum, tamen intellectus vi reflexionum probabilisticarum illud firmius efficit.

VIII. Ad caput praecipuum quod attinet, est ne discrimen inter damnatam, & P. Sanchez propositionem? Non sane aliud, nisi quod Sanchez addit illa duo adiectiva *docti, & pii.* Verum haec duo adiectiva non videntur damnationi propositionem subducere. Si modernus Probabilista, non Summam, seu collectionem aliquam, sed Librum, aut duos Tomos Theologiae moralis ediderit, doctus habendus erit, maxime si non sit velut ovis & avis, qui communem sententiam sequatur absque fundamentorum examine. Quod etiam pius habendus sit, nisi impius innotescat, res evidens est. Porro nemo dixit umquam, hominem impium aut improbum alicuius esse auctoritatis. Nec improborum aut impiorum libri approbantur. Qui sunt inter omnes Auctores Probabilistas, immo & laxiores, qui pii non censeantur, potissimum si non sint reiecti a Sede Apostolica? Quin, etiamsi sint proscripti, pii habentur a Probabilistis. An dicent, non esse pios PP. Moya, Fabri, Pirot? An negabunt esse *doctos & pios* PP. Baunium, Tamburinum, P. Dianam, Illustrissimum Caramuelem, P. Pasqualigum, Leandrum, Antonium a Spiritu sancto, Samarguam, Vericellam, aliosque simillimos multos? Nemo sane ex Probabilistis haec duo adiectiva *docti, & pii* negabit recensitis, & aliis pene innumeris recentioribus. Ergo, quoties aliqua opinio reperitur in aliquo horum iuniorum, licitum erit illam amplecti. Si hoc autem admittatur, in fumum occidit damnata propositio. Quare, ut mea praefert opinio, doctrina P. Sanchez aut eadem reapse cum damnata est, aut eidem affinis, proxima, & laxa. Istius damnatae sententiae primus inventor fuit Celestius collega Pelagii; ut superiori dissertatione *cap. IV. §. IV.* ex Christiano Lupo vidimus.

IX. Nec placet absolute quod docet P. Dominicus Viva *loc. cit. num. 6.* nempe ad-

admitti posse *ut probabilem, non solum plurium, sed etiam unius Auctoris opinionem, etiamsi adversus communem aliorum sentiat, quoties Auctor est omni exceptione maior.* Quoniam penes Probabilistas Auctores omni exceptione maiores & classici sunt Tamburinus, Diana, Caramuel, Terillus, Sanchez, Castropalaus, Bonacina, Leander, aliique similes, qui utriusque sententiæ fundamenta expenderint. Ex hac P. Viva doctrina eadem sequuntur absurda ac ex priori opinione. Etiam Celestius dicebat *Non sufficit tibi unus Sacerdos* Ruffinus?

X. Magis displicet altera sententia quam idem P. Viva adprobat in P. Thomæ Sanchez, qui *Lib. I. in Decal. cap. ix. num. 24.* hæc scribit. „*An in conscientia tutus sit habens usum, atque propositum varios DD. consulendi, donec aliquem sibi ad libitum suum respondentem inveniat?* Adrian. Nav. . . *dicunt hunc in pravo statu esse.* Sed hoc intellige, quando hic non recta indagandæ veritatis intentione, sed inveniendi Doctoris ad libitum respondentis id efficit: & similiter, quando huic potius quam aliis fidem habet, nulla peculiari maioris huius peritiæ ratione ductus; nec amplius investigat, an ea opinio probabilis sit."

XI. Similes exceptiones passim præmittuntur, antequam laxæ opiniones promantur. Quis in discrimen umquam vocaverit, peccare eum qui *non recta veritatis indagandæ intentione ducitur, sed inveniendi Doctoris sibi ad LIBITUM respondentis?* Quis, non dico Probabilista, sed homo rudis sana præditus mente, a culpa eum purgaverit qui perverso consilio reperiendi aliquem qui pro ingenio, & ad libitum faveat suæ cupiditati, & desideriis, Theologos consulit varios? Similiter quis est ex mundanis hominibus qui pro viribus operam navarit negotiationi, artibus, tribunalibus &c. qui doctiorem eum communiter non reputent qui sibi magis favet? *Sanctum est quod volumus*, inquit Augustinus. Exceptiones ergo datæ, aut futiles sunt, aut nihil temperant laxitatem, ut ego arbitror, sequentis doctrinæ, quam ibidem continuo tradit Sanchez *Secus, quando recta investigandi intentione, an ea opinio sibi favens sit probabilis, animo firmo nil mali efficiendi, sed id solum quod sibi licere invenerit. Quia unicuique ius est ius suum protegendi, & ad id rationes quærendi.*

XII. Recta sit intentio tua inveniendi opinionem probabilem quæ te eximat a restitutione, a ieiunio, ab eleemosyna, ab amore inimicorum, & tunc secure consulere vales Doctores, & potiori iure libros doctorum, donec invenias aliquem quem iudices peritum, qui tibi faveat. Revolve Pasqualigum, Dianam, Caramuelem, aliosque similes, donec tandem invenias unum qui tibi indulgeat. Quis non sentit doctrinæ istius laxitatem?

XIII. P. Dominicus Viva exscribit, & confirmat hanc doctrinam P. Sanchez his verbis num. 7. *Hinc fit, posse aliquem consulere plures viros doctos, DONEC inveniat aliquem qui ab obligatione v. g. restituendi, vel ieiunandi illum excuset, ut docet*

cet Sanchez Lib. I. cap. ix. Palaus, Zumel, & alii non pauci apud Macado. Ratio est, quia unicuique licitum est suo iure uti, & per licitum & honestum medium deobligari, quale est varios Doctores consulere ad favorabilem opinionem inveniendam. Addit præter propter easdem exceptiones ac Sanchez, cuius doctrinam exscribit: idcirco illas prætereo. Lege integrum P. Viva *numerum* 7. ut facti veritatem compertam habeas.

XIV. Hæc doctrina nobis valde laxa apparet. Nec video quantum a propositione damnata distet. Illud breviter nunc adverto, tum licitum esse sequi opinionem alicuius Doctoris, quando bona fide homo simplex, vel idiota veritatis sciendæ amore consulit Theologum, Parochum, Confessarium, ut fusius suo loco dicetur. Ut nullo negotio teneas laxitatem doctrinæ præfatæ, id dumtaxat adverte, P. Vivam docere, te posse consulere varios Doctores, cur? ut veritatem assequaris? Ut sententia, tametsi rigidior, tibi manifestetur? Vah nimiam simplicitatem! Ut tandem invenias aliquem *qui ab obligatione v. g. restituendi, vel ieiunandi te excuset, ut docet Sanchez* &c. Aves rationis momentum: *Quia unicuique licitum est suo iure uti, & per medium licitum & honestum DEOBLIGARI*. Meditare *τὸ deobligari*, & omnia comprehendisti.

CAPUT II.

In hac 3. propositione, Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus, *evidenti ratiocinio colligitur damnatus Probabilismus.*

I. ET ut extrinsecus primum argumentum capiamus, continuo ac decretum hocce Innocentii XI. in lucem prodiit, maximo perculsi timore Probabilistæ, sententiam suam, veluti inopinati fulminis ictu enecatam, reputarunt. Huiusce facti testem assero R. P. Ignatium de Camargo Scriptorem synchronum. Hic autem hæc scribit Lib. II. contr. 11. art. 1. §. 1. num. 3. *Hanc in animum nostrum persuasionem vel recentiores ipsi induxissent, si cetera argumenta deessent. Vix enim illud Innocentii decretum per Ecclesiam vulgatum est, cum anxius quidam timor, nec mediocris sollicitudo animos eorum invasit pro benigna sententia. Cuius sane timoris haud leve præbet indicium, quod statim cœperunt multa cogitare discrimina, quæ, nullo etiam petente, reddebant, ut ostenderent damnationem illius articuli tertii de tenui probabilitate non tetigisse sententiam benignam.*

II.

II. Hinc patet, quam falso scripserit P. Paulus Segneri in sua 1. *epistola* §. 9. *num.* 47. ne pilum quidem probabilitatis amisisse post latum decretum sententiam benignam, seu laxam. Quod ut clarius pateat, effugia ad quæ se recipiunt Probabilistæ, expendamus. Primum omnium negant in aliquo reperiri Probabilista huiusmodi propositionem, *ut iacet*, ne dicatur surculus esse plantæ probabilisticæ. Illam vero in terminis docet P. Thomas Tamburinus Lib. III. in Decal. cap. III. §. 2. num. 3. *Dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, SEMPER prudenter agimus.*

III. Negant Probabilistæ, hanc Tamburini propositionem eamdem esse ac damnatam. Cur? Quod desit particula *generatim*, in qua contineri aiunt totum damnatæ doctrinæ virus. Sed hæ nugæ sunt, & gerræ, siculis vaniores. Nam si desit particula *generatim*, adest particula *SEMPER*, & propositio indefinita est, Particula hæc SEMPER includit particulam *generatim*. Si enim *semper* prudenter agimus, quoties *probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus*; profecto id *generatim* licitum est. Tò *semper* fortius est quam τὸ *generatim*. Hoc in illo, secus illud in isto includitur. *Generatim* plures exceptiones admittit: *semper* quamlibet excludit, & omnem eventum, atque casum comprehendit. Primum ergo commentum absolute vanum est & futile: atque adeo evidens mihi videtur, P. Tamburinum docuisse prædictam damnatam propositionem. Ille tamen scripsit ante decretum Innocentianum, atque adeo innocenter.

IV. Omissa Tamburini defensione, alio se recipiunt Probabilistæ, ut, sin minus Tamburinum, saltem Probabilismum damnationi subducant. Inquiunt, damnatam propositionem esse ob duas particulas *generatim*, & *semper*: idque hoc discursu evincunt. Iudices, medici nequeunt operari secundum opinionem minus probabilem: ergo idcirco damnata propositio est, quod *generatim*, & *semper* licitum usum sententiæ prætensæ benignæ asseruit. Hæc responsio solidior præcedenti non est. Decretum pontificium sigillatim damnat usum opinionis minus probabilis in iudicibus, & medicis, in sacramentis ministrandis, in rebus fidei. Superflua damnatio fuisset universalis propositionis, si noxia tantum hæc esset in particularibus quibusdam casibus, qui expresse, & separatim proscripti sunt.

V. Alio evidenti ratiocinio labefactatur præfata responsio. Confessarii in administratione sacramentorum, iudices in foro, medici in ægrotorum cura, non modo uti non possunt *probabilitate tenui*, seu *benignissima*, sed adhibere nequeunt vel ipsam *opinionem minus probabilem*, seu absolute *benignam*, ut aiunt. In omnibus his casibus, & similibus, ut fidei, belli, & in quibus grave proximi damnum imminet, absolute Probabilismus, seu usus opinionis *benignæ* damnatus est,

 ut

ut omnes fatentur. Ergo apertissima fallacia est asserere, tertiam propositionem de *tenui probabilitate* damnatam esse relate ad dictos casus particulares. Ergo planum est, non modo ob duas particulas *generatim*, & *semper*, sed absolute damnatam fuisse laudatam tertiam propositionem de tenui probabilitate.

VI. Tertiam, quod exhibent, responsum non minus imbecille est. Reponunt, idcirco propositionem proscriptam esse, quod *tenuis probabilitas* non sit *vera probabilitas*: quoniam tenuis probabilitas potius vera improbabilitas dicenda est. Basilice falluntur. Tenuis probabilitas damnatæ thesis non speculativa, sed practica est, atque conscientiæ regula, ut ex terminis propositionis patet: *qua confisi prudenter semper agimus*. Est vera probabilitas, ut pariter ex propositione patet: *Modo a probabilitatis finibus non exeatur*. P. Thomas Tamburinus, damnatæ thesis, ut ego quidem arbitror, auctor, hoc semper antidoto hanc proscriptam thesim munivit. Antidotum eiusmodi in hoc est situm, quod opinio probabilior tot luculentis argumentis nixa non sit, ut oppositam minus probabilem a gradu probabilitatis deiciat, agatque in exilium. Hæc sunt Tamburini verba loc. cit. num. 11. *Modo maior probabilitas alterius partis non sit tanta, ut deiciat a probabilitate illam oppositam: quia tunc, expulsa iam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat prudenter intellectus*. Limitatio hæc ipsissima est ac illa in propositione proscripta contenta: *Modo a probabilitatis finibus non exeatur*. Utraque hæc limitatio Tamburini est. Hanc ultimam, contentam in propositione damnata, tradit *num.* 3. priorem *num.* 11. Utraque eadem omnino est. Quare optime dictum est in historia Probabilismi, & Rigorismi *diss.* III. *pag.* 193. *identitatem* harum limitationum evidentem esse, cum differant penes solas voces, quidquid in oppositum mussitent morosi censores, qui de lana caprina cavillari in deliciis habent.

VII. Hinc evidenter colligimus, usum *veræ probabilitatis* in sensu adversariorum proscriptam ab Ecclesia fuisse. Ergo evidens, hoc principium potissimum, immo unicum probabilisticum, *Quisquis probabiliter operatur, prudenter operatur*, confixum, ut iacet, esse in 3. propositione damnata ab Innocentio XI. En evidens ratiocinium. Vera occurrit probabilitas, quam qui sequitur, prudenter non operatur. Ergo falsum est principium, *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur*. Antecedens patet. Nam probabilitas damnata in laudata tertia propositione est vera probabilitas. dicitur enim, *Modo a probabilitatis finibus non exeatur*. Ergo evidens est veram probabilitatem aliquam esse proscriptam. Similitudines, quibus implicare veritatem contendit P. Segneri in sua 1. *epist.* iam in nostra historia reiecimus: ideireo, ne actum agam, prætereo.

VIII. Quarta, quam exhibent, responsio seipsa corruit. Inquiunt enim, in laudata propositione 3. damnatum esse usum opinionis *probabiliter* tantum *probabi-*

lis.

lis. Verum ne id habet? Scilicet. Ergo damnati sunt *Vasquez*, *Tamburinus*, *Salas*, *Merola*, *Sanchez*, *Claudius La-Croix*, aliique plurimi, qui defendunt licitum usum opinionis probabiliter probabilis. Quis hoc asserit? P. Thomas Tamburinus *loc. cit. num.* 7. his verbis. „ Dubitabis secundo, ut valeat quis firma„ re opinionem probabilem, an debeat ipsi constare *evidenter*, talem opinionem „ esse probabilem; an sufficiat illi constare *probabiliter*? . . Absolute puto cum „ *Salas*, *Vasquez*, *Sanchez*, *Merola* apud Bardi, quibus adde *Vasquez disp.* XVIII. „ *satis esse in omnibus casibus constare*, *probabiliter opinionem esse probabilem*: „ tunc enim satis firmabitur certa moraliter illa veritas, me in hunc modum „ dirigens. *Ego hic & nunc prudenter operor*, *quia dum probabiliter puto*, *hoc* „ *esse probabile*, *satis prudenter illud iudicium in praxi sequor*. *Nec enim*, *quod* „ *opposita sit evidenter probabilis*, *deiicit opinionem meam a sua probabilitate*. "

IX. P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 368. systema istud PP. Vasquez, Sanchez, Salas, Merola proponit his verbis: *Utrum licitum sit sequi sententiam quæ probabiliter est tantum probabilis*? Et respondet, hoc systema esse probabile. *Hæc sententia est probabilis*. atque præter laudatos Doctores pro eadem laudat *Illsung*, *Banboltz*, *Ardeskin*. Subdit tamen, sententiam hanc esse de nomine. *In quæstione tamen de nomine malo* &c. Igitur iuxta P. Segneri, Terillum, aliosque Probabilistas proscripta evidenter est doctrina PP. *Vasquez*, *Sanchez*, *Salas*, *Merola*, *Tamburini*, *Illsung*, *Ardeskin*, *Banboltz*, *La-Croix*, qui sunt Probabilismi classici Doctores, & lumina prima. En quomodo Probabilistæ mutuo se se damnant, quoniam alia via nesciunt a damnatione Probabilismum purgare.

X. Aliam nunc conficio argumentationem ineluctabilem. Qui defendit Probabilismum, seu opinionem minus probabilem, vi necessariæ consequentiæ iuxta *citatos Auctores* astringitur propugnare, licitum esse etiam usum opinionis *probabiliter* tantum probabilis. Porro, si opinio tantum *probabiliter* probabilis damnata est in tertia propositione, ut contendunt *P. Segneri*, aliique *P. Terilli* sequaces, luculentum est iuxta doctrinam Vasquez, Salas, Sanchez, Merola, Tamburini, Ardeskin, La-Croix, damnatum esse ipsum Probabilismum, qui venefica radix est damnatæ propositionis.

XI. Confirmatur. Iuxta systema probabilisticum, qui probabiliter operatur, prudenter operatur. Ergo qui operatur iuxta opinionem probabiliter probabilem, prudenter operatur. Probo consequentiam. Dum iudico, probabile esse operationem meam esse licitam, prudenter operor. ergo dum probabiliter iudico, hoc esse probabile, prudenter operor. Siquidem qua ratione probabilitas directa reddit honestam operationem iuxta Probabilistas, eadem ratione probabilitas reflexa reddit probabilitatem directam regulam rectæ conscientiæ. Accedit. Maior probabilitas non destruit minorem probabilitatem. Ergo neque certa probabilitas

 eli-

eludit probabilitatem probabiliter probabilem. Postremum iuxta Probabilistas classicos, & primi nominis, quales sunt Vasquez, Sanchez, Salas, Tamburinus, aliique, ad rectitudinem conscientiæ non requiritur quod dictamen ultimum sit absolute certum. Vel, si iuxta alios Probabilistas certum esse debet dictamen istud, certitudo ista statim vi unius reflexionis habetur. Nam sicut probabilitas directa satis est ad dictamen certum, ita probabilitas reflexa fundamentum esse potest novæ reflexionis, quæ pariat dictamen ultimum certum. Ergo iuxta Auctores huius tertiæ responsionis æque damnata est probabilitas certo probabilis, ac probabilitas probabiliter probabilis. Ad hæc ratiocinia formanda nos cogunt Probabilistæ.

XII. Ultimo alia via penitus profligatur præfata responsio. AEque opinio certo probabilis, ac opinio probabiliter probabilis, gradum habere potest *tenuis probabilitatis*. Hæc propositio certa est. Quis dixerit, omnes opiniones certo probabiles gradum habere individuum probabilitatis? Quis negaverit, opinionum certo probabilium aliam esse magnæ, aliam minoris, aliam tenuis probabilitatis? Ex quibus has tres propositiones colligo. *Licet uti opinione minus probabili, dummodo vere, & practice sit probabilis*. Hæc prima propositio est veluti primum principium apud Probabilistas. Altera propositio hæc est: *Datur vera, & practica probabilitas, non deiecta a gradu probabilitatis, quæ damnata ab Ecclesia est*. Ergo vera, & practica probabilitas, seu Probabilismus absolute damnatus est. Alterutrum ergo Probabilistæ præstare debent, aut fateantur damnatum Probabilismum, aut assignent nobis gradum veræ probabilitatis, in quo damnatus non sit Probabilismus. Probabilitas *tenuis* vera, & practica probabilitas est, non deiecta, non profligata, non depressa a contraria probabilitate. Hæc vera practica probabilitas damnata ab Ecclesia est. Ergo Probabilismus absolute damnatus est. Assignent nobis Probabilistæ præcisum gradum probabilitatis veræ, & practicæ, ab Ecclesia damnatæ, quæ non iis principiis regatur ac probabilitas absolute accepta. Usquedum gradum istum præcisum veræ, & practicæ probabilitatis damnatæ absque fucis, & effugiis nobis aperte non designant Probabilistæ, nos damnatum Probabilismum asserimus. Quippe scimus, veram probabilitatem practicam esse ab Ecclesia damnatam: & cum hanc distinguere ignoremus, quamlibet probabilitatem minorem in conflictu maioris damnatam reputamus.

XIII. Adeo luculenta sunt argumenta hactenus facta, ut nulla eludi cavillatione valeant. Probabilistarum vulgus forsitan reponet, post decretum Innocentii XI. Probabilistas defendisse suum Probabilismum absque ulla nota: quod præstare nequivissent, si damnatus Probabilismus fuisset. Accedit quod sententia benigna delata ad Pontificem fuit, & tamquam aurum in fornace probata, illæsa prodiit. Ergo per summam iniuriam asseritur censura aliqua confixa.

XIV.

XIV. Respondet P. Ignatius de Camargo Lib. II. contr. 11. art. 4. num. 61. *Vulgarem hunc discursum millies audivi; sed ab hominibus levioris notæ, & qui vulgaria quæque sine examine ullo & suscipiunt, & proferunt pro sustinendo suo, quem amant, sed non agnoscunt, Probabilismo . . . Porro argumentum hoc nimis absurdum videtur, cum iidem ipsi Pontifices per sua memorata decreta illud clare, ac signanter reprobaverint*. Hoc futile sophisma fusius a nobis refutatum est in libro inscripto *Quaresima Appellante præfat. apologet. §. 7.* Addam hic auctoritatem unius recentis Probabilistæ, nempe P. Dominici Viva, qui in *propos.* 27. Alex. VII. *num.* 4. hæc scribit. *Neque obstat quod libri, antequam in lucem prodeant, sub oculos censorum cadant. Sæpe enim librorum censores ex oscitantia, aut ex conniventia approbant codices reprobandos. sæpe etiam ea non pollent perspicacia quæ valeat opinionum laxitates taxare, & pondus rationum iuxta meritum librare. Ecclesia deinde non configit opiniones laxas statim ac prodeunt: tum quia non statim ad eius tribunal deferuntur, tum quia ad id opus est maturo examine: ut proinde pede claudo descendat ad condemnationes, cum sæpe opiniones verbis implexis virus evomant. Propterea Innocentius XI. & Alexander VII. in suis decretis monent, non censendas esse approbatas alias propositiones ibi non expressas, etiamsi Sedi Apostolicæ exhibitæ sint, ut damnentur*.

XV. Ad auctoritatem P. Camargo reponere forte potuissent Probabilistæ, nullius esse momenti, cum sit Antiprobabilista. Qua responsione elevare nequeunt auctoritatem P. Dominici Viva, utpote benigni Probabilistæ. Porro, ut paucis rem totam complectamur, non assero ego, sententiam prætensam benignam expresse, & solemni decreto pontificio esse damnatam, sed evidenti ratiocinio, & demonstratione theologica eiusdem damnationem hactenus collegi. Et his nostris argumentationibus nullum solidum responsum reponent umquam Probabilistæ.

XVI. Gravis momenti doctrina memoriæ est commendanda. Antequam Sedes Apostolica damnet aliquam doctrinam inter Catholicos controversam, summa incedit maturitate, &, ut dicitur, claudo pede. Deferuntur ad illius tribunal opiniones damnandæ, & reapse damnabiles. Non continuo eas anathemate configit. Ergo propterea licitus est earumdem usus? Illatio ista *Ignorantissimi* partus est. Eiusmodi propositiones ex hoc solo capite, quod delatæ ad tribunal, non fuerint proscriptæ, haud sunt regula sufficiens rectæ conscientiæ. Communis est hæc Theologorum doctrina. Ecclesia catholica spiritum christianæ Moralis ardentissimo zelo promovet in suis filiis: laxæ doctrinæ pericula patefacit, & insinuat. Argumenta, & indicia hactenus nobis exhibita, quibus se improbare Probabilismum declaravit, splendida sunt, omnibusque pervia. Quod ad expressam, & solemnem illius condemnationem non devenerit, nostra non interest perscruta-

tari. Deum, a quo regitur, imitatur. Tolerat cum tritico zizania usque ad messem. Sed non propterea, quod differat falcem extendere, veneficas herbas approbat; quin evidentibus signis eas se detestari ostendit, cavendumque ab eisdem clamat. Inter lolium, & granum triticeum, antequam ad spicam perveniat, similitudo maxima: propterea, ne simul cum lolio eradicetur triticum, falx suspensa hæret usque ad opportunum tempus messis. *Inter triticum, & zizania* (inquit Hieronymus in Matth. cap. XIII.) *quod appellamus lolium, quamdiu herba est, & necdum calamus venit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo nulla, aut difficilis distantia.* Nihil illustrius, nihil efficacius contra modernum Probabilismum, inquit P. Camargo. Sub similitudine enim tritici, & zizaniorum, non modo boni, & mali homines, sed etiam sanæ, & noxiæ doctrinæ comprehenduntur. Opiniones probabilisticæ similes sunt doctrinis veris, quemadmodum lolium tritico. At quemadmodum hæc similitudo non tollit quominus zizania tempore messis in ignem mittenda sint, sic apparentia similitudinis inter doctrinas minus probabiles, & probabiliores non impedit quin illæ noxiæ sint, atque damnandæ.

XVII. Nec est quod opponas, me Prophetæ munus usurpare, dum Probabilismi, seu benignæ sententiæ damnationem præsagio: quoniam non prophetiæ, sed justi ratiocinii vim ostendo. Talia quippe damnationis solemnis futuræ signa præcedunt, quemadmodum ostendi, & ostensurus sum, ut absque ullius prophetiæ, sed solius dialecticæ usu pronuntiare jure meritoque valeamus, futuram Probabilismi, seu sententiæ quam vocant benignam, damnationem. Hanc similitudinem tritici, & zizaniorum fuse explicat Augustinus *Lib. de fide, & oper.* ubi *cap.* XVII. aliam quoque similitudinem piscatorum introducit sub finem ejusdem *cap.* XVII. his verbis. *Retibus bonis capi possunt pisces boni, & mali. Retibus autem malis capi non possunt pisces boni. Quoniam in doctrina bona & bonus potest esse, qui audit, & facit, & malus, qui audit, & non facit. In doctrina vero mala & qui veram eam putat, quamvis ei non obtemperet, malus est, & qui obtemperat, pejor est.* Terroris plena est hæc sententia Augustini, quæ tamen Probabilismo magnopere quadrare videtur.

CAPUT III.

Probabilismus in illa propositione 2. decreti Innocentii XI. Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem, *ut evidentis ratiocinii damnatus demonstratur.*

CAput istud tribuo in varios §§. claritatis gratia. Magni quippe momenti est argumentum quod dispiciendum assumpsi; & quo efficacius est ad evertendum Probabilismum, eo Probabilistæ acutiores fiunt in multiplicandis cavillis, quos omnes repellere iuvat.

§. I.

Communiter Probabilistæ ante Innocentium XI. teste Diana, Salmanticensibus, & aliis, defendebant, iudicem posse iudicare secundum opinionem minus probabilem.

I. THeologorum nemo, antequam Probabilismus prodiret in mundum, hanc damnatam thesim docuit. Veritas facti hæc est certissima. Vix apparuit Probabilismi caligo, &, luce veræ doctrinæ obtenebrata, erronea thesis disseminata fuit, & communis inter Probabilistas evasit, ut testantur doctissimi Theologi Salmanticenses tract. xxix. cap. 1. punct. 4. *Hanc sententiam plurimi antiquitus amplexati sunt, nimirum fere OMNES qui opiniones probabiles in conspectu probabilioris tutas sentiunt, & multorum iudicio satis consequenter.* P. D. Antoninus Diana *Tom. VIII. tract.* 1. *resol.* 20. *&* 22. plures citat; ipse vero non modo damnatam sententiam ut *classicus* Probabilista defendit, sed insuper addit, posse iudicem pro ingenio eam inter duas opiniones probabiles eligere quam amico suo magis favere cognoverit. En illius verba cit. resol. 20. *Infertur contra Bannez, integrum esse iudici ex duabus opinionibus probabilibus, quam maluerit, eligere, & secundum eam IUDICARE PRO AMICO: immo cessante scandalo, nunc secundum unam, nunc secundum aliam; quod ego sentio, ut dictum est, etiamsi contraria sit probabilior.* Sequenti vero *resol.* 22. *num.* 7. prolixum elenchum format Theologorum qui damnatam sententiam propugnant, suntque sequentes. *Rua, Martinez, Alvarez, Merola, Delrius, Franciscus Lugo, Caspensis, Fagundez, Petrus a S. Ioseph, Dicastillus, Texeda, Hurtadus, Possevinus, Lessius, Martinus de S. Ioseph,*

Hac-

Hacquetdus, *Samuellius*, *Escobarius*, *Escobarius Iurista*, *Catellius*, *Corneio*, *Serra*; *Gaspar Hurtadus*, *Machadus*, *Guazzinus*, *Laurea*, *Pasqualigus*, *Medina*, *Salas*, *qui notat communem esse Theologorum*.

II. Hoc expleto elencho concludit num. 8. *Videat modo Eminentissimus Cardinalis de Lugo, quot sapientissimos viros contra se habeat, apud quos invenies soluta omnia argumenta ab ipso, & aliis in contrarium adducta*. Plures alios Theologos addere ipse possem. P. Ignatius de Camargo *Lib. II. contr. 111. art. 1. §. 1.* pro præfata damnata propositione inquit: *Ad septuaginta saltem notatos habeo*.

III. Hinc colligo ineluctabilem demonstrationem, ab *auctoritate* arcessitam. Septuaginta Probabilistæ secundum Camargo docuerunt damnatam thesim; secundum *Salmanticenses*, *Dianam*, *Salam*, aliosque, communiter Probabilistæ ii qui scripserunt ante propositiones damnatas, eamdem damnatam opinionem propugnarunt. Hæc prima propositio certissima est. Secunda. Eiusmodi Theologi Probabilistæ non aliis principiis damnatam thesim defenderunt, nisi principiis, & rationibus ipsius Probabilismi. Quin, licet peculiares rationes occurrant, quæ, Probabilismo etiam admisso, suadeant iudicem debere iudicare secundum probabiliorem; tamen Probabilistæ communiter iudicarunt, tantam inter Probabilismum, & damnatam thesim connexionem reperiri, ut nequeat ille sine hac consistere. Provoco Probabilistas omnes recentiores, qui post decretum Innocentii XI. scripserunt, ut revolvant libros omnium Probabilistarum anteriorum. Si vel unicam veram rationem repererint quæ a principiis intrinsecis Probabilismi eruta non sit, pro infecta hanc argumentationem habere volo. Hæc itaque secunda propositio similiter vera, certa, & evidens est: facti quippe veritas est. Tertia vero propositio necessario consequitur. Ergo septuaginta Probabilistæ, teste Camargo, testibus Salmanticensibus, Salas, Diana, aliisque, eo modo iudicarunt veram sententiam damnatam de iudice iudicante secundum minus probabilem, quo iudicarunt verum Probabilismum. Sententia quæ docet, iudicem posse iudicare secundum sententiam minus probabilem, Ecclesiæ definitione falsa est, temeraria, & scandali plena. Ergo iudicio septuaginta, immo communi assensu Probabilistarum Probabilismus falsus est, scandali plenus, atque eisdem subiectus censuris quibus obnoxia est sententia quæ asserit, posse iudicem iudicare secundum opinionem minus probabilem. Quæ omnia paucioribus verbis perstringi valent. Septuaginta, immo communiter Probabilistæ ante Innocentium XI. iudicabant, eodem modo posse iudicem iudicare secundum opinionem minus probabilem quo potest Paulus pingere in die festo secundum sententiam minus probabilem. Prima est damnata: ergo & secunda. Ergo damnatus Probabilismus est communi consensu Probabilistarum qui scripserunt ante Innocentium XI. Hæc consequentia, præsupposito facto, quod nempe 70. Probabilistæ, immo quod communiter isti docuerunt,

rint, posse iudicem ex principiis Probabilismi iudicare secundum opinionem minus probabilem, adeo vera, & manifesta est, ut a nemine in discrimen vocari queat.

IV. Ostensa damnatione Probabilismi auctoritate saltem septuaginta Probabilistarum, manus nunc consero adversus alios Probabilistas, qui ante, & post decretum Innocentii XI. defendunt, non posse iudicem iudicare secundum sententiam minus probabilem ob peculiares rationes, quæ non urgent in aliis actionibus, quarum solum honestas spectatur. Sententia ergo iudicis, & Probabilismus duæ sententiæ disparatæ omnino sunt iuxta hos Probabilistas.

§. II.

Iuxta principia Probabilismi reflexi P. Antonii Terilli iudex potest, & debet iudicare secundum opinionem minus probabilem.

I. PA. Antonius Terillus, Probabilismi *reflexi* facile princeps, fuso calamo defendit, non posse iudicem secundum opinionem minus probabilem iudicare, tum *de conft. probab. quæst.* XXIV. tum *de regul. mor. quæst.* XX. Verum ipse ea principia excogitavit, quibus ruentem Probabilismum sustineret, ut iis admissis necessario consequatur usus licitus sententiæ benignæ in foro exteriori: idque paucis evinco.

II. Potissimum P. Terilli principium, cui fidit suum Probabilismum, est cessatio cuiusque legis, quoties de hac lege in utramque partem disputatur. In hac hypothesi vox & sonus legis dumtaxat remanet: quoniam tum lex promulgata non est. Porro lex non promulgata, perinde est ac si numquam fuisset in mundo. *Ridiculum esset* (inquit Terillus de reg. mor. quæst. XXXV. num. 28.) *si, supposita negatione sufficientis promulgationis de lege, adhuc ipsius obligatio quæreretur*. Hoc principium susius infra discutietur. Illud nunc assero, principium istud paradoxon esse portentosum, quo posito, omnes leges in fumum abeunt. Illud tamen ut verum nunc admittere volo, & ex eo talem conficio argumentationem. Ante iudicem litigant Titius, & Sempronius super valore testamenti, in quo Titius heres institutus est cum damno Sempronii heredis ab intestato iure successionis. Contendit Sempronius, nullum esse testamentum defectu conditionum, & clausularum quas leges positivæ præscribunt. oppositum Titius defendit. In utramque partem iura, & rationes militant. Probabiliores tamen favent Sempronio, & iudex clare dignoscit, opinionem probabiliorem favere Sempronio. Quid sententiæ pronuntiabit iudex? Iuxta capitale principium P. Terilli non poterit modo, verum etiam debebit iudicare secundum minus probabilem in fa-

vorem Titii : quod evidenter ostendo. Lex positiva hoc in casu controversa est; disputatur enim *probabiliter* in utramque partem. Opinio minus probabilis favet Titio. Tum pugna harum duarum opinionum abolet legem positivam, quæ præscribit conditiones servandas in testamenti confectione : lex enim controversa non est lex iuxta Terillum. Sublata lege hac positiva, testamentum iure naturæ validum est. Ergo iudex debet, nedum potest, iudicare secundum opinionem minus probabilem faventem Titio. Hoc ratiocinium adeo firmum est & evidens, ut in duobus Terilli Tomis nulla inveniatur cavillatio qua elevari valeat. Nam de principio Terilliano dubitari nequit; cum passim illud obtrudat, ceu basim præcipuam probabilisticæ machinæ. Repetit enim de reg. mor. quæst. xx. num. 23. pag. 189. *Uno verbo sola probabilitas de non lege efficit ut lex sufficienter promulgata non sit*. Lex non promulgata non est lex iuxta omnes. Ergo in citato casu, & similibus iudex astringitur iudicare secundum minus probabilem opinionem. Neque dicas, tum iudicem iudicare secundum opinionem certam & securam : quoniam, sublata lege positiva, iure naturæ testamentum nullum est. Siquidem cur nullum est testamentum? Quia iuxta Probabilismum P. Terilli lex probabiliter controversa non est lex. Ergo vi Probabilismi iudex sententiam profert iuxta opinionem minus probabilem faventem Titio.

§. III.

Alia discrimina quæ Probabilistæ assignant inter iudicium fori externi, & interni, commentitia.

I. PRincipium universale cui nititur Probabilismus, est istud : Qui probabiliter operatur, prudenter operatur. Opinio probabilis impedit quominus lex sit sufficienter promulgata. Prudentis est sectari probabilia. Porro hæc omnia, utpote indefinita, aut nullibi, aut ubique tenent. Ergo aut nemo potest operari secundum opinionem minus probabilem, aut valet etiam iudex, ut fassi sunt communiter Probabilistæ ante Innocentium XI. idque testatur vel ipse Terillus, adfirmans hanc de iudice sententiam fuisse olim probabilem *ob multitudinem Auctorum gravium eam affirmantium* : de reg. mor. quæst. xx. num 5.

II. Mirificum est responsum, ne dicam futile, quod ad hoc argumentum Probabilistæ reponunt. Inquiunt ergo, eum prudenter operari qui opinionem *practice* probabilem, secus qui opinionem *speculative* probabilem sequitur. Opinio minus probabilis, quæ in tribunali favet Titio ad hereditatem assequendam, *speculative* probabilis est, secus *practice*. Cur? Quia probabilitas practica spectat licitum aut illicitum, honestum vel inhonestum; probabilitas speculativa iura & leges meditatur. Audi P. Terillum, qui *de reg. mor. quæst. xx. assert. 1. num. 2. pag. 181.*

181. hæc scribit. *Benigna sententia universaliter docens, usum probabilium esse licitum, non loquitur de speculative, sed solum de practice probabilibus. In eo autem differt probabilitas speculativa a practica, quod practica non de rebus, & iuribus, sed solum de licito, vel illicito tractet, e contra vero speculativa probabilitas de iuribus, & rebus, non de licito, & illicito enuntiat.* Hac distinctiuncula eludere sibi Terillus cum ceteris Probabilistis blanditur argumentum factum. Quare *num.* 23. applicat hanc distinctionem, inquiens: *Respondeo, obiectionem manifeste confundere probabilitatem practicam cum speculativa.* Et fusius ibidem num. 4. pag. 184. *Exempla illa* (de iudicibus, & ministris sacramentorum) *procedunt de opinionibus solum speculative probabilibus, utpote quæ non agunt de licito, & illicito, sed solum de rebus, & iuribus .... Ergo non sunt ad rem, neque tangunt præsentem difficultatem: ad hoc enim afferri deberent exempla opinionum practice probabilium.*

III. Cuinam in mentem venisset, potuisse Terillum, virum alioquin acutum, tam futile commentum prodere? *Opinio quæ iura, & res tractat*, quæ decidit, cuinam fundi, feuda, & arva debeantur, non est practica? Cur? Quod non respiciat licitum, aut illicitum, sed iustum, vel iniustum. Iurisprudentia ergo scientia practica non erit? Terillus praxis notionem se ignorare hic ostendit. Si opinio minus probabilis, quæ favet Petro ad hereditatem consequendam, non est practice probabilis, iura, & res spectat; ergo neque sententia magis probabilis practice probabilis erit ob eamdem rationem. Ambæ quippe opiniones spectant idem omnino obiectum, & eisdem circumstantiis vestitum. Ergo aut utraque, aut neutra practice probabilis est. Iudex ergo secundum sententiam probabiliorem adiudicans Petro agrum, iudicat secundum opinionem *speculative*, non *practice* probabilem? Quod si asserant, probabiliorem esse *practice* probabilem, fateri coguntur vi suorum principiorum, minus quoque probabilem opinionem *practice* esse probabilem. Ergo effugium ad distinctionem probabilitatis speculativæ, & practicæ inane, vanum, & chimæricum in præsenti caussa est. Omnes quippe opiniones, sive Theologiæ moralis, sive Iurisprudentiæ, quæ opera externa, vel executionem operum spectant, practicæ sunt. Adeo fictitia, & ridicularia disparitas est, ut ab ulteriori confutatione abstineam.

IV. Sentiunt & ipsi Probabilistæ futilitatem datæ distinctionis: idcirco alias peculiares rationes excogitarunt, cur iudex nequeat iudicare secundum minus probabilem.

V. Prima ratio quam affert Terillus *de consc. probab. quæst.* XXIV. *num.* 9. quamque vocat *a priori*, hæc est. Iudex vi sui officii sustinet personam publicam, ut unicuique ius suum reddat. *Hoc*, inquit, *adeo lumine naturæ verum est, ut alio habitu non pingatur iustitia quam oculis obvelatis cum bilance in una, & gladio in al-*

altera manu, quo ænigmate exprimitur, iudicem iuste iudicantem nullo affectu in alterum ex litigantibus debere inclinari, sed sententiam definitivam proferre pro parte cuius rationes præponderant. Urget *num.* 10. officium iudicis esse sententiam dicere secundum quod sibi verius & verisimilius apparet: quod confirmatur exemplo iudicis arbitri. Postremum ideo eliguntur iudices sapientiores, morumque integritate ornati, ut nulla prava affectione pervertantur in iudicando; sed ut secundum probabiliora fundamenta decernant.

VI. Hæc rationum momenta evincunt, quemlibet privatum, æque ac iudicem, debere secundum probabiliorem opinionem sententiam ferre. Quid? Iudex debet sincere, excluso quovis humano affectu, rationum momenta librare, ut cuique secundum id quod sibi probabilius est, ius tribuat; homo vero in dubiis super lege naturali, & divina, in cuius decisione non unius prædii, sed æternæ salutis negotium agitur, non tenetur sincere inquirere veritatem, & omnia rationum momenta mature expendere, ac librare ex solo sincero veritatis amore, & iudicium ferre secundum id quod sibi verisimilius apparet? An hoc negotium ceteris omnibus præferri non debet? Quis dixerit, magis cavendam esse ne damnum temporale Sempronio, quam ne offensa divinæ maiestati inferatur? Quis Catholicorum, immo Ethnicorum, id asseruerit? Ergo rationes allatæ a Terillo æque evincunt, iudices conscientiarum, ac caussarum temporalium debere iudicare secundum opinionem probabiliorem. Ergo in nihilum recidit machina probabilistica. Quænam, amabo, Theologia hæc est, quæ iudices conscientiarum absolvit ab onere iudicandi secundum quod verosimilius apparet, ad id vero adigit iudices agrorum, & prædiorum?

VII. Iterum labefactatur P. Terilli, & Probabilistarum commentum. Confessarii sunt iudices conscientiæ, non secus ac iudices fori externi. Ergo si isti, etiam illi tenentur iudicare secundum probabiliora.

VIII. Respondet Terillus cum suis Probabilistis de *consc. quæst.* XXIV. *num.* 26. *pag.* 476. his verbis, quæ syllabatim exscribere iuvat, ut iudicent lectores, quantæ sit auctoritatis classicus iste Probabilista. *Resp. disparitatem esse, quia Confessarius format dictamen suæ conscientiæ DEPENDENTER a dictamine conscientiæ pœnitentis. Pœnitens enim non peccat, nec excusatur a peccato per iudicia Confessarii, sed solum per propria iudicia. Ergo Confessarius, qui iudicare debet de peccato pœnitentis, respicere debet ad sententiam quam pœnitens bona fide secutus est; quæ, etsi directe minus probabilis, excusat pœnitentem a peccato, adeoque determinat Confessarium ad dicendum, quod illa, licet directe minus probabilis, bona fide eam sequentem a peccato liberet. At iudex suum iudicium per iudicium litigantium non regulat: alioquin in utriusque favorem deberet sententiam pronuntiare. Itaque iudex suum iudicium, suamque sententiam solum regulat per ea quæ sibi, non quæ aliis probabi-*

liora

hora videntur; ideoque sequi debet quæ ipse, omnibus pensatis, judicat esse probabiliora.

IX. Hæc responsio absolute accepta, ut exhibetur a Terillo, aut hæresim redolet, ut mea minima præfert opinio, aut perridicula est. Confessarius format dictamen suæ conscientiæ DEPENDENTER a dictamine pœnitentis? Confessarius ergo non est judex in tribunali pœnitentiæ? Si hoc asseris, in hæresim incidis Lutheranorum, & Calvinistarum. Si concedis, judicem esse; numquid in judicio suo formando a pœnitente dependet? Regula judicii judicis erit judicium ipsius rei? Hoc portentosum paradoxon excogitavit Terillus. Clarius rem explico. Quod Confessarius debeat audire pœnitentem, & scire qua fide, qua conscientia talem, vel talem actionem exercuerit, quod debeat eumdem interrogare, ejusdem excusationes, & rationes expendere, cur hoc, aut illud egerit: res est extra controversiam; quemadmodum judex fori externi tenetur audire rationes, & jura litigantium, qua fide possideant prædia &c. Verum quemadmodum judex, auditis litigantium rationibus, eas ad jura, & leges revocat, & quod probabilius secundum jura apparet, decernit; ita Confessarius, audita pœnitentis confessione, & excusationibus omnibus, legem Christi, & Ecclesiæ consulit, & secundum has leges judicia format, minime vero secundum dictamen pœnitentis.

X. Nullus dubito quin vel ipsi idiotæ Catholici, si audirent hoc prodigiosum Terilli responsum, maximum paterentur scandalum. Quoniam aut negas, aut affirmas Confessarium esse judicem. Si negas, Lutheranus, & Calvinista audis. Si ais: ergo, qua judex, pendere haud valet a judicio pœnitentis. Quis umquam adeo desipuit, ut docuerit, judicem in ferenda sententia pendere a judicio rei, quem reipsa judicat? Petit nimis crasse principium P. Terillus in præfato responso, dum pro certo obtrudit, pœnitentem sequentem bona fide opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris, a peccato esse liberum, & ut talem judicare eumdem judicem debere. Supponit quod est in quæstione, utrum nempe pœnitens sequens opinionem minus probabilem in conspectu probabilioris, immunis a culpa sit. Id nos negamus. Ergo iterum ridiculum est discrimen.

XI. Efficacius rejicitur præfatum commentum. Si Confessarii judices in formando judicio penderent a judicio pœnitentium, non a legibus Ecclesiæ, jureque divino; semper absolvendi pœnitentes essent, numquam ligandi. Patet hoc. Nam nemo Catholicorum ad tribunal pœnitentiæ se sistit, qui non habeat dictamen, quo se judicet dignum absolutione, spectata Dei misericordia. Si enim indignos absolutione se judicarent, profecto ad illud tribunal non accederent, ut res evidens est. Ergo aut dicendum, omnes pœnitentes semper absolvendos esse; aut fatendum, Confessarios judices non plus pendere a pœnitentibus in judicando, quam pendeant judices a judicio litigantium in decidendo, cui debeatur prædium. Id

verum dumtaxat est, Confessarios fidem adhibere dictis pœnitentium, qui sunt in hoc tribunali actores, & rei. Ceterum in formando judicio super eorum culpis, a legibus divinis, & ecclesiasticis, minime a reorum dictamine, pendent. Et Terillus, qui secus docet, evidenter aberrat a vero.

§. IV.

Refelluntur aliæ Probabilistarum disparitates, seu commenta, quibus contendunt, judices, secus alios, debere amplecti probabiliorem sententiam.

I. MEns omnium litigantium est subjicere jura sua, seu rationes recto judicum judicio, secus eorumdem voluntati, quæ facillime corrumpi potest. Porro judex tenetur judicare juxta communem omnium litigantium voluntatem; cum ad hoc eligatur a Republica. Ergo tenetur judicare secundum id quod probabilius sibi videtur. Quod confirmari potest illo principio *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Quisque autem vellet judicari secundum rationes potentiores.

II. Vera sunt hæc omnia. At ab imis suffodiunt fundamenta Probabilismi. Quoniam si communis hominum sensus est ut judicia ferantur in rerum temporalium partitione, & decisione secundum sententias probabiliores, potiori jure hæc servari regula debet in judiciis super licito, aut illicito actionis. Aut contra, si intellectus in æternæ salutis negotio non tenetur sequi probabiliora, multo minus ad id adstringitur in temporalium litium definitione. Quid ad hæc Probabilistæ? Dicturi ne sunt minoris momenti esse errorem in æternæ salutis, ac in temporalis litis decisione? Dicant nobis Probabilistæ, num voluntas hominum ejusmodi sit in moralibus controversiis super restitutione rerum, super debitorum solutione, ut judicia ferantur secundum magis verisimilia. Dicant, num mens & voluntas Dei sit, controversias suæ legis definiri secundum id quod minus verosimile est. Principium, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, destruit Probabilismum, ut clarius infra patebit.

III. Altera ratio, quæ tum ab Elizalde, tum a Terillo adducitur, ut probetur, judicem sententiam ferre suam debere secundum probabiliorem opinionem, est, quia alioquin male provisum pauperibus, viduis, & pupillis esset. Quoniam isti pauperes omnes communiter caussa caderent in judicio, etiamsi validiores pro se haberent rationes, quoties licitum judici esset judicare secundum minus probabilem opinionem. tunc enim judices faverent propinquis, divitibus, magnatibus, sententias secundum minus probabiles opiniones ferendo.

IV. Hoc confirmat P. Elizalde *Lib. I. quæst. xv. §. 2.* & ex ipso Terillus de *reg. mor.*

mor. quaest. xx. num. 27. Si iudices possent iudicare secundum minus probabilem opinionem; consultius atque expedientius fuisset miseris, pauperibus, pupillis, & viduis, eorum lites sortibus definiri. Quoniam in hac hypothesi aequalis esset spes victoriae, ac timor iacturae. Praeterea expensas, molestias, & dilationes vitarent. Atqui absurdum est dicere, formam publici iudicii suapte natura noxiam, infestamque esse pauperibus; meliusque provisum illis fuisse, si per sortes eorumdem lites dirimerentur. Ergo concludendum, iudices debere iudicare secundum sententias magis probabiles.

V. Vix in mentem venire potest, qua ratione ausint Probabilistae haec promere argumenta; cum penitus profligent Probabilismum. Passim iudices ferrent sententiam adversum pauperes, & in favorem divitum, ac propinquorum, si licitum esset iudicare secundum minus probabilem opinionem. Verum habet. Quis propinquior, quis carior homini quam homo ipse? Quis ivent inficias, homines magis affici erga semetipsos, erga propriam libertatem, quam erga alios homines amicos, & potentes? Ergo quae timentur absurda in exteriori foro ex usu minoris probabilitatis, eadem, immo peiora, & frequentiora occurrent ex usu eiusdem minoris probabilitatis in caussa propria. Iudicabunt quippe homines secundum opinionem quae favet, non legi divinae, non proximo, sed proprio commodo, propriae utilitati. Caderent in iudicio pauperes, viduae, & pupilli, si iudices possent iudicare secundum opinionem minus probabilem. Ergo caussae cadent in tribunali conscientiae Deus, & homines, licet fortioribus muniti rationibus, quoties licitus esset usus minoris probabilitatis. Ergo in utroque tribunali eadem absurda.

VI. Ad confirmationem fatemur, immo nostrum est argumentum, commodiorem fore pauperibus talorum iactum quam iudicis sententiam in dirimendis litibus, si vigeret usus minus probabilis opinionis. Sed legi quoque naturali, & divinae, atque ipsi Deo, & iuri unius hominis adversus alterum magis propitia esset sors in dirimendis controversiis moralibus, quam sententia Theologorum, Confessariorum, & cuiusque intellectus. Quoniam sors aequaliter faveret, & esset adversa legi, Deo, & iuri unius hominis adversus alium. At dum Theologi, Confessarii, & homines ipsi sententiam ferunt secundum opinionem minus probabilem, semper favent libertati, & humanitati adversus legem, Deum, & homines.

VII. Aliud argumentum cum P. Terillo opponunt Probabilistae. Si iudex iudicaret secundum minus probabilem in controversia super iure Sempronii ad praedium, mentiretur: quoniam significaret exterius, rationes Titii apud se praevalere, praeponderare, quod tamen falsum esset in data hypothesi.

VIII. Hoc argumento utitur Celladeus, seu P. Elizalde, ut evincat usum probabilem aut absolute, aut nullo modo esse licitum. Et revera mentiturum iudicem in data hypothesi, planum est; at falsum in sententia P. Terilli, & Proba-

babilistarum. Quippe iuxta Terillum, & Probabilistas quisque valet libera sua electione iudicare esse reapse verum rectumque quod minus verosimile sibi apparet in instanti praecedente tale iudicium, praecipue si pro parte opposita non sit evidens excessus. Nonne principium capitale Terilli, & Probabilistarum est, quemquam posse vi syllogismi reflexi efficere ut propositio falsa evadat vera, & minus probabilis directe, probabilior reflexe appareat? Ut quid ergo P. Terillus mendacii accusat iudicem in foro externo iudicantem Titium; & veracem reputat iudicem in foro interno iudicantem eumdem Titium super eadem omnino caussa? Quid quod Terillus de *reg. mor. quaest.* xx. *num.* 27. *pag.* 190. nihil absurditatis videt in eiusmodi illationibus Ubique antilogiis semetipsum conficit homo iste, & verborum involucro se obtegere studet. Et quoniam incredibilia haec videntur, iubet eiusdem transcribere verba ex *loc. cit.* Et primum exscribo argumentum oppositum ab Elizalde. „ Iudex ex imperio voluntatis flectere potest suum intellectum „ ad assensum praestandum parti minus probabili. In hoc casu prudenter credit „ ius illi favere qui habet rationes minus probabiles. Ergo licite potest sequi opi- „ nionem minus probabilem: quia fungitur officio suo, si externam sententiam „ interno suo iudicio conformet. Ita obiici potest ad ostendendum, quod vel nul- „ lus, aut universalissimus probabilium usus liceat." Hoc est argumentum Celladei *Lib. I. quaest.* xv. *§.* 2. exscriptum a P. Terillo, cui respondet sequentia.

IX. *Respondeo, iudicem flectere posse intellectum ad tale iudicium, quando motiva in actu primo ipsum impellentia non evidenter se invicem absolute excedunt. In tali enim casu errare iudex potest, ac per voluntatis imperium in actu secundo praeferre motiva VERE MINORA MAIORIBUS, ac credere illud esse verum pro quo in actu primo minorem stimulum habebat. Verum in eo casu ipse in actu secundo putat partem, quam veram putat esse, multo probabiliorem opposita; quia unicuique suum opinatum probabilius est.*

X. Duo hinc collige. Alterum, P. Terillum reipsa vi suarum reflexionum propugnare propositionem damnatam. Alterum, Terillum, Theologum alioquin acutum, & sagacem, omnes vires exercuisse, ut aliquod discrimen vel apparens inveniret inter iudicem iudicantem in foro externo, & iudicem fori interioris; seu ut ostenderet, licitum esse usum minoris probabilitatis in omnibus controversiis in quibus de licito, aut illicito disputatur, secus in tribunali, ubi de iusto, vel iniusto controversia est. Hanc difficultatem in suis duobus Tomis, nempe in *tract. de consc. quaest.* xxiv. & de *reg. mor. quaest.* xx. fuso calamo disceptat. Et post diuturnam, prolixam, acremque disputationem nec volam discriminis assignare potuit; immo coactus tandem vi suorum principiorum fatetur, iudicem posse iudicare secundum sententiam minus probabilem. Quod si Terillus ipse nequivit hoc discrimen reperire, numquid illud repererunt illius discipuli? P. Claudius *La Croix* hoc

ar-

argumentum, a paritate iudicis petitum, sibi obiicit *Lib. I. num. 360.* & duobus verbis se expedit dicens, sententiam damnatam respectu iudicis male deductam esse ex Probabilismo, sicut hæreticorum errores male deducuntur ex sacra Scriptura. Hac via resolvit argumenta novissimus iste Probabilista. Illam sententiam deduxerunt ex Probabilismo septuaginta Probabilistæ, quorum multi sunt Doctores *classici*. Et *Terillus*, quem ut magistrum sequitur *La-Croix*, nullum verum discrimen assignare potuit. Quamobrem laudo sagacitatem P. La-Croix, qui expediens iudicavit hoc ineluctabile declinare argumentum. Silentio illud omnino non præterivit; sed perridicularia similitudine illud obiter, & de more implicavit.

XI. P. Camargo *Lib. II. contr. III. art. 4. §. 4. num. 95.* hoc syllogismo Terillum, & ceteros illius sequaces Probabilistas conficit. *Si quisquis utitur opinione minus sibi probabili* (antecedenter) *& minus tuta, cui directum præbeat assensum ex libera electione, prudenter, & honeste operatur; iudex ferens sententiam iuxta opinionem sibi antecedenter minus probabilem, quam pro libitu suo veram existimat, pariter, & eadem ratione, iuste, prudenter, & honeste se gerit. At iudex ita iudicans absolute loquendo non prudenter, non iuste, sed turpiter, inique, & imprudenter agit. Ergo & ille qui utitur opinione quacumque minus tuta, & sibi minus probabili.* Duæ primæ præmissæ sunt duo capitalia principia Terilli, & Probabilistarum. Nil quippe illis familiarius est quam intellectum in conflictu duarum opinionum vel æqualiter, vel minus, & magis probabilium, posse pro libitu, & libera voluntatis electione præferre minus probabilem magis probabili, magisque tutæ sententiæ. Imperium voluntatis digito comparant bilancem impellenti. Porro iudex, qui agnoscit ius Titii in actu primo minus probabile adversus Sempronium, & in actu secundo hoc idem ius, non ex aliqua ratione, sed ex mera sua electione iudicat magis probabile, sincere ne gerit? Nonne iudex iste ex mera æquitate, non ex affectu iudicat? Nonne similes iudices integerrimi, peritissimi, callentissimi? Nonne laudandi electores sunt, qui similem iudicandi formam servant? Nonne hac iudicandi forma optime provisum pauperibus, viduis, pupillis, & miseris est? En quomodo argumenta omnia quæ Terillus affert contra usum minoris probabilitatis in foro exteriori, in caput illius, & in eius Probabilismum ita recidant, ut nullo declinari effugio valeant.

XII. Arguit iterum P. Terillus. Nullus iudex audebit palam fateri, se iudicare secundum minus probabilem sententiam: & si id manifestaret, odium universale contra se excitaret: & si constaret secundum minus probabilem opinionem suum formasse iudicium, reus iure appellare posset ad aliud tribunal.

XIII. Cur non audebit iudex palam fateri, se iudicasse usu minoris probabilitatis ductum? Nonne Probabilistæ viri docti, probi, integri palam fatentur, se iudicare licitum, honestumque quod probabilius iudicant turpe, flagitiosum, scele-

 stum?

ftum? Si viri religiosi, qui ad evangelicæ perfectionis metam percurrere debent, nullo perfusi rubore, hæc omnia palam fantur, se nolle cuiquam restituere, solvere debita, usquedum aliqua opinio vere probabilis illis faveat, licet probabilius existiment se restitutioni, & solutioni esse obnoxios; si hæc omnia se præstare Theologi, Confessarii, doctique iuniores omnes fatentur: quid caussæ erit cur erubescere iudices debeant palam fateri, se sententias ferre secundum quod minus verosimile sibi videtur? Si illi honeste, prudenter, & pie se gerunt; cur non isti? Nullum adhuc discrimen assignatum est, nec æternum assignabitur.

XIV. Iterum obiicit Terillus plures textus ex utroque iure canonico, & civili. *Inspiciendum in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Item l. *Ob crimen ff. de testibus* hæc habentur. *Si testes omnes eiusdem honestatis, & existimationis sint, & negotii qualitas, ac iudicis motus cum his concurrat, sequenda sunt omnia testimonia. Si vero ex his quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero, credendum est, quod naturæ negotii convenit, & quod inimicitiæ, & gratiæ suspicione caret. Confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis, & testimoniis quæ & rei aptiora, & vero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lex assistit.* Alias auctoritates allegat Terillus *cit. quæst. xxiv. de consc.* & *xx. de regul. mor.* Has omnes nos libenter admittimus regulas, immo his auctoritatibus Probabilismum labefactamus.

XV. Et ut his textibus ad incitas redigamus Probabilistas, dicant nobis, num iudices teneantur iudicare secundum sententiam probabiliorem vi horum textuum, aut iure naturæ? Si primum; ergo futiles omnes rationes adductæ a Terillo, ut evincat, iudicem peculiari iure teneri ad iudicandum secundum id quod probabilius est. Ergo iure naturæ æque iudices tribunalis exterioris, ac Confessarii, & Theologi valent iudicare secundum minus probabile, admissa hypothesi, in qua iudices deberent iudicare secundum probabiliorem vi tantum horum textuum. Ergo Terillus se ipsum iugulat, qui aperte locis citatis asserit, lumine naturæ omnibus notum esse, iudicem qui in suis iudiciis sequitur minus probabilia, *a munere iusti iudicis deflectere*: idque confirmabunt ceteri Probabilistæ. Si adfirmetur secundum, sicuti adfirmari necesse est, laudati textus non ius novum inducunt, sed naturæ legem declarant, clariusque intimant.

XVI. Quid? Si quis, spreto Terillo, omnibusque eiusdem affeclis Probabilistis, reponeret, rationes Elizalde, Terilli, & aliorum Theologorum, adductas ad probandum necessarium usum maioris probabilitatis in iudiciis, inanes, futilesque esse; atque adeo, spectato naturæ iure, posse iudicem, quemadmodum Theologos, & Confessarios, uti in iudiciis opinione minus probabili; sed, ne id licite agere valeat, obstare ius positivum?

XVII.

XVII. Sophisma istud repellitur, & Probabilismus iterum labefactatur. Iudex ergo, spectato naturæ iure, prudenter, iuste, & sancte operatur, sequens opinionem minus probabilem? Ergo sancte operatur, spectato etiam quocumque iure positivo. Probo consequentiam. Nulla Respublica, nullus Principatus iure astringere iuramento, aut pacto iudices suos valet, ut impensius studium, laborem maiorem, diligentiam sedulíorem adhibeant in iudicandis rebus terrenis quam Deus lege sua obligat adhibere suos iudices fori interni in iudicandis gravissimis æternæ salutis difficultatibus. Quid? Pro rebus minimis summa, & pro rebus supremis minima adhibenda diligentia erit? Dicant nobis benignissimi Probabilistæ. Errat ne Deus, dum secundum ipsos non arctat Theologos, Confessarios, ceterosque, ut sequantur probabiliora? Absit. Iusta ergo, & æqua est mensura iudicandi, suis Theologis præscripta. Ergo sæva, crudelis, & tyrannica foret illa Respublica quæ exigeret in iudicandis rebus terrenis maiorem diligentiam, severioremque veritatis investigationem, quam præscribat Deus ipse suis fori interni iudicibus in æterno salutis negotio decidendo. Ergo si iudex iure naturæ minore probabilitate in iudiciis uti potest, iniustum foret omne ius positivum, maiorem diligentiam, maiusque onus imponens.

§. V.

Communior Probabilistarum disparitas inter iudicem fori externi, & Theologum refellitur.

I. Rationes quas Elizalde, Terillus, & alii adducunt, ut evincant, iudicem debere probabiliora in iudiciis sectari, luculentæ sunt, & decretoriæ; sed non minori efficacitate conterunt Probabilismum universe, & ad probabiliora amplectenda astringunt Theologos, Confessarios, ceterosque omnes.

II. Discrimen tamen aliud exhibent Probabilistæ vulgares, quod eiusmodi est. Ideo nequit iudex sequi opinionem minus probabilem, quia, si hæc falsa sit, non evitatur malum quod inde evenit Caio. Contra, si opinio minus probabilis, quam sequitur Theologus, sit falsa, nullum consequitur malum. Violatio enim legis materialis tunc est: & alioquin Deus non patitur aliquod damnum. Sic inquit Terillus de consc. quæst. XXIV. num. 53. pag. 485. *At Deus est incapax omnis damni, & solum dehonorari potest per offensam. Omnis autem offensa per bonam fidem operantis rationabiliter constitutam manifeste vitatur. Atque homo in casu obiectionis non tenetur iudicare in favorem Dei; licet iudex teneatur pro parte probabiliore sententiam ferre.*

III. Horrorem præfert responsio isthæc. Deus impassibilis, immortalis, incapax reapse est omnis damni. Ergo non est adhibenda tanta diligentia, ut illius viten-

tur offensæ, quanta adhibenda est, ut damna proximi declinentur? Quid monstrosius, & christianis auribus indignius excogitari potest? Hoc sane responsum, quo communius, eo futilius est, ne dicam maioris scandali plenum. Et primo discrimen istud destruit Probabilismum in omnibus controversiis iustitiæ, sacramentorum, medicinæ, bellique. In iis tantum controversiis licitus Probabilismus erit, in quibus nullum periculum occurrit damnum inferendi proximo. Et ecce coarctatus Probabilismus ad sola tria præcepta primæ tabulæ, ut infra dicetur.

IV. Refellitur alia via futile responsum. Quisque magis tenetur cavere proprium quam alienum malum. Opinio minus probabilis, si sit falsa, infert damnum tale ipsi operanti, quod nulla bona fide declinari potest. Quodnam istud? Error actualis intellectus, qui repetitus generat habitualem errorem. Habitualis vero error generat habitum vitiosum in voluntate, inclinante in obiectum turpe. Data enim hypothesi, quod bona fides excuset a malitia formali actuali, hæc tamen bona fides non tollit quominus generetur ex repetitis erroribus habitualis error in intellectu, & habitus pravus in voluntate: qui habitus, licet non sit formaliter culpabilis, efficaciter tamen inclinat ad obiectum turpe. Quis vero dixerit, minoris momenti esse damnum istud animæ, ac damnum temporaneum illatum Caio? *Tibi male est* (inquit Augustinus ser. XLVIII.) *qui malam habes villam: & illi bene est, qui malam habet animam?* Ergo qua caritate quisque semetipsum diligere tenetur, eadem astringitur vitare damnum propriæ animæ plusquam damnum temporale proximi. Ergo si iudex nequit uti minori probabilitate, ut periculum declinet damni inferendi proximo; longe gravius quisque prohibetur amplecti minorem probabilitatem, ne animæ suæ grave inferat detrimentum.

V. Ut evidentius pateat quam commentitium sit discrimen istud, iuvet clarius illud exponere. Si iudex opinione minus probabili utatur in decidendo super iure Caii ad prædium, si falsa opinio sit, bona fides iudicis non restituit Caio prædium. Ergo peccaret iudex. Cur? Quia non adhiberet necessariam diligentiam, ut evitaret damnum Caii. Immo eo esset gravius eiusdem crimen, quo manifestior illi est maior verisimilitudo ostendens ius Caii ad prædium. E contrario, si minor probabilitas super violatione legis divinæ falsa sit, violatio materialis est, nullumque damnum Deo infert: quoniam *Deus incapax est omnis damni*. Ne multa: iustitia in medio rei, moralitas in medio rationis sita est.

VI. Vera sint hæc omnia. At violatio realis, & materialis legis divinæ non est forsitan gravissimum malum? Hæreticus foret qui hoc negaret. Quod tibi ad culpam non imputetur, per accidens est ob ignorantiam invincibilem, si adsit, ceterum reapse hæc realis transgressio legis divinæ malum est longe gravius quam damnum illatum Caio in prædii privatione. Peccat iudex, si utatur opinione minus probabili in sententia ferenda super iure Caii ad prædium. Ergo peccat Theologus.

logus, & Christianus quisque, sequens opinionem minus probabilem in iudicio super honestate, aut inhonestate actionis, seu super violatione divinæ legis.

VII. Urgentius instauratur argumentatio. Quid, si negarem, violationem legis esse tantum materialem? Nonne putida principii petitio est, asserere hoc in casu violationem legis esse materialem, secus in casu iudicis iudicantis Caium? Cedo: quid requiritur ut violatio legis sit materialis? Non est forsitan necessaria omnis humana industria, & diligentia, qua hæc legis violatio vitetur? Si negas, blasphemas. Si ais; temetipsum, & Probabilismum iugulas. Si opinione minus probabili utaris; diligentiam, & studium sufficiens non adhibes, ut vites legis transgressionem. Ergo peccas, quemadmodum peccat iudex. Ergo usus opinionis minus probabilis æque criminosum efficit Christianum qui negligit vitare periculum transgrediendæ legis, ac iudicem qui negligit periculum vitare lædendi ius Caii.

VIII. Non alia evadendi via superest Probabilistis, nisi una. Quænam, amabo? Eiusmodi est. Tenetur utique christianus Theologus adhibere diligentiam, ut transgressionem legis evitet; at non tantam, quantam præstare astringitur iudex, ut præcaveat damnum temporaneum Caii. Numquid prudentiæ lex eum diligentiæ gradum in quacumque materia præscribit? Quicumque probabiliter operatur, prudenter operatur. Ergo quoties probabile est Theologo actionem non esse turpem, legisque violatricem, etsi verosimilius illi sit turpem esse, non peccat, neque imprudens est. Peccat vero iudex, utens minori probabilitate, quia impensius adlaborare iudex debet in investigatione veritatis, ut vitet damnum temporale Caii, quam Theologus, ut declinet offensam Dei, eiusque legis transgressionem.

IX. En portentosa absurda, quæ evomere cogitur Probabilismus, dum pressius obsidetur. Quis aut Ethnicorum, aut Barbarorum tam horrenda commenta somniavit umquam? Hæccine Probabilismi prudentia, maioris facere detrimentum temporale quam æternæ salutis iacturam? Minor adhibenda diligentia, ut sciatur quæ sit voluntas Dei, quam ut sciatur cuinam prædium debeatur? Quid imposterum inculcare iuvat fidelibus: *Porro unum est necessarium?* Quid illud detonare: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Probabilismus inauditum prudentiæ genus, monstrosam agendi invexit regulam. Quodnam prudentiæ monstrum istud est, in rebus minimis diligentia summa, in summis rebus sollicitudo minima? Severus nimium Deus esset, si usum maioris probabilitatis in controversiis super sua lege dirimendis præciperet? Benigni vero Principes sunt, iudicibus suis præcipientes, ut iudicent quod probabilius illis est? Evangelium Christi diligendum Deum super omnia docet, universa Scriptura sancta iubet ut legem Dei super aurum, & topazion assidue scrutemur. Probabilismus contra, legem civilem, quæ declarat iura contractuum, prædiorum, venditionum, meditandam docet supra legem Dei, quoties occurrit periculum inferen-

ferendi damnum bonis temporalibus hominum. Ne multa: hæc est benigna Theologia probabilistica. Quamvis verosimilius tibi sit actionem tuam legem divinam violare, Deum ipsum offendere, dummodo simul probabile sit te non violaturum legem, prudenter & sancte agis exercendo actionem quam verosimilius existimas legem transgredi, Deumque contemnere. E contrario iniustus, sceleratus iudex esset, si hanc regulam servaret in ferenda sententia super iure quod Caius habet ad prædium. Hæc est suavis Theologia Probabilismi. Invidiam ne Probabilismo creamus, dicentes cum Evangelista Matth. XXIII. *Quid enim maius est: aurum, aut templum, quod sanctificat aurum?* Ut Probabilismum defendatis, templo aurum, bono divino emolumentum Caii præferatis necessum est. Nihil hic per exaggerationem dictum. Hæc absurda horrenda deglutienda sunt, nisi evomatur Probabilismus.

§. VI.

Ultima disparitas Probabilistarum, sita in pacto *peculiari quo astricti iudices sunt iudicare secundum probabiliora, secus Theologi, refutatur.*

I. Ultimum effugium Probabilistarum, quo sese expedire nituntur ab argumento facto, hoc est. *Pactum* intercedit iudices inter & Rempublicam, ut iudicia ferantur secundum probabiliorem sententiam. Hoc autem pacto non astringuntur Theologi, & Confessarii. Ergo illi, non isti, usui probabilioris sententiæ subiecti sunt. Si documenta istius *pacti* a Probabilistis exigis, respondet eorum magister Terillus *quæst. XXIV. de consc. num.* 15. his verbis: *Naturalis obligatio mutuæ inter homines iustitiæ efficacissime deducitur ab evidenti præsumptione voluntatis, qua homines in mutuam illam obligationem conspirant. Hæc enim voluntas præsumpta ex ipsa naturæ constitutione æquivalet pacto, & habet vim PACTI.* Hoc pactum exaggerant Probabilistæ, potissimum P. Paulus Segneri in suis epistolis.

II. Ut hoc inane effugium undique occludam, dico *pactum* istud insitum hominibus ab auctore naturæ esse. Dico *pactum* istud fructum esse divini luminis, signati super omnium animarum vultum. Sed nunc ad incitas redigo Probabilistas, quin hiscere valeant. Respublica civilis suos eligit iudices, Respublica ecclesiastica suos eligit iudices, Episcopos nempe, Parochos, Confessarios. Unde habetis beati Probabilistæ, illam, secus hanc Rempublicam *pactum* inire, ut iudicia ferantur secundum probabiliorem opinionem? Quodnam fundamentum urget, ut in illa, secus in hac, *pactum* istud constituatur? Respublica, qua christiana, qua ecclesiastica, minoris ne veritatem, iustitiamque facit quam Respublica hominum, ut civilis, ut ethnica? Responsum præcisum a vobis posco. Primis Ecclesiæ sæculis Episco-

Episcopi, & Parochi, iudices eligebantur caussarum civilium. Idem hodiedum sæpius evenit. Numquid iudices isti extra confessionem iudicant secundum opiniones probabiliores, in confessione vero secundum minus probabiles? Numquid litigantem, quem in tribunali civili restitutioni obnoxium iudicarunt, in sacro pœnitentiæ tribunali a restitutionis debito absolvunt? Referent nobis ænigma istud Probabilistæ acuti. Si humanæ societates electis iudicibus onus imponunt utendi in iudiciis caussarum temporalium maiori probabilitate, Ecclesia catholica suos iudices rerum æternarum ab hocce ne absolvit onere? Si Respublica civilis eligere iudices debet doctiores, peritiores, probioresque; numquid Ecclesia non tenetur eligere ministros sacros sapientiores, digniores, prudentiores? Nonne lex ipsa divina præcipit Exodi cap. XVIII. *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas*. Item Eccles. cap. VII. *Væ vobis in æternum & ultra, quia non est in vobis veritas*. Leges civiles, & canonicæ clamant: *Inspicimus in obscuris quod est verosimilius, vel quod fieri plerumque consuevit. In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*. Eiusmodi divini, civilesque textus æque ne urgent iudices fori civilis externi, ac sacri interni? Si aiunt Probabilistæ; Probabilismus damnatus æque in foro interno est ac in externo. Si negent; rationem assignent, cur leges divinæ & humanæ iudices civiles, secus sacros obligent. Fundamenta designent, cur in illis, secus in istis, præsumatur onus, seu pactum iudicandi secundum probabiliorem sententiam. Non aliud reponere Probabilistæ valent, nisi negotia temporalia præferenda æternis esse, nisi corpora prævalere animabus, caduca æternis; & severiori diligentia investiganda esse iura humana in litibus civilibus quam iura divina in controversiis in quibus negotium agitur æternitatis. Aut ergo hæc horrenda absurda, & immania paradoxa effutire Probabilistæ debent, aut detestari Probabilismum, quin ulla pateat ad effugium latebra. Hæc omnia evidentissime ostensa sunt. Invicta ergo, & ineluctabilis est argumentatio a Probabilismo damnato in foro externo ad Probabilismum proscriptum in foro interno.

CAPUT IV.

Qua ratione in conficiendis, ministrandisve sacramentis, in adhibendis corporum medicinis, in bellis inferendis maiori diligentia opus sit, ut evitetur periculum deceptionis, & erroris.

I. QUæstio proposita graves continet difficultates, quarum decisio magis confirmat sententiam nostram, & penitus labefactat Probabilismum. Ut perspicue,

cue, quoad fieri potest, omnes resolvam, præmitto caput istud, in duos tributum §§. veluti præludium eorum quæ infra dicturus sum. P. Ignatius de Camargo *Lib. II. contr. IV.* fuso calamo hanc rem versat. Ipsum in hac quæstione ut ducem sequimur.

§. I.

Actio quæque bona, aut mala est per oppositionem, aut conformitatem ad legem æternam Dei. Nonnulla de iure naturæ primario, & secundario.

II. Eadem est boni malique regula. Actio bona per accessum, mala per recessum a regula nuncupatur. Hoc in quacumque materia contingit. Eadem dialecticæ regula syllogismi rectitudinem, & sophismatis pravitatem ostendit. Eadem grammaticæ regula solœcismi defectum, & congruæ locutionis rectitudinem patefacit. Ut ergo homo declinet a malo, & faciat bonum, honestatis regulam inquirere astringitur.

III. Illud nunc ut certum supponimus, malum morale non in sola negatione, sed in privatione debitæ rectitudinis situm esse; ut omnes Theologi fatentur, uno excepto Caietano, viro alioquin, si quis alius, acutissimo.

IV. Illud quoque ut certissimum supponimus, legem æternam, seu voluntatem Dei esse primam atque universalem regulam honestatis, dictamen vero rationis mentis humanæ regulam secundariam, ut omnes cum D. Thoma fatentur Theologi. Unus P. Vasquez, Theologus pariter acutissimus, vastæ eruditionis, & multæ lectionis, contendit, regulam moralitatis non esse imperium aliquod divinæ vel rationis, vel voluntatis, neque dictamen mentis nostræ; sed rationalem naturam secundum sua prædicata essentialia, quæ non implicent contradictionem, quæ antecedit omne dictamen nostrum: quam singularem opinionem in *tract. de bonitate, & malitia humanorum actuum* refutabimus.

V. Deus omnipotens sicut universum istud ex nihilo condidit, ita immensa sua potentia sustinet, ne in nihilum, unde illud extraxit, recidat; & infinita sua sapientia moderatur, regitque creaturas omnes, unamquamque iuxta illius naturam & conditionem: *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti*. Sap. 11. Item: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Ibidem.

VI. Creatura quælibet movetur, & in finem suum tendit propriis actionibus. Hinc est quod divinus artifex singulis creaturis innatam propensionem indidit ad eiusmodi operationes, quibus in proprium finem tendant. Generalis hæc voluntas Dei absolute accepta communiter lex æterna nuncupatur, ut docet S. Augustinus

ſtinus Lib. XXII. contr. Fauſt. cap. XXVII. *Lex vero æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens, perturbari vetans.*

VII. Creaturarum aliæ ſunt rationales, aliæ ratione deſtitutæ. De primis, ſecus de ſecundis, nunc nobis ſermo eſt. Lex itaque æterna, ſeu voluntas Dei creaturam intelligentem movet, ac dirigit in ſuum ultimum finem ſupernaturalem, in quem gratis eſt elevata. Viam illi aperit, per quam incedat; & lumen infundit, quo deſignatam viam videat. Viam deſignat, quatenus eidem per modum imperii ſeu regulæ præſcribit quid agere, quid vitare debeat, ut ſuum aſſequatur finem. Lumen vero infundit, prout eiuſmodi imperii, ſeu legis notitiam ſufficientem in eiuſdem mentem derivat, ut iuxta ipſam honeſte, & laudabiliter operetur. Utramque partem mire explicat Regius Vates. *Legem pone mihi, Domine, viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.*

VIII. Primario ergo, ſubdit S. Thomas 1. 2. *quæſt.* lxxi. *art.* 6. *ad* 3. lex æterna præcipit homini finis ultimi aſſecutionem, ſeu ut Deum ipſum toto corde inquirat, & diligat. *Lex æterna primo & principaliter ordinat hominem ad finem, conſequenter autem facit bene ſe habere circa ea quæ ſunt ad finem.* Secundario itaque præcipit quidquid eſt neceſſarium ad finem præfatum obtinendum; prohibetque omnia quæ eiuſdem finis aſſecutioni obſtant.

IX. Opera, quibus homo, gratia Dei ad ſupernaturalem beatitatem elevatus, finem ſuum ultimum inamiſſibiliter poſſidendum obtinet, ſunt cum primis dilectio Dei ſuper omnia, eiuſdem dictis fidem adhibere, illius promiſſionibus fidere, ipſum deſiderare, eius voluntatem inquirere, illum colere, revereri, adorare, laudare, ſanctum illius nomen celebrare, obſequium, & famulatum eidem præbere, tamquam ſupremo Domino infinitæ maieſtatis, & excellentiæ, tamquam creatori, optimoque parenti, tamquam proviſori vigilantiſſimo, benefactori munificentiſſimo, & conſervatori omnipotentiſſimo. Hæc omnia opera præcipit Deus primario; & oppoſita prohibet immediata ſua voluntate, & quidem neceſſaria. Facta quippe poſitione, qua Deus homini præcipiat ut finem ſuum honeſte, ac meritorie aſſequatur, non poteſt fieri ut eidem non præcipiantur primo & per ſe opera neceſſaria ad eumdem finem, prohibeanturque oppoſita.

X. Porro hæc voluntas neceſſaria lex naturalis dicitur, aut ius naturale primarium, continens potiſſimum tria illa prima Decalogi præcepta quæ Deum ipſum ſpectant, in prima Decalogi tabula expreſſa, in qua continebatur etiam præceptum Sabati, quod poſitivum eſt quantum ad determinationem certi diei, ſublatumque fuit, evangelica lege promulgata.

XI. Poſt præfata opera neceſſum eſt creaturas ipſum Deum, eiuſque opera laudare, ac diligere. Quoniam non poſſumus Deum diligere toto corde, niſi ſimul

illius

illius creaturas, potissimum rationales, diligamus. Post Deum ergo nosmetipsos, deinde omnes homines, damnatis exceptis, amare, iuvare, & fraterna benevolentia complecti debemus.

XII. Hac quoque fraternæ dilectionis necessitate posita, nequit Deus non præcipere per immediatam voluntatem suam eas omnes actiones determinate quæ necessariæ sunt ad servandam mutuam hanc benevolentiam, opemque ferendam. Hinc præceptum illud naturale divinum diligendi proximum, etiam noxium, infidelem, inimicum, eique in necessitatibus tum animæ, tum corporis subveniendi, eo modo quo subveniri nobis cuperemus: hinc rursus aliud generale præceptum negans, quo Deus vetat omnem actionem contrariam fraternæ caritati, atque adeo prohibet quempiam occidere, percutere, calumniis, scandalis, detractionibus proscindere, lædere in bonis sive corporis, sive animæ.

XIII. Porro hæc voluntas necessaria, qua Deus recensita aut præscribit, aut vetat, dicitur ius naturale secundarium, fundatum proxime in primario naturæ iure, nimirum in prædicta necessitate Deum fide, spe, dilectione colendi. Quod ius secundarium in septem secundæ tabulæ præcepta partitum est.

XIV. Illud nunc animadvertendum occurrit, quod plura eorum quæ recensuimus, a Deo immediate, & per se præscripta, operibus variis impleri valent. Recognoscere Deum tamquam supremum Dominum, conditorem, provisorem, conservatorem cultu externo, eiusque infinitam maiestatem testari aliquibus signis externis, necessarium prorsus est ad finem ultimum assequendum. Quod autem fiat per hæc aut illa signa, his aut illis laudibus, vel cæremoniis, a libera voluntate Dei pendet. Carnem spiritui subigere, appetitiones comprimere, moderari, cohibere per se requiritur ad finem ultimum obtinendum. Quod porro hæc harmonia, & subiectio peragatur abstinentiis, cibariis, ieiuniis, precibus, his aut illis carnis afflictionibus, his aut illis ieiuniis, liberum est, nec lex naturalis determinat, sed tantum lex positiva divina, aut ecclesiastica. Quæ Deus præscripsit sacrificia, holocausta, ieiunia populo Israelitico, Scriptura divina nobis narrat. Quæ in lege gratiæ Ecclesia, Spiritu sancto directa, præcipit, sacri canones nobis pandunt, ut sunt ieiunia statis anni temporibus servanda, Missa diebus festis audienda, & plura alia.

XV. Præter narratas actiones, plures supersunt, nullo ex recensitis iuribus, sive naturali, sive divino, sive ecclesiastico definitæ: & harum aliquas homo sibi ipse determinat per votum, aut iuramentum, quo se obstringit quidpiam agere in obsequium Dei, aut aliorum hominum iuvamen. Omnes porro liberas electiones, determinationes, promissiones, aut propria libertate factas, aut per leges positivas humanas præscriptas, lex ipsa naturalis, seu voluntas Dei necessaria roborat, & confirmat: quandoquidem ius naturæ sub generali quadam ratione præcipit, promissiones, fœdera, & iussa omnia legitimi Superioris exequi.

XVI.

XVI. Hinc est quod divina Apostoli Pauli monita I. ad Cor. x. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: item ad Colos. iv. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*: hæc, inquam, divina documenta non sunt existimanda pura consilia, aut mera præcepta positiva tantum, inquit P. Camargo *Lib. II. contr. iv. art. 4. num.* 121. sed ius ipsum naturæ generale, & necessarium, quod nobis denuntiat Apostolus, nostræ obligationis erga Creatorem nostrum nos admonens. Quid quod ipsa naturæ nostræ notio nos astringit ut ex honestatis, seu virtutis motivo operemur?

XVII. Ex hoc brevi descripto ordine, quem semper præ oculis habere deberemus, veluti ex prima mensura, & principio proficiscitur tota necessitas, subdit laudatus Camargo, dignitas, præstantia, series, connexio, & harmonia virtutum: & contra per recessum ab hoc ordine, & regula fœditas, malitia, turpitudo, scelera.

XVIII. Porro voluntas divina, prima, & universalis regula morum, omnia nobis præscribit per respectum ad finem ultimum, ad cuius possessionem nos perducere intendit. Hic autem est inter opera quæ Deus nobis aut præcipit, aut vetat, ordo: ut quædam actiones sint efficaciores, propinquiores, dignioresque ad finem consequendum, sicut e contrario alia opera vetita efficacius, validiusque obstant fini assequendo. Deus autem, qui rectissime omnia iuxta illorum naturam disponit, quæ sunt fini assequendo proximiora atque digniora, severius & gravius eadem præcipit, sicuti rigidius illa vetat quæ potentius impediunt a finis consecutione. Sicut enim finis amatur propter semetipsum; ita rectus ordo postulat ut quæ ad finem propius accedunt, ferventius amentur, & efficacius præcipiantur.

XIX. Quæ hactenus dicta sunt, confirmat S. Augustinus *Lib. I. de doctr. christ. cap.* xxvi. his verbis. *Ergo quoniam praecepto non est opus ut se quisque, & corpus suum diligat . . . restabat ut de illo quod supra nos est, & de illo quod iuxta nos est, praecepta sumeremus.* Diliges, *inquit*, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximum tuum tamquam teipsum: in his duobus præceptis universa lex pendet, & Prophetæ. *Finis itaque praecepti est dilectio, & ea gemina, idest Dei, & proximi. Quod si te totum intelligas, idest animum & corpus tuum, & proximum tuum, idest animum & corpus eius . . . nullum rerum diligendarum genus in his duobus praeceptis praetermissum est. Cum enim praecurrat dilectio Dei, eiusque dilectionis modus praescriptus appareat, ita ut cetera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed cum dictum est*, Diliges proximum tuum tamquam teipsum, *simul & tui abs te dilectio non praetermissa est.*

Ille autem (persequitur cap. XXVII.) *iuste & sancte vivit qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æque diligat quod vel minus, vel amplius diligendum est, aut minus, vel amplius quod æque diligendum est. Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus, & omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum . . . . Omnes autem homines æque diligendi sunt. Sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret; nihil iustius faceres quam ut sorte eligeres, cui dandum esset quod dari utrique non posset: sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatius temporaliter adhærere potuerit.* Fusius hanc explicat doctrinam toto hoc libro.

§. II.

In conficiendis Ecclesiæ sacramentis, in curandis ægrotis, in bellis, aliisque gravioris momenti rebus eadem quantum ad substantiam regula est, unde moralitas actionum dimanat.

I. PAuci Theologi hanc quæstionem sub his terminis versant, P. Camargo excepto, qui fuse eam discutit, ex quo nos pauca selegimus: scitu tamen necessaria est: quoniam plures autumant diversa regula utendum esse in sacramentis conficiendis, ab illa quæ ceteris in materiis adhibetur; & confundunt regulam moralitatis cum diligentia adhibenda in regulæ applicatione: quæ sane deceptio gravis est. Eadem quippe est quantum ad substantiam regula moralitatis, sive prima, sive secunda, sive obiectiva, sive formalis. Non tamen eadem est diligentia adhibenda in cavendo periculo errandi in eiusdem regulæ usu. Quandoquidem si voluntas divina est prima invariabilis regula humanæ voluntatis, ad quam se in actibus suis conformare debet; quo voluntas divina severius præcipit, aut vetat aliquod obiectum; eo maiori conatu aut amplecti, aut reiicere humana voluntas illud debet. Siquidem quando caussa universalis, concurrens cum caussa particulari ad aliquem effectum, efficaciorem ex se præstat influxum in eumdem effectum, impensius quoque ipsa caussa particularis cooperari

rari debet. Voluntas divina, prima regula morum, est prima universalis caussa; quæ concurrens cum voluntate humana, tamquam cum caussa particulari, efficacius suapte natura movet ad amorem, vel fugam quorumdam obiectorum, prout magis, aut minus accedunt ad ultimum finem. Ergo nisi voluntas humana efficacius quoque aut vitet, aut amplectatur eadem obiecta, non conformatur cum prima sua regula. Porro quo obiecta a Deo severius præcipiuntur, aut vetantur, eo sunt aut honestiora, aut turpiora: & quo obiecta sunt aut magis honesta, aut magis turpia; eo ferventiori studio exequi, vel fugere humana voluntas illa debet. Quod autem divinæ voluntatis propensio maior sit erga aliqua obiecta, ex doctrina Augustini superius data manifestum est. Sano tamen in sensu est intelligenda.

II. Hoc principium penes omnes certum consequitur aliud, nempe maius debitum faciendi consequi maiorem obligationem inquirendi, & sciendi honestatem, vel malitiam obiecti præcepti. Quoniam in debito faciendi includitur debitum sciendi. Nemo quippe suas implere obligationes, & munia valet, nisi eadem cognoscat. Ergo quo magis satagere homo debet, ut maiori conatu amplectatur aliquod obiectum severius a voluntate divina præscriptum, eo diligentius atque studiosius inquirere tenetur & assequi, quoad potest, notitiam eiusdem voluntatis, & vitare omnem errorem, ac deceptionem, quæ contingere potest. Hinc patet, regulam secundariam moralis honestatis, nempe iudicium nostræ mentis, eamdem esse quantum ad substantiam, cum eamdem ubique proponat voluntatem divinam, seu primam regulam. Non propterea tamen in omni materia eodem modo usurpanda est, & sine ullo discrimine, ac respectu ad materiam ipsam. Alioquin non concordaret cum prima regula, quæ etsi eadem ubique sit, non tamen uno & eodem modo dirigit in omni materia, sed ordinate, & cum respectu ad finem, ut explicatum est.

III. Ex his principiis necessario consequitur, eamdem semper esse regulam honestatis, vel malitiæ, quæcumque tandem sit materia circa quam operamur. Sit hæc levis, sit gravis, sit magni, sit summi momenti; sequatur ex nostra actione leve, aut grave, maximum, aut irreparabile damnum; eadem semper est honestatis regula, divina nempe voluntas, quam diligenter semper inquirere debemus, ut eidem nostram conformemus operationem: nec variam subire in se quantum ad substantiam diversitatem ex diversitate materiæ potest. Ergo regula proxima, nempe iudicium rationis nostræ, nequit variari, invariata manente regula prima. Siquidem hæc prima regula proponitur per iudicium nostrum. Ergo, illa invariata substantialiter manente, nequit istud variationi obnoxium esse.

IV. Ut autem doctrinam traditam quæstioni propositæ applicemus, licet sacramentorum sive administratio, sive confectio, materia summi momenti sit, tum

propter eorum dignitatem, tum propter gravissima mala quæ irritam eorumdem collationem consequuntur; non propterea variatur regula in iisdem perficiendis servanda. Idemque dicendum in curandis ægrotis, in justitia, in bello, in fide, ceterisque omnibus.

V. Hanc doctrinam hoc discursu confirmat P. Camargo *Lib. II. contr. iv. §. 4.* Roga Sacerdotem, cur tanta vigilantia in conficiendis sacramentis utatur? Quod ex errore, reponit, irritum fieret sacramentum. Recte. Sed quid tanti facis, ne sacramentum irritum fiat? Quoniam id postulat & dignitas sacramenti, & animarum periculum. Sed cur adeo sollicite evitare studes sacramentorum profanationem, & animarum detrimentum? Ut evitem gravissimum peccatum, & sacrilegam malitiam. Adamussim omnia sibi constant. Postremum, si ab eodem percontetis, cur incuria, & oscitantia sit peccatum, & offensa Dei? respondebit, quia opposita est voluntati divinæ, præcipienti sancte sancta tractanda, seu jubenti gravem diligentiam in hoc ministerio. Ex quibus evidens est, in materia sacramentorum eamdem omnino regulam esse ac in ceteris materiis.

VI. Collige etiam, sublata prima regula, nullum omnino reperiri malum morale. Quod enim recentiores Probabilistæ distinxerint, & separaverint peccatum philosophicum a peccato theologico, commentum erroneum est. Quoniam dictamen rationalis naturæ nequit esse prima regula moris, neque inducere obligationem aliquam conscientiæ seipso: omnis quippe moralitas nostrarum actionum ortum ducit non a dictamine rationis nostræ in se absolute, & præcise considerato; alioquin dictamen istud esset prima regula nulli subordinata, sed proficiscitur proxime ab hoc dictamine ut applicante primam regulam, seu voluntatem divinam. Quare si fingatur peccatum philosophicum excogitatum a Probabilistis, seu actio, vel omissio deliberata repugnare soli rationali naturæ, aut dictamini naturali, illa reapse non est absolute, & vere mala, neque peccatum in genere moris, sed in linea physica esset defectus, sicut circa regulas artis pictoriæ, poeticæ, rhetoricæ &c. qui defectus per abusum peccatum nuncupari solet. Res evidentissima est. Sicut ergo in genere effectricis caussæ nihil reperiri valet, sublata prima caussa efficiente, sic in genere moris nequit quidquam haberi moralitatis, vel minimæ, quæ sit vere talis, sublata prima regula, & mensura cujusque moralitatis, nempe voluntate divina.

VII. Objicies contra principalem doctrinam. Virtutes inter se, sicut & vitia, specie differunt: ergo & ipsarum virtutum actus diversam habent honestatem moralem, & peccata diversam malitiam. At honestas formaliter substantialiterque diversa desumi nequit per respectum ad regulam formaliter, & substantialiter eamdem. Falsa ergo est doctrina hactenus tradita, videlicet regulam moralitatis esse in omni materia substantialiter formaliter eamdem.

VIII.

VIII. Obiectio isthæc, inquit Camargo, quibusdam magni momenti videbitur; sed frivola omnino est. Nam virtutes inter se differre specie, & formaliter, veritas comperta est apud omnes Theologos. Cur hoc? Quia unaquæque virtus suam respicit materiam determinatam & specialem, quæ prout magis aut minus conducit ad ultimum finem, maiorem quoque aut minorem præfert honestatem, tum in ipsa virtute, tum in actibus eiusdem. Quid hoc ad inferendam variationem substantialem in ipsa regula? Bonitas & honestas virtutum ex respectu desumitur & ordine ad ultimum finem; ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. IV. art. 4. *Rectitudo voluntatis est per debitum ordinem ad finem ultimum*. Nulla in virtutibus rectitudo, aut honestas, quæ a fine ultimo non proficiscatur, totaque virtutis bonitas eo tendit, ut voluntatem rectam, & bene dispositam constituat in ordine ad finem ultimum. Virtutum itaque diversitas ex diverso ordine & habitudine ad finem ultimum sumitur. Finis ultimus se habet, non ut regula, sed ut mensura actionum humanarum, atque virtutum. Quælibet virtus respicit suam specialem materiam, magis aut minus proximam cum fine ultimo, & præfert peculiarem ordinem ad huiusmodi finem. Ex diversitate materiæ, affectæ hoc peculiari ordine ad finem ultimum, desumitur diversitas virtutum. Verum quia finis ultimus, etsi mensuret, ut dictum est, honestatem actuum moralium, proprie tamen non dirigit, nisi ut propositus per voluntatem Dei, quæ sola est vera regula, ideo dicitur, quod tota rectitudo nostrarum actionum sita sit in conformitate ad ipsam voluntatem divinam, seu legem æternam. Ne multa: sicut nulla entitas, nulla perfectio reperitur in creaturis, quæ non sit ab omnipotentia Dei tamquam a principio efficiente; ita nulla moralis honestas, sive parva, sive magna, reperitur, quæ non dimanet, seu ab unico fonte, ab ordine, & conformitate cum voluntate divina, ut nobis proposita, & applicata per dictamen nostræ rationis conforme eidem voluntati divinæ.

IX. Nec est quod opponas, virtutem quamlibet immediate & proxime speciem capere ab obiecto, seu materia quam respicit. Quoniam obiectum non tribuit speciem virtuti, nisi sub tali ordine & respectu ad ultimum finem, & ad ipsam voluntatem divinam; ut optime docet S. Thomas 2. 2. quæst. XXIII. art. 7. *Ea quæ sunt ad finem, non dicuntur bona, nisi in ordine ad finem*. Verum de his plura suo loco.

X. Disputant Theologi, num voluntas divina, seu lex æterna, dirigens diversas virtutes, partiatur in diversas rationes, seu, utrum subeat aliquam distinctionem saltem rationis. Verum quæstio hæc mere scholastica est, nullius momenti: ideirco indictam eam relinquo.

CAPUT V.

Quanta debeat esse certitudo iudicii de valore sacramentorum, ut quis honeste agat in iisdem conficiendis, ministrandisve.

I. QUAE dicta sunt, forte aut superfluitatis, aut prolixitatis damnasti. Sed fallens, minus Probabilismi callentem te prodis. Quod ut evidentius teneas, sequentes tibi propono §§.

§. I.

Saepe licet uti iudicio tantum vere probabili in sacramentis perficiendis, aut conferendis extra casum necessitatis.

II. PRobabilistae in hac caussa semper per praerupta ambulant: quia extra veritatis semitam iter arripuere. In sacramentis conficiendis eorum plures, ne dicam omnes, requirunt iudicium omnino certum. Nam si in sacramentis conferendis tutior opinio amplectenda est, ergo, inquiunt, iudicium de eorumdem valore certum esse debet; cum in aliis materiis satis sit probabile. Hinc contra nostram sententiam inferunt, aut numquam licitum esse uti opinione probabili, vel probabilissima, sicuti non licet in materia sacramentorum, aut licitum extra sacramenta Probabilismum esse. Quod argumentum ovantes, triumphantesque iactant Probabilistae nostri.

III. Ut quam sit perridiculum argumentum factum, evincam, dicant nobis Probabilistae: licite ne Confessarius absolvet poenitentem ex indiciis sufficientis doloris, positis aliis ad sacramentum requisitis? An negabunt? Indicium istius doloris est ne absolute certum & infallibile? Nemo, nisi stultus, citra peculiarem revelationem hoc affirmabit. Nonne Parochus licite confert sacramentum baptismatis ex solo testimonio aut parentis, aut personae dignae, asserentis infantem non fuisse tinctum? Id affirmant omnes. Unde Episcopo evidenter innotescit chrisma, quo utitur in confirmatione, a quo sacramenti valor pendet, esse purum & incorruptum? Quot viis accidere potest ut chrisma verum non sit? Quot in augustissimo sacramento defectus contingere valent, vel ex parte materiae, aut ex parte ministri, quos Sacerdos vix moraliter evitare potest? Abstinendum ne propterea a conficiendo sacramento? Ne multa: si necessarium foret iudicium absolute certum, & non sufficeret vere probabile, ut Probabilistae conten-

tendunt; vix ac ne vix quidem possent ministri sacramenta conficere: quoniam vix fieri potest ut non occurrat aliquod deceptionis periculum. Enimvero quando sacramenti valor pendet (quod plerumque contingit) ab intentione fidelis suscipientis: unde constare evidenter ministro poterit, accedentem esse pium, & non fictum, ac scelestum?

IV. Evidens ergo est, in sacramentis sive perficiendis, sive administrandis satis esse iudicium opinativum, dummodo vere, & prudenter probabile sit: quod iudicium probabile appellatur a D. Thoma, ab Aristotele moraliter certum.

§ II

Magna, & quidem maiori quam in aliis materiis diligentia enitendum est, ut certitudinem præfati iudicii assequamur. Doctrina magnopere advertenda circa varios gradus certitudinis in quæstionibus morum.

I. NON pugnat quod proposui, cum iis quæ dicta sunt; sed iisdem peroptime consonat. Iudicium absolute certum de valore sacramentorum non requirimus, quia citra revelationem, humano modo haberi nequit. Deus autem a nobis non exigit quod superat moralem facultatem, & conditionem humanæ naturæ.

II. Imperfecta moralis certitudo iudicii, non individua est, sed gradibus constat. Quamvis intellectus humanus acquirere omnimodam certitudinem nequeat, potest tamen plus vel minus eidem accedere, & maiorem quamdam securitatem assequi. Porro iuxta materiæ magnitudinem debemus vigilantiores esse, & maiori uti studio, atque industria in acquirenda hac certitudine. Et quoniam sacramenta perficere, atque administrare inter religionis nostræ pretiosa dona augusta res est, & summi momenti, ideo, dum sacramentum aliquod administrandum est, magno studio, & severiore diligentia enitendum, ut eam certitudinem de eius valore, & securitate assequamur quæ haberi humano modo potest. Hoc patet ex iis quæ superiori capite dicta sunt. Quo enim obiectum aliquod propius accedit ultimo fini, eo severius illud Deus præscribit. Et quia nos tenemur conformare nostram ad illius voluntatem, astringimur itidem ferventiori conatu eiusdem voluntatem investigare, dum eiusmodi graviora onera implenda nobis sunt. Iura ipsa clamant: *Ubi periculum maius intenditur, ibi proculdubio est plenius consulendum:* cap. III. de elect. in VI. Porro ex invaliditate sacramentorum, extrema, nedum magna, pericula & mala imminent.

III. Itaque, ubi de valore sacramentorum agitur, sive is a forma, sive a ma-

teria, sive a quocumque alio essentiali requisito pendeat, eam maiorem veritatem, certitudinem, & securitatem comparare debemus quæ humano modo obtineri valet. Quare si ad manus habeas materiam certam, proculdubio peccares, si minus certam adhiberes, quamvis valde illa probabilis esset. Quapropter quia sacramentorum valor & ab omnibus, & a singulis essentialiter requisitis pendet; idcirco debeo, quoad fieri humano modo potest, de singulis notitiam comparare. Nam certitudo, aut incertitudo cuiusque constitutivi refunditur in totum compositum, quod ruit, si vel una pars constitutiva deficiat; ut etiam in physicis dicitur, nedum in moralibus.

IV. Et quia gravis, ac summi momenti res hæc est, iubet eam amplius explicare. In quolibet quæstionum genere ea certitudo investiganda, & assequenda est quæ maior in eo genere haberi potest. Porro maior sane in uno ac in alio genere habetur. Maior in factis quam in iure: evidentius in uno quam in altero iure veritas deprehenditur. Qui mathematicam certitudinem in moralibus exigeret, stultus esset. Fuse hanc doctrinam explicuimus in *Istoria Probabilismo e Rigorismo*, italice scripta, *disser.* 11. *cap.* 11. *§.* 8. *pag* 275. & *seqq.* Ibi palam fecimus sophismata, & cavillationes P. Segneri, & declaravimus, qua ratione exempla urgeant adversus Probabilistas & illius qui descensurus in puteum funem fortiorem, & illius qui mare navigaturus, tutiorem navim quærit. Quæ exempla non evincunt, ut eadem certitudine quis resolvat quæstiones morales qua isti seligunt ea quæ sub sensus cadunt. Qui in puteum descendit, haud fidit vitam suam funi probabiliter forti; sed recentem, & ab omni defectu immunem inquirit. Si vel leviter dubitet, abstinet a descensu. Numquid, inquiunt Probabilistæ, similis certitudo requirenda in morum quæstionibus erit? Absit. Inepta ergo sunt Antiprobabilistarum exempla arcessita ab iis quæ in rebus corporeis adhibentur. Exempla quæ opponunt Antiprobabilistæ, summopere urgent, pudoreque suffundere Probabilistas debent, qui maiorem in terrenis quam in cælestibus rebus sedulitatem requirunt. Exempla efficaciter concludunt; sed intelligentia Probabilistarum erronea est. Confundunt diligentiam adhibendam in investigatione veritatis cum veritatis assecutione. Non dicimus, eumdem veritatis gradum debere nos assequi in caussa nostra quem assequuntur illi de quibus sermo est in præfatis exemplis. Quoniam, ut diximus, in iis quæ sub sensus cadunt, via tuta & tutissima obvia est: ideo ad illam ineundam tenentur viatores. Si eadem nos facilitate assequi possemus veritatem in quæstionibus dirimendis; quis ambigeret, nos ad eamdem comparandam fore obligatos? Verum quia communiter hæc veritas, seu veritatis certitudo impervia est, nec industria & diligentia humana deprehendi valet, ideo ad eam reapse obtinendam non cogimur. Quo ergo pertinent præfata exempla? Ut industriam ac diligentiam imitemur eorum qui in cor-

corporum negotiis securiorem viam, lumine naturæ ducti, amplectendam communi assensione affirmant.

V. Ut multa in pauca contraham: in qualibet decisione quæstionis moralis, seu in quacumque operatione morali, ut minus, æqualis, aut maior diligentia adhibenda est, ut veritas legis sciatur, quoad fieri potest, præ illa quam in gravioribus rerum temporalium negotiis usurpare diligentes homines solent. Quoniam vero in hoc ordine superiori una operatio præ alia propinquior est fini ultimo, atque adeo severius a Deo præscripta est, idcirco in una operatione præ alia exactior diligentia requiritur. Sacramenta religionis nostræ supremum occupant locum. Ergo in illorum administratione summa diligentia adhibenda est, ut supra demonstravi.

VI. Hæc omnia, inquis, perspicua sunt; at pro praxi minus sufficiunt. Maiorem in sacramentis perficiendis adhibendam diligentiam scimus omnes, at gradum, & mensuram istius diligentiæ exercendæ ignoramus. Quamobrem hunc nobis gradum explicari vellemus.

VII. Nulli mortalium concessum est arcanum istud reserare. Diximus, maxima diligentia cavendum esse ne defectus contingant in aliquo eorum quæ ad essentiam sacramentorum pertinent. Ceterum quis diligentiæ gradus necessarius in praxi sit, nemo est qui definire valeat, immo difficillimum est determinare, quidnam omittere sine gravi culpa valeas.

VIII. Nonnulla paucis delibemus. Communis opinio in re sacramentaria potissimum, & peculiari quodam debito sequenda: opinio unius aut alterius Doctoris in contrarium nihili facienda est.

IX. Rem exemplis perspicuam faciam. Convenit penes Theologos, dolorem requisitum ad sacramentum pœnitentiæ non poscere determinatum gradum intensionis, aut durationis; sed satis esse, si sit ad normam præscriptam a Tridentino: & tamen oppositum docent gravissimi Theologi Scotus, Almainus, Caietanus, Bonaventura, Durandus, Adrianus, Petrus de Soto; quamvis, ad intensionis gradum quod attinet, si recte explicetur Soti, & aliorum doctrina, forte non erit a communi diversa. Verum hoc præter institutum.

X. Communis hodie sententia est, attritionem, seu contritionem imperfectam esse materiam veram sacramenti pœnitentiæ. Ut ut sit de dissidio, debeat ne attritio isthæc inchoata aliqua caritate formata esse: de quo *Lib. I. de sacram. pænit.* oppositum tamen sentiunt gravissimi Theologi, Magister Sententiarum, Bonaventura, Alensis, Hugo, Ricardus de S. Victore, Altisidorensis, Okam, Abulensis, Thomas de Argentina, Gabriel Maior, Adrianus, Medina, Corduba, Vega, uterque Sotus, & alii.

XI. Et tamen istæ opiniones haud impediunt, quominus sacramenta suscipi valeant

leant juxta communem Theologorum sententiam. Et quamvis tutius foret, severiores dictorum Theologorum opiniones amplecti, non propterea ad id astringimur. Quoniam doctrina quæ in re sacramentaria tutioris opinionis usum præscribit, non hunc sensum effert, quod inter tutas tutiorem, seu tutissimam, sed quod inter probabiles tutiorem seligere debeamus. Alioquin deberemus & contritionem ferventissimam confessioni præmittere; & materiam pro conficiendo augustissimo Eucharistiæ sacramento ipsi præparare, excluso aliorum ministerio.

XII. Ut clarius teneas hæc omnia, animadvertendum, obligationem vitandi aliquod periculum supponere potestatem in homine ad id præstandum, ut omnibus notum est. Ceterum, ut quis non debeat præcavere aliquod periculum, tametsi magnum, & maximum, & absolute quidem possibile, raro tamen, & infrequenter occurrens, non est necessaria impotentia physica, sed sufficit impotentia moralis. Tum vero reputatur impotentia moralis, quando ad evitandum hoc rarum periculum necessaria essent media difficillima, asperrima, extraordinaria, quando in his mediis exequendis vita nostra evaderet anxia, perplexa, & nimia sollicitudine premeretur. Hæc omnia inducunt moralem impotentiam. Hæc autem moralis impotentia non consistit in indivisibili, sed latitudinem admittit juxta rerum diversitatem.

XIII. Igitur, ut quis liber sit ab evitando præfato periculo in ipsis sacramentis perficiendis, sat est difficultas quam parit nimia sollicitudo, animæ molestia, scrupuli, & mentis animique perturbatio. Dum hæc incommoda occurrunt, homo liber est a mediis extraordinariis adhibendis, ut evitet periculum frustrandi ipsa sacramenta. Duriuscula fortasse, seu verius laxa, hæc doctrina videbitur. Ceterum, ut mea minima præfert opinio, vera est, nec video quod vel in disputationem vocari possit. Quis ignorat, ut jam indicavimus, deceptionem accidere, licet raro, posse in materia in qua conficienda Eucharistia est? Et tamen ad hoc periculum præcavendum communis tantum, & ordinaria diligentia adhibetur. Posset Sacerdos uti extraordinario studio, seipso hostias conficere, ampullas præparare, vinum ex uvis ipse exprimere, ut omnem deceptionem vitaret. Verum quia hæc extraordinaria diligentia nimiam induceret sollicitudinem, anxietatem, & perpetua molestia vitam gravaret, ideo juxta prudentum existimationem inducit moralem impotentiam ad præcavendum hujusmodi periculum, quamquam gravissimum, utpote frustrationis sacramenti, sacrificii, & idololatriæ.

XIV. En aliud exemplum in hujus doctrinæ confirmationem. Parochus oleum sacrum ab Episcopo benedictum pro infirmis ungendis deferendum ministro idoneo committit, quod per semetipsum deferre, & custodire posset. Contingere potest ut minister oleum sacrum casu effundat, & ne ejusmodi effusio resciatur a Parocho, oleo benedicto oleum commune substituat, ex quo irritum fieret extremæ

Un-

Unctionis sacramentum. Quis dixerit, peccare Parochum, quod deferendum ministro dederit oleum sacrum? Sacerdos obtinet ab Ordinario facultatem vel audiendi confessiones, vel absolvendi a reservatis per aliam personam, quam per seipsum obtinere potuisset. Quis dixerit, istum peccare tali facultate utentem? Et tamen fieri potest ut facultas concessa non fuerit. Possent utique Sacerdotes absolute extraordinaria hac diligentia uti, & vitare periculum deceptionis. Ceterum quis eos ad tam difficilia media adhibenda obligabit? Miseri nos omnes Sacerdotes, nisi hæc vera essent.

§. III.

Monita nonnulla in ministrorum solamen. Animantur hi ad sacramenta ministranda. Rigorismi, & Laxismi extrema declinanda.

I. OBjiciunt Probabilistæ. Dictum, ostensumque est superiori paragrapho, enitendum esse ut magna diligentia investigetur certitudo judicii in recta sacramentorum administratione, deinde exempla adducta sunt, quæ tanta diligentia opus non esse evincere videntur: atque adeo pugnantia ibidem tradita sunt.

II. Resp. Quæ hactenus docuimus, vera sunt. Quod magna adhibenda diligentia sit in sacramentis ministrandis, nemo inficias ibit. Quod hæc diligentia major præter propter esse non debeat quam quæ in præfatis exemplis elucet, ex sequentibus patebit.

III. Homines tractare, perficere, & ministrare sacramenta sua Deus voluit. Non ergo humana majorem diligentiam postulat. Humana vero diligentia ea dicitur quam homines diligentes & prudentes in gravibus negotiis adhibere solent. In his vero non major certitudo quam moralis, & imperfecta, plerumque habetur, juxta tamen negotiorum diversitatem. Nam aliqua negotia majorem, aliqua minorem certitudinem admittunt.

IV. Mensura exacta præfatæ diligentiæ, ut diximus, designari citra peculiarem revelationem nequit. Illud tamen animadvertendum, usum sacramentorum frequentem, & quotidianum esse. Sacramenta enim quæ mortuorum vocantur, pharmaca spiritualia sunt adversus infirmitates animæ. Quæ vero pro vivis destinata sunt, alimenta dicuntur vitæ spiritualis. Continuæ occurrunt animarum infirmitates. Alimento moraliter continuo indiget vita spiritualis animæ. Continenter ergo sacri ministri perficere, & dispensare sacramenta debent. Quid magis rationi contrarium quam quod istorum tractatio esset hominibus aspera, onerosa, sollicitudinem, anxietatem, & molestiam maximam inducens? Hujusmodi autem esset, si extraordinaria, insolita, & præter communem rebus gravibus agendi modum di-

li-

ligentia necessaria foret. Et, hoc posito, sacramentorum fructus, immo eorum administratio impediretur. Perterrefacti enim ministri ab onere adeo viribus suis impari, a sacramentis ministrandis retraherentur. Expediens ergo fuit eo mirabili moderamine curam, studium, & diligentiam in sacramentis tractandis temperari, & ad eam mensuram redigi, ut simul & sacramentorum reverentiæ, & hominum infirmitati consultum esset, spectatis usu frequenti & quotidiano, & humanæ naturæ conditione. Exemplum habes in sacrosancto Missæ sacrificio, cuius si sola dignitas, & reverentia spectetur, plures sane horas illius postularet celebratio. Verum infirmitate & offerentium, & assistentium considerata, ad exiguam temporis partem coarctata est.

V. Accedit quod ministri sacramentorum nullum speciale commodum ex eorumdem sacramentorum administratione, immediate, & ipsorum sacramentorum virtute percipiunt. Ex alia parte ad ministerium hoc exercendum nemo per se & peculiari divina lege obligatur; sed potius ex desiderio placendi Deo, & succurrendi animabus proximorum, tantum munus suscipitur. Nec enim modo sermo est de illis qui ob turpe lucrum, & sacrilegum quæstum, aut enormem ambitionem altari inservire eligunt. Porro si extraordinaria requireretur diligentia; si administratio periculi plena esset, scrupulis, & anxietatibus obnoxia; omnes profecto viri pii, probi, doctique a tam molesto, & oneroso ministerio retraherentur; & omnes hoc ministerium, ut iugum asperum, tetricum, scopulosum aversarentur. Hinc ministerium istud sanctissimum illi tantum obirent qui turpi quæstui, & sacrilegæ ambitioni inhiant, qui temporalia sola magno habent in pretio, & cælestia atque æterna contemnunt. Interim grex Christi lupis, prædonibus, mercenariis, nundinatoribus, non pastoribus, & custodibus derelictus esset.

VI. Ut hæc funesta extrema vitentur, os meum pateat ad vos, ministri Dei, gens sancta, regale Sacerdotium. Plura vobis in tractatu de re sacramentaria dicenda sunt: pauca nunc verba, & eorum quæ ibidem dico, præludium obiter ad vos habeo. Duo extrema vitanda in qualibet morum quæstione, & in prolegomenis, & passim in hoc theologico cursu vobis insinuo, nimirum & Probabilistarum, qui, ut appetitionibus humanis plus iusto indulgeant, legem Dei relaxant, & sacramenta indispositis, recidivis, consuetudinariis præbenda censent, & Rigoristarum, qui sub prætextu satis splendido, & fuco valde seducenti reverentiæ sacramentis debitæ, adeo exaggerant, aggravant diligentiam, studium, & vigilantiam in sacramentis adhibendam, ut fideles a susceptione, & Sacerdotes a ministratione arceant. Ambo ergo extrema devitate, monitum recolentes Gregorii Nazianzeni orat. XXVI. *Virtutem defectus, & excessus peræque labefactant, non secus ac regulam additio aliqua, aut subtractio.* Audio vos, reponentes, nihil frequentius in ore haberi tum Probabilistarum, tum Antiprobabilistarum, quam præfata extre-

tre-

trema vitanda. Sed vix aliquis viam pandit per quam reapse declinari debeant.

VII. Adeste animis, & viam hanc, quoad fieri potest, indigitabo. Hæc autem est humilis submissio, & conformitas tum in docendo, tum (*animadvertite*) in operando ad indefectibilem regulam, Dei nempe voluntatem. Hoc munus numquam sponte arripite, sed vocati, & iussi. *Nolite plures magistri fieri, fratres mei scientes quoniam maius iudicium sumitis*: Iacob. III. Numquam illud obite, nisi oculis in gloriam Dei, & animarum salutem intentis. Antequam illud obeatis, sursum efferte corda vestra: preces ferventes Deo porrigite, illius lumen, directionem, & sapientiam enixe implorantes. Nolite hominum personas, sed animarum dumtaxat profectum respicere. Terrena omnia, mundanos respectus evangelico spiritu conculcate. His præsidiis instructi, ad sacrosanctum ministerium hilares, confidentes, & securi accedite. Timores vanos, anxietates, scrupulos omnes abigite. Quo maior erit humanarum rationum, & cuiusque mundanæ auræ, & lucri, atque commodi temporalis contemptio; eo sanctior erit sacramentorum administratio. Scripturas sanctas pro modulo vestro, potissimum sancti Pauli epistolas, quantum temporis ratio permiserit, legite. Doctrinam S. Bonaventuræ præ oculis habete, qui inclamat: Væ Confessariis, & ministris Dei, qui ignorantes divinas Scripturas tam altum, tremendumque ministerium non iussi, non vocati, sed sponte, & sæpe terreno impulsi fine suscipiunt. *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*: Matth. XXII. Altius commeditandum est illud Sap. III. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei*. Item illud Eccl. II. *Error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt*. Tandem illud Pauli Apostoli: *Sufficientia nostra ex Deo est*.

VIII. Hæc memoriæ infixa sint. Misericordia, & iustitia numquam seiunctæ appareant. Intra hæc confinia sistendum. Et cum aqua hæret, quo declinandum sit, in misericordiæ sinum confugiendum: dives quippe in misericordia Deus. Dispensanda sacramenta sunt *secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus*, inquit Paulus *II. ad Cor. X.* Horatianum effatum semper opportunum est.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

S. Bernardus fuse explicat monitum istud *Lib. II. de consid. post med.* Tene medium, si non vis perdere modum. *Locus medius tutus est. Medium sedes modi, & modus virtus. Omnem extra modum habitationem Sapiens exilium reputat*. Difficillimum, inquies, est hunc servare modum. Fateor. Quin addo, frequentissime aberrare homines ab hoc medio, ut sua auctoritate confirmat Augustinus Lib. de fid. & oper. cap. IV. *Errant homines, non servantes modum, & cum in unam partem proclivius ire cœperint, non respiciunt divinæ auctoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utrisque temperata est, veritate, ac moderatione consistere*.

IX.

IX. Postremum, ne plus iusto vos detineam extra viam, patientia christiana; quam comitatur caritas, suscipite pœnitentes. Eos ut parturientes adiuvate, eorum animos erigite, ut evomant monstra iniquitatis. Parta cum fuerint scelera, tum eorumdem horrorem ob oculos ponite. Dei clementiam & patientiam, quæ tamdiu sustinuit vasa iræ apta in interitum, recordamini illis. Vulneribus opportuna remedia apponite. Medicorum parœmia est: *Quæ applicata iuvant, repetita sanant.* Hanc ergo servate regulam. Si pœnitentes ex sacramentorum susceptione resipiscunt a viis suis malis; si periculis, occasionibusque peccandi se subtrahunt, tametsi ex infirmitate, aut tentatione, veluti ex insidiis adoriente, relabantur interdum, non propterea sacris pharmacis privandi, sed potius iisdem relevandi, roborandi, & confirmandi in sanitate sunt. Quin potissimum isti indigent medicina, & alimento cælesti, isti misericordia digni sunt, illorumque infirmitas sacramentorum remediis curanda est. Illi ab altaribus arcendi sunt qui persistunt in occasionibus peccatorum, qui comprimere sensus, & servare sanctam Dei legem recusant, qui denique ex sacramentorum frequentia peiores, non meliores, fiunt. Hæc sunt monita quæ obiter & per transennam servanda suggerimus in perficiendis, ministrandisve sacramentis.

§. IV.

Nonnulla obiecta resolvuntur, ac magis doctrina superius tradita firmatur: paucisque perstringitur sensus verus damnatæ propositionis.

I. OBiiciunt. Omnia quæ hactenus dicta sunt, æque militant in aliis omnibus controversiis in quibus de peccato mortali disputatur, ac in materia sacramentaria. Nihil ergo damnatum in hac materia sacramentorum: quod absurdum videtur.

II. Resp. Pluries inter disputandum solutum argumentum istud fuit. Diximus eamdem omnino quantum ad substantiam, & formaliter esse regulam omnium actionum moralium, voluntatem nempe divinam, seu legem æternam: quam doctrinam fuse tradit P. Camargo; eamque nos veram, immo evidentem, iuxta principia D. Thomæ patefecimus. Hinc tamen non sequitur, nihil damnatum esse in opinionibus quæ ad valorem sacramentorum pertinent. Damnatam quippe dicimus opinionem quæ docebat, aut non maiorem requiri diligentiam in hac quam in aliis materiis ad investigandam veritatem, aut omitti posse opinionem tutiorem, quæ absque gravi incommodo, anxietate, & difficultate haberi possit.

III. Paucis delibabo sensum propositionis damnatæ. Prius tamen adverto, me in præsentia plenam eiusdem explicationem non dare; sed hanc remittere ad tra-

ctatum

ctatum de sacramentis, ubi ex instituto rem hanc discutiam, & plures recentiorum opiniones valde laxas refellam.

IV. Verbum *tutius*, ut alias adnotavimus, & comparative, & adversative sumitur. *Adversative* accipitur, quando opinio contraria tuta non est; *comparative*, quando opposita tuta est, cuius respectu tutior altera dicitur. Tutior opinio, quæ vi damnatæ propositionis eligenda est in sacramentis perficiendis, non est *comparative tutior*, sed dumtaxat *adversative*, saltem absolute loquendo. Hoc patet ex exemplis quæ superius adduximus. Nam sententia tutior est quæ postulat in sacramento contritionem perfectam; & tamen iuxta communem Theologorum sententiam satis est contritio imperfecta. Vide plura quæ ibidem adducta sunt.

V. Dictum est superius, sæpe licitum esse uti in sacramentis ministrandis opinione vere probabili iuxta sensum nostræ, non Probabilistarum, sententiæ. Quoniam Probabilistæ opinionem vere probabilem vocant in conspectu oppositæ probabilioris, quod paradoxon nos omnino chimæricum reputamus. Quoniam nulla nobis opinio vere probabilis est, nisi ea quæ, omnibus expensis, & serio meditatis, magis accedit veritati. Quamobrem dictum est, licere sæpe in sacramentis uti opinione vere probabili: quia sæpe iuxta communem agendi modum nihil probabilius, nihil citra miraculum tutius haberi potest; ut patet in sacramento pœnitentiæ, in quo minister opinione tantum vere probabili, indiciis externis nixa, deprehendit pœnitentis dolorem. Tutior opinio impossibilis est citra peculiarem providentiam: ideo opinio vere probabilis dicitur unice tuta.

VI. Tota difficultas in hoc vertitur, quænam videlicet dicenda opinio tuta sit. Nam plures, hoc nomine abutentes, tutas opiniones vocant quæ nec probabiles, sed laxæ sunt. Inter opiniones probabilissimas, ac tutas recenset P. Dominicus Viva attritionem ex metu temporalium pœnarum conceptam, inquiens, in trutin. in propos. 1. Innoc. num. 26. *sufficere etiam attritionem supernaturalem ex metu pœnarum temporalium, ut a Deo vindice infligendarum, & alia huiusmodi: ideirco licite sequimur huiusmodi opiniones probabilissimas, omissis tutioribus.* Hæc opinio, quam probabilissimam, & tutam vocat P. Viva, nec probabilis reipse est, sed laxa, & falsa.

VII. Disputant pariter Theologi, num sententia attritionis, ex solo gehennæ metu conceptæ, post hoc Innocentii decretum sit sententia tuta. Affirmant Probabilistæ omnes. P. Milante asserit in *comment.* in hanc 1. propos. pag. 21. *absque gravi culpa* non posse affirmari, hanc opinionem comprehensam esse in *hac 1. propos.* Et tamen Theologi gravissimi contendunt, vi argumentationis satis validæ deduci, hanc opinionem virtualiter in decreto Innocentii damnatam esse. Quare assertio P. Milante falsa est. Vetuit Alexander VII. aut censuræ, aut contumeliæ nota alterutram sententiam afficere; neutram tamen tutam decla-

claravit. Ante decretum Alexandri VII. utraque sententia probabilis erat, neutra certa. Post decretum pariter neutra est nisi probabilis. quoniam illarum neutri securitatem tribuit Pontifex, si sermo sit de opinionibus. Innocentius XI. damnat usum sententiæ probabilis, omissa probabiliore, seu tutiore. Ergo ratiocinio satis efficaci infertur, proscriptam quoque esse præfatam opinionem. Vetuit Alexander alterutram notare sententiam, *donec a S. Sede fuerit ALIQUID in hac re definitum*. Innocentius XI. sane aliquid definivit, dum proscripsit in sacramentis perficiendis usum sententiæ minus tutæ. Verum de his plura in *tract. de sacram.* Præfatus P. Milante notionem sententiæ tutæ prodens *ibidem pag.* 10. docet, licitum esse in quadragesimali ieiunio in collatiuncula serotina, supposita dispensatione a delectu ciborum, comedere *duas vel tres uncias casei, ita ut simul cum pane, alterove exiguo cibo, herbæ v. g., octo circiter uncias* quis non excedat: & tamen passim plenis buccis laxones appellat Probabilistas, quorum graviores laxam hanc opinionem detestantur.

VIII. Ut paucis rem omnem comprehendam, in sacramentis sive perficiendis, sive ministrandis debemus sequi opinionem tutiorem adversative ad non tutam. Auctores damnatæ thesis nomine opinionis *tutioris* probabiliorem opinionem intelligebant; ut videre potes apud Dianam *Tom. VIII. tract.* 1. *resol.* 2 quia reapse illorum principia evincunt, in quacumque materia licitum esse usum minoris probabilitatis. Excipiunt tamen sacramenta baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis. Et hanc sententiam communem vocat *Diana loc. cit.* quatenus ait, Sacerdotem administrantem sacramentum, relicta opinione probabiliore, non peccare contra reverentiam debitam sacramento, sed contra caritatem: quam sententiam docet etiam P. Thomas Sanchez *Lib. I. in Decal. cap. 1x. num. 33.* Animadvertas velim, limitationes quas adhibent Sanchez, Diana, & alii Auctores, contineri in ipsa proscripta propositione, in qua hæc habentur: *Nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*. Quare ipsi damnatæ sententiæ Auctores nolunt in sacramentis baptismi, & ordinis admittere usum opinionis minus probabilis propter periculum gravissimi damni. Quæ dicta sunt de sacramentis, proportione servata, applica controversiis belli, fidei, curæ infirmorum &c.

IX. P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 340. obiicit sequentes reflexiones. 1. Si damnare non audemus praxim communem apud pios, & sapientes viros circa sacramenta, cur damnanda erit praxis Probabilismi in aliis materiis? 2. Deus in sacramentorum negotio non offenditur errore: ergo multo minus in aliis operabilibus. 3. Pro sacramentis sufficit opinio vere probabilis. ergo multo magis in aliis negotiis. 4. In sacramentis perficiendis non requiritur certitudo: ergo nec in aliis operabilibus. Has, aliasque similes reflexiones obiicit Auctor iste.

X.

X. Resp. Obiecta hæc omnia, & similia eodem recidunt, ac ignorantiam propositæ quæstionis prodont. Dictum est, in sacramentis non esse necessariam extraordinariam diligentiam, quæ odiosam reddant sacramentorum administrationem, & frequentiam. Quid hinc inferant Probabilistæ, qui semper per extrema, & prærupta in hac caussa gradiuntur? Ergo licitum est respuere sententiam probabiliorem. Quando dictum est, licere usum sententiæ vere probabilis in sacramentis conferendis, intelligitur, dum alia probabilior non occurrit: quia si probabilior occurreret, prior non esset probabilis. Additum est, Deum nos non obligare ad extraordinariam diligentiam, ne nimis gravis, & dura sit sacramentorum celebratio. Porro reflexiones quas hinc elicit P. La-Croix, omnino futiles sunt. Nam aliud est, quod non astringamur extraordinariæ diligentiæ, aliud longe diversum, quod non teneamur ordinariæ, qua investigemus veritatem. Aliud est, quod maiorem apparentiam veritatis ultro se se menti nostræ offerentis repudiare valeamus, ut adhæreamus minori verisimilitudini, quæ favet libertati. Hoc est monstrum, quod nos improbamus, & quod amplectuntur Probabilistæ. Ad 1. ergo reflexionem dico, nos probare communem sacramentorum praxim in sacramentis perficiendis iuxta ea quæ supra dicta sunt: quia nulla occurrit in his probabilior opinio. In ceteris operabilibus occurrit maior probabilitas, ut supponitur. Ergo reiicienda minor. Ad 2. Deus non offenditur errore, præsupposita in nobis debita diligentia in illo vitando. Quando adest maior probabilitas, si respuatur, voluntarius error est. Ad 3 dico, totam veram esse, sed laborare falso supposito, quod nempe opinio sit *vere probabilis in conspectu probabilioris*. Dictum est supra, nos debere in omnibus controversiis procurare maiorem verisimilitudinem quæ in tali genere sine gravi incommodo, & perturbatione societatis haberi potest: idque potissimum verum habet in sacramentorum negotio. Ad 4. In sacramentis non requiritur certitudo, quando sine gravissima perturbatione, & incommodo haberi nequeat, sed sufficit ea quæ, consueta gravi diligentia præsupposita, occurrit. Ergo si occurrit maior verisimilitudo, maior probabilitas amplectenda est in omnibus controversiis. Alias similes vanas, & semper ex falso supposito proficiscentes, obiectiones, quas consarcinat Auctor iste, prætereo, quia confutatione non egent. Infra plura diluam.

CAPUT VI.

Probabilistæ in præcipuis Theologiæ moralis controversiis Rigoristæ effecti. Probabilismus damnatus in omnibus secundæ tabulæ præceptis. Quam sit exilis benignitas prætensa probabilistica.

I. P. Antonius Terillus cum Caramuele putidam fabellam commentus est, sententiam probabiliorem filiam esse Jansenismi. Quod commentum, dignum sane Terillo, si verum esset, Probabilistæ saltem recentiores evasissent *Jansenisiani*, & *Rigoristæ*. Nam defendunt illi ipsi necessarium usum sententiæ tutioris, seu probabilioris in re sacramentaria, in litibus dirimendis, bellis indicendis, ægrotis curandis, in articulis fidei credendis, in beneficiis distribuendis. Sententia probabilior in hac potissima & amplissima Theologiæ parte est ne filia Jansenismi? Si affirmant; Jansenistæ ergo sunt Probabilistæ. Si negant; ergo per summam injuriam asseritur, sententiam probabiliorem filiam esse Jansenismi. Dicant nobis Probabilistæ Apostolica Romana Sedes, præcipiens sententiæ probabilioris usum in omnibus recensitis materiis, jubet ne Rigorismum, aut Jansenismum? Imposuit ne jugum asperum, grave, austerum? Si usus sententiæ probabilioris in difficilioribus Theologiæ, & christianæ vitæ controversiis, ut sunt memoratæ, Rigorismum non sapit, cur in aliis facilioribus actionibus austeritatem redolebit? Si benignitas probabilistica nil subsidii in citatis caussis porrigere valet; ubinam est illa, quam jactant, benignitas, & suavitas?

II. Verum, ut magis magisque pateat, quam sit chimærica hæc probabilistica benignitas, colligendum memoria est, solius justitiæ commutantis materiam in civili commercio adeo scopulosam esse, & tot difficultatibus plenam, ut hac via magna mortalium pars periclitetur. In hoc autem genere judices probabiliorem sequi opinionem Ecclesia definivit. Non mihi latet, Probabilistas aliquos contendere, hinc minime sequi, Confessarios quoque in materia justitiæ debere in foro pœnitentiæ uti majori probabilitate. Sed hoc paradoxon est plusquam monstrosum. Doctrina Ecclesiæ respectu judicis vera ne est, an falsa? Vera, inquis. Bene. Si vera est respectu judicis, falsa ne erit respectu Confessarii? Personarum ne diversitas varietatem in doctrina inducet? Erit ne in Ecclesia catholica super eadem omnino quæstione una doctrina adhibenda in foro fori, & altera omnino contraria in foro poli? Litigant Titius, & Sempronius super justitia peracti contractus. Judex probabilius judicat esse injustum, probabilius quoque Theologus Confessarius injustum definit. Judex tenetur judicare contractum esse injustum,

Con-

Confessarius vero declarabit contractum esse iustum? Ad forum iudicis victor erit Titius, victusque Sempronius; ad tribunal Christi victoriam canet Sempronius, iacturam lugebit Titius? Aperiant oculos, aure[s]que arrigant Probabilistæ. Videant tandem quam confusionem, quam horrendam deformitatem invehant in Ecclesiam. Hæc dicta sint adversus eos Probabilistas qui effutiunt, iudicem publicum, & iudicantem debere iudicare secundum sententiam probabiliorem, secus iudicem privatum, & iudicatum. Vide quæ in historia Probabilismi, & Rigorismi *Tom. II. diss.* III. *cap.* X. *a pag.* 220. adversus P. Paulum Segneri dicta sunt.

III. Pauca nunc dicenda supersunt adversus eos Probabilistas qui Probabilismi usum licitum negant in materia iustitiæ. Sub oculos revocetur mirifica illa P. Terilli doctrina ex *quæst.* XXIV. *num.* 53. *de consc.* ubi in margine hæc scribit. *Bona fides relate ad Deum sufficit, sed non relate ad proximum.* In textu vero hæc habet. *Bona fides iudicis non tollit quominus ius partis probabilioris irremediabiliter lædatur, casu quo ius illi faveat, sicut verisimilius favere supponitur. Iudex autem ex officio præcavere debet, quantum potest, periculum huius damni. At Deus est incapax omnis damni, & solum dehonorari potest per offensam. Omnis autem offensa per bonam fidem operantis rationabiliter constitutam manifeste vitatur: atque ideo homo in casu obiectionis non tenetur iudicare in favorem Dei; licet iudex teneatur pro parte probabiliore sententiam ferre.*

IV. Ceteri Probabilistæ similiter negant licitum usum Probabilismi in iis materiis ex quibus damnum aliquod in proximum proficisci valet. P. Felix Potestas *Tom. I. part.* 1. *num.* 59. *assert.* 1. hæc docet. *Quando agitur de sola honestate actionis, an licita sit, vel non, licitum est sequi opinionem minus probabilem.* Clarius idem docet num. 74. assert. 2. *Non licet sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, & tutiori; si exinde sequatur certa iniuria, aut periculum gravis mali sibi, aut tertio.* Similia docet P. Dominicus Viva in suis Commentariis in 1. *propos.* Innoc. XI. *num.* 5 „ Deinde advertendum universim, in huma-
„ nis actionibus opinionem solide probabilem speculative, etiamsi non sit morali-
„ ter certa, esse etiam practice probabilem, *nisi forte aut periculum gravis da-*
„ *mni incurrendi, aut lex, aut conventio, aut aliunde ratio dictet non licere . . .*
„ Si enim in humanis actionibus, *quoties ad res temporales, aut ad salutem cor-*
„ *poris spectant*, imprudenter agimus, sequendo opiniones mere probabiles, omis-
„ sis tutioribus, quando ex earum falsitate grave damnum imminet; a fortiori
„ imprudenter operamur, quando in humanis actionibus, ad animæ salutem spe-
„ ctantibus, ductum *sequimur* opinionis probabilis, omissa tutiore, si ex eius fal-
„ sitate grave damnum spirituale immineat. “

V. Dicant nobis Probabilistæ: peccatum mortale nonne est grave damnum spiri-

rituale, quod imminet animæ, si opinio minus probabilis sit falsa? Qua ergo ratione licitus erit usus minoris probabilitatis in quacumque materia? Si pingere sit opus laboriosum, & servile; nonne gravissimo spirituali damno obnoxia anima est illius qui pingit in die festo? Cur iudicium probabile impedit hoc malum summum in hac actione, secus in aliis recensitis controversiis? Verum hanc argumentationem alibi explicui, & nunc est præter scopum.

VI. Illud ergo nunc colligimus, Probabilistas ipsos, potissimum qui scripserunt post decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. improbare usum minoris probabilitatis in omnibus quæstionibus in quibus damnum temporale tertii agitur. Qua de re lege etiam P. Paulum Segneri *epist. 1. §. 3. num. 31.* Igitur in omnibus quæstionibus super septem *secundæ tabulæ* mandatis, e quibus damnum emergere proximo valet, damnatus est. Ad sola ergo tria *primæ tabulæ* mandata coarctatur *benignitas probabilistica?* In tam parva Decalogi parte benigni sunt Probabilistæ, in ceteris omnibus Rigoristæ? Quid quod istorum benignitas in iis favet in quæ homines minus propendent, & a quibus facilius abstinent? Probabilistica benignitas suam effundit suavitatem in blasphemias, iuramenta, mendacia, cultusque divini profanationem? In his, similibusque benignus est Probabilismus, in re sacramentaria, bellica, medica rigidus est. Duo sunt scelerum genera ob quæ præcipue homines pereunt, iniustitiæ, & luxuriæ. Hæc sunt scelera quæ animas sauciant, dilaniant, trucidant. His vulneribus nihil olei infundere Probabilismus valet: rigorem, & aceti acrimoniam dumtaxat spargit. Quid ergo *benignitatem* Probabilistæ iactant, si in gravioribus, frequentioribusque caussis *Rigoristas* ipsi se declarant?

VII. Quæ cum ita se habeant, quid caussæ est cur tot opiniones laxæ, erroneæ, scandalique plenæ in omni theologico tractatu serpant? Quæ laxitatum paradoxa non evulgarunt Probabilistæ in controversiis de simonia, de usura, de avaritia, de iniustitia, de furtis, compensationibus occultis, atque de ipsa re sacramentaria? Quænam tot laxitatum, & scandalorum caussa? *Probabilismus*. Probabilistæ antilogiis passim se conficiunt, quoniam veritate destituti. Ut horrorem minoris probabilitatis in conflictu maioris temperent, fucent, deliniant, limitationes quas indicavimus, adiiciunt. Cum postea alios tractatus scribunt, & quæstiones versant, nullam caussam decidunt absque Probabilismi suffragio. Percurre, si per otium licet, Probabilistarum tractatus de iustitia, de sacramentis, de rebus bellicis, aliisque; & ubique tibi occurret Probabilismus: nam passim offendes in similes conclusiones: *Hæc est probabilior, sed probabilis quoque est opposita. Utraque probabilis est. Lege Dianam, lege Tamburinum &c.*

VIII. Urbe ergo & agro exterminatus Probabilismus est in omnibus controversiis

sis in quibus honor, fama, divitiæ, & bona temporalia quæque periclitantur; regnat vero, dominaturque in iis quæ Dei honorem, cultum, & maiestatem spectant. Nihil per exaggerationem dictum: omnia vera sunt, posito systemate probabilistico. *Et hi sunt* (clamat sapiens Iesuita Elizalde) *Prophetæ in Israel, ac medici animarum?* Cuinam vel Paganorum horrorem non ingerit doctrina isthæc, quæ pluris facit pecunias quam animas, pluris damnum temporale quam spirituale, pluris detrimentum proximi quam offensam summi Dei? Lubet verba doctissimi huius Auctoris rescribere ex Lib. VIII. quæst. VIII. §. 1. pag. 103. & seq. *Quo iterum palmariter ostendunt, quo ipsi loco sit facere voluntatem Dei, & custodire iudicia eius. Nam violationem eodem prorsus modo voluntariam legis magni Dei dicunt esse peccatum, si proximo præiudicet; non esse, si proximo non præiudicet. Ergo ipsis pretio est salus, honor, & pecunia proximi; non ita lex Dei. Violationem porro esse eodem modo voluntariam, patet demonstrative: nam eodem modo præcognitum, & volitum, eodem modo est voluntarium, NISI THEOLOGIA OMNIS CREPET. Sed violatio legis Dei eodem modo est præcognita, & volita in utroque casu, sive præiudicet proximo, sive non, ut patet. Ergo violatio legis Dei, eodem modo in utroque casu est voluntaria. Iam MAGNI ANIMARUM RECTORES distinguite, & dicite, violationem voluntariam legis Dei citra salutis, pecuniæ, & similium præiudicium non esse peccatum, esse vero, ubi salus pecuniæ interest. Eccur autem ita? Alio pacto hoc resolvi nequit, nisi quod lex Dei ipsa per se nihil est, salus porro, & pecuniæ magnæ res sunt. Infero: ERGO TENEMUR RELINQUERE HANC VIAM. Probo. Quia tenemur relinquere tales Doctores.* Hactenus Elizalde, qui multa ibidem Probabilistis improperat.

IX Possunt suas aranearum telas texere, & phantastica illa reflexionum figmenta multiplicare Probabilistæ; tamen nec volam veri discriminis assignabunt, cur licitus sit usus *Probabilismi* in controversiis de honestate actionum, secus in aliis, in quibus damnum proximi imminet; nisi dicendo, maiori in pretio illis esse honorem, & pecunias hominum quam legem Dei. Huc res tota recidit, ut evidentissime supra probatum est.

C A P U T VII.

Probabilismus vi iusti ratiocinii proscriptus est. Nisi esset proscriptus, proscribendus ostenditur.

I. DAmnatum Probabilismum fatentur omnes, vel ipsi Probabilistæ, in omnibus recensitis materiis, nempe sacramentaria, bellica, iustitiæ, fidei, quæ

sunt frequentiores, & graviores. Ex duobus decretis Alexandri VII. & Innocentii XI. qui & *novum opinandi modum*, & laudatas propositiones damnarunt, damnatum in quacumque materia Probabilismum satis, nisi me omnia fallunt, demonstravimus. Illud nunc ostendendum suscipimus, damnandus ne sit Probabilismus in hypothesi qua damnatus non esset.

II. Id vero antequam præsto, quod toties dictum est, repeto, me videlicet non erigere tribunal, nec censuram aliquam aliorum sententiis inurere; sed tantum quæ vi iusti ratiocinii inferri possunt, patefacere. Id vero cuique licitum est. Quo posito, ad rem accedo.

III. Antequam Romana Sedes ad damnationem cuiusque doctrinæ deveniat, multa præcedere debent, quorum potissima sunt Theologorum ad Episcopos, Episcoporum ad Synodos, Synodorum ad Romanam Sedem recursus, Universitatum, & sacrorum Ordinum adversus talem doctrinam conspiratio. Hæc omnia iam adversus Probabilismum præcessisse, palam feci. In *dissert.* 1. & in *hac* v. vidimus, Theologos ad Episcopos, Episcopos ad Synodos, & Synodos ad summos Pontifices Alexandrum VII. & Innocentium XI. supplices porrexisse preces, ut probabilistica doctrina damnaretur. Decreta pontificia, quibus & Alexander VII. declaravit novum opinandi modum alienum ab evangelica simplicitate, & Patrum doctrina, & Dominicanos hortatus est ad hunc novum opinandi modum labefactandum; & Innocentius XI. damnavit quatuor capita potissima Probabilismi, & Iesuitis præcepit ut in Societate confutari Probabilismum, liberum esset omnibus: hæc, inquam, diplomata supra dedimus. Hæc autem licet solemniter & expresse Probabilismum non damnaverint, tamen ratiocinio, ut ego quidem arbitror, evidenti infertur, damnatum revera esse, & præambula existere solemnis expressæ futuræ damnationis. Quid? Negabunt ne Probabilistæ, Theologos ad Episcopos, Episcopos ad Sedem Apostolicam supplices porrexisse preces, ut Probabilismus damnaretur? Negabunt ne, Universitates celeberrimas eamdem Apostolicam Sedem sollicitasse pro dicta damnatione? Negabunt ne sacrorum Ordinum publica decreta adversus Probabilismum? Quid quod quisque sacrorum Regularium Ordinum dedecori sibi semper vertit doctrinam Probabilismi docere, ut ex amplis, & repetitis Inclytæ Societatis Iesu apologiis constat?

IV. His omnibus adde universæ Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem. Hæc in pleno nationali Concilio declaravit, Alexandrum VII. dixisse Probabilismum scaturiginem esse laxitatum. *Præmittenda putamus verba fel. mem. Alexand. Papæ VII. quibus non modo errores increvisse queritur, verum etiam, quod caput est, adnotari voluit, ipsam rei tractandæ rationem eam introductam esse, unde videremus corruptelam morum, non modo secuturam, verum etiam facto veluti impetu* in-

irrupturam, quam vix cohibere possimus. Neque vero satis fuit sanctissimo Pontifici NOVAM HANC METHODUM ludificandæ conscientiæ, & involvendæ veritatis, hoc est IPSUM MALI DETEXISSE FONTEM, sed exitialis doctrinæ rivulos insectatus, complures propositiones &c.

V. Præter auctoritatem Alexandri VII. Concilium Gallicanum allegat auctoritatem œcumenici Concilii Viennensis adversus Probabilismum, & formato adversus eumdem decreto his coloribus illum depingit. *Quod vero in praxi cuivis nobis liceat sequi sententiam quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus; HOC NOVUM, HOC INAUDITUM, hoc certis & novis Auctoribus POSTREMO SAECULO proditum, repugnat huic effato a Patribus celebrato,* Quod ubique, quod ab omnibus: *nec habere potest christianæ regulæ securitatem. HOC INITIUM MALORUM ESSE, ATQUE OMNIUM ANTEDICTARUM CORRUPTELARUM CAPUT, & doctrinæ consecutio, & series temporum ostendit. Hoc ab antecessoribus nostris, viris fortibus, ac religiosis censoriæ notatum, hoc sæpe reprehensum, hodieque reprehendi, nullo incusante, immo bonis probantibus, diffiteri nemo potest.* Legatur integrum decretum supra transcriptum.

VI. Compertum itaque exploratumque, ea omnia mirum in modum præludia, dispositiones, apparatusque præcedere quæ antiquioribus temporibus solemnem alicujus doctrinæ damnationem ab Ecclesia indictam præcesserunt. Accedit quod Probabilismi proscriptionem urget summa caussæ magnitudo. Controversia hæc praxim quotidianam spectat, & per universas morum quæstiones divagatur. Extremæ ergo necessitatis est istius controversiæ definitio. Vidimus, hac nostra tempestate Probabilismi fautores nullum non movisse lapidem, ut definitionem in caussa Immaculatæ Virginis Conceptus sollicitarent; cum tamen, ad praxim quod attinet, omnes Catholici eumdem solemnem cultum pari obsequio, submissione, & devotione sanctissimæ Conceptioni B. V. literent. Alia ex parte arcanum hoc absolute spectatum adeo fugit mentis humanæ aciem, ut invincibiliter ignorari ab utraque parte valeat, nihilque ex eodem absolute accepto negotium æternæ salutis pendet: satis enim est humili obsequio, & devotione adamussim exequi id quod Ecclesia in caussa hac præcipit. Hoc non obstante, Probabilismi propugnatores solemnem definitionem pro virili parte sollicitant. Contra vero, ne caussa Probabilismi, ex qua Catholicorum æterna salus summopere pendet, & cujus usus quotidianus est, definiatur, effugia captant, volumina edunt, nullisque subtilitatibus, distinctiunculis, effugiis parcunt, ut decisionem, quantum per ipsos stat, remorentur, declinentque. Verum, non quod isti vellent, sed quod expediens, & necessarium est, scribere nos convenit. Necessitas decidendæ caussæ extrema est, eo quod in dies opinandi libertas, ex hac infecta radice profecta, ampliores la-


xet habenas. Factum manifestum omnibus est. Dispositiones, & apparatus ad hanc definitionem omnes adesse videntur. Ergo illam a divina providentia, quæ regit Ecclesiam suam, sperare nos convenit.

VII. Duo alia rationum momenta, eaque gravissima hanc postulant decisionem. Alterum est uniformitas doctrinæ in universa Ecclesia catholica. Omnes fideles Ecclesiæ Gallicanæ doctrina probabiliori reguntur. In aliis Ecclesiis varietas grandis est. Nam Probabilistæ maxima indulgentia permittunt quæ Antiprobabilistæ vetant. Illi sacramentis recipiendis dignos iudicant fideles quos isti indignos declarant. Innumeri Catholici secundum Antiprobabilistas sunt iniusti, avari, feneratores; & secundum Probabilistas sunt iusti, æqui, & usuræ expertes. Iuxta illos in tartara prolabuntur; secundum istos in cælum ascendunt. Quis inficias iverit, auferendam pro viribus non esse tam manifestam diversitatem? Scio, etiam damnato Probabilismo, plura ex his absurdis grassari posse, sicut, etiam admisso Evangelio, plures excitantur hæreses. Sed hæc absurda tunc, non ex systemate doctrinæ, sed ex abusu sanæ doctrinæ orientur.

VIII. Sæpius Ecclesia definitionem alicuius articuli suspendit, & in aliud tempus differt, ut declinet rumores, scandala, & tumultus, quos futuros præsentit. Nihil simile in hac caussa timeri prudenter potest. Magna tranquillitas, & obsequium summum, quo universa Ecclesia Gallicana damnationem solemnem Probabilismi in Concilio nationali latam suscepit, argumento nobis est, qua obedientia definitionem Apostolicæ Sedis excepturi fideles omnes essent. Si Theologi Galli omnes captivarunt intellectum in obsequium Concilii nationalis: qua animi demissione, qua veneratione fideles universi non reciperent Apostolicæ Romanæ Sedis, omnium Ecclesiarum matris, oraculum, & definitivam sententiam? Si hactenus nulla Religio, nulla Universitas, nulla Societas e re sua esse existimavit Probabilismum adoptare; quin, ut vidimus, Universitates, & Religiones præcipuæ honori sibi verterunt eumdem proscribere, seque infamiæ labe aspergi existimarunt, quoties Probabilismi doctrinam sibi affingi audierunt: si, inquam, ante damnationem Probabilismus iste erroris suspectus fuit tot Universitatibus, & Ordinibus, si tot Synodi, & Episcopi anathemate eumdem confixerunt: evidens est, nihil fidelibus exoptatius evenire posse hac probabilisticæ doctrinæ solemni, & expressa proscriptione.

IX. Alterum momentum, quod urgere suapte natura Probabilismi damnationem videtur, est hæreticorum confusio, & repressio. Isti ansam undique arripiunt maledicendi sanctissimæ illi matri cuius rebelles facti sunt. Universæ Catholicorum Ecclesiæ adscribere isti non erubescunt quorumdam Casuistarum la-

laxiores opiniones. Catholicis universis exprobrant Probabilismi doctrinam. Istius doctrinæ damnatio os Iansenistarum obstrueret. Lutherani, & Calvinistæ improperant nobis diversitatem, & quidem substantialem, in morum doctrina. Ecclesia Gallicana, inquiunt, unam morum regulam, oppositam sequuntur ceteræ Ecclesiæ. Ubi ergo est illa doctrinæ similitudo, & uniformitas quam se habere Catholici gloriantur? Responsum, quod Antiprobabilistæ exhibent, omnibus notum est. Sanctiorem quippe doctrinam præscribit Ecclesia. Quod toleret ad tempus quorumdam Casuistarum opinationes, quid heinc hæretici colligere contendunt? Ignorant ne, priscis etiam temporibus libere disputatum a Catholicis super pluribus punctis quæ postea ab Ecclesia definita fuere, & nunc ut veritates fidei creduntur? Hæc adversus hæreticos dicta sint. Ceterum, ut iisdem calumniandi ansa eripiatur, proscriptio Probabilismi peropportuna est.



DISSERTATIO VI.

DE PROBABILISMO RATIONUM MOMENTIS CONVULSO.

PROOEMIUM.

PRincipiis extrinsecus accessitis hactenus adversus Probabilismum pugnatum est. In praesentiarum cominus, & intimis rationum momentis eumdem labefactare aggredimur. Argumenta quibus in praecedentibus disputationibus Probabilismum oppugnavimus, facilia sunt, omnibus pervia: quoniam ex documentis, & factis, quae sub sensus cadunt, illa eruimus: nec valent humanae mentis cavillationibus, & figmentis adeo facile implicari, & eludi. Quae vero allaturi sumus, infinitis pene distinctiunculis subiacent. Sunt enim a sensibus abstracta, & a principiis Metaphysicae eruta. Quare quo penes doctos, & a partium studio alienos luculentiora sunt, eo penes vulgus facilius obscurari, & in erronea detorqueri sensa possunt. Ingentia distinctionum, subtilitatum, & sophismatum volumina ediderunt Probabilistae, ut corruens systema fulcirent, ac sustentarent. Plurima praeteribo, utpote prorsus inania. Quae alicuius momenti sunt, expendam. Illorum potissima principia, quibus tota vertitur probabilistica machina, ex instituto disputiam. Quin potissima huius dissertationis pars occupabitur in evertendis Probabilistarum fundamentis, eorumque obiectis diluendis. Celebris haec controversia, natura sua clara, perspicua, & nemini non obvia est: vix disputatione eget, cum sit lumini naturae omnino conformis. Hanc vero lucem spissa reflexionum probabilisticarum caligo obscuravit. Quo manifestior veritas est, eo multiplicata sunt sophismata, quibus involvatur. Haec unica caussa est cur adeo impedita evaserit controversia isthaec. Sicut natura, ita veritas paucis contenta est: falsitas plurimis indiget, ut consistat. Igitur si prolixior fuerit disputatio nostra, non nobis, non veritati seipsa apertae, quam defendimus, sed unice infinitis propemodum Probabilismi cavillationibus, quibus obtegitur, tribuas velim. Ipse deprehendes uno & altero principio niti caussam nostram. Contra Probabilismus, veluti aedificium undequaque ruinosum, innumeris fulcris eget, ut sustentetur. Ad rem.

CA-

CAPUT I.

Lex æterna Dei prima regula est cuiusque honestatis moralis.

I. DUO principia explicantur penes omnes inconcussa, quæ sola Probabilismi falsitatem evidenter ostendunt. De primo in hoc capite, de altero in sequenti sermo erit. In antecedenti dissertatione *cap.* IV. §. 1. ostensum est, eamdem esse boni, malique regulam. Hoc dumtaxat discrimen est, quod bonum per accessum, & conformitatem; malum per recessum, & difformitatem ab eadem regula nuncupatur. Omnis quippe actio, si regulæ suæ consentanea fuerit, bona, si difformis, mala sit necessum est. Si præter regulam suam divagetur, nec bona, nec mala moraliter est. Plures eiusmodi sunt secundum speciem, nulla in individuo, seu practice, & in exercitio.

II. Prima & universalis morum regula est voluntas, seu lex æterna Dei; quemadmodum omnipotentia divina prima caussa effectrix cuiusque entis. Bonitas quæque creata est veluti gutta quædam dimanans a primo & universali fonte Deo. Et sicut rivuli, fonti propinquiores, limpidiores sunt; ita bonitas quæque eo est perfectior, quo est supremæ bonitati similior, & æternæ legi propinquior. Porro voluntas quæque creata, ex quo caussa secunda sit, divinæ voluntati subiacet. Ergo qua ratione repugnat, voluntatem humanam esse primam caussam, & Deo non subiectam; eadem repugnat, aliquam operationem honestam esse, & bonam, nisi reapse, & non in mente nostra tantum, sit voluntati divinæ conformis. Quandoquidem si actio aliqua posset revera bona moraliter esse absque reali conformitate cum voluntate divina, iam actio aliqua moralis haberetur, non dependens a prima regula, non subiecta divinæ voluntati. Atque adeo actio isthæc, a Deo non dependens, Deus esset.

III. Hæc omnia paucis explicat S. Thomas 1. 2. quæst. XIX. art. 9. *Requiritur ergo ad bonitatem humanæ voluntatis quod ordinetur ad summum bonum. Hoc autem bonum primo quidem & per se comparatur ad voluntatem divinam, ut obiectum proprium illius. Illud autem quod est primum in quolibet genere, est mensura, & ratio omnium quæ sunt illius generis. Unumquodque autem rectum, & bonum est, inquantum attingit ad propriam mensuram. Ergo ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur quod conformetur voluntati divinæ.* Hæc doctrina paucis exposita a nemine in discrimen vocari potest.

CAPUT II.

Secunda honestatis regula exponitur.

I. CReavit Deus hominem sine homine; sed hominem absque homine non salvabit. Illius æterna voluntas prima regula est omnis actionis moralis. At regula hæc non dirigit operationes nostras, nisi ut applicata a cognitione, seu dictamine mentis nostræ. Extrinseca illa est, & objectiva. Ut igitur per modum principii objectivi dirigere & moderari voluntatem nostram operantem valeat, necesse est ut proponatur, & repræsentetur per notitiam mentis nostræ. Voluntas autem divina sic repræsentata, & applicata medio mentis nostræ dictamine, moraliter movet, ac dirigit voluntatem nostram, nostrasque morales operationes metitur, atque moderatur. Voluntas ergo divina, seu lex æterna Dei non est regula proxima & immediata, sed remota, & objectiva nostrarum operationum.

II. Regula autem secundaria proxima & formalis est practicum dictamen mentis nostræ: quod dictamen practicum est ipsa conscientia nostra. Illud magnopere hic advertendum est, quod, cum dicimus, actualem mentis nostræ cognitionem repræsentare, & applicare legem æternam Dei, sensus minime est, quod hæc cognitio debeat semper coexistere physice nostræ morali actioni; sed sat est quod physice aliquando præcesserit, & moraliter perseveret. Iam demonstratum fuse supra est, ad operandum moraliter haud necessario requiri advertentiam actualem; sed satis esse quod hæc cognitio aliquando præcesserit, & moraliter coexistat actioni. Insuper ad peccandum sat est quod tenearis advertere, & reflectere ad primam regulam, seu ad legem æternam Dei, & quod reapse omittas hanc considerationem actualem. Illud nunc dumtaxat asserimus, regulam primam non movere, nec dirigere operationes nostras morales, nisi fuerit cognita, & applicata per cognitionem nostram, quæ vel actu existat, vel aliquando extiterit, & moraliter perseveret.

III. Hæc prima regula aliquando cognoscitur in se ipsa, quando nempe nos cognoscimus ipsam legem æternam; interdum vero ea cognoscitur mediate in aliquo signo creato, ut quando legem ipsam nobis incognitam cognoscimus in voluntate, aut lege Superioris humani, in doctrina sapientum, qui nobis dicto, vel facto voluntatem divinam manifestant. Hæc doctrina, dictum, aut factum Superioris, aut sapientum sunt regula secunda objectiva, subordinata primæ regulæ. Hæc autem regula secunda objectiva non movet, nisi ut cognita, & applicata per rationis nostræ dictamen.

IV. Hoc porro rationis nostræ dictamen applicans regulam primam vel in seipsa, vel in aliquo signo creato, est regula secunda formalis, proxima, & immedia-

dicta. Si recte applicat, & proponit regulam primam, actio honesta est; si errat in proponendo, & applicando primam regulam, peccatum contingit, & quidem imputabile, si error vincibilis sit, secus, si error sit omnino involuntarius & invincibilis. Perspicue hanc doctrinam tradit Angelicus Doctor 1. 2. quæst. xxi. art. 1. in corp. *In his vero quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana; regula autem suprema est lex æterna. Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus est rectus; quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Manifestum est autem ex præmissis, quod omnis actus voluntarius est malus per hoc quod recedit ab ordine rationis, & legis æternæ; & omnis actus bonus concordat rationi, & legi æternæ. Unde sequitur quod actus humanus, ex hoc quod est bonus, vel malus, habeat rationem rectitudinis, vel peccati.*

V. Prima ergo regula universalis actionis honestæ est voluntas æterna Dei; secunda vero regula duplex, obiectiva, & formalis. Regula secunda obiectiva est signum, quod, ut cognitum, ducit in cognitionem primæ regulæ, cuius est expressio. Regula formalis, ut diximus, est ipsa nostra conscientia, seu practicum rationis dictamen, quod applicat regulam obiectivam, vel primam legem, nimirum æternam, in se cognitam; vel secundam, nempe auctoritatem sapientum. Hæc auctoritas sapientum duplici modo dirigere voluntatem nostram potest, obiective nimirum, & formaliter. Tum dirigit formaliter, quando subiective existit in mente illius qui operatur; quique per opinionem, seu iudicium iudicat actionem eliciendam conformem, aut difformem esse primæ regulæ. Dirigit tantum obiective, dum operans, seu opinans reflexe cognoscit istam opinionem, seu iudicium sapientum, ex quorum auctoritate movetur ad operandum.

VI. Accipe istius doctrinæ exemplum. Antonius doctus, & probus, præmissa diligenti investigatione, licitum sibi esse opinatur librum transcribere in die festo. Hæc opinio, seu iudicium dirigit Antonium formaliter: subiective enim in mente Antonii extat opinio, seu iudicium. Sempronius videns Antonium probum, & doctum sic operantem, ex illius auctoritate, seu opinione ad similem exercendam actionem movetur. Ecce, Antonii opinio dirigit ipsum Antonium proxime, & formaliter: dirigit Sempronium obiective, & remote. Hæc tamen opinio Antonii, quæ obiective dirigit Sempronium, debet semper applicari per iudicium formale ipsius Sempronii, ut eumdem dirigat. Et hoc iudicium formale est regula proxima & formalis. Opinio vero Antonii, reflexe cognita a Sempronio, est regula obiectiva remota; sicut de prima universali regula dictum est, quod non dirigit nisi ut applicata per iudicium formale. 4

VII. Illud tamquam certum ex iis quæ dicta sunt, colligendum est, & præ oculis semper habendum, nimirum omne rationis nostræ dictamen debere esse primæ,

&

& indefectibili regulæ conforme, ut recte dirigere operationem nostram valeat: Quoniam hoc dictamen, ut diximus, secunda regula est operationis nostræ: repugnat autem, secundam regulam esse rectam, nisi per conformitatem ad primam: nam si recta esset, & non conformis primæ, iam esset prima honestatis regula. Innumeris exemplis confirmari hoc possem. Unum dumtaxat promo. Sol, & horologium metiuntur dies, noctes, & horas. Sol est regula indefectibilis; fallax regula horologium. Sicut autem repugnat, horologium recte metiri horas & dies, & non esse conforme motui Solis; ita repugnat, dictamen mentis nostræ recte dirigere operationes nostras, & non esse subiectum ac conforme primæ regulæ, legi nempe æternæ. Hæc omnia docet S. Thomas 1. 2. quæst. XIX. art. 4. in corp. *In omnibus causis ordinatis effectus plus pendet a causa prima quam a causa secunda: quia causa secunda non agit nisi in virtute primæ causæ. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua eius bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina. Unde in Psal. IV. dicitur:* Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: *quasi diceret: Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, inquantum est lumen vultus tui, idest a vultu tuo derivatum. Unde manifestum est quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ a lege æterna quam a ratione humana: & ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere.*

VIII. Nonnulla sunt magna animadversione digna in hoc textu. Et ut ab ultimis verbis incipiam, doctrinam in iisdem continetur quæ penitus convellit Probabilismum. *Multo magis*, inquit Angelicus, *dependet bonitas voluntatis humanæ a lege æterna quam a ratione humana.* Contra adfirmant Probabilistæ. In rationem humanam, proponentem legem æternam, ultimo revocant honestatem actionis. Omnes nos fatemur, rationem humanam necessariam esse ut conditionem applicantem legem, quam solam dicimus primam mensuram, & regulam, ad quam & ratio humana, & operatio voluntatis humanæ conformari debent. Contra Probabilistæ contendunt, rationem humanam ita esse regulam bonitatis moralis, ut hæc sit vera bonitas, quoties est conformis rationi, quantumvis oppositæ legi æternæ. Quam doctrinam improbat Angelicus his verbis: *Et ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere.* Quando itaque ratio humana est errans, confugiendum est ad rationem æternam. Ergo falsa prorsus est doctrina Probabilistarum, qua asserunt, actionem conformem rationi erranti, bonam esse. Hanc opinionem *Lib. II. diss. 1. cap. v.* refutavimus: & nunc ex transcripto Angelici textu evidentius patet eiusdem falsitas.

CA-

CAPUT III.

Tertium principium exponitur, nempe solam veritatem esse bonitatis moralis regulam positivam.

I. DUo principia exposita tertium necessario consequitur. Quodnam istud? *Veritas sola regula est bonitatis moralis*. Hoc est tertium principium, tam verum, tam luculentum, quam verum est legem æternam esse primam regulam, primam mensuram cuiusque moralis honestatis. Adversus tamen principium istud non Probabilistæ modo omnes, verum etiam Antiprobabilistarum aliqui, minus propriam sententiam callentes, facto agmine insurgunt, & ut falsum reiciunt, & tantum non damnatum asserunt ab Alexandro VIII. in illa prop. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Contendunt ergo, non veritatem solam, sed etiam probabilitatem, ab ipsa veritate abstractam, positivam regulam esse bonitatis moralis. Quid plura? Plenis buccis, & prolixis disputationibus defendunt, ipsam falsitatem, ipsum errorem, fuco probabilitatis illitum, regulam esse actionis moralis bonæ, & meritoriæ vitæ æternæ. Incredibilia hæc forent, nisi fuso calamo hæc falsissima opinio supra *Lib. II. diss. 1. cap.* V. confutata fuisset.

II. Explicatur principium nostrum. Lex æterna Dei est prima regula cuiusque bonitatis moralis. Fidei veritas hæc est. Lex æterna Dei, lex veritatis est, non falsitatis, non probabilitatis. *Lex tua veritas*. Psal. CXVIII. Hæc veritas in hac tenebrarum valle non semper clare & aperte a nobis videtur, sed duplici medio illam attingimus: altero certo & evidenti, altero probabili & subobscuro. Veritas ergo vel evidenter & certo, vel probabiliter & obscure cognita, regula est operationis humanæ moralis. Non modo licet sequi inter probabiles probabilissimam; sed quamcumque opinionem vere probabilem, ut toties dictum est: quoniam non semper nobis via patet ad veritatem certo & evidenter assequendam, nec Deus nos ad impossibilia astringit. Eo sane curas, & studia collineare nostra debemus, ut veritatem ipsam, quoad fieri potest, assequamur; at minime urgemur ut reapse eam teneamus. Satis nobis est ut post debitam investigationem prudenter iudicemus, verum esse, honestum, & conforme legi æternæ obiectum circa quod operaturi sumus. Si obiectum revera eiusmodi sit; actio nostra bona est, &, aliis conditionibus positis, vitæ æternæ meritoria. Si contra obiectum vitiosum sit, & legi æternæ oppositum, nobis vero probabiliter propositum ut bonum, actio nostra reipsa mala est, nobis tamen ad culpam non imputatur: quia ex parte nostra, quoad licuit, veritatem investigavimus, & probabiliter iudicavimus, esse verum, honestum, & legi æternæ conforme. Porro tunc probabiliter iudicamus, verum & honestum esse obiectum aliquod, quando ex fundamentis solidioribus, verisimi-

Li-

lioribus, & partis oppositæ fundamentis præstantioribus iudicium nostrum formamus. Accidere potest ut dum *probabilissime* iudicamus a nobis veritatem stare, aberremus, at error iste imputabilis nobis non est. idcirco licet sequi opinionem vere probabilem, nedum probabilissimam.

III. Inconcussum ergo principium est, *solam veritatem* esse regulam veræ & realis bonitatis: veritatem, inquam, aut evidenter & certo, aut probabiliter & obscure attactam. Iuxta hunc sensum non improbamus communem loquendi modum, videlicet, opinionem probabilem regulam esse operationis nostræ. non improbamus, inquam, hanc propositionem, iuxta doctrinæ a nobis explicatæ sensum intellectam. Quoniam veritas regula est operationis nostræ moralis, vel cognita ut est in se, vel cognita quoad nos. Illud tamen semper consistit, quod dum falsitas sub specie veri nobis apparet, actio nostra apparenter bona, re tamen vitiosa erit. Præ oculis semper habe distinctionem actionis realiter honestæ & bonæ, ab actione non imputabili ad culpam. Illa sola veritate, hæc falsitate invincibiliter ignorata nititur Opinio probabilis, dum veritatem reapse attingit, est vera & realis regula operationis honestæ & bonæ. Si falsitatem sub specie veritatis invincibiliter proponat, est regula operationis apparens, fallax, & negativa. quæ a culpa quidem excusat, sed bonam efficere operationem nequit.

IV. Hæc omnia adeo luculenta, adeo perspicua sunt, ut nullis Probabilistarum cavillationibus obscurari queant. Negabunt ne, Deum esse primam caussam? Perge porro. Inficias ne ibis, Dei voluntatem, seu legem æternam esse primam regulam, primamque mensuram cuiusque bonitatis creatæ? Negabis ne, legem hanc legem esse veritatis & honestatis? Negabis tandem, errorem, falsitatem, & malitiam cum hac æterna Dei lege pugnare? Profecto, nisi velis veritatem, & falsitatem una consociare, fatearis oportet, omnem opinionem falsam contrariam esse legi æternæ Dei. Ergo nulla opinio falsa regula secundaria positiva esse potest operationis honestæ. Quoniam nulla regula secundaria recte dirigere operationem potest, nisi ut subordinata primariæ. Æque autem repugnat, opinionem falsam subordinari legi æternæ Dei, ac errorem coniungi veritati. Dispendium operæ facerem, si ultra producerem argumentationem istam.

V. Hoc duntaxat te admonitum velim, plures Theologos scholasticos, etiam Thomistas, oppositum docere; sed certe toto ostio aberrant, & cum D. Thoma pugnant. Istorum deceptio inde ortum ducit, quod ex instituto rem hanc non versarint. Probabilistæ vero, præiudiciis Probabilismi obducti, veritatem hanc ignorant. Immo P. Carolus Antonius Casnedi eo laxavit Probabilismi habenas, ut scripserit Deum eodem loco habere veritatem, & errorem inculpatum. Alibi rescripsi eiusdem textum, sed hic sedem opportunam habet. *Cum magister veritatis sis, adeo humanæ condescendis inscitiæ, ut in tuo veritatis tribunali error inculpatus ipsam*

COAE-

COAEQUET veritatem: cum enim non accusas, sed excusas, non plectis, sed praemiaris: ipsam tuam legem habendo pro non-lege: & tuam non legem habendo pro lege: si LEX ut NON LEX, & NON LEX ut LEX invincibiliter proponatur. In dedicatione Tomi secundi ad Christum IESUM. Quid plura? Adeo displicet huic Probabilistæ doctrina nostra, ut Sectarios nos vocet, hac celeberrima nomenclatura insignitos, VERISTAE. Sic enim scribit hoc eodem Tom. II. disp. XI. sect. XI. num. 310. *Inter Antiprobabilistas, quo nomine veniunt quotquot nostram sententiam impugnant, alii sunt, ut ita dicam, VERISTAE.* Deus noster veritas est: Veristarum ergo caput. Verum de hoc plura alibi.

CAPUT IV.

Ex principiis constitutis Probabilismi falsitas evidenter patet.

I. NUllus dubito quin lectores omnes similia sint ratiocinia ex præfatis principiis elicituri. Quis est qui Probabilismi, ad præfata principia collati, falsitatem non videat? Probabilismus, qui est regula secunda operationis moralis, præscindit a veritate, & falsitate. Qui ergo fieri valet ut hæc regula secundaria operationis nostræ sit subiecta primariæ? Regula prima, nempe lex æterna Dei, regula est veritatis. Ergo fieri nequit ut regula secunda quæ aut a veritate præscindit, aut falsa est, illi subiciatur. Clarius res explicatur. Systema probabilisticum propugnat, opinionem aut æque probabilem, aut minus probabilem, idest aut æque falsam ac veram, aut plus falsam quam veram, regulam esse voluntatis humanæ. Sed impossibile est eiusmodi regulam coniungi, & subordinari regulæ æternæ veritatis. Qui enim iudicat opinionem esse minus verosimilem, eodem sane iudicio iudicat esse minus conformem primæ regulæ. Ergo implicat contradictionem, ut iudicet esse regulam operationis nostræ: quoniam regula operationis nostræ esse nequit, nisi sit vel reapse, vel saltem, ut cognita quoad nos, conformis, & subordinata primæ regulæ æternæ, nimirum voluntati divinæ.

II. Obiicies. Quælibet opinio probabilis proponit obiectum ut honestum, & conforme æternæ legi. Hoc autem sat est ut operatio eiusmodi opinione directa sit honesta, & bona: nec enim requiritur ut opus propositum sit reapse conforme æternæ legi. alioquin nec esset licitum sequi opinionem probabilissimam; cum & hæc falsa esse queat, atque adeo proponere obiectum ut honestum, & conforme legi æternæ, quod tamen sit reapse difforme, & vetitum. Sat ergo est ut quisque agat secundum conscientiam, dicente Paulo ad Romanos XIV. *Qui non iudicat semetipsum in eo quod probat, beatus est.*

III. Si quæ obiecta sunt, vera forent, quisque in sua secta salvus fieret, quempesti-

pestiferum errorem valide refutant Guillelmus Parisiensis *tract. de leg. cap.* XXI. & Valent. *Lib. II. de analys. fid. cap.* I. & *Tom. III. disp.* I. *quæst.* II. *punct* 6. Dummodo enim quispiam Deum recognoscat, & iudicet quæ operatur, quæ credit, a Deo esse, suæque legi conformia, honeste operatur. Calvinista honeste, & sancte sacras imagines, aut Eucharistiam conculcabit, quod persuasus sit, istorum cultum idololatricum esse. Ex præfata obiectione colligitur, nihil nobis timendum esse ex pravis affectionibus, et amoris proprii, dæmonumque præstigiis, quibus sub specie honestatis, & sub luce veritatis scelera ipsa nobis proponuntur.

IV. Respondetur ergo, errorem esse manifestum, asserere, quamcumque opinionem probabilem, proponentem nobis obiectum ut honestum, & conforme æternæ legi, sufficere ad honeste operandum, ut iam ex dictis patet. Paucis ergo obiectio diluitur. Ut opinio probabilis sit, necesse est ut præcedat diligentia seria & gravis, plus minusve, iuxta gravitatem materiæ. Hæc diligentia necessaria est ne temere & fortuito, sed mature & prudenter iudicetur, honestam esse operationem. Quando opiniones sunt æque probabiles, nullum adest fundamentum asserendi unam præ altera aut veram, aut falsam esse; sed qua ratione utraque æque probabilis est, eadem utraque quoad nos falsitati subiecta est. Ergo electio qua Probabilista unam præ altera præfert, temeraria, & fortuita est respectu veritatis, aut falsitatis. Si vero opinio est minus probabilis, electio illius plusquam temeraria est. Indicat enim Probabilista, talem opinionem esse minus veram, minusque conformem legi æternæ. Repugnas? Nonne est minus verosimilis, te iudice? Ergo minus conformis æternæ veritatis legi. Hæc illatio necessario consequitur antecedens. Figmentum iudicii reflexi, quo dicitur verum falsum, & falsum verum, infra profligabitur; si tamen profligari eget quod natura sua corruit, suamque evidentissimam falsitatem præfert.

V. Ad textum S. Pauli respondet D. Thomas in commentariis ad Rom. XIV lect. III. *Beatus qui non iudicat &c. Hoc est intelligendum, si recta fide approbet esse aliquid faciendum. Si autem falsa opinione approbat aliquid esse faciendum .... non excusatur ex eo quod circa hoc non iudicat semetipsum: immo beatior esset, si circa hoc eum conscientia reprehenderet, in quantum per hoc a peccato magis prohiberetur. Sed in his quæ sunt licita, est intelligendum quod hic Apostolus dicit.* En constantem, perpetuamque S. Thomæ doctrinam. Ad opus morale bonum duo requiruntur: alterum, quod natura sua *licitum sit*, atque adeo conforme æternæ legi; alterum, quod a regula secundaria, seu a conscientia proponatur ut licitum.

VI. Conformitas autem operationis cum æterna lege reapse necessaria est ut opus sit bonum, ut vero peccatum vitetur, requiritur ut, præmissa debita diligentia in investiganda conformitate operis cum divina lege, proponatur opus ut licitum. Quoniam si absque sufficienti veritatis examine iudicium de operis honestate conci-

cipia-

cipiatur, tametsi opus esset reapse conforme legi æternæ, non vitaretur peccatum: siquidem conformitas hæc materialis, & fortuita esset. Ratio evidens est. Intellectus noster natura sua defectibilis est. Erramus non modo dum opinamur, seu judiciis opinativis indulgemus, sed etiam dum judicamus certum aliquid esse. Ut ergo judicium nostrum sit recta regula secundaria operis moralis, cum indefectibilitatem habere nequeat ab intellectu nostro fallibili, necesse est ut serio & diligenter investigetur conformitas cum æterna lege, quæ sola est indefectibilis. Quod si post hanc diligentem investigationem contingat opus esse re difforme ab æterna lege; tum peccatum erit materiale, non imputabile.

VII. Hinc habes, quam falsa, quam erronea sit doctrina, & praxis illorum Confessariorum, & Christianorum qui numquam peccare existimant eum qui suo dictamine judicat opus suum conforme esse æternæ legi; quin æternam illum mereri vitam putant, si bonum existimaverit esse fornicari, & mentiri. Nil nunc dico de his Confessariis qui pœnitentes ipsos, dum se peccasse accusant, rogant eos, utrum *sciverint, adverterint* se peccare? Quos, si negent, ab omni culpa immunes declarant. Quæ doctrina si vera foret, nec perfidi Judæi, nec pervicaces hæretici peccarent, dum & Christum pernegant, & sacramenta conculcant, & sola fide salvos Christianos fieri delirantes effutiunt. Quoniam firmiter, & sublata quaque formidine, hæc omnia vera esse existimant. At, inquis, error est in fide? Bene habet. Error fidei excusabilior errore morum est. Fidei arcana remotiora sunt ab intellectu nostro, viciniora vero morum præcepta. Quæstio ergo tota huc recidit, qua nempe diligentia investigare debeamus conformitatem operis faciendi cum æterna Dei lege. Hanc autem statim explicabimus sequenti capite.

CAPUT V.

Sacræ Scripturæ, & rationum momentis necessitas investigandæ divinæ legis, & probabilioris sententiæ amplectendæ, improbandique Probabilismi evincitur.

I. NIL frequentius in Scriptura sancta occurrit quam legis divinæ inquisitio, & meditatio. *Loquere filiis Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas.* Signa in vestibus fieri Dominus jubet, quæ sint veluti monumenta ad excitandam recordationem divinæ legis; vetatque *proprias* sequi *cogitationes*, quæ nimirum contrariæ sint divinæ legi. Præcipit ne quid addatur, aut detrahatur eidem legi. *Quod præcipio tibi hodie, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas:* Deuter. XII. Istius legis studium continuum nobis mandat Eccles. VI. *Sapiens a e-*

tum . . . non est multis manifesta . . . In omni animo tuo accede ad illam. Investiga illam, & manifestabitur tibi . . . . Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis Dei maxime assiduus esto. Hanc legem custodiendam, ut nostrorum pupillam oculorum, imperat. *Serva mandata mea, & vives: & legem meam, quasi pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.* Prov. VII. Ut altius mente repositum esset debitum hoc suæ legis investigandæ, & meditandæ, hac verborum efficacitate alloquitur populum suum, Deut. cap. VI. *Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens; & ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur ante oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Quid, si recensere vellem quæ Deus mandat in *Psal.* CXVIII. Omnium Psalmorum prolixior hic est. Vix versiculus unus reperitur, in quo studium legis non inculcetur sub expressionum varietate. Iubet ut lex *discatur*, ut *intelligatur*, ut *penetretur*, ut *consideretur*, ut *promulgetur*. Iubet nos eam *meditari, perscrutari, eam non oblivisci, ante oculos tenere, observare, exequi, sensum illius investigare, desiderare, & exquirere eiusdem mandata, iudicia, iustitias, vias, vestigia, verba, sermones, eloquia, dulciora super mel, & favum.* Percurre integrum Psalmum, si vis ideam formare necessitatis legis percipiendæ, atque exequendæ. Hoc idem legis studium Christus Dominus iubet Matth. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* item cap. XXVIII. *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Similia præcipit Paulus. *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*: Ephes. IV. Item I. Thessal. V. *Omnia autem probate; quod bonum est, tenete: ab omni specie mali abstinete vos.*

II. Eadem veritas ratione evidenti ostenditur. Nemo fieri salvus valet, nisi mandatorum Dei observantia. Porro licet lumen istius legis signatum super animarum vultus sit, tamen passionum, & consuetudinum caligine sæpe obscuratur. Accedit quod plura excedunt captum nostrum. Ergo industria, & investigatione eorumdem cognitio acquirenda est. Fac, Principem diploma, in quo plura præcepta servanda subditis imponat, ad suos dirigere ministros. Promulgant isti Principis mandata. Subditi omnes norunt plura imperari a Principe, quæ nisi executioni mandentur, placere Principi, eiusque gratiam assequi nequeunt. At sigillatim mandata omnia non agnoscunt. Cedo: si hi subditi implere Principis mandata volunt, nonne illa investigare, & scire tenentur? Deus supremus Princeps diploma nobis dedit, Scripturam nempe sanctam, in qua suæ voluntatis iussa exarata sunt. Quicumque ergo placere Deo gestit, eiusque gratiam, & præmium obtinere, profecto illius mandata investigare, perscrutari, & scire debet, ut exequi eadem valeat. Hæc omnia clara sunt, & manifesta.

III. Hinc amplectendæ sententiæ verisimilioris, & repudiandæ minus probabilis necessitas patet. Hac quippe evidenti demonstratione urgeo Probabilistas, cui hactenus responsum nullum vel apparens dedere. Si ego legis veritatem teneo, nonne legi implendæ astrictus sum? Aiunt. Ergo idem dicendum, dum verosimilius agnosco, eamdem existere, & urgere. Clara legis notitia legis implendæ onus imponit, omnibus fatentibus. Ergo pro gradu notitiæ gradus erit obligationis. Ergo dum probabilius apparet legem obligare, servandæ legis debitum necessarium est.

IV. Sub alio aspectu Probabilismum impeto. Qui operatur juxta opinionem minus probabilem, quæ legi adversatur, favetque libertati, sincero corde non investigat, non inquirit legem, & quæ sit Dei voluntas: ergo peccat. Probo antecedens. Qui operatur secundum opinionem minus probabilem, evidenter cognoscit, operationem suam esse magis contrariam quam conformem legi; cognoscit se magis a lege recedere quam accedere ad legem. Ergo ex animi sententia legem non inquirit. Sincere ne, & animo deliberato Romam peteres, si viam scienter arriperes quæ verosimilius Roma abduceret quam duceret Romam? Quis dixerit, efficaciter velle finem eum qui media minus apta, aptioribus spretis, ad finem assequendum eligit? Stultus sane ab omnibus haberetur qui talia perageret. Ergo evidens est Probabilismi falsitas.

V. Exemplo altero, in hac materia familiari, res clarior fiet. Medicinas duas Paulo infirmo medicus præscribit hac methodo sumendas, ut, si febris initium frigidum fuerit, medicinam *A.* si calidum, medicinam *B.* recipiat: monetque, ne unam loco alterius accipiat, si mortem evadere velit. Servo commendat ægrotus, ut medicinas ambas custodiat opportuno tempore porrigendas. Ingruente febri frigore affecta medicinam adferri jubet. Ambas servus defert, alteram in dextera, in sinistra alteram. Quamnam accipere infirmus debeat, sese ignorare servus sincere testatur. Credo tamen, inquit, hanc quam dextera teneo, pro frigida, quam habeo in sinistra, pro calida febri destinatam esse, atque adeo illam salubrem, hanc mortalem esse Idem adfirmant domesticorum aliqui. Plures alii oppositum sentiunt, sinistræ videlicet medicinam salubrem esse, illam dexteræ mortiferam. Paulus ægrotus, omnibus serio expensis, & ipse probabilius existimat, dexteræ medicinam salubrem esse. Nihilosecius conspiciens sinistræ medicinam colore pulchriorem, odore suaviorem, palato sapidiorem, hanc sumere decernit. Servus, & domestici ægrotum admonent ut medicinæ potum differat, donec medicus consultus fuerit. Ille vero, omni spreto consilio, sinistræ medicinam palato gratiorem epotat, & in Probabilismi amplexu occumbit.

VI. Ut inepta, exempla ejusmodi Probabilistæ rejiciunt, quod medicina venefica suapte natura mortem inferat, nihil opitulante bona mentis opinione; opinio

vero de honestate actionis, etiamsi falsa sit, a mortali culpa excusat. Quod verum habet, si falsitas invincibiliter ignoretur. Verum, ut huic consueto effugio latebram, rimamque omnem occludam, ab alio latere illos aggredior.

VII. Omissa ergo disparitate, quam exhibere communiter Probabilistæ solent, ad hoc principium difficultas reducitur. Dicant nobis Probabilistæ, audent ne ipsi adfirmare præfatum ægrotum sincere amasse sanitatem suam, & sincero animo adhibuisse opportuna remedia, ut illam obtineret? Stultus dubio procul haberetur qui id adfirmaret. Sed cur ægrotus iste sincere sanitatem suam non adamavit? Quoniam repudiavit medicinam quam probabilius judicavit comparandæ sanitati magis idoneam. Ut quid ergo Probabilistæ jactant, se sincere quærere legem Dei? Probabilius judicant, opera sua divinæ legi opposita esse. Ergo isti sincero corde non investigant, non inquirunt legem Dei; si probabilius ipsi judicant, se a lege Dei recedere. Qui fieri potest ut isti candide Deum alloquantur, dum inquiunt: *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo?* Psal. CXVIII.

VIII. Probabilismi directi patronus P. Esparza cum pluribus aliis respondet, voluntatem pro arbitrio imperare intellectui posse, ut eam opinionem conformem æternæ legi judicet quam vi gravium fundamentorum agnoscit minus probabilem. Responsum istud adeo absurdum est, ut vix credibile sit a perdocto Theologo *Esparza* promi in publicum potuisse. Imperare voluntatem posse intellectui, ultro concedere volumus, sed imperium istud imprudens, temerarium, stultumque fore subdimus. Hac ratione imperare voluntas potest ut falsum quod verum, & verum quod falsum est, intellectus judicet. Plura ex Philosophia in manibus essent, quibus præfati responsi falsitas evinceretur; sed in re pervia ludenda opera non est. Quid? An non stultus haberetur medicus qui ex omnibus infirmitatis indiciis verosimilius mortem prævidens quam sanitatem, vi suæ liberæ voluntatis sanitatem potius quam mortem prænuntiaret? Ergo quemadmodum stultitia plenum esset imperium, quo voluntas juberet intellectui ut verum judicaret quod falsum dignosceret, ita temeritatem, & apertam stultitiam præfert imperium illud quo voluntas imperat ut intellectus judicet conformem æternæ legi operationem quam verosimilius dignoscit æternæ legi contrariam. Ne multa: etiam memoratus ægrotus voluntate sua imperat intellectui ut judicet, medicinam sinistræ manus, palato suaviorem, esse sanitati quoque reparandæ aptam, spreto consilio domesticorum, & sua probabiliore opinione, & tamen, omnibus fatentibus, stultus est ægrotus iste. Ergo idem in casu nostro.

IX. Ex quibus omnibus has colligo demonstrationes adversus Probabilismum. Qui suam operationem conformat ad regulam distortam, & primæ regulæ oppositam,

sitam, peccat. Opinio minus probabilis respectu Probabilistæ regula distorta est, & primæ regulæ opposita. Ergo qui iuxta illam operatur, peccat. Probo minorem. Probabilista iudicio suo directo iudicat opinionem minus probabilem magis oppositam quam conformem primæ regulæ. Ergo illam magis distortam quam rectam iudicat. Quod de iudicio reflexo subdunt, chimæricum omnino est. Iudicium quippe directum est obiectum iudicii reflexi. Si distortum illud, etiam istud est. Magis distortum quam rectum illud fatentur Probabilistæ. Ergo distortum fateantur & istud oportet. Aliis terminis demonstratio ista proponitur. Qui legem æternam contemnit, peccat. Probabilistæ contemnunt in usu opinionis minus probabilis legem æternam. Ergo &c. Prob. min. Qui ex animi sententia, & pro viribus æternam non inquirit legem, eam virtualiter negligit, reque contemnit. Probabilista sequens opinionem verosimilius, seu probabilius æternæ legi oppositam, æternam legem sincere, & pro viribus non inquirit. Ergo &c. Secundam propositionem, ex qua tota vis argumentationis pendet, supra demonstravimus, & confirmari exemplis iterum potest.

X. Prima indefectibilis regula, metiens annos, menses, & dies, Sol est. Secunda regula horologia, quorum rectus motus a conformitate ad Solem pendet. Horologium, quod exacte semper ad cursum Solis signat horas, perfectissimum est; quod penes nos haud reperitur. Alterum horologium, quod communiter cursum Solis sequitur in metiendis horis, tametsi interdum declinet, est regula secundaria, qua perfectior ab humana arte effici nequit. Tertium horologium, quod communiter a Solis cursu declinat, regula fallax est. In primo horologio sententia certa, & evidens, in secundo opinio probabilior, in tertio opinio minus probabilis designatur. Qui in observatione ieiunii uteretur tertio horologio, imprudentiæ, ne dicam stultitiæ, notam non evaderet. Ergo idem dicendum de eo qui opinione minus probabili utitur. Aliud exemplum clarius evincit falsitatem Probabilismi. Qui per sortes decideret contractum esse usurarium, evaderet ne culpæ reatum? Petrus monetam, in qua ex una parte leo, ex altera ursus depictus est, in aerem proiicit, hoc consilio, ut si figura leonis appareat, contractus licitus; si ursi imago, usurarius sit. Quis Petrum stultitiæ non damnaret? Opinio minus probabilis, non modo regula indifferens est ad usuram, & iustitiam, ad malitiam, & honestatem, sed magis ad usuram, ad malitiam, quam ad honestatem, & iustitiam declinat. Ergo non minori imprudentia Probabilista laborat in usu opinionis minus probabilis, ac Petrus in monetæ iactu.

XI. Reponunt Probabilistæ, exempla eiusmodi diversa omnino esse ab opinione minus probabili. Diversa utique sunt: nam hæc materialia sunt; opinio mentis fetus est. At in ratione regulæ, & mensuræ nullam præferunt diversitatem. Sed inquiunt, qui opinione minus probabili utitur, sufficientem diligentiam in divinæ

legis investigatione adhibet. Ad summam enim diligentiam nemo astringitur: nec enim necesse est ut opinio probabilis, sive formalis, sive objectiva, conveniat reapse cum prima regula; sed sat est ut illa eidem primæ regulæ contentanea, & conformis judicetur a Probabilista. An non vel ipsa probabilior opinio reapse recedere ab ipsa prima regula potest?

XII. Huc recidunt omnes Probabilistarum conatus, & subtilia sophismata. Quam sint irrita, & vana, videamus. Quo ausu dici valet, satis diligentiæ in inquirenda veritate eum adhibere qui, serio omnibus viis quæ ad illam ducunt, spectatis, eam eligit quam longius ab eadem recedere dignoscit? Ad summam diligentiam non teneris? Esto. At nec mediocrem adhibes, dum, opinione quam probabilius conformem regulæ indefectibili deprehendis, rejecta, minus conformem sponte & deliberate eligis. Addo, Probabilistam, dum, rejecta probabiliore, minus probabilem eligit opinionem, non modo non adhibere diligentiam, ut legem æternam inveniat; sed eo tantum conatus suos dirigere, ut ab observanda lege recedat, ut quamdam probabilitatis imaginem inveniat, qua fucare operationem faventem libertati, & appetitui valeat. Diligentiam sincero animo adhibes in investiganda veritate? Et quod magis accedere veritati tute cognoscis, repudias, rejicis, detestaris? Si hæc monstra non sunt, quænam erunt?

XIII. Alia Probabilistarum effugia. Qui probabiliter operatur, de quo infra, prudenter operatur. Qui probabiliter operatur, sufficientem diligentiam adhibet in inquirenda lege: quia licet opinio sit minus probabilis, tamen probabilis est, nec regula operationis moralis est veritas, sed probabilitas. Hæc, inquam, sophismata, quæ sequuntur, significant. *Probabilista, ut honeste agat, minime astringitur investigare æternam Dei legem aut præcipientem, aut prohibentem, sed potest a tali investigatione præscindere. Quid refert, suam operationem consentaneam esse æternæ legi, dummodo juniorum auctoritate nitatur? Præceptum istud hactenus expositum conformandi regulam secundariam ad primariam, seu legem æternam, purum putumque sophisma est. Probabilistis sat est opinionem probabilem sequi, rejecta probabiliore, seu verosimiliore. Si hæc opinio minus probabilis recentium Theologorum suffragiis fulciatur, nihil omnino refert quod sit conformis, vel contraria legi æternæ; quod sit vera, aut falsa, vitiosa, aut honesta. Hæc omnia de materiali se habent.* Argumenta Probabilistarum aut nullum produnt sensum, aut præferunt sensa descripta. Multiplicent distinctiunculas, cavillationes, subdistinctiones, quibus volumina impleant; numquam tamen quidquam dabunt, quo recensita sensa fucare queant. Hæc autem pictura nativis adumbrata coloribus sufficienter horridam Probabilismi indolem exprimit.

DIS-

DISSERTATIO VII.

ADVERSUS PROBABILISMUM DIRECTUM.

PROOEMIUM.

QUAE hactenus dicta sunt, satis superque forent ad plenam controversiæ decisionem, nisi Probabilistæ immensis voluminibus rem totam implicare tentassent. Quare post explicata principia quæ evidenter demonstrant investigandæ pro virili veritatis, atque cognitæ amplectendæ debitum, operæ pretium est, principia quibus machina probabilistica superstruitur, penitus convellere. Duo hæc Deus Hieremiæ præscripsit, nempe evellere & dissipare malas, bonasque arbores plantare *Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*· cap. 1. Hactenus nos ædificavimus, & plantavimus probabilioris sententiæ principia, & necessaria consecutione adversæ sententiæ plura fundamenta disiecimus. Imposterum ex instituto disperdam, & dissipabo potissima Probabilismi fundamenta. Duplex Probabilismus, alter *directus*, alter *reflexus*. De posteriore infra, de primo in præsentiarum disseram.

CAPUT I.

De indifferentia proxima intellectus ad assentiendum ex libero voluntatis imperio opinioni æque, aut minus probabili.

I. DUAE sunt Probabilistarum classes, Altera *Directorum*, altera *Reflexistarum*. Prior huic principio nititur, quod nempe intellectus valeat ex imperio libero voluntatis alterutri contradictionis parti, etiam minus probabili, adhærere: & hi vocantur Probabilistæ *Directi*. Posterior negat debitum amplectendi sententiam probabiliorem in conspectu minus probabilis: quia, quando disputatur super aliqua lege probabiliter in utramque partem, nulla datur lex. hi vocantur Probabilistæ *Reflexistæ*, quorum princeps P. Antonius Terillus est. Adversus priores nunc disputamus.

II. Nonnulla animadvertenda, antequam ad rem ipsam accedam. Et principio duplex distinguenda libertas. Altera est contrarietatis, quæ etiam dicitur quoad

specificationem, quæque respicit actus oppositos, specieque diversos, ut assensum & dissensum de eadem re. Altera est contradictionis, quæ etiam vocatur quoad exercitium: hæc respicit assensum, & eiusdem carentiam.

III. Sola veritas evidenter proposita necessitat intellectum. Quamobrem penes omnes certum est, liberum nobis simpliciter esse opinari quantum ad exercitium. Certum itidem est, liberum nobis esse inter duas opiniones probabiliori adhærere, dummodo pars probabilior notabiliter non præponderet parti minus probabili, ut scite advertit Iulius Mercorus in *Basi Theol. Part. II. art. 7.* Itaque, ut pars probabilior pertrahat in suum assensum intellectum, opus est ut elidat vim partis minus probabilis. In statera quælibet additio ponderis libram inclinat in alteram bilancem: quia libra in punto fere individuo vertitur. Motus intellectus moralis est. Æqualitas probabilitatis omnino suspensum detinet, dubiusque tunc vocatur. Ut ab hoc dubio liberetur, non quilibet gradus probabilitatis sat est, sed requiritur talis, ut elidat contrariam probabilitatem. quia, usque dum non deprimitur opposita probabilitas, hæc movet intellectum, licet minus quam opposita, & ecce intellectus dubius, ac fluctuans hæret: quia perseverat moralis æqualitas inter utramque opinionem. Exemplo rem declarat Mercorus. In bivio hæres, utrum ad dexteram, aut sinistram declinare debeas. Sinistra ad nemus ducit, ubi ursi, leonesque latitant, dextera ad civitatem. Occurrit rusticus tibi asserens, dexteram ducere ad nemus, rustica contra testatur, dexteram ducere ad civitatem, sinistram ad nemus. Assertio viri probabilior est assertione feminæ. Tamen imprudens is esset, si tanto periculo se exponeret: quia licet testimonium mulieris sit minus probabile, hæc tamen minor probabilitas ita parum inferior est opposita, ut absolute contemni nequeat in conspectu probabilitatis nixæ assertioni virili. Quare animus dubius reapse maneret. Veritas ex ipsa quotidiana praxi constat, & quisque eam experitur. Lege Mercorum *loc. cit.* ubi evidenter hanc conclusionem probat. Quare P. Antonius Terillus iniuria summa reprehendit hanc Mercori doctrinam in suo de *consc. tract. quæst.* VII. Quoniam doctrina Mercori certa est, & communis; nec vacat eam ab ineptis Terilli commentis vindicare.

IV. Notandum denique magnopere est, duplici modo intellectum indifferentem esse ad opinandum, vel non opinandum. Primo mediate & indirecte, quatenus voluntas potest intellectum divertere, ne expendat motiva, & rationes unius partis. Secundo, quatenus, propositis utriusque partis momentis, & cognitis, potest voluntas imperare ut ad libitum intellectus adhæreat cui maluerit parti, etiam minus probabili. Conveniunt omnes in primo sensu: de posteriori tota est præsens controversia. Affirmant Probabilistæ directi. Nos pernegamus. Sit itaque.

V. *Intellectus nequit proxime & immediate præbere assensum determinatum, nisi illi parti contradictionis quæ in actu primo, & prævie ad ipsum imperium volunta-*

lis verisimilior, seu probabilior modo explicato eidem appaeret. Hanc sententiam docuerant omnes ante natum Probabilismum. Pro eadem laudantur præ aliis sequentes. Aristoteles *III. de Anim.* Commentator Simplicius Philoponus, Themistius, S. Thomas 1. 2. *quæst.* IX. *art.* I. & *quæst.* XIV. *de verit. art.* I. Scotus in *II. p.* 11 *dist.* XLII. *num.* 5. Henricus Gandavensis *quodlib.* XIV. *quæst.* VIII. Ricardus in *II. dist.* XXXVIII. *art.* 2. Holchot in *I. quæst.* I. Maior *In IV. quæst.* II. Conradus *tract.* VII. *quæst.* c. Corduba in *Quæstion. Lib. II. quæst.* III. Bellarminus *Lib. III. de grat. & lib. arb.* Molina *Tom. V. de iust. & iur. tract.* IV. *disp.* XV. XVI. XVII. Vasquez *Tom. I. in* 1. 2. *disp.* LXII. *art.* 3. & *disp.* LXVII. *cap.* I. Layman *Lib. I tract.* I. *cap.* V. §. 2. Arriaga *Tom. I in* 1. 2. *disp.* XXIV. *sect.* V. *dub.* 2 *num.* 29. Pallavicinus *in* 1. 2. *disp.* VIII. *quæst.* VI. *art.* 4. Suarez *Tom. I. in* 1. 2. *tract.* II. *disp.* X. *sect* I. *num* 5. pluresque alii, & omnes Antiprobabilistæ. Quare si sola auctoritas spectetur, opposita sententia falsa est.

VI. Ratione autem evidenti exposita sententia demonstratur. Nulla animæ nostræ potentia extra sphæram proprii obiecti, quod vocant specificativum, ferri potest, quocumque accedente voluntatis imperio. Hoc principium penes omnes ineluctabile est. Qua ratione nec oculus sonum, nec auris colores, nec tactus odores percipere valet. Porro obiectum specificativum intellectus est verum, per apprehensionem propositum, ante assensum, vel dissensum mentis. Quæ etiam propositio evidens, & extra disputationem est constituta. Ex his duobus principiis hanc formo argumentationem. Intellectus humanus nequit apprehendere ut verum obiectum illud contra quod agnoscit militare æque, aut magis probabiles rationes. Ergo nequit ex imperio voluntatis eidem assentiri. Prob. ant. Obiectum nequit ut verum intellectui apparere in ordine ad assensum præstandum, nisi appareat connexum cum prædicato quod de eo enuntiatur, ut omnes Dialectici adfirmant. Ergo quando æquales, aut maiores rationes urgent adversus idem obiectum, nequit apprehendi ut verum. Prob. conseq. Quando æquales rationes seu fundamenta urgent adversus obiectum, sive, ut pressius loquamur, subiectum, de quo aliquid enuntiatur, non apparet magis connexum quam non connexum cum prædicato quod enuntiatur. Si rationes contrariæ sint urgentiores, repræsentant obiectum magis disiunctum, seu non connexum cum prædicato quod de eo enuntiatur.

V. Hæc argumentatio evidentissima est, ex principiis ab omnibus admissis deducta. Nec quidquam reponere Probabilistæ valent, nisi consuetam principii petitionem, videlicet, ut appareat obiectum absolute verum, satis esse quod per rationes probabiles repræsentetur ut connexum cum prædicato de eo enuntiato; licet in oppositum urgeant rationes probabiliores. Sed hoc est paradoxon, & chimæra repugnans: quam hactenus labefactavi, & iterum evidentius repellitur. Intellectus, antequam uni parti contradictionis adhæreat, utriusque opinionis, & adfir-

firmantis, & negantis, rationes expendit. At quando rationes sunt æque, aut magis probabiles contra partem affirmantem, impossibile est ut hæc pars affirmans appareat vera. Ergo &c. Prob. min. ratione iam adducta. Pars affirmans nequit apparere ut vera intellectui, nisi appareat ut connexa cum prædicato quod de illa affirmatur. At impossibile est ut pars affirmans appareat connexa cum prædicato quod de ea affirmatur, quando rationes probabilius evincunt, hoc prædicatum non esse cum eadem connexum, sed ab eadem disiunctum, & separatum. Intellectus expendere aggreditur naturam contractus: occurrunt rationes in utramque partem: quæ negant esse iustum, probabiliores, quæ affirmant, minus probabiles iudicantur. Prædicatum ergo iustitiæ, quod attribuis contractui, est magis ab eo disiunctum & separatum quam connexum. Ergo si veritas, ut omnes fatentur, in hac connexione sita est, magis falsum apparet quam verum. Rem paucis sub alio aspectu concludamus. Cur contractui attribuis prædicatum iustitiæ? Quia voluntas absolute imperat? Stultus est qui id asserat. Quoniam veritas, & falsitas in tali positione ex solo voluntatis arbitrio penderet. Cur ergo? Quia rationes occurrunt quæ evincunt connexionem iustitiæ cum tali contractu. Ergo si rationes probabilius, verosimiliusque evincunt, talem contractum esse iniustum, impossibile est ut intellectus vi istarum rationum affirmet, iustitiam connexam esse cum contractu eiusmodi. Cedo, quando rationum momenta essent omnino æqualia, nonne intellectus suspensus hæreret ad modum corporis catenis ligati? Ita docet S. Thomas in III. Metaph. cap. 1. *Dubitatio autem de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eumdem effectum demonstrat. In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid simile iis qui sunt stricte ligati. Sicut enim ille qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum vitam corporalem, ita ille qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundum viam speculationis* &c. Intellectus, libra æquali pondere suspensa, nequit in alterutram declinare partem, quocumque immediato voluntatis imperio. & poterit in eam declinare partem quæ minus illum movet, premente altera quæ magis retrahit?

CAPUT II.

Evasiones adversariorum præcluduntur. Quam futile sit P. Esparza perfugium in diversitate motivorum situm.

I. Respondent Probabilistæ, argumentationem nostram tantum evincere, non posse intellectum iudicare, utrumque contradictionis extremum esse verum

rum a parte rei: quia in re, si unum est verum, alterum falsum est. Ceterum obiectum intellectus non est verum reale, sed verum apprehensum. Nihil autem repugnat quod intellectus utrumque extremum opinetur probabiliter verum.

II. Haec prima adversariorum responsio prorsus vana est. Quæ siquidem ratione repugnat a parte rei, duo contradictionis extrema esse simul vera; eadem repugnat, illa apparere intellectui etiam per apprehensionem simul vera. Fieri nequit ut a parte rei Heraclitus ludat, & non ludat: quia *impossibile est idem simul esse & non esse*. Istius principii conscius est intellectus. Ergo impossibile est intellectum proxime indifferentem esse ad assentiendum utrilibet contradictionis extremo. Quoniam dum alterum verum apparet, nequit alterum non apparere falsum. Nec refert hanc obiecti apparentiam obscuram esse. Siquidem dum intellectus alteram contradictionis partem opinatur, absolute enuntiat, iudicatque, licet cum formidine, illam esse veram. At implicat contradictionem, intellectum eodem instanti quo iudicat aliquid esse verum, simul indifferentem proxime esse ad iudicandum illud esse falsum: alioquin opinari posset, laudatum principium, *impossibile est idem simul esse & non esse*, falsitati subiectum esse. Ergo non minor contradictio est, intellectui adparere eodem tempore utrumque extremum contradictionis verum, seu alterutrum eorum simul verum & falsum tam per apparentiam obscuram, & in ordine ad producendos assensus opinativos, quam per apparentiam evidentem, & in ordine ad generandos assensus certos, & scientificos; nec enim minor est oppositio inter propositiones contradictorias opinativas quam scientificas.

III. Perfugium quo se recipit P. Esparza, dignum haud est tanto Theologo; quin adeo ineptum est, ut vix credibile sit, a quacumque mente præiudiciorum vacua excogitari potuisse. Inquit ergo, argumentationem nostram evincere, quando motiva sunt homogenea, rationesque similes, secus, si sint dissimilia, & hæterogenea: tum enim contendit, intellectum indifferentem proxime esse ad assentiendum utrilibet contradictionis extremo, dummodo excessus unius partis non sit manifestus.

IV. Ecquis sibi temperare valet quin exclamet: O mirificam Probabilismi energiam ad excantandas vel doctiorum hominum mentes, semel præiudiciis occupatas! Ecquis umquam ita desipuit, ne dicam deliravit, ut asseruerit, posse intellectum eidem materiali obiecto assentire, & dissentire ex eodem motivo? Quis umquam somniavit, idem esse assensus, & dissensus momentum? Nonne propositiones contradictoriæ diversæ sunt? Diversa ergo sint necessum est motiva assentiendi, & dissentiendi eisdem. Diversa sunt essendi, & non essendi principia. Poterit ergo esse simul & non esse. Explicent nobis Probabilistæ, qui fieri possit ut ratio omnino similis rationi moventi ad assensum, moveat ad dissensum. Propositio-

sitiones sunt oppositæ: & fundamenta, seu motiva quæ illas evincunt, debent esse eiusdem speciei?

V. Alii Probabilistæ, cum Terillo *quæst.* VIII. *de consc. prob.* distinguunt duplicem veritatis apparentiam: alteram antecedentem assensum intellectus; alteram consequentem, seu concomitantem. Antecedens obscurior, clarior consequens. Causas istius diversæ apparentiæ veritatis explicat Terillus *loc. cit. art.* 25 quas, ut veras, & ipsa probatas experientia, admittimus. Porro contendunt Terillus, & Terilliani, rationes quæ antecedenter ad assensum apparebant aut æque, aut minus probabiles, accedente assensu, seu clariore apparentia consequente, aut concomitante assensum, evadere probabiliores. Siquidem eo ipso quod intellectus ex imperio voluntatis approbet, & præferat unam partem alteri, pars approbata inducit novam efficacitatem, & energiam ad repræsentandam veritatem obiecti, evaditque probabilior parte opposita reiecta. Quamobrem, concludit Terillus, intellectus semper adhæret parti probabiliori.

VI. Quod attinet ad duplicis veritatis apparentiam antecedentem, & consequentem, doctrina verissima est; idque omnes in praxi experimur, & cuique sua probabiliora sunt. Verum applicata ad evacuandam argumentationem, & sententiam nostram inepta, & omnino futilis est. Nam in præsentia loquimur de sola apparentia antecedente assensum intellectus, & voluntatis. Inquirimus enim, utrum proposito quæ, omnibus inspectis, apparet æque, aut minus probabilis, valeat in consui assensum flectere, & pertrahere intellectum. Apparentia maior veritatis, consequens intellectus assensum, perperam adducitur, &, si ita loqui licet, impertinens prorsus est. Quod sic clare evinco. Hæc maior veritatis apparentia consequens pro instanti priori ad assensum non est. Ergo non potest influere, seu concurrere ad flectendum intellectum. Antecedens evidens est. Hæc enim maior apparentia subsequitur assensum intellectus: ergo non antecedit eumdem assensum. Consequentia quoque evidentissima est. Quod enim in rerum natura non existit, producere aliquid non potest.

VII. Quid quod Terillus ipse, postquam de *consc. prob. quæst.* VIII. & IX. fuse propugnavit, posse intellectum ex imperio voluntatis utrilibet contradictionis parti, etiam æque, aut minus probabili, assentiri, in *Tomo de reg. mor. par.* II. *quæst.* III. *pag.* 125. *num.* 2. hæc scribit: *Intellectus nulli contradictionis parti assentire potest, quamdiu signate existimat, rationes utrique parti faventes esse æquales*. Idque clara ratione evincit: deinde concludit: *Hæc ratio a fortiori convincit quod nemo possit assentiri obiecto, ac motivis quæ absolute credit esse minus probabilia oppositis*. Verum, ut istius Auctoris genius tibi semper magis perspectus sit, statim se remittit ad *tract. de consc. prob. quæst.* VIII. & IX. ubi fuso calamo, & ex instituto oppositum probat. Familiares sunt huic Probabilistarum primipilo eiusmodi antilogiæ.

CA-

CAPUT III.

Argumenta adversariorum, ex auctoritate S. Thomæ arcessita, diluuntur.

I. Plura obiiciunt S. Thomæ testimonia, quæ ut facilius solvas, nonnulla ex eodem S. Doctore præmittenda sunt. Itaque Angelicus Præceptor perspicue declarat, quam motionem voluntas in intellectum, & intellectus in voluntatem exerceat. Quærit enim 1. 2. quæst. IX. art. 1. *Utrum voluntas moveatur ab intellectu*: & ad 3. respondet: *Voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus: quia & ipsum verum, quod est perfectio intellectus, continetur sub universali bono, ut quoddam bonum particulare. Sed quantum ad determinationem actus, quæ est ex parte obiecti, intellectus movet voluntatem.* Certum itaque ex Angelico est, voluntatem non posse movere intellectum quantum ad speciem actus, si sermo sit de motione immediata. nam de motione mediata, qua voluntas intellectum divertit a consideratione unius partis, iam supra dictum est.

II. Evidentius nostram sententiam S. Thomas docet quæst. XIV. de verit. art. 1. *Quandoque non inclinatur magis intellectus ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem: & ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum in unam partium totaliter: unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.*

III. Tandem lege textum quem supra adduximus ex *III. Metaph. cap. 1.* ubi post relata verba concludit: *Et ideo sicut ille qui vult solvere vinculum corporale, oportet quod prius inspiciat vinculum, & modum ligationis, ita ille qui vult solvere dubitationem, oportet quod prius speculetur omnes difficultates, & earum causas.* Non ergo ex imperio voluntatis, sed novarum rationum inventione solvere dubium intellectus debet. Hæc omnia luculenta sunt.

IV. Obiiciunt 1. adversarii. D. Thomas 1. 2. *quæst.* XVII. *art.* 6. hæc docet. *Sunt quædam apprehensa quæ non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam: & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.*

V.

V. Respondetur, S. Doctorem hic loqui de potestate indirecta, & mediata, quatenus voluntas potest intellectum divertere. Quando enim obiectum assensus non est evidenter propositum, libere voluntas intellectum convertit ad partem oppositam, in qua rationes deprehendat dissentiendi. Hac dumtaxat via dicitur, intellectum posse eidem obiecto assentire, vel dissentire ex imperio voluntatis. Quod subdit Angelicus, *Vel saltem assensum, vel dissensum suspendere*, magnopere confirmat quæ diximus. Quando intellectus nequit novas in alterutra parte rationes invenire, suspendit assensum. Ergo vi, non imperii liberi, sed rationum, intellectus uni præ altera adhæret parti. Hac eadem responsione explicantur cetera testimonia quæ ex S. Doctore opponi solent.

VI. Obicies 2. Assensus fidei supernaturalis liber est tum quoad exercitium, tum quoad specificationem. Ergo assensus quoque opinativus liber est quoad speciem, ita ut ex imperio voluntatis possit intellectus minus probabili parti assentire. Antecedens docet Angelicus 2. 2. quæst. 1. art. 4. *Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam. Et si quidem hoc fit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; si autem fit cum certitudine absque tali formidine, erit fides.*

VII. Ex his quæ diximus supra, soluta obiectio manet. Intellectus liber est quoad specificationem in assentiendo mysteriis fidei: quia potentia indirecta, & mediata ex imperio voluntatis potest se se convertere ad motiva contraria mysteriis fidei. Minime vero liber est in sensu adversariorum, quatenus intellectus potentia proxima, & immediata valeat pro libito assentire mysteriis fidei, vel assentire erroribus oppositis. Atque ut clarius percipias obiectionis futilitatem, ne dicam errorem, in mentem revoca germanum adversæ sententiæ sensum. Est autem huiusmodi. Intellectus ex imperio voluntatis proxime, & immediate liber est ad assentiendum utrilibet extremorum, quæ, omnibus perpensis, sunt per motiva aut æqualia, aut minus probabilia sibi proposita: quia potest iudicare æqualiter, licet opposita sint verosimilia; seu potest iudicare alterutrum esse falsum. Assensus fidei supernaturalis firmus, ac certus est, formidinis, & deceptionis expers; ut ex propos. 21. ab Innocentio XI. damnata patet. Qui autem fieri potest ut intellectus adhæreat firmiter, & absque formidine, & deceptionis timore obiecto fidei, si eodem instanti, omnibus perpensis, obiectum contrarium apparet eidem adeo probabile, & verosimile, ut queat illud proxime, & immediate opinari, verumque absolute censere?

VIII. Instat Terillus de *consc. prob. quæst.* IX. *num.* 13. Nemo peccat peccato hæresis, nisi mysteria fidei proponantur cum maiori verisimilitudine quam errores contrarii. Nam qui cito credit, levis est corde. Rursus per adversarios, inquit

quit Terillus, nemo assentiri erroribus potest, nisi proponantur ejus intellectui cum maiori verisimilitudine quam obiecta opposita. At in sensu composito talis dispositionis nemo peccat peccatum hæresis qui obiecto sic proposito assensum præbet. Nam assensus ille, omnibus hic & nunc in utriusque partis favorem apparentibus, rite perpensis, prudens est: quia parti verisimiliori adhæret; quod prudentiæ est, non pertinaciæ, & hæresis. Hæc totidem ferme verbis P. Terillus.

IX. Totus hic clauditur veneficus Probabilismi succus, videlicet, neminem peccare, nisi advertat se peccare, morsusque conscientiæ experiatur: quem errorem *Lib. II.* penitus labefactavimus. Igitur iuxta Terillum, hæreticus præbens assensum suis erroribus, non peccat, quando sui errores illi apparent verosimiliores mysteriis fidei. Immo prudens dicendus erit talis assensus, & cuiusque temeritatis vacuus. Hinc iuxta Terillianos, dum hæretici ob propriam superbiam mysteriis fidei sibi sufficienter propositis non modo refragantur, sed illa reiiciunt, spernunt, sibilant, suisque erroribus, ut verosimilioribus, immo ut certis, firmiter adhærent, non hæretici, non criminis sontes iudicandi erunt. Hoc autem non tam est doctrinæ Terilli consectarium, ut bene advertit P. Camargo *Lib. I. contr. v art.* 12. *num.* 151. quam ipsa illius doctrina. Nam hæreticis errores sui apparent non modo verosimiliores, verum etiam ut certi, & evidentes, quibus non assentiri hæreticum reputant. Quæ doctrina homines scelestos prudentes efficit, immo eo prudentiores, quo impudentiores, eo sanctiores, quo scelestiores; & eo sapientiores, quo dementiores. Accedit quod Terillus cum asseclis affirmare vi doctrinæ suæ cogitur, hæreticos non peccare, vel dum religio catholica apparet eis verosimilior, dummodo probabiles quoque sui errores illis repræsententur. Affirmat enim, & loco primi principii Terillus cum suis habet, non peccare hominem assentientem errori, qui verisimilis ei appareat quoniam non solum prudens homo est parti probabiliori, sed etiam minus probabili assentiens. Porro nequit Terillus negare, errores apparere verosimiles hæretico, si affirmat, errores oppositos religionis catholicæ mysteriis, probabiles, & probabiliores apparere posse illis ipsis qui profitentur religionem catholicam. Tandem concludere licet, infidelem religioni catholicæ, etiam ut probabiliori apparenti, dissentientem non peccare, quando error infidelitatis apparet ei ut verisimilis, seu minus probabilis. Hanc autem doctrinam, quæ est necessarium Probabilismi consectarium, &, ut dixi, ipsa Terilli doctrina, damnavit Innocentius XI. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.*

X. Obiicies 3. Qui temere proximum iudicat, peccat: quia libere iudicat. Porro qui temere iudicat, leviora, aut altem non graviora oppositis fundamenta habet: si enim ex gravioribus fundamentis iudicaret, non peccaret.

XI.

XI. Hoc argumentum eiusdem furfuris ac praecedens est. Iudicium temerarium est, quia voluntas ex aliquo occulto, pravoque affectu sententiam intellectus praecipitat, quin sint aequa lance librata momenta contraria. Nec est quod reponas, intellectum temere iudicantem saepe ponderare contraria fundamenta, & nihilosecius persistere in proprio iudicio. Nam, ut contendit Terillus, qui *quaest. ix. de consc. prob.* opponit hoc argumentum, nemo temere iudicat, nisi aut qui opinatur obiectum ex fundamentis sibi levioribus, vel saltem non gravioribus contrariis; aut e contrario. Si primum asserat, errat. communiter enim homines temere iudicantes reputant fundamenta temerarii iudicii esse verosimiliora, & graviora. Si vero Terillus asserat, ut asserere vi suae doctrinae cogitur, nullum esse iudicium intrinsecus temerarium, si concipiatur ex fundamentis proxime ipsi iudicanti gravioribus, & verosimilioribus, hoc in casu evidentius, graviusque errat.

XII. Quot sunt homines qui vel ob innatam levitatem, aut vehementem passionem ex levibus indiciis, quae sibi gravissima, & evidentia apparent, temere optimos viros damnant? Vir zelotypus, vehementi passione percitus, ob levissima indicia innocentis uxoris adulterium adeo firmiter credit, ut neque audire opposita gravissima fundamenta velit, quae absolute apud cordatos viros omnem suspicionem evacuant. Hoc saepius contingere non negabunt Probabilistae. Quis vero negabit, iudicium istud, cui zelotypus obfirmate adhaeret, esse iniustum, & temerarium? Ponamus, hominem ex nimio ad Probabilismum affectu apud se firmiter iudicare, Antiprobabilistam oppugnare Probabilismum, non veritatis amore ductum, sed ex impotenti, & ardenti invidia contra personas Probabilismi propugnatrices, quin habeat aliud fundamentum, nisi quod acri stilo, modo salibus, modo leporibus asperso, eumdem confutet, salvo in Auctores officio. Hunc a iudicio temerario absolverent Terilliani. Homo pravus, spectans virum religiosum, & pium, in quem odio ardet, domum ingredientem feminae suspectae famae, firmiter reum iudicat impudicitiae, non alio nixus fundamento, quam ingressu in talem domum; negligitque inquirere, aegrotet ne mulier, vocaveritque Religiosum, cui peccata confiteretur. Hos, aliosque similes ab omni peccato immunes declaret P. Terillus vi suae doctrinae oportet. Quid quod non solum a nota iudicii temerarii liberare eos debet qui ex verosimilioribus, sed eos etiam qui ex minus probabilibus indiciis in proximi famam iudicia dicunt! Eo malorum deturbat Probabilismus.

XIII. Ut autem recta occurramus argumento, nemo temere iudicat, eo quod iudicium formet pro priori ad assensum ex momentis minus sibi verosimilibus: quoniam hac in hypothesi ipse iudicans suam agnosceret temeritatem, & imprudentiam, nullamque proximo, seu sibi iniuriam inureret. Nam agnosceret proxi-

mum

mum temere infamari, & se esse temerarium iudicem, & infamatorem. Quis, amabo te, ex temere iudicantibus fassus unquam est, se pro priori ad assensum, ex levioribus fundamentis a se cognitis, spretisque gravioribus, proximum suum iudicasse? Immo quo quis magis iniuste, & temere iudicat, eo ex gravioribus fundamentis se iudicasse affirmat, firmiusque iudicio suo inhæret. Itaque ideo quis temere & imprudenter iudicat, quod ex levitate animi, ex odio, aut ex alia passione iudicium suum præcipitet, quando deberet illud suspendere, & serius fundamenta opposita expendere, atque innocentem declarare quem sontem reumque damnat. Nec refert quod opposita fundamenta menti occurrant, sintque graviora quia talia eidem non apparent. Sunt homines acutissimi, qui omnia penetrant, omnia ad examen vocant, & frequentius peiori parti adhærent: quia animus male affectus est. Quare sapientissime Aristoteles *Lib. I. Rhet. cap.* I. pronuntiavit: *Non enim similiter iudicium reddimus, cum dolemus, & cum lætamur, & cum diligimus, & cum odimus*. Lege S. Thomam 2. 2. *quæst.* lx. *art.* 3.

XIV. Obiicies 4. S. Paulus Apostolus *Rom.* xiv. inquit: *Qui non manducat, manducantem non iudicet*. In hunc textum Glossa hæc habet: *Dubia sunt in meliorem partem interpretanda*. Hoc divinum præceptum supponit in nobis indifferentem libertatem ad eiusdem observationem. Hinc Christus Dominus in Evangelio præcipit internum proximi animum in meliorem partem interpretari. Ergo in dubio de bona, aut mala operantis intentione, supponit in nobis indifferentiam ad opinandum utrumque contrarietatis extremum; alioquin libere præceptum Domini implere minime possemus.

XV. Resp. D. Thomas 2. 2. *quæst.* lx. *art.* 4. primo loco sibi opponit deceptionis periculum, quod occurrit, dum in meliorem partem facta, vel intentionem proximi interpretamur: cui obiecto sic respondet. *Potest contingere quod ille qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallatur; sed melius est quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono. quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo*. Clarius hoc explicat in responsione ad 2. ubi inquit, quod *aliud est iudicare de rebus, aliud de hominibus*. In priori attenditur bonum iudicantis, quod est verum. *& ideo unusquisque debet niti ad hoc quod de rebus iudicet secundum quod sunt*. In posteriori iudicio spectandum est bonum illius in quem fertur iudicium, ne malus videlicet sine evidenti fundamento habeatur. Et tandem concludit: *Ipsi autem homini iudicanti falsum, iudicium, quo bene iudicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipsius, sicut nec ad eius perfectionem pertinet secundum se cognoscere veritatem singularium contingentium, sed magis pertinet ad bonum affectum*.

XVI. Gravissimam hæc S. Thomæ doctrina præfert difficultatem. Nam falli in quacumque materia semper malum est intellectus decepti. Omnis quippe error positivus reddit intellectum male dispositum ad assequendam veritatem: idcirco semper malum est. Id docet Augustinus Enchir. cap. IX. *Ipse per se ipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva semper est malum. Quis enim, nisi errans, malum neget, approbare falsa pro veris, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* Cognitio singularium contingentium utique non pertinet ad perfectionem intellectus speculativi, tamen pertinet ad perfectionem intellectus ut practici, quemadmodum, ut advertit Caietanus 2. 2. *quæst.* lx. *art* 4. docet S. Thomas ipse III. Part. quæst. xi. art. 1. *Dicendum, quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ secundum cognitionem speculativam, pertinet tamen ad perfectionem eius secundum cognitionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio, ut dicitur in VI. Eth. Unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, & providentia futurorum, ut Tullius dicit in sua Rhetorica.*

XVII. Omnis itaque error positivus etiam singularium contingentium malum est intellectus errantis. Ergo nemo licite potest, nedum tenetur, dubia aliorum facta in meliorem partem interpretari, hoc in sensu, quod positive iudicet esse recta, sive bona intentione facta. Hoc enim esset velle sponte falli, aut ultro errandi periculum subire, quod est absolute, & intrinsece malum; sicuti absolute malum est alios decipere, vel in deceptionis periculum inducere. Porro nemo magis proximum quam seipsum diligere astringitur.

XVIII. Acutissimus Caietanus regulam Glossæ exponit in sensu negativo, quatenus nobis præcipit ne in malam partem dubia aliorum facta interpretemur, positive iudicando illa esse prava. Quod si in sensu positivo intelligatur, tum, inquit Caietanus, ex hypothesi explicandum præceptum est, videlicet, si iudicium ferendum sit de rebus dubiis, proximi actiones spectantibus, pro innocentia proximi iudicandum est. Nam in data suppositione alterutrum sequatur necesse est: vel quod iudicator periculo deceptionis se se exponat; vel quod iniuria proximum afficiat, pravum iudicando illum sine convenienti ratione. Porro omnia iura volunt, e duobus malis necessarius minus eligendum esse. Minus autem malum est periculum deceptionis quam iniuria proximi.

XIX. Uterque sensus verus est, sed secundus minime est necessarius, nec contingere casus potest in quo urgeat. Nam præceptum temere non iudicandi solum prohibet quodcumque iudicium, quo inferimus iniuriam proximo; nullibi vero præcipit ut positivum iudicium feramus in dubias eiusdem actiones. Porro, ne malum iudicemus de proximo, sat est suspendere iudicium adversus eumdem, &

& Deo, cordium cognitori, iudicium commendare, ut admonet Apostolus Paulus I. ad Cor. IV. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo.* Ut doctrina clare percipiatur, semper recolendum est, sermonem nunc esse de iudicio super actionibus omnino dubiis. Nemo autem queri iure valet, quod in illius actiones, quarum bonitas vel malitia dubia est, non feramus iudicium, quo determinate pronuntiemus esse bonas, sed eas divino iudicio remittamus. Nonne in dubiis tutior pars est eligenda? Tutior autem pars in hoc casu est iudicii suspensio, qua cavemus tum errorem intellectus, tum iniuriam proximi. Quare errant turpiter illi qui securius se agere putant, si dubia facta proximi semper honesta & sancta interpretentur. Quoniam, inquit Augustinus Lib. XIX. de civ. Dei cap. IV. *neque enim sunt mendaces verae virtutes.* Caritas, quae allegari erga proximum solet, commentitia est, & stulta, dum, nulla cogente necessitate, sponte subit deceptionis periculum. Caritas quippe Christi, inquit S. Paulus I. ad Cor. XIII. *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Quae alibi scripsimus de iudicio temerario, intelligenda sunt iuxta hanc, quam hic dedimus, doctrinam, quae paucis perstringitur. Si necessitas iudicandi de proximo urgeat; in rebus dubiis favendum proximo est, & innocens iudicandus. Haec autem necessitas in privatis impossibilis est: ideo tutior via suspensio iudicii est.

XX. Argumentum itaque factum ineptum prorsus est adversus sententiam nostram, quae negat possibilem indifferentiam proximam & immediatam ad opinandum utrumlibet extremum aeque, aut etiam minus probabile. Quod si adversarii instent, ex praefato praecepto, & Patribus colligi possibilitatem indifferentiae ad utrumque iudicium, responsio obvia est ex iis quae dicta sunt; nempe, intellectum indifferentem esse mediate & remote, secus immediate & proxime.

XXI. Obiicies 5. Voluntas potest eligere ex duobus bonis aequalibus, vel inaequalibus quodcumque maluerit: ergo etiam intellectus poterit opinari utramlibet contradictionis partem ex imperio voluntatis, etiam minus probabilem.

XXII. Resp. Antecedens, ut falsum, reiicit S. Thomas, & alii graves Theologi praeter Thomistas. Verum, eo admisso disputationis gratia, negatur consequentia. Disparitas evidens est. Duo bona, etiam contraria, cum sint vere bona, continent rationem specificativam voluntatis, cuius obiectum bonum est. Album, & nigrum contrarie opponuntur, at quia eamdem rationem colorati habent, ambo a potentia visiva percipiuntur. Bonum honestum, & bonum delectabile opponuntur, at ambo habent rationem boni: idcirco voluntas ferri in eadem valet. E contrario verum, & falsum opponuntur contradictorie, sicut

bonum, & malum: & quemadmodum voluntas nequit ferri in malum, ita nec intellectus in falsum. Porro cum unum extremum contradictionis verum est, necessario alterum est falsum. Quare repugnat duo contradictionis extrema apparere intellectui vera: quia repugnat idem simul esse verum, & falsum, seu verum, & non verum; sicut impossibile est, idem simul esse, & non esse. Argumentum itaque, a paritate voluntatis petitum, undequaque ineptum est.

XXIII. Obiicies 6. Nulla potentia fertur, inclinaturve naturaliter in terminum sibi impossibilem. Sed intellectus fertur in motivum minus probabile, etiam in conspectu magis probabilis. Ergo potest intellectus præbere assensum parti minus probabili in conflictu probabilioris. Minor propositio experientia ipsa constat. Quoties enim habemus motiva pro utraque contradictionis parte, trahimur modo in unam, modo in alteram partem. Ergo intellectus ex imperio voluntatis utrilibet assentire valet.

XXIV. Resp. Hoc argumentum a priori vocant Probabilistæ, quod tamen undequaque falsum est, & ineptum. Utique nulla potentia fertur, nec appetitu inefficaci, in obiectum absolute & intrinsecus impossibile. Si vero sit impossibile per accidens ex aliquo impedimento, tunc in idem inclinatur, non ut illud consequatur sub circumstantiis impossibilitatis, sed tendit in illud specificative acceptum. Quando ergo intellectus tendit in utramque partem, seu in utramque extremum, etiam minus probabile, in illud non pendet vel ut coniungendum cum assensu probabiliori, vel ut eidem adhæreat in illius conflictu, sed probabilitatem illam minorem respicit absolute, & secundum se. Doctrina omnibus pervia est. Probabilitas, veritatis colore depicta, intellectus obiectum ingreditur. Ut in eamdem intellectus inclinet, sat est quod sit absolute possibilis; quamvis ob aliquod impedimentum obtineri nequeat. Hoc pluribus confirmari exemplis potest. Quando adsunt ex utraque parte motiva, intellectus urgetur in utrumque extremum, ut supponunt adversarii. Et tamen intellectus nequit utrique extremo simul assentire, ut pariter Terillus, eiusque asseclæ fatentur. Ergo ex naturali inclinatione intellectus ad assentiendum parti æque, aut minus probabili, solum infertur, assensum hunc possibilem esse absolute, & secundum se, secus in conspectu talis motivi æque, aut magis probabilis. Quod si adversarii reponant, intellectum inclinari ad assentiendum reapse motivo minus probabili, non absolute modo, verum etiam in conspectu motivi æque, aut magis probabilis, respondemus, hanc esse puram putamque petitionem principii: idque nos negamus; & oppositum hactenus probatum est, & aliis exemplis valet solutio nostra muniri. Lapis in alto suspensus inclinat in centrum. Quid heinc infertur? Non aliud, nisi descensum esse possibilem; minime vero, quod descensus hic coniungi valeat

cum impedimento suspensionis. Ergo ex inclinatione intellectus ad assentiendum parti minus probabili solum infertur, assensum hunc possibilem absolute esse; secus in data circumstantia æqualis, aut maioris probabilitatis. Discrimen quod assignat Terillus, nempe suspensionem lapidis esse insuperabilem; motivum vero magis probabile esse solum difficilem reddens assensum in partem minus probabilem; futile plane est, in sola verborum illusione situm. Idcirco ab ulteriori confutatione abstineo.

CAPUT IV.

Assensus intellectus in partem æque, aut minus probabilem, etiam admissa physica eiusdem possibilitate, imprudens est; atque adeo moraliter, sin minus physice, impossibilis. Paucis exponitur, quam fallax sit prima Probabilistarum via.

I. PHilosophicam quæstionem hactenus disputavimus, quam propugnant omnes antiqui cum Philosophi, tum Theologi cum S. Thoma, omnes Antiprobabilistæ, & ex ipsis Probabilistis doctiores. Oppositam docent Probabilistæ soli minus docti, quod videant ab eadem magnopere pendere Probabilismum, cum quo, unico veluti partu, nata illa est. Ex his ergo quæ in hac sola dissertatione dicta sunt, patet quam infirmus, quam ruinosus Probabilismus sit. Enimvero obiectum æque probabile non proponitur ut absolute verum, sed ut æque falsum, ac verum: minus probabile proponitur ut minus verum, seu ut magis falsum quam verum. Obiectum autem intellectus est solum verum. Hæc omnia ex terminis constant, & adeo luculenta sunt, ut nec vocari in disputationem posse videantur.


II. Verum, ut Probabilistas undiqueversum urgeamus, illis concedere volumus, intellectum in incertis, & opinabilibus *proxime* indifferentem esse *physice* ex imperio voluntatis ad utrumque assensum, etiam æque, aut minus probabilem. Hoc dare Probabilistis volumus, ne in quæstione omnino physica plus iusto implicemur. Sit ergo physica potestas in intellectu ad utrumque assensum etiam minus probabilem ex imperio voluntatis. Satis nobis est assensum hunc moraliter impossibilem esse. Igitur intellectus constitutus inter motiva magis, & minus probabilia non subiacet quantum ad potestatem moralem voluntati, ut adhæreat minus probabili. In moralibus enim id dicimus nos posse *quod iure possumus*, atque adeo id voluntas potest quod rationabiliter, & prudenter potest. Vera autem prudentia virtus est intellectus, tota ordinata ad ipsum perficien-

dum juxta propriam rationem. Objectum quippe prudentiæ proprium est verum sub ratione veri. in quo prudentia convenit cum ceteris virtutibus intellectualibus, & differt a moralibus virtutibus: quoniam ratio formalis prudentiæ est verum, ut contractum ad bonum morale & honestum. Munus porro adæquatum prudentiæ est dirigere voluntatem ad electionem boni moralis, & simul intellectum perficere per cognitionem veritatis, quæ est illius proprium objectum. Lege D. Thomam 2. 2. *quæst.* XLVII.

III. Quis autem sana præditus mente, & Probabilismi nubecula haud obductus, dixerit, prudens esse dictamen, proponens assensum, per quem verosimilius est intellectum falli, & decipi, quam verum attingere? Prudentiæ munus est perficere intellectum per veritatis cognitionem: & hæc prudentia dictabit, præeligendum esse id quod minus verosimile, seu minus probabile est? Rem exemplo clariorem efficiam. Petrus peregrinus Romam pergens, sed viam ignorans, Paulum in bivio rogat, ut viam rectam Romam ducentem sibi designet. Paulus eam illi viam calcandam ostendit quam judicat verosimilius a Roma abducere quam illuc conducere. Cui non erit Paulus vafer, deceptor, veterator? Paulus intellectus est, seu prudentia, quæ voluntati postulanti medium conducens ad finem suum honestum, illud medium proponit quod verosimilius impedit finis honesti assecutionem, & probabilius ducit ad consequendum finem turpem. Nonne assensus æque probabilis æque ad falsum, atque ad verum dirigit; assensus minus probabilis minus vero, & magis falso accedit; ut ex terminis constat? Lumine igitur naturæ notum est, imprudentiæ, temeritatis, ne dicam stultitiæ, reum esse illum qui in bivio attingendæ veritatis, quam inquirit, eam præeligit viam quam verosimilius abducere ab illa cognoscit, quam ad eamdem ducere. Quid? obtrudent ne Probabilistæ suam distinctiunculam probabilitatis speculativæ, & practicæ? Audiant Augustinum Lib. XIX. de civit. Dei cap. IV. *Quid illa virtus quæ prudentia dicitur? Nonne tota vigilantia sua bona discernit a malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat?* Dum intellectus proponit partem minus verisimilem eligendam, an sincere curat *ne error obrepat*? Quis ergo ire inficias valet, præfatum assensum æque, aut minus probabilem, temeritatis & imprudentiæ plenum esse? Ergo, etiam admissa ejusdem physica possibilitate, impossibilitas moralis evidens est. Sane si homines solo naturæ lumine perfusi, nulliusque theologicæ disputationis, seu domesticæ factionis præjudiciis occupati, suam in hac caussa proferre sententiam deberent; nec unus quidem reperiretur qui imprudentiæ & temeritatis non damnaret illos qui in rebus obscuris, & disceptationi subjectis, falsosimiliora verosimilioribus præferrent; qui, rejecta probabiliori, minus probabilem eligerent opinionem.

IV. Quæ in hac dissertatiuncula dicta sunt, paucis perstringuntur, & quam sit prà-

prima Probabilistarum via fallax, ostenditur. Duplex, ut iam innuimus, Probabilistarum via: altera directa, altera reflexa. De posteriori in sequentibus; de priori hactenus disputavimus. Probabilistæ ergo, qui cum P. *Esparza* sustinent, neminem uti posse opinione non existente in intellectu operantis formaliter, & subiective; qui fatentur, per nullam reflexionem licitum mihi esse amplecti opinionem quam Auctores plures, & graves defendunt, nisi ego ipse cum illis iudicio absoluto, & directo actu eamdem ut veram iudicem: qui, inquam, hoc verum certumque principium fatentur, non alia via Probabilismum sustinere valent, nisi propugnando indifferentiam intellectus, & potestatem proximam ad opinandum minus probabile, & magis probabile pro libito. Hanc autem indifferentem potestatem evidenter commentitiam nos hucusque demonstravimus: primum physice, quia naturæ intellectuali, cuius obiectum verum est, in unico tantum ex oppositis extremis existens, repugnat; deinde moraliter, quia repugnat principiis veræ prudentiæ. Igitur Probabilismus directus chimæricus est. Ad Probabilismum reflexum nunc accedendum.



DISSERTATIO VIII.

Adversus

PROBABILISMUM REFLEXUM.

Quatuor, quibus nititur, principia penitus labefactantur.

PRAELOQUIUM

In systema P. Antonii Terilli. Istius iudicium de opere P. Michaelis Elizalde.

P. Antonius Terillus Anglus ingenio acri, acutoque, ut vidit machinam probabilisticam, principiis *directis* nixam, corruere, aliis ipse fulcris eamdem sustinere labantem adnisus est. Probabilismo directo, ab anterioribus Theologis communiter defenso, reiecto, Probabilismum reflexum commentus est. In lucem primum dedit Tomum in 4. Leodii anno 1669. inscriptum, *Tractatus de conscientia probabili*. P. Michael Elizalde Hispanus, doctissimus, unaque piissimus Iesuita, principia Terilli, data opera confutavit, eiusdem nomine occultato, summaque modestia, in prima sui de *reg. mor.* parte, quam separatim edidit sub anagrammatico nomine *Antonii Celladei*. Terillus, ut erat feracis ingenii, hanc primam *Celladei* partem refellere aggressus est spissiore volumine in folio, edito Leodii anno 1677. Dum sub prælo hoc sudabat opus, denatus Terillus est. Vix exprimi potest, quam mordaci stilo hocce in opere Celladeum, seu P. Elizaldam carpat, & insectetur. Quis sit P. Elizalde omnium proborum & sapientum iudicio, diximus alias. Illud in memoriam revocandum, ipsum Cardinalem Pallavicinum Elizaldam nuncupare sui sæculi doctissimum Theologum, cuius sapientiam ut admirentur omnes, non ignorantia, admirationis matre, sed sapientia opus esse testatur in *histor. Concil. Trident. Lib. VI. cap. XVII. num.* 14. Illum ad refellendum Probabilismum excitavit, suasit, & ut confutaret quod ipse scripserat, stimulos adiecit. *Gloriæ mihi vertam, & honori* (inquit Cardinalis in volum. epist. edit. Venet. 1701. pag. 72.) *si nomen meum insculptum videro marmoribus adeo pretiosis, adeo solidis, adeo duraturis. Quin alicuius meriti me participem fore spero, quod edendum opus, adeo legi divinæ servandæ, promovendæque perutile, votis meis probaverim*. Hoc idem testatur P. Elizalde in *quæst. unic.* ad Logicam Moyæ §. 4.

Em-

Eminentissimus Cardinalis Pallavicinus, *qui dignatus cetera operis hujus perlegere, suam in eo impugnationem desideravit, eamque ut efficerem injunxit.* Addit idem Elizalde. *Postremo legit* (Cardinalis Pallavicinus) *librum Celladei, & in veritate maxime firmatus fuit.* Ceterum, si vis certius doctrinæ, & pietatis P. Elizalde testimonium, lege ipsius opera *de recta morum doctrina*, tum de *forma veræ religionis quærendæ.*

Quid iudicii in tam sapientem, tamque pium Theologum, seu in eiusdem volumen de *recta morum doctrina*, pronuntiat Princeps Probabilismi *reflexi*, P. Antonius Terillus? Audi lector, & quis sit P. Terillus, plenius percipe. *Liber Celladei æquivocationibus, & contradictionibus abundat . . . Nullum unquam catholici Scriptoris librum tantæ molis legi, in quo MINUS VERITATIS reperi.* Tom. de reg. mor. part. 1. quæst. 1. num. 300. „ Cum ego omnium aliorum conatus in hac materia „ repulissem, nonnemo existimare potuisset, me *Celladei* argumentis cessisse, atque „ caussa quodammodo cecidisse, nisi cum illo etiam congrederer, *illiusque argu-* „ *menta prorsus nulla esse demonstrarem. Sed absit ut quisquam hoc arbitretur. Non* „ *ita est. IN OMNIBUS ERRAT Celladeus* (*Elizalde.*) loc. cit. pag. 6. num. 20. Passim per universum opus similia repetit. Et tandem *II. Part. quæst.* LXVIII. quæ ultima est *num. 1. pag. 276.* sic concludit. „ Hactenus examinavi universa „ *Celladei* fundamenta de *recta morum doctrina* . . . . Pluribus in locis demonstra- „ ctiones iactat: alibi argumenta sua tamquam insolubilia proponit: uno verbo, „ ubique ferme triumphum canit. Sed ego loco demonstrationum, & argumento- „ rum insolubilium vix aliud quam contradictiones, aut æquivocationes, vel ar- „ gumenta de subiecto non supponente, reperi. *Nec ullum librum catholici Scri-* „ *ptoris unquam legi, in quo tam parum veritatis inveni.*

An quæ de sapientissimo Elizalde Terillus scripserit, eidem Terillo quadrent, ex iis quæ hactenus dicta sunt, iudicet prudens lector. Nullius in hac caussa fidei, nullius auctoritatis esse P. Terilli assertiones, alibi ostensum est. Et revera censuræ quas in P. Elizalde vibrasse Terillum descripsimus, confirmant quæ de illo alias diximus. Ex tot quos legi Probabilistis neminem sane offendi qui paradoxa adeo incredibilia evulgaverit, qui tam impotenti animo pro Probabilismo pugnaverit, qui tam audacter alios Scriptores contempserit. Acumen illius scripta produnt, & eruditionem rei tantum probabilisticæ. Sed quo acutior, & eruditior, eo incredibiliora paradoxa excogitavit. Futilitatem principiorum, quibus ante ipsum innitebatur Probabilismus, agnovit: idcirco, ut eumdem a ruina servaret, commentus in Deo est leges antecedentes, & consequentes. Tum leges naturales, & positivas, quas in disputationem Theologi vocant, de medio sustulit, quod satis promulgatæ non sint. Hominem adversus Deum litigantem super libertatis possessione inducit. Hæc, & alia paradoxa, quæ immania consequantur absurda,

quæ-

quæque P. Antonius Terillus excogitavit, infra discutiam. Scias tamen velim P. *Elizaldam* in secunda sui operis parte Terillum confutasse, illius occultato nomine, de quo hæc scribit Part. II. Lib. VI quæst. IX. §. 6. pag. 225 *Probabilista quidam recentissimus, omnium qui hactenus prodierunt, forte laxissimus, doluit interea in prologo laxitatem nimiam, & multitudinem librorum, & opinionum, quibus multi triginta abhinc annis bibliothecas impleverunt*. Plura de P. Terillo diximus, plura dicemus; numquam tamen satis, & pro dignitate illius paradoxa exagitabimus.

CAPUT I.

Pictura Probabilismi reflexi, propugnati a Terillo, & Terillianis, paucis adumbratur.

I. INeluctabile Antiprobabilismi principium, ut vidimus, est conformitas cujusque moralis honestatis cum æterna Dei lege, quæ prima regula est, & primus fons omnis bonitatis moralis. Conscientia vero nostra regula secundaria est, quæ, ut recta sit, necessario subjecta esse debet primæ; ut ex terminis liquet, & supra probatum est.

II. Antiquiores Probabilistæ vix in examen revocarunt hoc potissimum sententiæ nostræ fundamentum; sed illud indictum fere reliquerunt. P. Antonius Terillus, ut erat vir acri acutoque ingenio, illius vim, & efficacitatem subodoratus est: & cum non haberet unde illud eluderet, paradoxa excogitavit incredibilia, quorum potissimum est inventio duplicis legis æternæ. Alteram vocat *legem per se*; alteram *legem per accidens*: seu alteram *antecedentem, & absolutam*; alteram *consequentem, & relativam*. Opinio minus probabilis, seu minus verosimilis conformis non est, inquit, legi æternæ veritatis *per se*; at conformis est legi æternæ *per accidens*. Hæc est nova doctrina quam excogitavit P. Terillus, & quam sequuntur ejus asseclæ, ut Probabilismum labantem sustineant. Absque hoc commento, seu paradoxo nil mussitare valent adversus illud luculentissimum principium, quo ostensa est necessitas conformitatis regulæ secundariæ ad primariam.

III. Quatuor ergo sunt Probabilistarum principia. I. *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur*. Hoc principium vocant *a priori*. & tamen est unicum controversiæ disputandæ *subjectum*. Vix credibile foret homines ratione præditos, nedum ingeniosos, acutos, atque perdoctos, ut plures Probabilistarum sunt, posse loco principii ponere quod unice disceptandum est. II. *Lex dubia non est lex*. Dubiæ autem leges eæ sunt de quibus graves Theologi in utramque partem disputant. Viden', quantum jugum evangelicum alleviarint Probabilistæ? Accipe Summam P. Escobarii, in qua passim ex vigintiquatuor senioribus duodecim contra legem,

legem; duodecim pro lege pugnant. Leges istæ omnes in fumum abeunt, quoniam dubiæ sunt. III. *In dubio de honestate actionis melior est conditio possidentis.* Hoc tertium principium cetera priora confirmat. IV. *In Deo datur lex absoluta, & lex reflexa.* Huic legi divinæ reflexæ, seu per accidens, conformia sunt vitia, & scelera materialia. Horrenda sunt absurda quæ hæc quatuor consequuntur principia.

IV. Hæc est pictura, seu potius picturæ probabilisticæ informe exemplar, quod suis coloribus clarius exprimemus infra. Probabilismum his quatuor munitum fundamentis mysterium vocat P. Antonius Terillus Antiprobabilistis impervium, tract. de consc. probab. quæst. XXVIII. num. 14. pag. 558. *Adversarii autem, qui nondum intellexerunt hoc mysterium, aerem verberant.* P. Paulus Segneri, Auctor trium epistolarum, pro Probabilismo mysteriosam hanc Terilli doctrinam Italico stilo fideliter exscribit. Lege *Tom. II. Histor. Probabilis. & Rigoris. cap. 1. a pag. 7.* In hac dissertatione quatuor indicata probabilistica principia penitus profligabimus.

CAPUT II.

Principium probabilisticum, In dubio de honestate actionis melior est conditio possidentis, *falsum est, illudque immania consequuntur absurda. P. Michael Elizalde arguta, & efficaci argumentatione perstringit Probabilistas.*

I. LEx tollit ius libertatis humanæ, inquiunt Probabilistæ. Ius libertatis certum est. Dum Theologi disputant de legis obligatione, lex ista dubia est. Ergo nequit auferre ius certum libertatis. Quandoquidem *in dubio melior est conditio possidentis.*

II. Respondent communiter Antiprobabilistæ, regulam hanc valere in materia justitiæ, secus in ceteris controversiis, ubi sermo est de honestate, aut malitia actionis. Verum, hoc misso responso, in quacumque materia laudatam regulam, *In pari caussa melior est conditio possidentis*, locum habere nos ultro concedimus; atque subdimus, non modo præfatam regulam non favere Probabilismo, sed illum funditus evertere. Idque probo.

III. In memoriam revoca æternam Dei legem, Dei esse voluntatem, primam cuiusque operationis nostræ regulam. Ad tribunal probabilisticum se sistunt voluntas æterna Dei, & voluntas humana, seu Deus, & homo. Ambo iura sua exponunt, quæ utriusque partis æqualia apparent. In favorem libertatis humanæ sententiam dicit tribunal probabilisticum. Eccur? Quia *in pari caussa melior est conditio possi-*

den-

dentis. Ne terreare, inquit P. Terillus, inaudiens hominem Deo litem intendere; deque eodem victoriam apud tribunal probabilisticum referre. Siquidem dum lex divina possessione fruitur, tum Deus litem vincit contra hominem; e contrario quando libertas possessione gaudet, tum homo litem vincit contra Deum. Perhorrescis talia inaudiens? Lege sequentia, quæ P. Antonius Terillus scribit tract. de consc. prob. quæst. XXIII. num. 48. pag. 426. *Respondeo, eamdem regulam æque favere Deo contra nos, ac nobis contra Deum. Favet nobis, quamdiu sumus in possessione libertatis; favet Deo, quando lex est in possessione. Unde si lex certo existat, & dubium sit, an solverim debitum; æque teneor in illo dubio ad solvendum, ac si certo non solvissem debitum. Cum ergo regula hæc favet Deo, quando possessio stat pro lege; ita favet nobis, quando possessio stat pro libertate, & dubium est de lege.*

IV. Adest ergo titulus, qui æque homini contra Deum, ac Deo contra hominem faveat? Scilicet, inquit P. Antonius Terillus. *Eadem regula æque favet Deo contra nos, ac nobis contra Deum.* En mysterium probabilisticum. Sed unde nobis, quæso, supremus iste libertatis titulus? Quidquam ne nobis inest, a Deo non collatum? *Quid habes* (clamat Paulus I. ad Cor. IV.) *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex quo regula illa civilis, & canonica condita fuit, unice inservijt litibus dirimendis in foro exteriori ad epocham usque nati Probabilismi; numquam vero decidendis conscientiæ controversiis. Edisserant nobis Probabilistæ. Libertas nostra ita ne a suprema Dei iurisdictione immunis est, ut, Deo invito, uti eadem valeamus? Negas? Ubinam ergo fundatur titulus iste, quo libertas nostra in pari caussa prævalere contra Deum queat?

V. Ut pressius urgeamus Probabilistas, duplex distinguenda libertas est. Altera est physica, quæ potestas est eliciendi operationem sive licitam, sive illicitam, honestam æque ac turpem. Altera est moralis, quæ immunitas est ab observantia alicuius legis, vel præcepti. Quare nobis Catholicis haud inest libertas a comestura carnis in Quadragesima, ab auditione Missæ diebus festis, a communione paschali, aliisque pluribus. Contra Lutherani, Calvinianique libertate conscientiæ frui dicuntur, quod iugum præfatarum legum excusserint. Nulla lex aufert libertatem physicam, quin eam supponit, ut legis transgressio criminosa sit. Libertas physica a Theologis *libertas a necessitate*; libertas moralis *libertas ab obligatione* appellatur.

VI. Cum Probabilistæ iactant hanc regulam, *Melior est conditio libertatis humanæ possidentis*, haud loquuntur de libertate humana physica; alioquin hoc esset illorum ratiocinium. Libertate polleo blasphemandi, peierandi, furandi, occidendi, adulterandi, & contra: ergo hæc omnia patrare volo, quoniam *melior est conditio possidentis*. Nimis scelestum foret ratiocinium istud. De libertate ergo morali, quæ

quæ in exceptione a legis servandæ obligatione sita est, loquuntur. Hoc supposito, sic argumentor.

VII. Quando disputatur, sitne usurarius contractus; quodnam est controversiæ caput? Non sane aliud, nisi utrum sim ego liber, aut secus ad eumdem perficiendum. Si adsit lex vetans, libertate morali destitutus ego sum; si lex desit, liber ego. Dum itaque disputatur, sit ne licitus, an illicitus contractus; disputatur, utrum liber ego sim ad celebrandum, aut non celebrandum contractum. Ergo dum Probabilistæ in similibus disputationibus iactant laudatam regulam, *Melior est conditio possidentis*, perridiculam committunt principii petitionem, ut Schola loquitur. In litibus externi fori sæpe proprietas rei dubia est, possessio certissima. Quapropter non raro iudicium *petitorium*, quod proprietatem rei spectat, favet Petro, & iudicium *possessorium* favet Paulo. Hæc duo opposita iudicia, quæ in foro exteriori sæpe locum habent, in tribunali conscientiæ impossibilia sunt. Quandoquidem si certa sit libertatis meæ possessio ad meundum contractum, nullum occurrere dubium potest, sit ne licitus ac iustus contractus. Quoniam idcirco certa & evidens est meæ libertatis possessio, quia evidens est contractum non esse usura infectum. Si enim dubium esset de contractus iniustitia; eo ipso dubium esset, utrum mihi libertas inesset ad eumdem perficiendum. Ergo luculentum est, principium hocce probabilisticum, *Melior est conditio possidentis*, putidum esse paralogismum, atque futile sophisma: quod clarius evinco.

VIII. Ut in tribunali forensi allegare iure valeas hanc regulam, *Melior est conditio possidentis*, quid requiritur? Opus est possessionem fundi certam esse, extra controversiam, omnibusque compertam. Si Petrus haud esset certus & manifestus fundi possessor, possetne iactare, *Melior est conditio possidentis*? Porro quis Christianorum certam libertatis possessionem ostentare potest, qua celebret contractum illum super quo in utramque partem gravibus ducti rationibus Theologi disputant? Nemo sane, nisi demens. Ergo disputare, sit ne feneratorius contractus, perinde est ac disputare, utrum Christianus libertate eumdem celebrandi fruatur.

IX. Sub alio aspectu obsidere Probabilistas iubet, iisdem ultro concedentes iterum, laudatam regulam in quacumque materia locum habere. Quærimus: dominium liberum hominis in suas actiones nonne subiectum est supremo Dei dominio? Ais. Ergo, quoties dubitatur, concesserit ne Deus tale dominium in hunc aut illum contractum, in hanc aut illam actionem, regula, *Melior est conditio possidentis*, Deo, non homini favet: quoniam possessio Dei certa est, hominis dubia. Exemplo rem patefaciam. Paulus rebus Antonii utitur, Antonio inscio. Omnium consensu Paulus peccat. Cur? Quia Paulus nullo potitur iure in res Antonii. Contra Antonius ius certum habet ne ullus rebus suis, se inconsulto, utatur. Quis dixerit, hominem iure posse, Deo inscio, uti propria libertate? Nemo dixerit, domi-

minium libertatis humanæ in proprias actiones non esse dominio supremo Dei subjectum, & ab eodem dependens, tamquam caussam secundariam a primaria. Ergo doctrina P. Terilli, aliorumque Probabilistarum, asserentium in pari caussa hominem possidere libertatem contra Deum, est paradoxon, & monstruosum absurdum. Si enim libertas hominis in omnibus a Dei libertate pendet, qui fieri potest ut ius possessionis homo adversus Deum allegare queat?

X. Alio exemplo adhuc clarius rem demonstro. Paulus mera liberalitate dominium utile omnium bonorum suorum Antonio concedit, paucis exceptis. His ne utatur, se inconsulto, severe vetat. Omnium tamen bonorum supremum dominium sibi retinet. Dubitat Antonius, utrum hic aut ille fundus sub paucis reservatis comprehendatur. Paulum consulere nequit, nec rationem evidentem invenire potest qua dubium excutiat. Absolveres ne a peccato Antonium, si, dubio persistente, illis uteretur fundis de quorum concessione minime sibi constat a Paulo facta? Posset ne Antonius pro se iactare regulam, *Melior est conditio possidentis*, ut dubium pelleret? Minime, inquis. Cur? Quod nullum ius habeat Antonius in bona Pauli, absque consensu Pauli. Ergo quamdiu dubius est consensus Pauli, tamdiu dubium est ius Antonii in bona Pauli. Ergo quousque perseverat dubium ius Antonii in bona Pauli, eo usque Antonius peccat, si utatur bonis Pauli, dubio obnoxiis. Nec universale dominium, quod Antonio Paulus impertiit in bona sua expresse concessa, ius tribuit Antonio in illa bona de quibus dubitat, sintne sibi, aut secus a Paulo concessa. Hæc omnia luculenta sunt.

XI. Voluntas humana non aliud morale dominium suæ libertatis in opera exercenda habet, nisi illud quod sibi a Deo concessum est. Quoties constat de concessione, seu permissione operationum, certum voluntas ius in easdem habet, nullum vero ius possidet, si certo constet de prohibitione. Nemo hoc in disputationem vocat. Ergo quoties disputatur super lege aut concedente, aut prohibente, dubium dominium remanet. Ergo aperta dementia est, in simili casu iactare ius possessionis. Ergo qui sub tali dubio operatur, peccat omnium consensu.

XII. Urgeo ex alio latere Probabilistas. Deus supremo absolutoque dominio potitur in ea quorum dubium est, utrum sint ab illo humanæ voluntati concessa. Voluntas igitur creata solum ius dubium habet in illa opera de quibus disputatur, sintne eidem a Deo permissa. Ecce igitur ad P. Terilli, aliorumque Probabilistarum tribunal Deus, & voluntas humana. Ille certum supremum, absolutumque dominium habet. Hæc dubium, dependens, subiectum ius super operationibus biti subiectis possidet. Si valet vestra iactata regula, *In pari caussa melior est conditio possidentis*, cuinam victoriam asseritis? Deo, certo, supremo, absolutoque possessori, an homini possessori dubio, & Deo subiecto? Nonne certum, & luce meridiana evidentius est, vi præfatæ regulæ Deo ascribendam esse in pari

caussa

caussa victoriam? Ergo luculentissimum est, in controversiis dubiis decidendum esse in favorem legis æternæ, seu ipsius Dei. Ergo evidens est, Probabilismum dictæ regulæ, *Melior est conditio possidentis*, innixum, inane paradoxon esse, chimæramque apertissimam, quam P. Antonius Terillus effinxit his verbis: *Respondeo, eamdem regulam æque favere Deo contra nos, ac nobis contra Deum. Favet nobis, quamdiu sumus in possessione libertatis, favet Deo, quando lex est in possessione.* Hac sua doctrina P. Terillus tot deos efficit, quot homines. Ut enim doctrina sua quidquam concludat, æquales Deo homines constituit. Si æquales; ergo dii. Nulla hic exaggeratio. Necessaria sunt hæc Terillianæ doctrinæ consectaria.

XIII. Paucis rem omnem perstringamus. Ius possessionis, quod in dubiis controversiis libertati humanæ adscribunt Probabilistæ, falsum est, commentitium, futile. lædit altum supremumque dominium divinum, tremendæ maiestati iniuriam irrogat, subordinationem creaturarum ad Deum perturbat, hominem Deo æquat, atque adversus Deum vitilitigatorem efficit. Hæc omnia necessaria consecutione ex doctrina P. Terilli, & Probabilistarum Terillo adhærentium proficiscuntur. Absit ut dicamus, talia Probabilistas asserere, sed dicimus, talia Probabilistarum doctrinam necessario consequi. Quare verbis Augustini illos alloquimur. *Hæc quidem ipsi non sentitis, sed hæc sequuntur illa quæ sentitis: mutate ergo antecedentia, si vultis cavere sequentia.* Lib. II. de adult. coniug. cap. IV. mutato singulari in plurale.

XIV. P. Michael Elizalde *Lib. VIII quæst.* XII. §. 5. argute non minus quam strenue Probabilistas urget, ac obsidet. Regius Propheta *Psal.* XXXIX. inquit: *Lex tua in medio cordis mei.* Item *Psal.* CXVIII. *Portio mea, Domine (dixi) custodire legem tuam.* Non igitur calamitatem suam, non tyrannidem, sed hereditatem existimavit custodire legem Domini, quam & in medio cordis sui fixerat. Quis ex heredibus exceptiones quæritat, & effugia, ut hereditatem abdicet, reiiciatque? Quis heres sponte clamat hereditas non probat, hereditas non concludit? Quis, ut hereditatem reiiciat, opponit. *Melior est conditio possidentis*? Quid, precor, possidentis? Libertatem, inquis, meam. Ita ne vero? An non vides quid recuses? Non sane malum, non detrimentum, non gravamen; sed hereditatem, feuda plura, ampla prædia, palatia magna, aurum, argentumque. Quid? Aures arrigit vel ipse Probabilista. Eccur? Quia res istas amat. Non ergo consulit, quomodo hereditas sibi non competat, non rationes scrutatur, quibus præfata bona repellat, non *leges reflexas* comminiscitur, sed contra subtiliter inquirit, advocatos adit, qui iura hereditatis obtentæ defendant. Cur hoc? Ut hereditatem obtineam, inquis. Quid? vis ergo libertatis tuæ iura amittere? Rides, clamasque, hereditatem bonum tuum esse, gravamen non esse; sed felicitatem reputas subiici hereditati. Nunc, oro te, hæc accommoda legi Dei, quæ portio iustorum est, & forte erubesces. Erubescant

stine, & confundantur qui quæ confutavimus fovent. Hæc concionatoria sunt, inquiunt, qui nec quid sit vera Theologia, nec conciones, tenent. Audiant isti S. Thomam 2. 2. quæst. xliv. art. 1. ad 2. *Obligatio præcepti non opponitur libertati, nisi in eo cujus mens aversa est ab eo quod præcipitur; sicut patet in his qui ex solo timore præcepta custodiunt. Sed præceptum dilectionis non potest impleri, nisi ex propria libertate. Et ideo libertati non repugnat.* Ergo qui lites suscitant, qui cavillantur, ut hanc legis hereditatem respuant, ii sunt quorum mens aversa ab eo est quod præcipitur. Tria sunt hominum genera legem custodientium, servorum, mercenariorum, filiorum. Ex quibus nec puri servi, nec puri mercenarii, sed filii salvantur: nam filii heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Primi ex solo timore, secundi ex sola spe præmii præcepta custodiunt, sed primum omnium maximumque mandatum prætermittunt. Postremi vero filii timore excitati, spe erecti, ex amore servant. Ex quibus constat, lites illas probabilisticas cum lege, haud esse filiorum, sed vel solum servorum, vel solum mercenariorum. Et quemadmodum in bello armorum pugnat quisque ne ab hoste capiatur, & captivus ducatur, ita inter hos servos, & Deum bellum instituitur rationis, & allegant quanta possunt, ne subiciantur, ac nisi vi rationis evidentissimæ capti, & devicti, cedere nolunt. Hactenus Euzalde paucis sectis, & immutatis. Nullus dubito quin consuetis distinctiunculis hæc omnia discerpant Probabilistæ. Clamabunt, hinc sequi Tutiorismum, Rigorismum, si paritas hereditatis consistat. quia quisque ditiorem desiderat hereditatem. Verum futilia hæc sunt: quæque enim suo in sensu accipienda sunt, & ad labefactanda *P. Terilli* commenta, quibus ad litigandum cum Deo homines instruit, efficacia sunt, atque opportuna.

CAPUT III.

Alterum principium probabilisticum, Lex dubia non est lex, *falsum, erroneum, atque immanium absurdorum plenum est.*

PLura summi momenti disputanda hoc in capite occurrunt adversus P. Antonium Terillum, Paulum Segneri, Claudium La-Croix, ceterosque Probabilistas recentiores omnes, qui *Reflexistæ* nuncupantur. Fundamentum potissimum probabilisticum disputandum suscipimus. Et quoniam illud ab imis suffodere in votis est, plura explicemus principia oportet, quæ penitus systema probabilisticum evertunt. Idcirco caput istud claritatis gratia in varios tribuo paragraphos

§. I.

§. I.

Paucis delibatis, P. Antonii Terilli, aliorumque Probabilistarum, negantium legem in controversiam vocatam, esse legem, doctrina exponitur.

I. PAlam fecimus supra, operationes omnes humanas, bonas, aut malas dici per relationem, aut oppositionem ad legem æternam Dei, D. Thoma auctore inquiente 1. 2. quæst. XIX. art. 9. *Illud quod est primum in quolibet genere, est mensura, & ratio omnium quæ sunt illius generis*. Quælibet bonitatis, & honestatis guttula ab immenso illo divinæ voluntatis Oceano profluit. Si voluntas humana absque subiectione ad Dei voluntatem, seu legem æternam producere quidquam honesti posset, voluntas hæc Deus esset.

II Ostensum itidem est nos gravi præcepto urgeri ad investigandam veritatem istius æternæ legis. Non tenemur reipsa eam adinvenire, sed pro viribus adlaborare astringimur ut eam inveniamus Ab ipsa inventione, humanæ mentis imbecillitas interdum nos excusat; sed nullum adest privilegium quod nos solvat a gravissimo investigationis debito. Qui, reiecta probabiliore sententia, utitur minus probabili favente libertati, non modo pro virili parte non studet assequi veritatem æternæ legis, sed occurrentem veritatem reiicit, respuitque. Hæc omnia latius supra ostensa sunt. His paucis delibatis, Terilli, Segneri, & Probabilistarum communis doctrina exponitur.

III. Summa doctrinæ Terillianæ, quam prius Ioannes Caramuel invexerat, hæc est. Ex catalogo legum expungit omnes leges, naturales, divinas, humanasque, de quibus in utramque partem disputant Theologi. Et quia illius paradoxa omnem superant fidem, nil dicam, nisi illius verbis omnia confirmem. Sic ergo argumentatur in Tom. de reg. mor. I. Part. quæst. II. num. 45. pag. 19. *Nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgetur. At quoties adsunt rationes probabiliter fundantes, partem minus tutam esse licitam, lex præcipiens partem tutiorem non est sufficienter promulgata. Ergo illa lex neminem obligat, quamdiu certo probabile est partem minus tutam non esse prohibitam. Rationem hanc fuse deduxi quæst.* XXIII. *de conc. probab.* Hanc eamdem doctrinam fuse explicat *Part II.* quæst XLIII.

IV. Advertit insuper, dupliciter legem dubiam esse, nimirum quantum ad existentiam, & quantum ad extensionem. Dubitas, utrum sub lege amandi Deum comprehendatur actus quo semel in anno Deus amatur; aut contra dubitas, utrum detur lex præcipiens amorem Dei. Primum vocatur dubium de *modo legis*, alterum, dubium de *substantia legis*. Hæc tamen, inquit, non est differentia substantialis, immo dubium de *modo legis* revocatur in dubium de *substantia legis*. Hæc

sunt verba P. Terilli de consc. probab. quæst. XXIII. num. 15 pag. 411. *Iam vero ut constet nullam legem esse sufficienter promulgatam circa quidquam, quamdiu probabile est illud non esse prohibitum, adverto, quæstionem dupliciter fieri posse. Primo, si utrimque detur probabilitas de substantia, seu existentia legis; si nempe ita probabile sit legem existere, ut oppositum sit etiam probabile. Sic probabile esse potest alicui, quod Episcopus ieiunium præceperit, eo quod ipse audierit Episcopum iurantem, velle se tali die ieiunium indicere: oppositum etiam esse potest probabile, eo quod in illo ipso die nuntius nullus ea de re ad illius loci Parochum pervenerit. Secundo, si certo constet de lege, sed dubium sit de aliquibus, an involvantur in lege, quod aliqui volunt esse dubium de modo legem servandi . . . Hic secundus modus loquendi reipsa coincidit cum primo: quia omne eiusmodi dubium semper procedit de substantia legis, scilicet de voluntate, & imperio Superioris, in quibus essentia legis consistit . . . Itaque respectu legis divinæ idem est quærere, an liceat pingere in die festo, ac quærere, an detur substantia legis terminatæ ad talem modum, nec ne? Itaque quæstiones istæ coincidunt; & utcumque hoc se habeat, promulgatio æque requiritur ut lex obliget quoad modum ac quoad substantiam*

V. Hanc Terilli doctrinam posteriores Probabilistæ communiter ambabus ulnis amplectuntur, ut La-Croix, Segneri, Casnedi, Viva, ceterique. *La legge* (inquit P. Paulus Segneri in epist. III. num. 2.) *non è legge, finchè non sia bastevolmente promulgata. Ora come mai può dirsi promulgata una legge a sufficienza, intorno a cui sono già tanti secoli che i Dottori non altro fanno che contendere, se vi sia? Per quanto ella sia probabile, non è legge: sino a che è probabile non esservi una tal legge, non v'è, perchè non è promulgata a segno che basti. Dirà forse l'Autore, ch'egli intende forse per legge una legge dubbia. Benissimo. Ma legge dubbia chi disse mai che sia legge?* Plurima alia ibidem Segneri habet, ex Terillo fideliter suscepta. Hæc omnia communia sunt penes Probabilistas recentes.

§. II.

Theologorum doctrina de necessaria legis promulgatione.

I. UT P. Terilli, aliorumque Probabilistarum falsa descripta doctrina penitus profligetur, quid de legum promulgatione Theologi doceant, explicandum est. Sub duplici veluti statu legem tum Iurisconsulti, tum Theologi considerant. Et primum ipsa voluntas legislatoris lex imperfecta est, seu initium legis. Secundo præter voluntatem, atque intentionem considerant intimationem huius voluntatis subditis factam. Promulgatio itaque legis est manifestatio, seu denuntiatio voluntatis legislatoris, subditorum communitati facta. Quemadmodum lex bonum non privatum, sed commune spectat, ita promulgatio non privatis, sed communitati

tati indicitur. Hæc promulgatio ita necessaria est, ut, ea sublata, nulla sit lex. Legis positivæ promulgatio aliquibus signis, & cæremoniis fit juxta cujusque gentis ritum, & formam; legis naturalis promulgatio lumen illud est animabus nostris a Deo impressum. Necessitas hujus promulgationis clara est. Voluntas legislatoris occulta sua natura est, libera, contingens. Ut fiat manifesta, & perpetua, opus est ut eo ritu, vel signo exponatur quo possit ab omnibus cognosci. Hæc omnia tradit S. Thomas 1. 2. quæst. xc. art. 4. *Lex imponitur aliis per modum regulæ, & mensuræ. Regula autem, & mensura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur, & mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod ipsa applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem.*

II. Quod in hac materia pro quæstionis nostræ decisione perpendere quisque magnopere debet, est, legem non singulis privatis, ut diximus, sed hominum communitati promulgari. Contra præceptum, quod privatum, non commune bonum spectat, privatis imponitur, & indicitur. Promulgatio legis singulis subditis non difficilis modo, sed moraliter impossibilis est. Lex semel promulgata omnes subditos astringit, etiam eamdem ignorantes. Si isti eam transgrediuntur, immunes utique a culpa sunt, quoties invincibilis ignoratio sit: immunes, inquam, a culpa sunt, non propterea quod lex non obliget, sed quia ignorantia, si sit invincibilis, excusat, ut docet Angelicus 1. 2. quæst. xc. art. 4. ad 2. *Illi coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam, inquantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest promulgatione facta.* Hinc est quod formula ordinaria, qua leges pontificiæ promulgantur, hæc est: *Volumus quod præsentes litteræ, apud valvas Basilicarum &c. affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.* Notitia privata, quam promulgatæ legis subditi acquirunt, nullam legi vim confert, sed eam perfecte constitutam, promulgatione communitati facta, supponit. Hæc particularis notitia subditi applicatio actualis legis est, ut dirigat proprias actiones, quemadmodum applicatio ignis ad materiam comburendam vim igni non tribuit, sed illum facultate ad comburendum apte instructum supponit. Interdum subditorum hæc privata notitia promulgatio appellari solet, sed promulgatio hæc impropria est, nullam vim legi tribuens.

III. P. Terillus, & ceteri Probabilistæ, qui controversam legem a legum censu expungunt, quod satis promulgata non sit, de promulgatione loquuntur in vero rigidoque sensu accepta, de ea promulgatione loquuntur sine qua lex non est lex. Porro lex non desinit esse lex, quod privatis promulgata non sit; sed tunc solum non est lex, quando communitati indicta non est. Terillus quandoque confundit

 pro-

promulgationem privatam, seu impropriam, cum publica, seu propria. Ceterum; ne ullo elabi modo queat P. Terillus, hoc illum dilemmate astringimus. Aut contendit Terillus promulgandam esse legem singulis, aut soli communitati, ut vim legis obtineat. Si primum, universo Theologorum, & Canonistarum consensui adversatur, promulgationemque poscit moraliter impossibilem. Si secundum concedit, caussa cecidit. Si omnem legem controversam negat esse legem, in fumum amandat magnam Decalogi partem, saltem quantum ad extensionem. Cedo: aut Probabilistæ negant, leges in utramque partem probabiliter disputabiles esse leges quantum ad existentiam, aut negant illarum extensionem ad casus peculiares. Si primum asserunt; de medio tollunt, sin omnes, saltem plurimas, & fere omnes leges naturales, & divinas; cum paucæ sint quæ a Theologis in controversiam non vocentur. Si solum negant extensionem ad aliquem peculiarem casum, tum consueta vitiosa principii petitione irretiantur, ut infra evidenter palam fiet.

§. III.

Doctrina Probabilistarum negantium, legem probabiliter in utramque partem disputabilem, esse legem, evidentissimæ falsitatis revincitur tum ratione, tum auctoritate.

I. Quælibet opinio aut vera, aut falsa est. Probabilitas est effectus ignorantiæ humanæ mentis, quæ nequit semper veritatem reipsa assequi. Opinio quæ Petro est probabilis, Paulo improbabilis est. Ceterum in se, & respectu Dei aut falsa, aut vera est. Id extra controversiam est. Porro opinio quæ vel adfirmat, aut negat, probabiliter licitum hunc contractum, nequit esse vel falsa, vel vera, nisi detur lex quæ aut præcipiat, aut vetet talem contractum. Ergo probabilis disputatio in utramque partem minime a censu legum legem disputabilem expungit.

II. Aliam conficio ineluctabilem demonstrationem. Dum tu amplecteris opinionem sive minus, sive magis probabilem, *materialiter* peccas, posito quod opinio hæc falsa sit. Id adfirmant omnes Probabilistæ, qui docent, culpam hanc materialem imputabilem non esse ob bonam fidem, seu ignorantiam invincibilem. At, semel admisso quod lex ob mutuam probabilitatem in utramque partem non esset sufficienter promulgata, atque adeo non esset lex, nulla, nec materialis quidem, culpa foret; quoniam nulla lex sine promulgatione, nullum peccatum sine lege, ubi nulla est lex, nec *formale*, nec *materiale* peccatum est. Ergo doctri-

ctrina probabilistica, quæ docet, leges in utramque partem probabiliter controversas non esse leges, commentitia est, & aperta chimæra.

III. Tertiam efformo demonstrationem, cuius prima propositione principium est penes omnes Probabilistas certissimum. Super eadem lege dantur duæ opiniones contrariæ probabiles, quarum altera affirmat, altera negat actionem esse licitam. Hæc prima propositio certa est. Altera. Atqui si verum foret, legem controversam non esse sufficienter promulgatam, falsa esset prima propositio. Ergo principium probabilisticum de lege probabiliter controversa non promulgata falsum est. Prob. min. Sententia quæ affirmat, negatve licitam esse actionem vi alicuius legis quæ sufficienter promulgata non est, falsa omnino est, atque nullo modo probabilis, ut affirmat P. Antonius Terillus de reg. mor. I. Part. quæst. xxxv. num. 28. pag. 310. *Hoc quidem ridiculum esset, si, supposita negatione sufficientis promulgationis de lege, adhuc illius obligatio quæreretur.* Ne multa: admisso dicto principio probabilistico, nulla daretur opinio probabilis: quoniam, lege non extante, opinio quæ affirmat, aut negat quidquam vi talis legis, quæ non extat, falsa omnino est. Ergo Probabilismus vi doctrinæ quam defendunt Terillus, Segneri, La-Croix, Casnedi, Viva, ceterique Probabilistæ, paradoxon est, & chimæra monstrosa. Siquidem principium potissimum cui nititur Probabilismus, istud est de lege non promulgata, quoties controversa in utramque partem probabiliter est. Hoc principio admisso, nulla datur probabilitas: quia, sublata lege, quidquid de eadem adfirmetur, aut negetur, falsum est. Ergo Probabilismus commentum chimæricum est.

IV. Hactenus ratione, nunc auctoritate rem confirmo. Deus *Deuter. cap.* XVII. *vers.* 8. hæc præcipit. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Venies que ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit eo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.*

V. Quem textum sic interpretatur Angelicus 1. 2. quæst. cv. art. 2. ad 7. *Iudices ad hoc inter homines constituuntur, ut determinent quod ambiguum inter homines circa iustitiam esse potest. Dupliciter autem aliquid potest esse ambiguum. Uno modo apud simplices: & ad hoc tollendum mandatur Deuter. XVI. ut Iudices & Magistri constituerentur per singulas Tribus, ut iudicarent populum iusto iudicio. Alio modo contingit aliquid esse dubium etiam apud peritos: ideo ad hoc dubium tollendum constituit lex ut omnes recurrerent ad locum principalem a Deo*

electum, in quo & summus Sacerdos esset, qui determinaret dubia circa caeremonias divini cultus.

VI. Si lex controversa inter Doctores, non esset lex, inane esset, immo de re impossibili divinum mandatum. Ergo evidens est, probabilisticum capitale principium Terilli, Segneri, La-Croix, ceterorumque Probabilistarum repugnare Scripturae divinae. Ergo tam evidens est falsitas Probabilismi, quam evidens, praefatum capitale principium Terilli, aliorumque pugnare cum verbo Dei.

VII. Possem omnium Theologorum auctoritate confirmare quae hactenus dixi. Tres tamen solos adducam brevitatis gratia. S. Thomas conceptis verbis reiicit, improbatque probabilisticam doctrinam Terilli, & aliorum. Nulla lex, inquit Angelicus, omnia dubia exprimit quae super eadem oriri possunt. Immo etiamsi legislator omnia futura dubia exprimere posset, non congrueret ob immensam confusionem. Idcirco iudices instituti sunt, ut haec dubia dirimant. Inquit ergo Doctor sanctus 1. 2. quaest. xcvi. art. 6. ad 3. *Nullius hominis sapientia tanta est, ut possit omnes singulares casus excogitare & ideo non potest sufficienter per verba sua exprimere ea quae conveniunt ad finem intentum. Et si posset legislator omnes casus considerare, non oporteret ut omnes exprimeret propter confusionem vitandam, sed legem ferre deberet secundum ea quae in pluribus accidunt.* Quid ergo agendum, dum dubia gravia emergunt? Dum Doctores probabiliter super lege in contrarias disputant partes? Repudiare legem, ut commentitiam, ut chimaericam, inquiunt Terillus, La-Croix, Segneri. *Perche legge dubbia non fu mai legge.* Quin, reponit Angelicus, aut consulendus legislator, aut servanda lex. *Dicendum, quod ille qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretatur legem simpliciter, sed in casu in quo manifestum est per evidentiam documenti legislatorem aliud intendisse. Si enim DUBIUM SIT,* (arrigite aures, o Probabilistae) *DEBET VEL SECUNDUM VERBA LEGIS AGERE, VEL SUPERIOREM CONSULERE.* loc. cit. ad 2.

VIII. Doctor eximius P. Franciscus Suarez *Lib. VI. de legib. cap.* VIII. *num.* 10. sententiam S. Thomae suscipit, tamquam doctrinam apud omnes Doctores certam. *Quarto dicendum de casu dubio, in quo iudicari non potest probabiliter, an casus comprehendatur sub legis obligatione nec ne. In quo sententia communis est, recurrendum esse ad Superiorem, si fieri possit, vel, si non possit, servandam esse legem. Ita D. Thomas, Conradus, Caietanus &c. quae sententia PER SE EVIDENS est in casu patiente moram, ut consulatur Princeps. Nam si in casu tantum formidoloso, & probabili hoc fieri debet, multo magis in casu dubio.*

IX. P. Gabriel Vasquez similia docet I. Part. disp. clvi. cap. II. num. 8. *Hinc autem sequitur, manifeste decipi qui putant, eum qui dubitat, an lex aliqua lata fuerit, & promulgata in curia, ea lege non teneri, eo quod ipsi non satis promul-*

mulgata censeatur. Falluntur igitur primum in doctrina ipsa. Siquidem in dubiis tutior pars est eligenda: & haec regula in hoc casu vim habet juxta notata a nobis disp. LXV. cap. III. Deinde in ratione decepti sunt, eo quod, ut ex dictis constat, aliud est promulgatio, aliud autem est notitia legis: & quamvis is qui dubitat de lege, non haberet notitiam sufficientem legis, ut ea teneretur; tamen non potest dici, carere sufficiente promulgatione legis, si revera in curia promulgata fuisset, sed notitia sufficienti illius. Verum, ut diximus, ea dubitatio satis est ut ratione eius tutiorem partem sequi debeat, sicut loco citato ostendimus. Duo acute Vasquez distinguit, privatam notitiam legis, & legis promulgationem. *Aliud est promulgatio, aliud est notitia legis.* Dubium subditorum de legis existentia non tollit legis promulgationem. Aliud est, subditum ignorare legem; aliud, legem non esse promulgatam. Subditus dubius de lege partem tutiorem amplecti debet. Clamet nunc P. Paulus Segneri cum suo Terillo, & omnibus Probabilistis Reflexistis: *Ma legge dubbia, chi disse mai, che sia legge?* Legem eam dicunt Scripturae divinae, Doctores sancti, Theologi omnes, manipulo Probabilistarum Reflexistarum excepto. Hi, ducibus Caramuele, & Terillo, videntes ruinam Probabilismi, praefatam doctrinam excogitarunt, quae, quam sit monstrosus Probabilismus, ostendit.

X. Ut veritas clarius pateat, supponamus, opinionem minus probabilem adversus legem civilem, aut canonicam, quae vetet contractum ut usurarium, in conspectu probabilioris. In hac positione lex est controversa. Ergo dubia: ergo nulla, quod non satis promulgata sit. Litigatores litem deferunt ad tribunal. Quid index? Si sententiam dicit in favorem partis defendentis opinionem probabiliorem, peccat: quoniam usura infectum contractum iudicat vi legis, quae non extat in rerum natura, iuxta Probabilistas. Si iudicat secundum minus probabilem, peccat: quia Ecclesia definivit, iudicem debere iuxta probabiliorem sententiam iudicare.

XI. Tandem communi Theologorum sententia doctrina P. Terilli, Segneri, La-Croix, Viva, & ceterorum principium probabilisticum convellitur. Lex semel promulgata completa est, totaque legis perfectae vi potitur. Solemnis & publica legis promulgatio notitiam privatam subditorum antevertit, quemadmodum caussa quaeque suum praecedit effectum, a quo minime pendet. Si natura legis a cognitione, vel ignorantia subditorum penderet; non haberet, licet solemniter promulgata, ante eorumdem notitiam completam vim legis: quod omnes Theologi, & Iurisconsulti pernegant. Evidens ergo est legem solemniter promulgatam minime amittere vim legis, quamquam subditorum plures privati aut illam ignorent, aut de eadem disputent.

XII. Hoc clarius patet in lege naturali. Lex naturae active accepta respectu

Dei ipsa æterna Dei voluntas est, quæ vetat, aut imperat quod repugnat, aut congruit rectæ rationi. Hæc lex respectu hominis divinæ legis æternæ participatio est, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. xci. art. 2. *Lex, cum sit regula, & mensura, dupliciter potest esse in aliquo. uno modo sicut in regulante, & mensurante; alio modo sicut in regulato, & mensurato: quia inquantum participat aliquid de regula, vel mensura, sic regulatur, vel mensuratur . . . Unde patet quod lex naturalis nihil aliud est quam participatio legis æternæ in rationali creatura*. Hæc lex æterna, veluti Sol splendens, super rationalis creaturæ vultum suos effundit radios, quibus discernat quid conveniat, aut disconveniat rectæ rationi. *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Dicant nobis Probabilistæ: hæc æterna Dei lex vim ne suam habet ante creaturarum notitiam? Aiunt omnes. Adulteria itaque, mendacia, furta ante quamlibet humanæ mentis notitiam mala sunt. Cognitio humanæ mentis applicatio est legis æternæ, quam præsupponit completam perfectamque. Quamobrem, dum homo invincibiliter has leges ignorans, eas transgreditur, materialiter peccat; ut toties dictum est, & fatetur ipse Terillus de reg. mor. II. Part. quæst. xliii. num. 4. *Evidens est hominem invincibiliter errantem circa legem naturæ materialiter peccare quia ponit rem quæ vere prohibita est, etsi lex illa non sit sufficienter promulgata* Sic loquitur Terillus, dum Probabilismi caligine non obducitur. Verum argumentorum vi pressus, ut Probabilismum suum propugnet, evidentissima contradictione irretitur, &, abiurata laudata certissima doctrina, hæc habet in eodem tract. de reg. mor. quæst. xxxv. num. 28. pag. 310. *Ridiculum esset, si supposita negatione sufficientis promulgationis de lege, adhuc illius obligatio quæreretur*.

XIII. Verum, missis Terilli contradictionibus frequentissimis, omnes Probabilistas sic urgemus. Aut isti aiunt, leges naturales, divinas, & humanas antecedenter ad privatas subditorum notitias esse veras leges, aut negant. Si secundum; contradicunt omnibus Theologis, & veritatem splendidissimam reiiciunt, atque in turpissimos errores prolabuntur. Si primum, ergo eorum Probabilismus ab imis fundamentis corruit. Ergo æque falsus Probabilismus est, ac falsa & erronea est doctrina illa potissima cui totus nititur, nempe, leges in utramque partem disputabiles non esse leges.

§. IV.

§. IV.

Immania absurda quæ doctrinam probabilisticam de lege dubia necessario consequuntur. Clarius iterum probabilisticum principium refutatur.

I. VIX est in Decalogo mandatum aliquod a Probabilistarum disputationibus immune. Admisso principio probabilistico, quod lex controversa non sit lex, Decalogum fere universum in fumum occidit. Nec est quod opponas, controversias Probabilistarum non legum existentiam, sed legum extensionem spectare. Quoniam verum habet, Catholicorum neminem disputare de existentia Decalogi: omnes disputationes in discrimen adducunt extensionem mandatorum ad hos illosve casus, seu utrum hoc aut illud opus, puta pingere in die festo celebrare talem contractum, comprehendatur sub lege prohibente. Negant Probabilistæ Terilliani, citato principio nixi, quod lex dubia non est lex.

II. Verum, ut quantum aberrent a veritate Auctores isti, quamque sit enormis eorum aberratio, patefaciam, ad Scripturas sanctas revocanda illa est. Cum Deus iubet, populum consulere summum Sacerdotem in rebus dubiis, numquid iubet ut consulatur, existat ne lex? Minime gentium. Sed iubet ut consulatur, sit ne tale opus a lege vetitum. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris . . . surge . . . veniesque ad Sacerdotes . . facietque quodcumque dixerint, & docuerint te iuxta legem eius.* Quando ergo Theologi disputant in utramque partem de honestate, aut malitia humanarum operationum, de quibus dubium occurrit, non de legum absoluta, & præcisa existentia, sed de extensione legum ad casus controversos disputant.

III. Quid quod P. Antonius Terillus, primus cum suo Caramuele inventor refutatæ doctrinæ, dubia de extensione legum in existentiam ipsam legum revocat? Sic enim scribit de consc. quæst. xxiii. num. 15. pag. 411. *Adverto, quæstionem dupliciter fieri posse. Primo, si utrimque detur probabilitas de substantia, seu existentia legis, si nempe ita probabile sit legem existere, ut oppositum etiam sit probabile . . Secundo, si certo constet de lege, sed dubium sit de aliquibus, an involvantur in lege; quod aliqui volunt esse dubium de modo legem servandi. V. g. certum est, opera servilia esse prohibita die festo, sed dubium est, utrum hoc vel illud opus sit servile. Hic secundus modus loquendi reipsa COINCIDIT cum primo, quia omne eiusmodi dubium semper procedit de substantia legis, scilicet de voluntate, & imperio Superioris, in quibus essentia legis consistit.*

IV. Ultra progreditur Terillus, atque ipsos legislatores, tamquam dubitatio-

aum,

num, & dissidiorum originem, in medium producit, hoc formans ratiocinium. Legislatores humani, si prudentes sint, norunt dubia, & controversias quibus leges suæ futuræ sint obnoxiæ. Ergo præsumendum est, nolle subditos obligare ad opera quæ in disputationem veniunt, sintne a lege comprehensa. Audiamus Terillum ipsum *de consc. quæst.* XXIII. *num.* 19. *pag.* 413. „ Legislator humanus, si „ sit prudens, bene novit sensum suarum legum esse in multis dubium, multosque „ que se doctiores prudenter existimare, talem expressionem ad talia obiecta non „ extendi. Unde manifesta præsumptio est, eum nolle sub lege sua talia sub „ obligatione comprehendere. Si enim voluisset ea comprehendere, id expressisset. „ set. Ergo censendi sunt pro non inclusis in lege. Maxime vero id valet, quia „ favores sunt ampliandi, & odiosa restringenda. *Idem valet de lege æterna, qua* „ *Deus leges humanas corroborat: quia illa ad alia non extenditur quam ad i-* „ *psa quæ legislator humanus efficaciter intendebat præcipere. Ergo eadem de* „ *utraque lege ratio procedit. IMMO IDEM VALET DE LEGE DIVINA,* „ *quam Deus ipse signis talibus promulgat, quorum sensum homines perfecte non* „ *intelligunt. Hinc enim evidens præsumptio oritur, Deum nolle nos ad ea obli-* „ *gare de quibus habemus motiva prudentia ad existimandum, ea ab ipso non* „ *fuisse per legem intenta. DEUS enim, qui omnia comprehendit, SI ALITER* „ *VOLUISSET, IDIPSUM EXPRESSISSET; cum hoc ipsum æque facile ipsi* „ *fuisset, ac oppositum. AT DEUS HOC NON EXPRESSIT. ERGO EA SUB* „ *OBLIGATIONEM CADERE NOLUIT.* Hoc est totum quod intendimus: *il-* „ *ludque manifestissime sequitur ex defectu promulgationis sufficientis.* "

V. Illud boni P. Terillus saltem habet, quod sensa sua, suaque commenta non impedito & salebroso, sed perspicuo, nitidoque stilo promat. At doctrina quam ex eo descripsi, aperte verbo Dei repugnat. D. Thomas 1. 2. *quæst.* XCVI. *art.* 6. *ad* 3. inquit: *Et si posset legislator omnes casus considerare, non oporteret ut omnes exprimeret propter confusionem vitandam.* Præfata Terilliana doctrina, ut nostra minima opinio fert, scandalis plena est, horroremque incutit, potissimum si coniungatur alteri doctrinæ quæ in Deum, in legislatores ipsos legum transgressiones revocat: eo quod isti non expresserunt omnes eventus, & casus qui ex eorum legibus oriri possunt. Incredibilia tibi hæc paradoxa videntur? Lege quæst. *quæst.* XXIII. *num.* 25. *pag.* 416. scribit P. Antonius Terillus. *In his ergo tribuant sibi legislatores, si sua imperia aliquando violari videant; cum sufficienter non explicarint voluntatem suam, cui sufficienter explicatæ subditi paratissimi erant obedire.*

VI. Paucis nunc sub oculos exponamus immania consectaria quæ hinc necessario consequuntur. Quid, inquis, opus est consectariis? An non satis horrida est doctrina ipsa? Si adeo turbidi, & venefici sunt fontes ipsi; quid rivulos consectа-

ctaris? Id sane superfluum videtur. Verum, ut magis magisque a Probabilismo caveas, nonnulla exponam.

VII. Si leges controversæ probabiliter in utramque partem leges non sunt; exulent ab orbe catholico tribunalia Iurisconsultorum, exulent Theologorum scholæ, exulet sacrarum legum studium, & divinæ voluntatis investigatio. Non amplius Catholici in controversiis gravissimis legis, sive divinæ, sive canonicæ, recurrere debent ad suos Episcopos, ad summum Sacerdotem, ad Superiores, ad tribunalia. Admissa Terilliana doctrina, gentes quæque, dum controversiæ insurgunt super legum sensu, iudices sunt, & supremi domini. Nam leges controversæ non sunt leges. Ergo subditi exempti ab his legibus sunt, sibique quisque iudex erit supremus.

VIII. Audi, & perhorresce. Ut Christiani imposterum iugum plurimarum legum tum naturalium, tum divinarum, atque humanarum penitus excutiant, accipiant Summam Dianæ, Escobarii, Tamburini, Caramuelis. Colligant elenchum controversiarum in utramque partem probabiliter disputabilium. Post ex PP. Terillo, La-Croix, Casnedi, ceterisque Probabilistis hanc eruant conclusionem. Omnes opiniones quæ favent libertati, veræ sunt, & contrariæ falsæ. Eccur hoc? Quod leges controversæ, quæ iura libertatis coercent, leges non sunt. Si leges non sunt, ergo liberi homines sunt.

IX. Repetamus Terilli syllogismum. *Si legislator voluisset, id expressisset. Non expressit. Ergo noluit.* Ergo nullæ sunt leges, saltem humanæ omnes. Nemo legislator humanus prævidere, & exprimere casus omnes potest: & etiamsi posset, minime expediret, inquit S. Thomas, omnes exprimere. Ergo nullus legislator humanus condere aliquam legem valet. Alterutrum ergo præstare Terillus, Segneri, La-Croix, ceterique Probabilistæ debent: aut retractare debent, & penitus de medio auferre eiusmodi regulas *Lex dubia non est lex. Lex controversa non est lex: Legislator, si id voluisset, expressisset. Legislatores sibi tribuant, si sua imperia violari aliquando videant*: aut debent observatu impossibiles leges fateri. Aut revocare coguntur eiusmodi regulas, tamquam falsas, scandalique plenas; aut improbare tenentur omnia tribunalia & civilia, & theologica, seu sacra, quæ super legum controversiis sententias pronuntiant, & quotidiana iudicia ferunt. Si lex, quia in utramque disputatur partem, non est lex ob defectum sufficientis promulgationis, iam ego non astringor eamdem servare, quamvis certus sim de eiusdem existentia. Scio, conditam a Principe legem; sed simul scio, eam non esse promulgatam. Quis dixerit, eiusdem me esse observationi subiectum? Tandem, si Terilliana principia vera forent, libertini immunes forent a debito credendi existentiam Dei. Hi legentes innumeras pene opiniones de natura deorum, descriptas a M. Tullio, quas docti Pagani disputabant, cum Pro-

Probabilistis dicent: Lex controversa non est lex. Existentia deorum inter doctos Philosophos controversa est. Ergo nulla lex astringit ut Deum credamus.

X. Non me fugit, hæc & similia horrenda absurda, quæ deduci possunt, aliena esse a mente Terilli, aliorumque Probabilistarum. Sed videndum superest, num aliena sint ab eorum regulis. Terillum, La-Croix, Casnedi, Dianam, Caramuelem, aliosque Probabilistas, ut pios, probos, & doctos colimus, suspicimusque, sed illorum doctrinam in hac parte falsam asserimus, & absurdorum plenissimam, ut infra evidentius constabit.

CAPUT IV.

Distinctio legis æternæ antecedentis, & consequentis, seu directæ, & reflexæ, a P. Antonio Terillo in Deo excogitata, commentitia est, & absurdorum plenissima.

DEpendentia caussæ secundæ a prima, seu conformitas regulæ secundariæ cum primaria, ut operatio honesta sit, adeo evidens est & manifesta, ut nemo sana præditus mente veritatem adeo splendidam in dubium revocare audeat. Porro hoc solum principium funditus evertit Probabilismum. Ut eumdem huic ruinæ subduceret P. Antonius Terillus, præter alia principia ab illo excogitata, effinxit in Deo duas leges, quas vocat antecedentem, & consequentem. Hoc in capite illius doctrinam distinctis §§. confutabimus.

§. I.

Exponitur doctrina Terilli distinguentis in Deo legem antecedentem, & consequentem, seu primariam, & secundariam.

I. P. Antonius Terillus *de consc. prob. quæst.* 11. *num.* 11. *pag.* 160. exponit suam doctrinam de duplici lege antecedenti, & consequenti in Deo his verbis. „Omnis Dei voluntas, regulans moralitatem, vel est præcipiens, vel vetans, vel certe consulens, aut certe permittens electionem alicuius obiecti. Omnis autem voluntas Dei, seu lex æterna huiusmodi ad duas classes reducitur: quarum altera talis est *per se*, alia talis est *per accidens*. Do exemplum, & rem declaro. Illa Dei voluntas obligat *per se*, qua Deus directe, & ex *primaria intentione* exigit a nobis aliquod obsequium. Talis est voluntas qua Deus omnibus directe præcipit observationem Decalogi, & auditionem Sacri diebus festivis: qua per se directe, & ex primaria intentione Deus a creaturis suis „ po-

„ postulat hæc obsequia sibi præstari. Illa vero voluntas Dei obligat per acci„ dens qua Deus neque directe, neque ex primaria intentione, sed solum ex „ suppositione alicujus ignorantiæ, vel erroris in mente creaturæ, hic & nunc „ exigit obsequium ab illa . . . . *Hæc distinctio utpote summi momenti, omnino „ præ oculis est habenda.* “

II. Hinc duo colligit Terillus. Primum, dictamen nostræ conscientiæ verum esse, etiam dum homo operatur ex errore vincibili. Refugis credere? En verba Terilli de consc. quæst. XVII. num. 44. pag. 271. *Universaliter loquendo ultimum conscientiæ dictamen est verum, & evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili.* Alterum, quod voluntas nostra, ignorantia vincibili directa, conformis sit divinæ voluntati reflexæ. *Voluntas conformis dictamini conscientiæ etiam vincibiliter errantis conformatur cum aliqua Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente* &c. *loc. cit. num.* 45. *pag.* 272. Hanc Terilli doctrinam referens P. Ignatius de Camargo temperare sibi haud potuit quin in exclamationes erumperet sequentes. „ Itaque secundum *Terillum*, quo„ ties Judæus exempli gratia obcæcatissimus, & obstinatissimus firmiter apud se „ concludit per summam pertinaciam, & impietatem, Christum fuisse blasphe„ mum, ac seductorem, adeoque sibi merito execrandum, hoc ipsius dictamen „ est *absolute verum & evidens.* Et ex illius suppositione jam Deus ipsi consu„ lit, ac jubet *ut Christum detestetur, atque contemnat.* Et hæc doctrina, *Teril„ lo judice*, & rectissime quidem judicante, est non solum conducens, sed & pe„ nitus necessaria ad benignam sententiam sustinendam. *Admiranda sane Theolo„ gia, & Ecclesiæ catholicæ penitus necessaria. O Deus meus, & Magister meus! „ Hæc est doctrina illa quam nisi tu docuisses Ecclesiam tuam, illam per unum „ sæculum deseruisses. Ita jam docetur hodie, & auditur, & creditur ab in„ numeris. O tempora nostra infelicia!* “ Lib. I. contr. x. art. 1. §. 1. num. 8. pag. 128.

III. Luculentius doctrina Terilli exponitur. Opinio minus probabilis juxta ejusdem systema consentanea est legi divinæ reflexæ, seu indirectæ, *& per accidens.* Ergo, inquis, hæc opinio minus probabilis contraria erit legi æternæ primariæ, & per se. Falleris, respondet Terillus: quoniam, opinione minus probabili præsupposita, lex consequens revocat id quod lex antecedens præscripserat. Lex quippe antecedens præcipit honesta, vetatque mala dependenter a lege consequente, seu reflexa. Porro hæc lex reflexa in Deo consurgit, quoties in mente humana datur opinio minus probabilis, quæ ut licitum repræsentet quod sua natura vetitum est. Petrus vi opinionis minus probabilis reputat licitum mendacium: in hac hypothesi lex reflexa, seu indirecta, & consequens abrogat legem æternam antecedentem. En Terilli exemplum. Petrus invincibili errore præventus

rus existimat, se posse, immo debere, dimidiatam agere confessionem peccatorum: hoc in casu Petrus ne *materialiter* quidem violat aliquam legem. Verba Terilli transcribamus ex *tract. de consc. probab. quaest.* XXVIII. *num.* 13. *pag.* 557. *& seq.* „ Deus nullas in suis legibus ferendis praecisiones, aut confusiones admit-„ tit. Ponas Petrum ex errore invincibili existimare, se posse, aut etiam debe-„ re dimidiare confessionem suorum peccatorum: in hoc casu Petrus dimidians „ confessionem suam nulli legi aeternae contrariatur, nec *ullam vel materialiter* „ transgreditur. Nulla enim datur lex aeterna quae universim dicat: *Nulli un-„ quam liceat confessionem dimidiare*: quia Deus habet aliam legem aeternam „ dicentem: *Petro hic & nunc liceat suam confessionem dimidiare*. At hae le-„ ges sunt contradictoriae. Ergo, cum certum sit secundam existere, certum est „ primam non dari. Lex ergo aeterna, vetans omnibus dimidiare confessionem, „ non est universalis iuxta latissimam illarum vocum significationem; sed re-„ stringitur ad hunc sensum: *Nolo quemquam suam confessionem dimidiare, cui „ hanc meam voluntatem significavero* . . . Ex quo sequitur Petrum hic & nunc „ dimidiantem suam confessionem, nullam legem aeternam vel materialiter vio-„ lare. “ Haec est capitalis doctrina, cui Terillus superstruit machinam probabilisticam. Hanc doctrinam tum in *Tomo de regul. mor.* tum *de consc. prob.* altius memoriae consignandam lectoribus inculcat. *Revocandum*, inquit, *est in memoriam discrimen inter legem aeternam quae talis est per se, & quae talis est per accidens*. Discrimen quoque, subdit ille, semper prae oculis habeatur, quod lex aeterna absoluta, & antecedens, nullo habito ad humanam ignorantiam respectu, omnia dirigit, disponitque. Contra lex consequens per accidens se se accommodat humanae voluntati; & iuxta hypothesim errorum, & ignorantiarum nostrarum res disponit, decernitque. *Lex aeterna per accidens est, quae ex suppositione erroris, vel ignorantiae humanae de rebus ordinat. Utraque lex debuit in Deo existere, stante providentia ordinaria, qua homines nostri similes ad finem ultimum dirigit. Haec certa sunt, & fuse declarata quaest.* II. *num.* 11. *loc. cit. num.* 12. *pag.* 557. Hoc est aenigma, hoc est mysterium quod pauci penetrant, inquit Terillus. Ne tamen ignorantiam eiusdem allegare Antiprobabilistae queant, haec subdit. Opinio minus probabilis, directe spectata, opposita est legi aeternae absolutae, & antecedenti, sed haec eadem opinio sub principiis reflexis, & sub lege consequente probabilior evadit. Et haec maior probabilitas regula est honestatis nostrae. Haec sunt eiusdem verba *loc. cit. num.* 13. *&* 14. *pag.* 558. „ Itaque lex „ aeterna vetans dimidiare confessionem, non fertur nisi in has determinatas per-„ sonas, & non in illas. Similiter lex praecipiens aliis ut hanc Dei voluntatem „ alios doceant, est lex aeterna quae nullo modo afficit Petrum, & ab eo non „ violatur. Rursus prior illa lex non fertur ad Petrum, nec illum obligat. Er-

„ go

„ go Petrus nullam legem æternam ne materialiter quidem violat. His posi-
„ tis . . . quando sequimur lumen certo probabile, sequimur lumen quod ple-
„ rumque connectitur cum veritate, idque verum est, non obstante maiori pro-
„ babilitate partis oppositæ; ut fuse declaratum est loco citato. Præterea cer-
„ tum est omnem opinionem directe probabilem ita roborari per argumenta re-
„ flexa, benignæ sententiæ faventia, ut eius honestas, etsi directe minus pro-
„ babilis, omnibus consideratis, sit longe probabilior eiusdem inhonestate. *Ita-
„ que reipsa semper docemus honestatem tantum probabiliorem esse regulam actio-
„ nis bonæ. Adversarii autem, qui nondum INTELLEXERUNT HOC MYSTE-
„ RIUM, AEREM VERBERANT*, dum minorem probabilitatem obtrudunt,
„ quasi vero nos probabilitatem, nec directe, nec indirecte maiorem, require-
„ remus pro magis propinqua regula conscientiæ. Verum errant, cum expres-
„ se doceamus contrarium."

IV. Hæc mysteriosa, arcana, & portentosa doctrina P. Terilli, & communiter recentium Probabilistarum, horrorem incutiunt, & scandalum. Nolo ego meis verbis eiusdem referre deformem imaginem. Audi celebrem Iesuitam P. Ignatium de Camargo *Lib. I. contr. x. art. 1. §. 1. num. 7. pag.* 228. „ Legem hanc subsequentem „ ac reflexam, directæ atque primariæ relaxativam, non tantum statuit *Terillus* „ pro casu quo conscientia formata sit ex opinione aliqua reipsa falsa, attamen ve- „ re, licet minus probabili in sensu benignæ sententiæ, sed etiam (*quod horrendum* „ *dictu est, in quo nemo, quem sciam ego, ausus est Terillo subscribere*) universali- „ ter ac sine restrictione pro omni eventu, quo conscientia formetur ex errore quo- „ cumque, etiam vincibili, atque culpabili." Quin, ut vividius Terillianæ doctrinæ horridum aspectum oculis obiiciat, Deum sic fantem introducit. Nolim, inquit Deus, hominem in suis operationibus investigare diligenter, quæ sit mea directa, & absoluta voluntas, qua præcipio bona, vetoque mala. neque illum adlaborare ut opera sua ad meam hanc æternam, absolutamque voluntatem, seu legem conformet. Quis non perhorrescit hæc inaudiens? In hypothesi vero legis reflexæ Terillianæ, & per accidens, hæc fatur Deus. Decerno, hominem ea omnia licite agere posse quæ probabilius, seu verisimilius deprehendit esse contraria meæ æternæ legi absolutæ, & antecedenti. Hæc est ipsissima Terilli doctrina, aliis verbis proposita.

V. Quid, inquis, Terillum, & eiusdem asseclas movit, ut tam immane commentum in medium afferret? Necessitas propugnandi Probabilismi. Probabilismus enim directus cum evidenter cognoscatur repugnans æternæ Dei voluntati (est enim magis falsitati quam veritati affinis, ut ex terminis constat) necessum erat ad hanc occultandam nimis apertam falsitatem, chimæram illam legis per accidens & indirectæ Deo affingere. Invenienda quippe erat lex suprema, cui subiiceretur ho-

honestas operationum. Vim huius luculentissimi principii plene comprehendit Terillus. Lex absoluta diris devovet opinionem minus verosimilem, minus probabilem. Ergo aut concedendum operationem creaturæ honestam esse absque subiectione, & conformitate ad primam, supremam, æternamque Dei legem (hoc primum repugnat primo religionis naturalis, nedum divinæ principio) aut excogitanda in Deo erat lex ista per accidens, & consequens.

VI. Bene habet, inquis. At quodnam est illius invectæ legis fundamentum? Iam reposui, nullum præter solam necessitatem a ruina servandi Probabilismi. Nullam ne Terillus rationem sui systematis promit? Nullum tantæ inventionis fundamentum? Nullum omnino. Tota ratio invectæ legis *per accidens* est voluntas, & cerebrum P. Terilli. Ex hoc solo capite illius doctrina improbanda est *ob novitatis* notam, quæ tum in fidei articulis, tum in morum præceptis, semper est suspecta: inquit enim Paulus Apostolus Hebr. XIII. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*. Probabilismo optime quadrat dictum Oseæ cap. XIII. *Factura artificum totum est*. Doctrina probabilistica tota humana est, improbata Matth. XV. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Siquidem Probabilistæ primum suum systema, veluti humanæ imbecillitati commodum, post rationes quibus eumdem sustinerent, excogitarunt, iuxta epiphonema Bernardi: *Quidam prius iudicant, & postea probant*.

VII. Ex hoc stupendo P. Terilli commento perspicue *Probabilismi* falsitas omnibus comperta esse debet. „ Quid enim (inquit laudatus Camargo) illa opinione „ falsius quam ipsius iurati, & longe studiosissimi patroni, post improbum stu„ dium, post longam, ac diuturnam inquisitionem, post nihil non tentatum, & „ inventum, ut eam pugnacissime tueantur, & inexpugnabilem faciant, exierunt „ tandem mundo, suisque adversariis obiiciunt, non ullis aliis vallatam argumen„ tis, non aliis connexam principiis, quam novioribus, infirmioribus, minus re„ ceptis, minusque probatis, ac posterioribus opinione ipsa, atque adeo non illam „ inferentibus, sed magis ex eadem resultantibus? Quid iam potuit magis exau„ ctorare, minusque probabilem reddere quam hic suorum patronorum conatus ad„ eo contentiosus, & irritus? Plane modernis Probabilistis id ipsum contigisse „ videtur quod solet perhiberi de simia, quæ fetum ipsa tenellum suum præ ni„ mio quo deperit amore strictius amplexando præfocat. Prodat Terillus nobis, „ aut recentior alius pro ipso, vel unum saltem antiquum, aut modernum, cla„ ri, aut obscuri nominis Theologum, qui memoratam legem existentem in Deo „ non dico expresserit, vel affirmaverit, sed vel leviter quidem aliquando memi„ nerit. Porro Terillus ipse nullum omnino protulit: in quo laudanda quidem „ hominis ingenuitas, sed animositas, ut levissime dixero, supra modum plane „ miranda. Ecquis enim non merito formidaret in re tanti momenti, tantoque

„ per-

„ periculo plena, primus ac sine duce, viam ingredi novam, & quæ nullius antea fuisset temerata vestigio?" *loc. cit. §. 2. num. 11. pag 229.* Nulla hic exaggerationis suspicio: testimonium enim fraternum est, & quidem gravissimum. Verum, omnibus deficientibus testibus, doctrina Terilli seipsa loquitur, seipsa suam promit deformitatem; ut indicatum supra est.

§. II.

Invictis rationum momentis commentitia evincitur lex æterna reflexa, quam pro ingenio effinxit in Deo P. Terillus. Immania absurda quæ Terillianam doctrinam consequuntur.

I. Petrus invincibiliter credit, sibi esse mentiendum, peierandum, quo periclitanti proximo succurrat. Deus, Terillo iudice, hac in hypothesi consulit, præcipitque, lege æterna indirecta *per accidens*, mendacium, periurium, quin hocce in casu lex æterna antecedens non vetat mendacium, nec periurium. Honestum ergo periurium, sanctum mendacium: quoniam non vetitum, sed præceptum in data hypothesi. Hæc ipsa doctrina Terilli, & hoc est primum eiusdem portentum, inquit Camargo. Lex quippe æterna Dei absoluta, & antecedens prohibet adulterium, mendacium, periurium in omni eventu, nedum absolute. P. Terillus ipse, apertissime sibi contradicens, fatetur hominem legis naturalis violatorem, licet invincibiliter errantem, peccare *materialiter* adversus eamdem legem: sic enim scribit II. Part. de reg. mor. quæst. xliii. num. 40. pag. 52. *Iam ergo evidens est, hominem invincibiliter errantem circa legem naturæ peccare materialiter: quia ponit rem quæ vere prohibita est, etsi lex illa non sit sufficienter promulgata omnibus*. Plura alia similia ibidem habet. Suum ergo systema ipse Terillus destruit. Si enim homo invincibiler mentiens *materialiter* transgreditur legem æternam Dei absolutam, evidens est legem consequentem, & reflexam, cui conformatur mendacium, non abrogare legem antecedentem; ut affirmat, tamquam primum reflexi Probabilismi principium, Terillus ipse, cuius §. antecedenti verba retulimus.

II. Verum missis, quibus se conficit, antilogiis Terillus, illius doctrina adversatur Scripturæ divinæ, & omnium Patrum, ac Theologorum Antiprobabilistarum consensui. Ne textuum multitudine lectorem opprimam, unicum D. Augustini testimonium rescribam, ut evincam, Terillum docere quod iniustitia sit iustitia, iniquitas æquitas, malitia honestas, licita & iusta peccata. Hæc sunt Augustini verba Lib. contr. mendacium cap. xvi. *Nihil aliud iudicandus est dicere qui dicit*

aliqua iusta esse mendacia, nisi aliqua iusta esse peccata; ac per hoc aliqua iusta esse quæ iniusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? Unde enim est peccatum, nisi quia contrarium iustitiæ est? Ea vero quæ contra legem Dei sunt, iusta esse non possunt. Dictum est autem Deo: Lex tua veritas: *ac per hoc quod est contra veritatem, iustum esse non potest. Quis autem dubitet, contra veritatem esse omne mendacium? Nullum igitur iustum potest esse mendacium.*

III. Reponunt Probabilistæ, Terilli asseclæ, æternam Dei legem absolute vetare mendacia, periuria, adulteria, hypothesi excepta, in qua homines invincibiliter reputant licita mendacia, periuria &c. Eadem ergo ratione dicemus, periuria, mendacia vetita esse, quando sunt societati infesta; secus cum sint secreto tegendo, malo vitando, bono assequendo peridonea. In his positionibus licita, immo a Deo præcepta erunt. *O stupendam Probabilistarum Theologiam!* Huc tandem devenit probabilistica Theologia, ut honestum, ut sanctum efficeret peccatum, Deoque placens. *Certum est* (inquit Terillus quæst. XXVIII. de consc. num. 12. pag. 557.) *actum conformem legi æternæ existenti per accidens esse honestum, Deo placere, quamvis obiectum quod ponit, non conformetur legi æternæ, quæ per se disponit de rebus.* Conceptis itaque verbis asserit Terillus, periurium, facta positione ignorantiæ invincibilis, esse honestum, Deoque gratum. Doctrina suapte natura monstrosa paucis refellenda est. Principium Terilli illud est. *Hæ leges* (per se, & per accidens) *sunt contradictoriæ: ergo cum certum sit secundam existere, certum est primam non dari.* Resumo ego. Certum est universæ Ecclesiæ consensu, legem æternam Dei naturalem primariam immutabilem esse, atque adeo continenter existere. Ergo chimæra manifesta est lex æterna indirecta, & per accidens, excogitata a Terillo.

IV. Absurda quæ præfatam Terilli doctrinam consequuntur, tam sunt manifesta, quam doctrina ipsa est portentosa. Hac enim admissa, ut iam innui, nulla lex, sive naturalis, sive divina, immutabilis est, sed tot sunt leges naturales, & æternæ divinæ, quot sunt hominum opiniones: quælibet enim probabilis opinio, quæ honesta iudicat mendacia, pollutiones, periuria, naturæ lege vetita, efficit, iuxta Probabilistas Reflexistas, ut lex indirecta, & consequens, seu per accidens in Deo existat, quæ recensita opera præcipiat. Hypothesi admissa erroris invincibilis, præfata peccata non prohibentur lege æterna primaria: quoniam lex ista vetat tantum mala absolute secundum Probabilistas, secus in circumstantiis ignorantiæ invincibilis. Eadem ergo actio suapte natura mala, respectu Petri est bona etiam *materialiter*. quia, posita ignorantia invincibili, nulla lex eam vetat; respectu vero Pauli mala est etiam *materialiter*. Hoc anno est bona, altero anno mala. Petrus mane opinione probabili reputat usuram esse iniustam, sero autem iudicat esse iustam. Ne multa: lex æterna tot subit imagines varias, & opposi-

tas,

tas, quot sunt hominum varia, & opposita probabilia interpretamenta. Hæc non tam sunt absurda doctrinam Terilli consequentia, quam ipsa Terilli doctrina.

V. Adversus hæc omnia opportuna sunt quæ scribit Tertullianus *Lib. de spect. cap.* XX. XXI. & XXII. „ Erramus: numquam non excusatur quod Deus damnat. „ Nusquam, & numquam licet quod semper, & usquam non licet. Hæc est „ veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timo- „ ris, & fidei obsequii, non mutare sententiam, nec variare judicium. Non pot- „ est aliud esse quod vere quidem est bonum, seu malum. Omnia autem penes „ veritatem Dei fixa sunt. Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia „ nec doctor veritatis Deus, malum, ac bonum pro arbitrio ac libidine interpre- „ tantur. Alibi bonum quod alibi malum, & alibi malum quod alibi bonum...? „ Quid mirum de inæquata ista hominum miscentium, & commutantium statum „ boni, & mali per inconstantiam sensus, & judicii varietatem? " Vix poterat Tertullianus vividius referre Terillianæ doctrinæ imaginem.

VI. Aliud absurdum quod præfatam consequitur doctrinam, est, quod, ea admissa, nullæ opiniones falsæ occurrant, errores nulli. Quoniam, ut opinio obligationem legis negans, falsa sit, existat lex ipsa oportet. Atqui dum opinio probabilis negat obligationem legis, lex ejusmodi non existit secundum Probabilistas Reflexistas: lex quippe per accidens, cui conformatur opinio probabilis, repræsentans ut licitum mendacium, abrogat legem primariam mendacium prohibentem. Ergo opinio probabilis negans malitiam mendacii, non falsa, sed vera est: quandoquidem in data hypothesi, nulla occurrit lex quæ vetet mendacium; & contra existit lex per accidens, illud præcipiens. Ejusmodi enim leges *contradictorie opponuntur*, inquit Terillus.

§. III.

Legis naturalis perspicua notio. Aliud monstrosum absurdum ex doctrina P. Terilli; videlicet, leges naturales, & divinas non esse leges, nisi dependenter ab hominum opinionibus.

I. Lex naturalis est ipsa æterna Dei voluntas, ut dictum est. Hæc naturalis lex considerari potest & *active* ex parte Dei, & *passive* ex parte hominis. Lex naturalis relative ad hominem duplicem prodit respectum: alterum *objectivum*, situm in rerum ordine cum recta ratione, alterum *formalem*, seu *subjectivum*, qui est lumen illud quo humana mens contemplatur ordinem *objectivum* in rebus cognitis splendentem. Lex naturalis relate ad Deum dupliciter quoque spectari va-

 let,

ler, & ut *obiectiva*, quæ est ipsa Dei essentia, idea exemplaris, fonsque primordialis cuiusque ordinis, omnisque perfectionis, sive physicæ, sive moralis: considerari itidem potest *ut formalis*, quatenus Deus in sua infinita natura contemplans omnes ordines, relationes, & respectus necessarios in eadem contentos, sua voluntate producit omnia iuxta præfatos ordines, & respectus. Quamobrem lex naturalis *active* accepta, est ipsa æterna voluntas, quæ producens omnia secundum divinæ suæ essentiæ exemplar, leges indicit, & promulgat. Et quoniam eiusmodi ordines, respectusque cum divina essentia sunt immutabiles, invariabiles, sicuti immutabilis & invariabilis est natura divina, ideo licet possit Deus pro sua infinita libertate condere, aut non condere res extra se, promulgare, aut non promulgare leges, tamen in hypothesi qua velit res producere, fieri nequit quominus illas cum hoc ordine, & respectu ad divinam essentiam producat. Lex ergo æterna est prima regula. Lumen vero signatum super vultum animarum nostrarum, est secunda regula, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. xci. art. 2. *Lex cum sit regula, & mensura, dupliciter potest esse in aliquo: uno modo sicut in regulante, & mensurante, alio modo sicut in regulato, & mensurato: quia inquantum participat aliquid de regula, vel mensura, sic regulatur, & mensuratur. Unde cum omnia quæ divinæ providentiæ subduntur, a lege æterna regulentur, & mensurentur, manifestum est quod omnia participant aliqualiter legem æternam, in quantum scilicet ex impressione eius habent inclinationes in proprios actus, & fines* &c. Lege ibidem plura, quæ brevitatis gratia missa facio.

II. Lex ergo naturalis æterna est, & immutabilis, quamvis mutationi obnoxiæ sint creatæ res, quibus inest. Cognitio nostra actualis, regula secundaria improprie appellatur: quia applicatio dumtaxat est legis, seu lectio legis, quin ullam eidem vim conferat. Hæc doctrina quæ penes omnes certa est, in sententia Terilli evadit falsa. Siquidem lex æterna primaria, directa, & absoluta nulla vi prædita est antecedenter ad actualem opinionem probabilem. Si homo iudicet probabiliter mendacium esse licitum, non est a divina lege æterna primaria vetitum, immo approbatum est, & præceptum a lege reflexa, & per accidens. Prohibitum vero mendacium est, si probabiliter iudicatur malum. Ergo leges naturales, æque ac opiniones humanæ, mutabiles sunt & variabiles. Immo leges naturales iuxta Probabilistas Terilli asseclas non aliud sunt nisi humanæ mentis figmenta.

III. Monstra monstrum, & absurda absurdum pariunt, sicuti abyssus abyssum invocat. Admissa doctrina Terilli, nulla datur in Deo lex: quod sic evinco. Duplex legis finis, inquit S. Thomas. Alter dirigit operationes nostras, quarum vel malitiam, vel honestatem patefacit, iuxta illud Salomonis Prov. vi. *Mandatum tuum lucerna est, & lex lux*: & Regius Propheta subdit: *Præceptum Domini lucidum*

cidum illuminans oculos : Lucerna pedibus meis verbum tuum , & lumen semitis meis. Alter finis est obligatio exequendi id quod illa præcipit, ait S. Thomas. *Lex est regula quædam, & mensura humanorum actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur : quia per eam obligantur subditi ad ejus observantiam*. 1. 2. quæst. xc. art. 1. Hæc omnia negent oportet Probabilistæ Reflexistæ : nam juxta Terillum, ejusque asseclas voluntas æterna Dei indirecta nihil rectitudinis habet antecedenter ad notitiam, vel ignorantiam humanam ; quin hæc illam præcedit, ut jam supra vidimus verbis Terilli adductis. Porro nulla est illa lex quæ antecedenter ad humanam cognitionem nihil præcipit, aut prohibet. Quid ? Si amussis recta seipsa non sit, antequam applicetur ad murum, ad tabulam, fieri ne potest ut sit regula juxta quam artificium dirigi debeat ? Sed quid ultra progredior ? Vincit enim officium linguæ, inquit Camargo *Lib. I. contr. x. art. 4. §. 5. num.* 104. omnemque superat facultatem dicendi plena tot absurdorum descriptio. Ad alia igitur pergamus.

§ IV.

Juxta doctrinam Terilli, & Probabilistarum nulla rebus inest bonitas, aut malitia objectiva. Bonum, & malum in sola hominum opinione sita juxta ipsos.

I. Dogma catholicum, immo & philosophicum est, res esse seipsis honestas, vel turpes, ante quamcumque hominum cognitionem. Omnia quippe a supremo artifice producta sunt juxta ordinem, & conformitatem ad suam divinam essentiam, rectamque rationem. Soli libertini, qui *spiritus fortes*, seu feroces nuncupantur, cum nullum recognoscant supremum numen, consequenter ordinem quemquam de medio tollunt. Verum hi stulti manifesti sunt. Si enim de rebus ordinem auferunt, ordinem quoque rationis, seu mentis auferant necessum est. Atqui, sublato rationis ordine, ratio est sine ordine. Porro ratio sine ordine stultitia aperta est. Cur enim homines stulti sunt ? Non alia ratione, nisi quod ratio perturbata, & mens sine ordine est. Missis ergo stultis istis, lubet transcribere quæ docet Cicero *Lib. I. de legibus*. „ Communis intelligentia nobis notas res efficit, eaque in animis nostris „ inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in opi„ nione existimare, non in natura posita, vere *dementis* est. Nam nec arboris, nec „ equi virtus, quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est, sed in „ natura. Quod si ita est, honesta quoque, & turpia natura dijudicanda sunt. Nam „ si opinione universa virtus, eadem ejus etiam partes probarentur. Quis igitur pru„ dentem, &, ut dicam, catum, non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa ju„ dicet ? Est enim virtus perfecta ratio; quod certe in natura est. Igitur omnis ho-

„ nestas eodem modo. Nam ut vera, & falsa, ut consequentia, & contraria, sua
„ sponte, non aliena judicantur, sic constans, & perpetua ratio vitæ, quæ est vir-
„ tus, itemque inconstantia, quod est vitium, sua natura probatur. Nos ingenia ju-
„ venum, non item ad ingenium: natura virtutes, & vitia quæ existunt, ab inge-
„ niis judicabuntur? An ea non aliter? Honesta, & turpia non ad naturam refer-
„ ri necesse erit? Quod laudabile bonum est, in se habeat quod laudetur necesse est.
„ *Ipsum enim bonum non est in opinionibus, sed in natura. Nam ni ita esset, beati*
„ *quoque opinione essent. Quo quid dici potest stultius?* Quare cum bonum, & ma-
„ lum natura judicetur, & ea sint principia naturæ; certe honesta quoque, &
„ turpia simili ratione diiudicanda, & ad naturam referenda sunt."

II. Postquam M. Tullius bonitatem, & turpitudinem rerum naturis insitam descripsit, continuo ob oculos refert opinionum diversitatem, quæ ordinem illum a supremo artifice omnibus creaturis suis impressum perturbat, obscuratque. Sic pergit Cicero. *Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumque dissensio: & quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus .... Sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. Animis nostris tenduntur insidiæ, vel ab iis quos modo enumeravi, qui teneros, & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt: vel ab ea quæ penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium. cujus blanditiis corrupti, quæ natura sua bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis ... Omnes viri boni ipsam æquitatem, & jus ipsum amant: nec est viri boni errare, & diligere, quod* PER SE *non diligendum.* PER SE *igitur jus est expetendum, & colendum. Quod si jus, etiam justitia sic in ea reliquæ quoque virtutes* PER SE *colendæ sunt.* loc. cit. Poterat ne Cicero clarius improbare futilem hanc distinctionem, huic materiæ applicatam?

III. Verum paucis ostendamus, bonitatem, & malitiam moralem mera esse figmenta humanæ mentis, admissa Terilli, & sequacium doctrina. Secundum Terillum, & ejus Probabilistas, quoties mens humana probabiliter, immo juxta Terillum errore vincibili, judicat honestum quod reapse turpe est, res ista nec materialem quidem malitiam continet, quod nulla lege vetita sit; immo lege *per accidens*, & *reflexa* approbata. Lex æterna reflexa pugnat cum lege æterna primaria. Sunt enim hæ duæ leges contradictoriæ, & altera alteram destruit, ut ex Terillo vidimus. Ex alia parte lex reflexa, seu per accidens existit vel non existit in Deo, secundum quod homines probabiliter judicant actiones esse aut non esse turpes, esse aut non esse honestas.

IV. Quod si Probabilistæ, P. Terillo relicto, concedant extare in Deo legem æternam primariam, & per se, tum recurrit ineluctabile nostrum argumentum, videlicet, opinionem minus probabilem magis esse contrariam quam conformem legi

gi

gi æternæ directæ & primariæ. Eo ipso enim quod est minus probabilis, est magis contraria quam conformis. Ergo iuxta Probabilistas nulla datur mensura fixa, certa, immobilis actionum humanarum, quæ opinione minus probabili dirigantur. Ex alia parte nulla opinio, nulla actio creata sui ipsius regula esse potest prima, & independens. Omnis quippe creatura pendet a prima caussa tum quantum ad esse, tum quantum ad operis rectitudinem. Actiones humanæ, subiectæ opinionibus minus probabilibus, præcedunt legem æternam reflexam, ut mox probabo; legi æternæ directæ, & primariæ oppositæ sunt. Ergo nulla extrinseca superiori regula reguntur. Ergo sunt illæ suarum ipsarum regulæ, & mensuræ. Hæc meditans perdoctus Camargo contr.x. art.5. §2. pag.259. exclamat: *Bone Deus, quo ventum est per nimium libertatis amorem! Et cum hæc sit Theologia recentiorum, nihil tamen ipsi frequentius quam apud vulgus nos accusare, eo quod ultra modum deferamus proprio iudicio. Hanc calumniam non decet diutius expresse refellere.*

§. V.

Maximum absurdorum opinionem probabilisticam consequens est, quod lex æterna reflexa, seu per accidens, sit subiecta hominum opinionibus; istæ vero sint prima regula. P. Palancus *novam scientiam mediam luget invectam in Probabilismi defensionem.*

I. OMnibus absurdis quæ consequi Terilli doctrinam dixi, illud monstrosius apparet, quod opinio humana sit prima & independens regula. Quod sic ostendo. Opinio minus probabilis directa iudicat obiectum quod proponit amplectendum, minus esse conforme legi æternæ primariæ. Hanc propositionem docet Terillus. *Certum est actum conformem legi æternæ existenti per accidens esse honestum, Deoque placere; quamvis obiectum quod ponit,* NON CONFORMETUR LEGI AETERNAE, QUAE PER SE DISPONIT DE REBUS. Integrum textum supra dedimus. Hæc prima propositio primum principium est penes Probabilistas Reflexistas. Secunda. Hæc opinio minus probabilis, quæ est regula obiectiva operationis humanæ, præcedit legem æternam reflexam, seu *per accidens*, in Deo existentem, eamque determinat. Hæc secunda propositio est ipsa Probabilistarum doctrina. Ergo opinio humana est prima & unica regula operationum. Fusius rem hanc pertractarunt PP. Palancus, & Camargo. Lubet pauca exscribere ex Camargo *Lib.I contr.x. art.5. §.2. num.139.* „ Quid hic dicitis, recentiores? Nonne „ lex vestra reflexa nihil prorsus determinat, aut disponit de rebus, nisi ex sup„ positione erroris invincibilis (aut vincibilis iuxta Terillum) vel opinionis vestræ,

„ æque, aut minus probabilis? Nonne ideo reflexa, consequens, secundaria, & „ lex tantum *per accidens* existens perpetuo appellatur a vobis? Nonne alioqui „ prorsus frustranea, & nullius utilitatis ad scopum vestrum existeret? *An non* „ *hæc vestra propria, & solemnissima doctrina est?* Alioquin quid dicitis? quid in- „ tenditis? Ita igitur maneat immobile, legem vestram reflexam nullo modo an- „ tecedere, sed potius subsequi regulam illam vestram directam. Nunc vero, si „ vobis placet, attendite discursum Solis luce clariorem. Hominum opiniones, de „ quibus hactenus, posita lege vestra reflexa, (utcumque illam explicare libuerit) „ sunt regula moralis operationis, quæ legi antecedenti, atque directæ Dei non „ conformantur, tamquam regulæ primæ moralis honestatis, & legis reflexæ Dei; „ cum hæc non antecedat, sed subsequatur potius tales opiniones directas. Hæ „ igitur sunt regula honestatis penitus absoluta, & independens ab omni lege. "

II. Accedit, opiniones probabilisticas, non modo humanæ, verum etiam divinæ, æternæque voluntatis in data hypothesi regulam esse. Quoniam æterna voluntas indirecta consequens nequit non approbare opinionem æque, aut minus probabilem. Ergo voluntas hæc indirecta Dei subjicitur opinioni humanæ minus probabili. Ergo hæc opinio regula est divinæ voluntatis

III. Aliis terminis argumentatio hæc proponitur. Illa non est prima & absoluta humanarum actionum regula quæ ab altera pendet, eique subjicitur. Voluntas divina consequens, seu indirecta dirigit operationes humanas dependenter ab opinione minus probabili. Ergo non voluntas divina, sed opinio humana est prima regula. Secunda propositio est ipsa adversariorum doctrina, ut vidimus, eaque ulterius exponi valet. Illa prima & suprema regula est moralis honestatis in quam omnis humanarum actionum honestas moralis revocatur ceu in primam mensuram: quia (inquit S. Thomas I. Sent. dist. xix. quæst. 1. art. 1. ad 4.) *sicut omnis motus reducitur ad movens quod non est motum neque a se, neque ab alio; ita omnis mensuratio reducitur ad unum primum, quod nullo modo est mensuratum; & hoc est Deus*. Iuxta Probabilistas voluntas æterna Dei primaria & antecedens non est, nec potest esse prima & suprema regula: quoniam hæc in data hypothesi aut non existit in Deo; aut si existat, opinio minus probabilis eidem contraria est, etiam materialiter, ut vidimus. Voluntas per accidens, seu consequens, & reflexa posterior est opinione minus probabili; ut etiam palam fecimus. Huic legi, seu voluntati indirectæ, & per accidens conformatur utique secundum Probabilistas operatio honesta moralis, sed non ut primæ supremæque regulæ. Quandoquidem cur actio honesta est? Quia conformatur, reponit Probabilista, ad voluntatem Dei indirectam. Bene habet. At cur hæc voluntas indirecta, & per accidens opposita voluntati directæ, & primariæ in Deo existit? Cur Deus *reflexe* approbat operationem? Quia, respondet Probabilista, (nec aliter respondere valet) homo-

pro-

probabiliter iudicat hanc actionem honestam esse. Quoniam vi hypothesis huius opinionis minus probabilis Deus voluntate indirecta, seu consequenti adprobat operationem illam quam absolute voluntate antecedenti, & per se vetabat ut malam. Ergo evidens est opinionem minus probabilem *directam*, de qua nunc loquimur, præcedere voluntatem consequentem divinam. Ergo evidens est iuxta Probabilistas, iudicia humana, seu opiniones æque, aut minus probabiles esse primam supremamque regulam moralis honestatis.

IV. Evidentius expono totum *mysterium* probabilisticum, quod nos ignorare Terillus scribit. Operatio moralis, directa opinione minus probabili, licet conformis non sit legi æternæ primariæ, est tamen conformis legi æternæ consequenti reflexæ. Opinio minus probabilis directa præcedit utique voluntatem Dei reflexam. Sed hæc opinio minus probabilis directa non est regula (nunc attingimus profunditatem mysterii probabilistici) proxima, & formaliter dirigens operationem, sed tantum obiectiva, & remota. Hæc regula obiectiva, & remota efficit ut in Deo oriatur voluntas consequens, & reflexa. Intellectus, hanc legem æternam indirectam consequentem secum reputans, & commeditans, format dictamen practicum, quo definit honestam esse actionem. Hoc practicum dictamen est proxima regula operationis honestæ. Hoc dictamen, hæc operatio posteriora sunt lege æterna reflexa, & consequente. Ergo voluntas Dei æterna indirecta, & reflexa est prima regula, cui subiicitur, & conformatur operatio honesta, & ipsum practicum dictamen, quod est regula proxima formalis eiusdem operationis. Provoco omnes Probabilistas, ut sub meliori aspectu, si valent, referant hanc ipsorum doctrinam.

V. Quamvis sub meliori quo fieri aspectu valet, expositum sit *mysterium* probabilisticum, non propterea tamen minus monstrosum est, si etiam ex hac parte, fuco posito, deformitas eiusdem manifestetur. Practicum ergo dictamen, & operatio honesta sint subiecta & conformia æternæ legi reflexæ consequenti. Hæc omnia ultro concedimus. Quid inde? Ideone minus monstrosum est mysterium probabilisticum? Minime gentium. In data hypothesi voluntas, seu lex æterna reflexa non præcedit dictamen practicum, & operationem, ut *prima regula*: quod evidenter ostendo. Nullum primum supremumque præsupponit aliud primum, alioquin non esset primum, & daretur processus in infinitum. Sed hæc voluntas æterna reflexa, & consequens *præsupponit opinionem minus probabilem directam*. Ergo hæc voluntas divina consequens non præcedit practicum dictamen in ratione primæ & supremæ regulæ. Non mysterium istud est, sed evidens demonstratio. Notio essentialis cuiusque *primi* est, ut non præsupponat aliud *primum* eo in genere in quo est primum. In genere moris, vobis Probabilistis aperta voce fatentibus, æterna Dei voluntas reflexa consequens præsupponit opinionem minus probabilem *directam*. Ergo in genere moris voluntas Dei indirecta reflexa non est prima & su-

premæ

prema regula. Prima propositio ineluctabilis est: altera est ipsissima doctrina vestra. consequentia est necessaria. Demonstrationem exemplo perspicuam efficio. Rex institutus a Republica potestatem condendæ legis accipit hoc pacto, quod lex nullam vim habeat, priusquam recognita, approbataque sit a Senatu Reipublicæ, penes quem suprema potestas residet. Postquam Senatus interpretatus legem est, eamque authentice adprobavit, Rex tenetur eam servandam subditis indicere; quamvis propriæ intentioni, & voluntati contrariam videat. Hoc posito regimine, nonne Senatus iudicium suprema regula est, quæ subditos dirigit independenter a voluntate antecedenti, qua Rex legem condit? Siquidem hæc lex a Rege condita subiecta est declarationi, & adprobationi Senatus. Et Rex tenetur curare ut observetur iuxta interpretationem, & declarationem Senatus. Prima ergo voluntas antecedens, qua Rex legem condit, non est proxima subditorum regula. Voluntas ergo consequens Senatus declarationem, est proxima subditorum regula. Hæc voluntas consequens præcedit utique subditorum actiones. Sed quis dixerit, hanc voluntatem consequentem esse primam supremamque subditorum regulam? Nonne hæc voluntas Regis, quæ proxima dicitur subditorum regula, dependet a Senatu? Senatus ergo iudicium est prima & suprema huius regiminis regula. Deus æterna lege mendacia, & periuria vetat, sed hac adiecta conditione iuxta Probabilistas, quod lex ista recognita, & approbata sit hominum iudicio; ita ut si homines ignorantia invincibili, & iuxta Terillum ignorantia vincibili, licita mendacia, & periuria iudicent, Deus hac in hypothesi abroget suam legem antecedentem directam, aliamque legem indirectam, & consequentem formet. Ergo opinio minus probabilis *directa*, quæ licita mendacia, periuria, furta &c. iudicat, antecedit voluntatem consequentem reflexam Dei in genere moris. Ergo luce meridiana clarius est opinionem minus probabilem directam antecedere Dei voluntatem consequentem reflexam. Hæc quippe voluntas consequens in Deo consurgit solum præcedente hypothesi opinionis minus probabilis directæ, ut docent Probabilistæ. Ergo licet hæc voluntas divina indirecta præcedat ultimum dictamen practicum, honestamque operationem, posterior tamen est opinione probabili directa. Ergo hæc opinio probabilis in genere moris prima est supremaque regula; voluntas vero Dei per accidens, posterior est hac opinione probabili.

VI. Quæ hactenus dicta sunt, fusius exponunt duo celeberrimi Theologi Palancus, & Camargo, quorum pauca verba transcribo. Camargo *Lib. I. contr. x. num.* 171. *pag.* 266. hæc habet. „Novimus omnes, ac tenemus, ad hoc legem reflexam „ a Probabilistis induci, ut ultimum conscientiæ dictamen, & operatio ex illo pro„ cedens conformetur cum aliqua voluntate divina, velut cum prima regula ho„ nestatis. Verum quid inde? Novimus pariter, & plusquam evidenter demonstra-

„ vimus,

„ vimus, novum hoc conatum ipsorum adeo esse irritum, & infelicem, ut postquam communissima, indubitataque evertit Theologiæ principia, nihil minus obtineat quam quod intendit, immo vero obtineat oppositum. Nempe intendunt subiicere operationes hominum, eorumque iudicia voluntati divinæ, & ad hoc novam fingunt in Deo voluntatem, seu legem, quam reflexam appellant. Fit vero ex hac fictione (præter alia infinita absurda quæ producit) non ut iudicia hominum divinæ voluntati subiciantur, sed ut voluntas ipsa divina subiecta maneat hominum iudiciis. Quid igitur queruntur, quod non capiantur? Immo capere nolunt quod nimis aperte capiuntur. " Resolvant ipsi absurda, evincant, monstra horrenda quæ consequi illorum prodigiosam doctrinam diximus, non esse legitime deducta: & tum fabulentur nos illorum ignorare arcana.

VII. Sapiens, & pietate celebris P. Palancus, *Minimus* professione, argute non minus quam sapienter animadvertit, novam excogitatam esse *mediam scientiam* in Probabilissimi defensionem. Hæc, inquit, nova scientia media primatum legislatoris Deo surripit, & Probabilismum primam supremamque regulam honestatis moralis constituit. Consuetum difficultatis spectrum sibi obiicit *de consc. quæst.* XXVIII. *art.* 3. *§.* 2. *num.* 145 *pag.* 292. „ Nisi lex divina sic accommodetur, & temperetur, væ nobis: peribit omnis libertas opinandi: standum semper erit in iudicio de moribus pro lege, numquam pro libertate. iugum divinæ legis ferreum erit, & importabile, nos in miseram captivitatem redigens, a nobisque libertatem filiorum adimens &c. " Invictis rationum momentis demonstrat Palancus, hanc legem reflexam Dei libertatem penitus evertere, naturæ ordinem perturbare, omnemque honestatis regulam auferre. Thomistas invitat, excitat, provocat, ut arma stringant in hoc novitium systema. In memoriam iisdem revocat studium, feliceslque conatus, quibus Dei primatum in caussis secundis præmovendis defensarunt; ut pari constantia propugnent Dei primatum in dirigendis morum operibus. Hæc sunt sapientis Palanci verba. *Sed hæc solutio, licet ad mentem Reflexistarum genuina, ipsaque doctrina eorum qui ad talem legem reflexam effugium fecerunt, falsa tamen est, & contra D. Thomam, omnesque eius discipulos. Quos omnes enixe deprecor, advertant per Probabilismum, & potissimum per hanc legem reflexam, novam scientiam mediam, novumque usum illius in scholis introduci paullatim, vel, quod est considerabilius, in moribus regendis, & vita christiana gubernanda, qui, veluti fidelissimi Angelici Doctoris asseclæ, pro nobili stemmate ab ipso acceperunt, primatum Dei in omni linea perfectionem dicente, contra modernos strenue propugnare, & semper vincere: sicut in Theologia speculativa primatum Dei ratione causæ, motoris, domini, libereque determinantis tuentur, sic in Theologia morali & practica primatum divinæ legis in regulandis mores humanos, nulli pro ipsis æquali iure propugnandum incumbit.*

C A-

CAPUT V.

Obiecta ex conscientia erronea arcessita diluuntur.

I. Quamquam alibi diluerim difficultatem quam de conscientia erronea obiicere adversarii solent; tamen quia ubique intempestive eam inculcant, expediens iudicavi iterum eam sub examen inducere, & perspicue resolvere.

II. Arguit ergo Terillus, & cum Terillo Probabilistæ Reflexistæ omnes. Qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam, aut opinionem probabiliorem reapse falsam, opus bonum operatur. Opus istud conforme non est legi æternæ antecedenti, & primariæ. Ergo conforme erit legi æternæ consequenti indirectæ, seu reflexæ. Hanc doctrinam fuse amplificat Terillus; eamque vulgares Probabilistæ, Casnedi, La-Croix, Viva, ceterique fideliter transcribunt. Terillus, ut erat acutus Theologus præ ceteris Probabilistis, vidit necessitatem excogitandæ huiusmodi legis reflexæ in Deo. Siquidem negare ipse non est ausus hoc primum principium, omnem nempe operationem honestam conformandam esse cum prima æterna regula. Alterum quoque principium, nempe mendacia, periuria, contractus usurarios, ceteraque opera, suapte natura mala, vetita a lege æterna esse, fateri coactus est. Dum itaque præfata opera, conscientia invincibiliter errante, reputantur bona, cuinam legi divinæ sunt conformia? Non primariæ, a qua prohibentur. Ergo secundariæ, & reflexæ. Absque hac lege reflexa desperatam agnovit Terillus probabilisticam caussam. Legem hanc reflexam monstrosam demonstravimus. Ergo monstrosus est Probabilismus.

III. Argumento autem facto facilis responsio est. Prima propositio falsa est. Opus siquidem ex conscientia erronea invincibili partum, non bonum, sed malum est; adeoque difforme primæ regulæ. Idem dicendum de opere probabiliore, opinione falsa directo. Invincibilis ignorantia efficit ut opus malum piaculo non vertatur operanti, at non tollit malitiam eidem insitam.

IV. Instabis. Conscientia erronea obligat ad id quod in se peccatum est, licet ex ignorantia reputetur bonum. Ergo obligat ad id quod est contra legem æternam, & contra Deum. Ergo nequit ex ipsa lege æterna proficisci obligatio errantis conscientiæ. Hoc argumentum sibi proponit Ioannes a S. Thoma 1. 2. *quæst.* XVIII. *disp.* XII. *art.* 27. *pag.* 516.

V. Ut responsio perspicua fiat, duas in conscientia erronea distingue propositiones: alteram primam, & universalem, quæ est eiusmodi: Parendum est legi æternæ præcipienti, seu præcepto Superioris: alteram particularem: puta, Deus præcipit mentiendum ob vitam hominis a morte servandam: ergo est mentiendum. Prima propositio vera est. Hæc conformatur legi æternæ præcipienti obediendum Superiori. Altera propositio particularis falsa est, quæ non proficiscitur a lege æter-

na,

na, nec in Deum revocatur, sed legi æternæ adversatur. Itaque primum dictamen universale, proponens facienda esse quæ Deo placent, quæ Superior iubet, dummodo æternæ legi opposita non sint, dirigit affectum, seu actum voluntatis, qui, tali dictamine vero directus, potest esse bonus, supernaturalis, & meritorius. Alterum iudicium particulare erroneum, seu falsum, proponens v. g. mendacium, periurium, usuram, & similia, ut licita, & Deo placentia, dirigit actum, seu affectum voluntatis reapse pravum. Hic numquam potest esse bonus, supernaturalis, & meritorius; sed est contrarius legi æternæ prohibenti mala.

VI. Hac perspicua, & brevi doctrina nullo negotio resolvere vales omnia obiecta quæ obtrudi ab adversarius solent & de adoratione hostiæ non consecratæ, & de eleemosyna facta ficto pauperi. Nam iudicium, præcipiens adorandam hostiam consecratam, verum est, & religiosus affectus, huic universali iudicio conformis, bonus & meritorius est. Iudicium vero peculiare, proponens hanc hostiam non consecratam adorandam, erroneum est, & actus adorationis, hoc iudicio directus, idololatricus est. Eodem modo discurrendum est de eleemosyna collata ficto pauperi. Malitia actus directi a conscientia errante, materialis est, quando error est invincibilis; formalis vero, si error sit vincibilis.

VII. Nec est quod opponas, intentionem bonam infici ab electione prava. Quare si actus adorationis hostiæ non consecratæ idololatriam sapit, idololatrica quoque erit intentio imperans hanc electionem. Non est, inquam, quod hoc obiicias. Nam tunc electio prava inficit intentionem, quando malitia electionis formalis est, seu quando ignorantia est vincibilis; secus quando ignorantia est invincibilis. Tum enim malitia electionis non est voluntaria: quia ignorantia invincibilis tollit libertatem. Ideirco intentio illa bona & honesta nequaquam inquinatur ab electione materialiter mala. Paucis verbis rem totam explicat S. Thomas *quæst.* XVII. *de veritate art.* 4. inquiens, quod *conscientia erronea non errat formaliter obiective, seu quantum ad rationem formalem, errat autem quantum ad materialem*. Ratio formalis obiectiva est ipsa lex universalis, imperans obediendum esse Deo: & circa hanc rationem formalem conscientia non errat, errat vero circa materiam, quatenus applicat hanc rationem formalem per errorem materiæ vetitæ, & suapte natura malæ.

VIII. Conscientia ergo erronea, ut erronea, numquam conformis, sed difformis est legi æternæ In qualibet conscientia erronea veritas, & falsitas reperiuntur. Veritas est in propositione maiori universali. Hæc prima propositio universalis regula obiectiva est dirigens intentionem: & hæc regula recta est, & legi æternæ consentanea. In secunda propositione, qua applicatur lex universalis materiæ vetitæ per legem, error est, qui denominat conscientiam erroneam Obligatio sequendi dictum conscientiæ erroneæ proficiscitur a prima propositione universali vera.

quæ

quæ conformis legi æternæ est. Applicatio vero particularis erronea in solum hominem errantem, & deficientem revocatur. Quæ dicta sunt de propositione erronea, intelligenda sunt de opinione probabiliore falsa, ut toties diximus.

IX. Plura dicta sunt *Lib. II. disp.* I. *cap.* V. quæ futilem adversariorum difficultatem refellunt. Si voluntas, directa conscientia erronea invincibili, bona esset; voluntas Lutheranismi, Calvinismi, Iansenismi, Priscillianismi, Arrianismi sancta esset. Quoniam si Probabilistæ admittunt ignorantiam invincibilem mendacii, fornicationis, furti, perjurii, non est cur non admittant ignorantiam invincibilem plurium hæresum. Dicturus ergo Deus in extremo iudicio: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: quia furati estis, quia mentiti estis, quia secuti estis Arrium, Sabellium, Lutherum, Calvinum, ex ignorantia invincibili, seu per accidens*. Nam reapse sic respondet P. Claudius La-Croix, videlicet, absurdum esse asserere, Deum præmiis coronare mendacia, furta, periuria PER SE, secus PER ACCIDENS. Hæc sunt eiusdem verba. *Absurdum est dicere, quod voluntas mentiendi possit* PER SE *loquendo a Deo exigere præmium; conc.* PER ACCIDENS, *si mendacium invincibiliter repræsentetur ut bonum, & obligatorium; neg.* Lib. I. num. 24.

CAPUT VI.

P. Casnedi *immerito reprehendit* P. Palancum, *docentem, Probabilistas invexisse scientiam mediam, qua defenderent Probabilismum. Contra* P. La-Croix *extollit* P. Palancum, *quod Probabilismo accommodet scientiam mediam. Doctrina* P. La-Croix, *salvo meliori iudicio, falsa, & Deo repugnans ostenditur. Scientia media probabilistica mirabilior est scientia media Molinistica.*

I. HAEC scribit P. Casnedi *Tom. II. disp.* XV. *sec.* IV. *§. 4. num.* 108. *pag.* 427. „ Miratus sum, quomodo *Palancus*, sive ex Vatiniano in scientiam me„ diam odio, sive ex ingenioso aliquid peregrinum proferendi pruritu, *scientiam* „ *mediam* in theatrum inducat, cum tamen hoc ex *scientia media* argumentum „ æquali iure, idest importune, omni speculativæ, & practicæ cuiusque facultatis „ quæstioni inseri possit . . . . In casu nostro sive quis affirmet, sive quis neget „ *scientiam mediam*, æque affirmare, aut negare potest in Deo leges reflexas, „ æque esse Probabilista, vel Probabiliorista . . . Plerique Thomistæ sunt Probabi„ listæ, & has leges reflexas in Deo tuentur; nullus tamen eorum stat pro *scien-*

„ *tia*

„ *tia media*. Ergo probabilitas non inducit *scientiam mediam*. E contra, *aliqui* ex „ nostris sunt Probabilioristæ, nullus tamen eorum negat scientiam mediam. Ergo abs re dicitur, quod per probabilitatem, & leges reflexas nova scientia me„ dia inducatur.“

II. Varia sunt hominum judicia. Hæc momenta P. *Casnedi* imbecillia videntur P. Claudio *La-Croix*, qui opportunum judicat usum scientiæ mediæ Probabilismi defensioni. Hoc quippe pacto ratiocinatur ille *Lib. I. num. 319. pag. 32.* „ Opinio „ probabilis dici potest fundare ultimum dictamen, hoc sensu, quod sit objectum „ super quo se reflectit illud dictamen; male autem dicitur fundare legem Dei „ consequentem, tamquam regula illius, aut tamquam regula prima objectiva ope„ rationis nostræ, *sed tantum est conditio, qua posita, lex Dei consequens*, quæ so„ la est regula objectiva prima respectu talis operationis, per ultimum dictamen, „ tamquam per ultimam regulam formalem applicatur huic operationi dirigendæ. „ Nam Deus ab æterno, & pro priori ad illam nostram operationem moralem, „ habuit legem antecedentem, tamquam regulam per se omnis honestatis, vel inho„ nestatis moralis: sed quia per infinitam suam sapientiam videbat in homine mo„ raliter operaturo sæpe futurum errorem invincibilem, & opinionem prudentem, „ quod aliquid liceat, cum tamen reipsa non liceat, nec sit conforme legi antece„ denti, pro his casibus habuit legem consequentem, quæ *per accidens* esset regu„ la *honestatis*, vel *inhonestatis*: & hæc lex consequens, prout lex, & in commu„ ni, est tota æternitate prior, ac omnino independens ab omni operatione par„ ticulari hominis. *Dicit enim: Si adfuerit error invincibilis, aut opinio prudens*, „ *VOLO*, *aut permitto operationem poni*: ubi vides, quod reipsa antecedat opera„ tionem nostram; quamvis, ut hanc vel illam operationem dirigat, *præsupponat*, „ & suo modo quasi se accommodet errori invincibili, aut opinioni probabili, re„ spectu cujus ideo dicitur esse jam dicto modo consequens. Lex itaque secunda„ ria consistit in hoc quod Deus ab æterno velit, aut permittat nos agere hoc „ quod prudenter putabimus esse licitum. Ratio autem cur Deus ita velit, aut „ permittat, non est noster error, aut opinio probabilis, sed est sapientia infinita „ Dei, cui conforme est sic velle, aut permittere, ne homines peccent ex hoc „ quod invincibiliter ignorant esse peccatum, vel quod prudenter judicant esse li„ citum. *Unde sicuti perfectioni primæ causæ non derogatur per hoc quod Deus no„ stræ libertati attemperet suam omnipotentiam per decretum indifferens secundum „ PRINCIPIA SCIENTIAE MEDIAE; ita nec derogatur primæ regulæ morali „ objectivæ, quod SIMILI FERE MODO legem suam secundariam ATTEMPERET „ ERRORI invincibili*, *ut NOTAVIT PALANCUS*. Et quæ contra hæc affert „ Camargo, prorsus nihil evincunt.“

III. Quis hæc, quin commoveatur, legere valet? Huccine Probabilismus adduxit,

xit, ut tam indigna de Deo promantur, quæ de probo homine suspicari nemo auderet? Petrus videt Paulum paratum ad iurandum falsum, quod invincibiliter reputat verum. Petrus clare dignoscens falsitatem, & periurium futurum, inducit Paulum ad peierandum, & periurium adprobat voluntate sua? Hoc propugnat Tamburinus; sed istius opinio laxa, & scandali plena reputatur. Et nunc P. *La-Croix* hanc doctrinam Deo ipsi applicat? Sed, antequam ultra progredior, quo fundamento P. *La-Croix* tam inepta & futilia commenta Deo affingere audet? Si Paulus Apostolus nos admonet ne peregrinis doctrinis abducamur; ab ista profecto doctrina abstinere debent omnes, cum sit plusquam peregrina. Quis antiquorum Theologorum quidpiam simile in Deo commentus est? Brevissime percurramus aliqua præfati textus membra. *Hæc lex consequens, prout lex, & in communi, est tota æternitate prior, ac omnino independens ab omni operatione particulari hominis. dicit enim: Si adfuerit error invincibilis, aut opinio prudens, VOLO* (mendacium, furtum, periurium, *aut permitto operationem poni. Ubi vides quod reipsa antecedat operationem nostram; quamvis, ut hanc vel illam operationem dirigat, PRAESUPPONAT, & suo modo quasi se accommodet errori invincibili*. P. Terillus tam aperte non reseravit hocce suum mysterium probabilisticum. Lex ergo consequens in *communi*, quæ adprobat mendacia, furta, periuria &c est tota æternitate prior, ac omnino independens ab operatione particulari hominis? Ergo Deus in communi absolute legem vagam condidit, qua non permittat modo, sed qua *velit* præfata crimina. Hæc eadem lex hanc vel illam operationem præsupponit, & se *accommodat errori invincibili*. Fœdus ergo, mediatore Probabilismo, mutuum inierunt tenebræ & lux, virtus & peccatum, verum & falsum? Deus ipse se errori accommodat? Deus legem condidit qua adprobet scelera?

IV. Ut P. La-Croix declinet absurdum, quod opiniones hominum sint prima caussa, cui subiecta sit lex æterna Dei, labitur profundius in aliud, quod scilicet lex æterna Dei absolute adprobet furta, periuria, mendacia, homicidia. Inquit enim: *Ratio autem cur Deus ita VELIT, aut permittat, non est noster error, aut opinio probabilis, sed est sapientia infinita Dei*. Ut horror doctrinæ evidentius pateat, animadvertas velim. Auctorem hunc cum Terillo, ceterisque Probabilistis docere, mendacia, periuria, idololatriam, furta, invincibili errore proposita ut bona, esse reapse bona, & vitæ æternæ meritoria. Nullum porro meritum sine Deo. Deus ergo reapse mendacia, furta, sacrilegia, idololatriam, & cetera crimina *lege æterna consequenti in communi* ab æternitate, & prorsus independenter ab omni operatione particulari hominis, adprobat, confirmat, & eadem præmiorum ovali, ac triumphali corona cingit. *Ratio autem cur ista velit, aut permittat, non est error noster, aut opinio probabilis, sed est sapientia infinita Dei*. Verborum involucro obtegere horrorem doctrinæ conatur P. *La Croix*, sed frustra.

Quia

Quin in illud ipsum absurdum incidit quod omni arte devitare studet. Lex hæc consequens eo sane condita a Deo effingitur, ut dirigat, adprobetque mendacia, periuria &c. ignorantia invincibili proposita, seu cui mendacia, furta, periuria invincibiliter ignorata conformentur. Nullum super hoc dissidium, quin hic est caussæ status, qui, omni interpretatione sublata, horrorem ingerit. Cedo: Deus vult præmium Petro invincibiliter mentienti impertiri. Gratiam sane, qua tale præmium Petrus mereatur, impertit. Cur, quæso, facta hypothesi præmii conferendi, lumen non infundit, quo errorem dignoscat? Gratia Dei lumen mentis est, & amor seu affectus cordis. Lumen mentem dirigit, amor voluntatem accendit. Duæ istæ gratiæ intellectus, & voluntatis connexæ sunt, & lumen intellectus præcedit affectum cordis. Per errorem mentis, per mendacia, per furta ad paradisum perducere animas Deum asserunt? Primum ergo absurdum non declinat, sed patentius in illud prolabitur *P. La Croix*. Si enim hæc lex consequens *in communi* tota æternitate prior est, & prorsus independenter ab opinione probabili, decernit Deus se approbaturum mendacia, periuria, furta, errore invincibili proposita; evidens est, scelera in Deum regeri; evidens est, Probabilismum Deum flagitiorum auctorem efficere. Non declinat alterum absurdum, quod nimirum hæc lex consequens Dei subiecta sit, & posterior opinione probabili. Nam ipse hoc fatetur his verbis: *Quamvis, ut hanc vel illam operationem dirigat, præsupponat, & suo modo quasi se accommodet errori invincibili, aut opinioni probabili, respectu cuius ideo dicitur esse tam dicto modo consequens*. Paucis itaque verbis hæc lex reflexa, in communi, & vage accepta, prior est quacumque hominis operatione. Si practicum humanarum actionum regimen spectetur, in hoc practico, & reali, ut sic loquar, regimine hominis operatio, & probabilis opinio sunt prima lex, &, hac lege posita, consurgit in Deo lex reflexa: quæ lex ideo dicitur consequens, quia consequitur operationem hominis. Quare, ut diximus supra, ad summum opinio probabilis reflexa, seu ultimum dictamen posterius est hac lege; ceterum opinio probabilis directa prior est præfata lege consequenti.

V. Scientia hæc media *probabilistica* mirabilior est scientia media *Molinistica*. Siquidem scientia media *Molinistica* excogitata fuit ad conciliandam libertatem creatam cum efficacitate divinæ gratiæ; scientia media *probabilistica* inventa est, ut opera natura sua prava conformentur cum æterna Dei lege. Scientia media *Molinistica* attemperat omnipotentiam divinam indifferentiæ libertatis creatæ; scientia media *probabilistica* attemperat legem æternam consequentem errori invincibili, mendaciis, & periuriis. Scientia media *Molinistica* prævidet quid operaturus erit Petrus in tali serie circumstantiarum collocatus, & auxilio versatili, seu natura sua indifferenti munitus; scientia media *probabilistica* prævidet Petri mendacia, furta, periuria, ignorantiæ invincibilis caligine obtecta, tum e vestigio le-

gem consequentem condit, cui eiusmodi materialia scelera conformentur, & meritoria, æternoque præmio digna evadant. Hæc scientia media probabilistica *attemperat legem suam secundariam errori invincibili*. Clamat Propheta Regius: *Lex tua veritas*. Veritas, & error mutuo pugnant. Sed, arbitrio Probabilismo, *veritas attemperatur errori*, simulque connubia ineunt; & iuxta P. Casnedi Deus *errorem inculpatum coæquat veritati*. Plura dicerem, nisi vererer ne satyram me scribere adversarii vociferarentur. Verum si quod satyræ hic redolet, totum Terillo, La-Croix, Casnedo, aliisque Reflexistis verti iure debet. Nihil quippe de nostro adiecimus, sed illorum doctrinam vividis coloribus depinximus.

CAPUT VII.

Quam immerito P. La-Croix patrocinium pro se alleget P. Palanci.

I. Quicumque legit P. La-Croix, scribentem: *Non derogatur primæ regulæ morali obiectivæ, quod simili fere modo legem suam secundariam attemperet errori invincibili, ut notavit PALANCUS*: persuasum habet, P. Palancum adprobare usum scientiæ mediæ; potissimum cum legit sequentia verba: *Et quæ contra hæc affert Camargo, prorsus nihil evincunt*. Idipsum mihi persuasum esset, nisi ob oculos haberem Tomum P. Palanci, qui, data opera, ad severiorem criticen revocat doctrinam hanc Terilli, & P. La-Croix, eamque invictis argumentis penitus convellit, atque labefactat. In rem meam fore arbitror longum P. Palanci textum transcribere, quod multa scitu digna contineat. Sequentia ergo scribit *tract. de consc. quæst.* XXVIII. *art.* 3. *§.* 1. *num.* 139. *pag.* 291.

II. „ Inquiro ab ipso Terillo, ad quid ponitur in Deo illa lex *reflexa*, & cur „ dicitur *per accidens* existere? Resp. *quæst.* XI. *num.* 11. & alibi sæpe, poni in „ Deo, quia cum mens humana deficere possit per ignorantiam, vel errorem in „ cognitione divinæ legis directæ, & per se existentis, pro casu quo erraret, pro„ vidit aliam legem reflexam, quæ quidem vetat faciendum quod conscientia „ directa iudicat per errorem ut prohibitum, permittit, seu indulget licentiam fa„ ciendi quod mens humana iudicavit per errorem ut licitum & permissum. Et „ hæc lex reflexa, inquit, existit per accidens in Deo: quia existit ex supposi„ tione erroris, vel ignorantiæ humanæ, qui error est præter intentionem Dei. „ Hæc est doctrina Terilli, qua, veluti inexpugnabili scuto, cuncta sibi videtur „ hostium tela confringere. “ Hoc allegato Terilli textu, sic arguit Palancus ibidem.

III. „ Ergo Deus, eiusve lex in præcipiendo subordinatur, & regulatur iudicio

„ no-

„ nostro, sive recto, sive erroneo. Probo hanc consequentiam. Nam qui, conditis „ propriis legibus, tandem concludit alia, & ultima lege reflexa, se prohibere „ quidquid judicium humanum sive verum, sive falsum judicaverit ut prohibitum; „ se præcipere quidquid judicium humanum sive vere, sive falso judicaverit es- „ se licitum: plane subordinat suam legem, illamque *arregulat* in præcipiendo, „ judicio humano sive vero, sive falso. Sed Deus juxta Terilium, & ceteros Re- „ flexistas prædicto modo se gerit. Ergo plane subordinat suam legem &c. Minor „ probatur. Nam si a Terillo inquiras, vi cujus legis obligat conscientia humana „ directa, sive sit recta, sive sit erronea; respondet tibi, ut supra *quæst.* vi. quod „ in vi legis reflexæ, qua Deus ultimo dictat esse faciendum quod conscientia, „ vel judicium humanum sive rectum, sive erroneum dictaverit ut præceptum, & „ esse omittendum quidquid conscientia, vel judicium humanum sive rectum, sive „ erroneum dictaverit ut prohibitum; & esse habendum pro licito quidquid dicta- „ verit ut licitum. Nam lex reflexa, suppositis omnibus directis, tandem con- „ cludit, in omnibus esse sequendam conscientiam directam sive rectam, sive er- „ roneam, &, quasi tandem diceret, super hoc fiet quod judicium humanum si- „ ve rectum, sive erroneum dictaverit esse faciendum.“ *loc. cit. num.* 140. *&* 141. „ *pag.* 291.

IV. Ultra nunc pergit, & usum scientiæ mediæ probabilisticæ discutere aggreditur, & potissimum fucatum illud *attemperari* verbum expendit. „ Dices forsan: „ aliud esse Deum *attemperari* & *accommodari* in præcipiendo, prohibendo, aut „ permittendo, judicio probabili humano; aliud valde distinctum, illum subordina- „ ri, aut subjici. Primum verum est, secundum falsum: sicut aliud est omnipo- „ tentiam attemperari in concurrendo voluntati creatæ, aliud subjici, & subordi- „ nari. Primum enim concedunt Jesuitæ, etiam postquam damnavit secundum In- „ nocentius XI. Et quod lex divina debeat sic attemperari, & accommodari judi- „ cio humano forsan probabili. quia hoc maxime conducit ad suavitatem divinæ „ providentiæ. *Spectat enim ad divinam providentiam*, inquit Terillus, *complacere* „ *aliquando saltem per accidens in electione objecti directe, & per se prohibiti, quod* „ *operanti probabiliter apparet licitum*: si nimirum ipse ex contraria probabilitate „ seductus pro imperio suæ voluntatis illud objectum judicaverit licitum.

V. „ Sed hæc solutio, licet ad mentem Reflexistarum genuina sit, falsa tamen „ est, & contra D. Thomam &c. (vide supra cap. iv. §. 5. num. 7.) .... Nam „ eadem, ni fallor, vel fere eadem utrobique caussa est. Sicut enim illic ex „ scientia media, & ex decreto indifferenti, primatum Dei in causando, præde- „ terminando, movendo, vel tolli, vel minui videtur; ita per hanc doctrinam de „ lege reflexa, licitam faciente sequelam cujusque opinionis sive minus, sive æque, „ sive magis probabilis sua contradicente, periculum imminet non leve, quod pri-

 „ ma-

„ matum Dei in esse legislatoris, & regulæ moralitatis vel minuatur, vel peni-„ tus evertatur: & sicut illic doctrina *scientiæ mediæ* ortum habuit, eo quod „ eius auctores plus iusto, ut putamus, nostram libertatem extollere conati sunt; „ ita hic doctrina ista *Terilli* inde ortum habet, quod conatur hominem a lege „ liberum, & immunem facere, plusquam iustum est, ut autumamus: & sicut „ ibi contrarii conantur Deum in concurrendo ad unum potius quam ad opposi-„ tum, nostræ libertati subordinare, iam dicunt *attemperare*, ita hic Deum in „ præcipiendo, aut permittendo hoc potius quam oppositum ex probabilibus, no-„ stro libero iudicio subordinare videntur, ipsi dicunt *attemperare*.

VI. „ Quod ut clarius pateat, pone intellectum, & voluntatem inter duas opi-„ niones probabiles contradicentes circa contractum A. quarum una dicat esse li-„ citum, alia esse prohibitum. Dicunt igitur, intellectum formare posse conscien-„ tiam secundum quamlibet opinionem. Unde pro imperio voluntatis potest assen-„ tiri opinioni dicenti contractum esse licitum; vel, si etiam velit, pro imperio „ voluntatis potest assentiri alteri oppositæ dicenti contractum esse illicitum. Si „ assentiatur primæ, dicunt, quod potest formare ultimum dictamen conscientiæ, „ quo dicat contractum hic & nunc, omnibus inspectis, esse sibi licitum: item „ quod si intellectus constitutus inter prædictas opiniones iudicaverit contractum „ esse licitum, lex reflexa præscribit, seu concedit pro licito illum exercere: si „ tamen iudicaverit esse prohibitum, uti etiam potest, lex reflexa, *supposito* illo „ iudicio, prohibet celebrare illum contractum. Sed est in libera potestate hominis „ constituti inter illas duas opiniones probabiles vel iudicare *secundum primam* „ contractum esse licitum, vel iudicare *iuxta secundam* illum esse prohibitum. „ Ergo est in libera potestate hominis determinare legem reflexam, ut *sibi per-„ mittat*, vel ut *sibi prohibeat* illum contractum.

VII. „ Explicatur amplius. Iuxta contrarios homo constitutus inter illas duas o-„ piniones æque probabiles, æque prudenter potest iudicare *secundum unam* con-„ tractum esse *prohibitum*, ac iudicare *secundum aliam* contractum esse *licitum*; „ quia unum præ altero iudicare constitutum est in eius libera potestate. Sed si „ iudicaverit *primum*, statim lex reflexa prohibet hic & nunc celebrare contra-„ ctum; si iudicaverit *secundum*, statim lex reflexa permittit hic & nunc cele-„ brare contractum. *Ergo constituitur in libera hominis potestate, quod lex reflexa „ hic & nunc* prohibeat celebrare contractum, vel quod permittat illum cele-„ brare.

VIII. „ Confirmatur. Vel Deus pro priori, antequam voluntas eligat assentiri „ uni opinioni præ alia, prohibet absolute, & *inflexibiliter* celebrare contractum; „ vel solum id prohibet *conditionate*, sub conditione scilicet, quod homo iudica-„ verit contractum esse prohibitum. Si *primum*; ergo quamvis homo secundum o-

„ pi-

„ pinionem *oppositam* iudicaverit contractum esse *licitum*, Deus semper manet *inflexibiliter* prohibens absolute celebrare contractum. Ergo, adhuc supposito tali „ iudicio, non permittit lege reflexa celebrare contractum. Patet consequentia: „ quia implicat Deum hic & nunc absolute, & *inflexibiliter* prohibere celebrationem contractus, & simul hic & nunc absolute etiam permittere, & concedere „ pro licito celebrare contractum illum. Nec istæ leges contrariæ, & repugnantes „ inter se possunt admitti in Deo, ut per se patet. Si *secundum*, ergo Deus, antequam videat voluntatem eligentem opinionem, & intellectum secundum illam iudicantem, nihil absolute, & *inflexibiliter* præcipit, nec prohibet; sed solum *sub conditione*, quod voluntas illa voluerit iudicare ut prohibitum, vel ut „ præceptum. Ergo Deus in præcipiendo, vel prohibendo absolute obiectum, subordinatur voluntati eligenti opinionem, & intellectui secundum illam quam maluerit voluntas, iudicanti.

IX. „ Confirmatur secundo. Per vos talis lex æterna reflexa non est in Deo „ *per se*, sed *per accidens*, idest ex suppositione erroris nostri. Ergo Deus, dum „ præcipit, vel prohibet, vel permittit per aliam legem reflexam illud quod „ videt nos iudicare ut licitum, ut prohibitum, vel ut præceptum, non præcipit, „ nec prohibet, nec permittit ex propria determinatione, sed unice determinatus „ ab electione voluntatis, quæ eligit sibi iudicare, & a iudicio erroneo intellectus. „ Sed si Deus præcipit, prohibet, vel permittit determinatus ab electione voluntatis, & a iudicio intellectus, manifeste subordinatur in præcipiendo, prohibendo, aut permittendo, voluntati humanæ eligenti opinionem, & intellectui humano iudicanti secundum illam. Ergo per illam legem reflexam subordinatur „ voluntati, & intellectui creato DEUS. Maior patet. Nam si Deus per illam „ legem reflexam præciperet quod præcipit, aut prohiberet quod prohibet ex propria voluntate, seu ex propria determinatione, illud prohiberet *per se*, & non „ *per accidens*. Nam quod Deus prohibet ex propria determinatione, illud *per se* „ prohibet, & non *per accidens*: sicut quod Deus causat ex propria determinatione, illud causat *per se*, & non *per accidens*. Ergo si prædicta lex reflexa „ iuxta adversarios non est *per se*, sed *per accidens*, illa non præcipit, prohibet, „ nec permittit ex propria determinatione, sed ex determinatione voluntatis, & „ intellectus creati.

X. „ Ex quo rursus sequitur quod Deus cæco, & ignoranti modo præcipiat, prohibeat, aut permittat quod præcipit, prohibet, aut permittit per talem legem „ reflexam. Nam quod quisque præcipit ex determinatione alterius, electioneque, „ illud præcipit cæco, & ignoranti modo... Sed Deus pro priori ad electionem opinionis, „ & ad iudicium humanum, iuxta contrarios, nihil determinate præcipit, solumque „ præcipit quod voluntas elegerit iudicare ut sibi licitum, & permissum, ac per conse-

„ quens solum præcipit, prohibet, aut permittit ex determinatione voluntatis crea-
„ tæ, nesciens proinde quid absolute, & determinate tali lege prohibeat, aut per-
„ mittat, usque dum viderit quam opinionem elegerit voluntas. Ergo solum præ-
„ cipit, prohibet, aut permittit cæco, & ignoranti modo.

XI. „ Dices, Deum prævidere opinionem quam eliget voluntas, & secundum
„ quam iudicabit intellectus, & cum hac prævisione sapienter, & non cæco modo
„ prohibere celebrari contractum, si prævidet intellectum ex imperio voluntatis
„ illum iudicaturum ut prohibitum; vel si prævidet intellectum iudicaturum ex
„ imperio voluntatis illum contractum ut licitum, illum sua lege reflexa sapien-
„ tissime permittit, & non cæco modo.

XII. „ Sed contra. Nam rogo a contrariis: postquam Deus prævidet volunta-
„ tem eligentem opinionem pro licito, & intellectum iudicantem contractum esse
„ licitum, est ne liber in permittendo illum pro licito *sua lege reflexa*, vel non?
„ Si primum .... ergo talis lex reflexa non est *per accidens*, sed *per se*. Siqui-
„ dem per illam libere, & ex propria determinatione præcipit, aut permittit, ad-
„ huc supposito errore intellectus .... Si autem respondeant secundum ... ergo
„ necessitatur obiective Deus ab electione voluntatis, & iudicio intellectus prævi-
„ so ad permittendum reflexe celebrationem contractus ut hic & nunc licitam.
„ Consequentia patet. Quia iuxta contrarios non ideo voluntas eligit opinionem
„ pro licito, nec ideo intellectus iudicat secundum illam, quia Deus prævidit sic
„ electuram, & intellectum sic iudicaturum; sed potius *ideo* prævidet talem ele-
„ ctionem, & iudicium, *quia* voluntas sic eliget, & intellectus ex imperio vo-
„ luntatis sic iudicabit. . Ergo voluntas imperando, & eligendo tale iudicium,
„ determinat obiective Deum, ut videat illam sic imperantem &c..... *Ergo vo-*
„ *luntas, & iudicium humanum essent regula legis Dei, seu quasi prima lex, obli-*
„ *gans ipsum legislatorem ad permittendum pro licito quod ipse ex se prohibuerat ut*
„ *illicitum.*" loc. cit. pag. 294. num. 154.

XIII. „ Secundo probatur conclusio. Quia si est licitum iudicare, & operari se-
„ cundum quamlibet opinionem probabilem, & quamcumque acceptare pro regula
„ moralitatis, nulla lex Dei, nimirum nec lex reflexa, nec lex directa, potest esse
„ prima regula moralitatis. Sed iuxta contrarios non datur alia lex in Deo, quæ
„ possit esse prima regula moralitatis. Maior quoad primam partem efficaciter pro-
„ bata manet, & ulterius probatur. Nam lex reflexa de se est omnino indifferens,
„ nihil in specie determinate præcipiens, prohibens, aut permittens: solum enim
„ permittit quadam universalitate, & indifferentia quidquid ex probabilibus voluerit
„ homo iudicare pro permisso, & licito .... Sed lex hoc pacto indifferens impli-
„ cat in terminis quod constituat Deum primam causam moralitatis. Ergo &c.
„ Minor hæc probatur. Quia sicut per concursum ad actiones causarum secunda-

„ rum

„ rum constituitur Deus in esse causæ primæ, ita per suam legem debet constitui „ in esse primæ regulæ moralitatis. Sed per concursum indifferentem, aut per decretum executive indifferens, quo Deus velit concurrere indifferenter, & universaliter ad quod nostra voluntas voluerit, implicat Deum constitui in ratione „ primæ causæ; immo subordinatur, & subiicitur omnipotentia nobis, ut probant „ efficaciter Thomistæ. Ergo &c." *ibi*.

XIV. „ Confirmatur: quia implicat ex parte Dei respectu electionis humanæ „ dari primas regulas moralitatis inter se oppositas. Sed lex directa sæpe opponitur legi reflexæ, & similiter lex reflexa sæpe opponitur legi directæ. Ergo non „ potest simul utraque esse prima regula moralitatis. Deinde nec potest una esse prima, alia secunda, & illi subordinata: quia quæ inter se opponuntur, non „ subordinantur. Ergo nulla ex prædictis legibus potest esse prima regula moralitatis." *loc. cit. num.* 159.

XV. „ Dicet forsan facile Terillus, vel alius (La-Croix) hoc facile componi „ beneficio *scientiæ mediæ*. Nam Deus, antequam legem absolute concipiat, per „ *scientiam mediam* prævidet, quod si talem legem condiderit, isti habebunt directe opinionem probabilem contra illam, alii iuxta illam &c. & ratione huius „ *scientiæ mediæ* potest Deus, dum absolute condit legem directam, per illam tantummodo comprehendere illos quos prævidet non habituros ignorantiam talis „ legis, nec probabilem opinionem in contrarium.

XVI. „ Sed contra. Nam rursus interrogo: quando Deus prævidet quod, si legem condiderit, ab istis ignorabitur, & ab illis scietur, & quod alii habebunt „ probabilitatem in contrarium &c. vel id prævidet de lege eos comprehendente, vel „ de lege eos non comprehendente. Si primum; ergo obiectum illius *scientiæ mediæ* tale est: *Si condidero legem istos homines comprehendentem, ab istis ignorabitur*. At quomodo, nisi cum manifesta implicatione, poterit Deus absolute „ condere talem legem eos comprehendentem, illos non comprehendendo? Si dicas secundum; ergo obiectum talis *scientiæ mediæ* esset huiusmodi: *Si condidero legem istos homines non comprehendentem, ab istis ignorabitur*. Ergo, antequam „ ignoretur, vel non ignoretur, supponitur legem illos non comprehendere. Ergo „ Deus erit acceptor personarum, absque ullo motivo hos comprehendens, & non „ alios in sua lege directa." *loc. cit. num.* 163.

XVII. „ Iuxta Terillum, qui bona fide sequitur opinionem probabilem, dicentem opus esse licitum, licet falsam, nullam legem transgreditur, nec *materialiter* quidem: quia lex directe, & per se prohibens tale opus, illum non comprehendit, nec ad illum dirigitur: si autem credat opinioni dicenti, opus esse „ prohibitum; tunc lex illum comprehendit, & tamen legem transgreditur, si opus velit exercere. Sed iuxta Terillum est in libera potestate hominis, cuilibet

„ ex illis duabus opinionibus credere, & secundum quam maluerit, iudicare. Er-
„ go est manifeste in eius potestate libera facere quod Deus illum lege directa
„ non comprehendat. Ergo liberum iudicium cuiusque inter opiniones certo pro-
„ babiles est regula ad cuius normam Deus certo constringit, vel extendit, limi-
„ tat, vel ampliat universalitatem suæ legis directæ . . . . Ergo tandem volun-
„ tas, & iudicium humanum est prima regula moralitatis, cui subordinatur, &
„ arregulatur divina lex.

XVIII. „ Ex quibus iam inferes, quam iuste, & fundatissime dixit Sinnichius,
„ citatus a Mag. Gonet, *modernos Casuistas*, experimento edoctos, quam ægre
„ conformarentur mores humani legi divinæ, tentasse ex adverso conformare le-
„ gem divinam moribus humanis, quasi lex divina foret *lex Lesbia*.

XIX. „ Obiicies: Non potest negari, quod divina lex attemperetur, & accom-
„ modetur iudicio nostro, & nostræ conscientiæ. Ergo male hoc inferimus pro
„ absurdo, vel ex hoc alia absurda deducimus. Antecedens probatur. Quia ne-
„ gari non potest, Deum lege reflexa permittere plura quæ directe prohibet, si
„ nos bona fide, & invincibiliter iudicaverimus esse licita. Ergo datur lex refle-
„ xa, quæ accommodatur nostræ conscientiæ iudicio. Probatur antecedens. Quia
„ negari nequit, esse licitum sequi conscientiam invincibiliter erroneam, & etiam
„ opinionem longe probabiliorem sua contradicente, etiam quando est falsa. Sed
„ tunc sequi conscientiam erroneam, aut illam opinionem falsam, est eligere ob-
„ iectum quod existimatur licitum, reipsa tamen est directe, & per se prohibi-
„ tum. Ergo negari nequit, tunc nobis esse licitum eligere obiectum directe, &
„ per se prohibitum, dum a nobis existimatur licitum. Sed implicat nobis id li-
„ cere, nisi per legem, aut licentiam reflexam Dei: nam per directam supponi-
„ mus esse prohibitum. Ergo &c. *loc. cit. num. 169.*

XX. „ Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem. Negari
„ nequit esse licitum sequi conscientiam invincibiliter erroneam, & opinionem probabi-
„ liorem, etiam quando est falsa: licitum, inquam, *negative*, concedo maiorem;
„ licitum *positive*, nego maiorem. Et sub eadem distinctione consequentis, pariter
„ distinguo minorem subsumptam, & nego ultimam consequentiam. Itaque dicimus
„ *negative* licitum quod non cadit sub lege ulla Dei nec permittente, nec prohibente, nec
„ præcipiente. Huiusmodi censemus esse sequelam conscientiæ invincibiliter erran-
„ tis: hanc enim Deus nulla lege præcipit, prohibet, nec permittit. Et ratio
„ est, quia leges Dei solum sunt circa ea quæ nobis sunt, vel possunt esse vo-
„ luntaria; non circa ea quibus repugnat esse voluntaria. Huiusmodi autem est
„ sequela conscientiæ invincibiliter errantis in eo in quo errat: quia qui invin-
„ cibiliter errat, sicut involuntarie omnino errat, ita involuntarie sequitur erro-
„ rem. Est enim omnino contra suam intentionem errorem sequi; cum potius

„ ipse

„ ipse in ipso actu eo tendat, ut sequatur, & operetur iuxta veram & rectam
„ conscientiam, & iuxta veram Dei legem. Sequitur ergo manifeste quod se-
„ quela conscientiæ errantis, ut errantis, non cadat sub aliqua Dei lege; sed
„ utpote quod omnino involuntarium est, extra legem omnem est, & ideo
„ est licitum negative: non quidem per aliquam Dei legem nec directam, nec
„ reflexam; sed potius quia incapax legis, seu quia nequit cadere sub lege.
„ Vide supra dicta *quæst.* VI. Item dicitur licitum negative, non positive: quia
„ est excusabile a culpa, *non tamen positive honestum*, ut probatum manet *quæst.* V.
„ Et idem dicitur etiam negative licitum, quia licet sit reipsa lex prohibens opus
„ illud quod ex conscientia erronea iudicamus licitum, illa tamen lex non obli-
„ gat tunc in conscientia, propter invincibilem eius ignorantiam: ac proinde ta-
„ lis lex tunc defectu cognitionis ipsius, & applicationis, licet non defectu pro-
„ hibitionis, negative permittit quod eligatur obiectum a se prohibitum. Et idem
„ dicimus de opinione probabiliore sua contradicente, quando fundat conscien-
„ tiam invincibiliter errantem."

XXI. Quæ hic de conscientia erronea docet P. Palaneus, non opponuntur iis quæ capite superiore dicta a nobis sunt. Clariora tamen sunt quæ ibidem nos exposuimus. Usus terminorum *negative*, & *positive*, si recte applicetur, optimus est. Tamen, ut sophismata, & cavillos devites, distingue in conscientia erronea duo dictamina iuxta ibidem dicta.

CAPUT VIII.

Alia obiecta P. Terilli, & Probabilistarum diluuntur. Historia P. Nicolai del Techo ad crisim revocatur. Nihil in favorem Probabilismi ex Urbano VIII. eruitur.

I. P. Terillus in *Tom. de regul. mor. part.* 1. *quæst.* 111. fuso calamo evincere studet, opera conformia conscientiæ invincibiliter erroneæ esse bona. Nos hanc quæstionem ex instituto discussimus *Lib. II. dissert.* 1. *cap.* V. Sed tum haud erat in manibus Tomus hic *de reg. mor.* Verum argumenta quæ hic Terillus congerit, eadem sunt ac illa quæ allegavit in *tract. de consc. prob. quæst.* XII. & *alibi*. Plura hic obtrudit ex Scriptura, ex Patribus, & iure canonico; sed, ut candide fatear, omnia prorsus inepta, quæ, ne tempus teram, prætereo. Consuetas suas fabellas incredibili ausu divenditat. Scribit num. 32. pag. 63. *Demum constans & unanimis omnium Theologorum sensus est, actus conformes iudicio invincibiliter erroneo esse moraliter bonos*. Hæc in memoriam revocare lubet, ut semper evidentius fiat, nullam in hac controversia adhibendam Terillo fi-

fidem, nisi prævio severo examine. Ex iis quæ a ratione petita opponit, cursim aliqua indicabo. Fateor me plura omittere, non quod difficultatem, sed quod fastidium ingerant: adeo sunt vana.

II. Obiicit 1. Quamvis intellectus in consideratione directa erret; tamen, si error est invincibilis, *per considerationes reflexas verissimas consurgere potest ad formandam conscientiam veram, & certam de honestate operationis*. Resp. Illius verba transcribo, ut luculentius pateat quam sit inepta argutatio. Considerationes reflexæ tantâ mirifica vi pollent, ut dictamen erroneum transmutent in verum, vitium in virtutem, errorem in veritatem? Negatur totum.

III. Instat 2. *ibi num. 34.* Omne licitum honeste eligitur, si ad finem debitum ordinetur. Ergo quod ex errore est licitum, honeste eligitur. Resp. dist. omne licitum re, honeste eligitur, concedo; erronee, subdistinguo: negative, vel positive, concedo, semper positive, nego. Quod reapse licitum est, honeste positive eligitur: quod per errorem licitum apparet, honeste negative eligitur, quatenus si error sit invincibilis, ad culpam non imputatur.

IV. Obiicit 3. *num. 37.* Omne malum est involuntarium, quoties illius malitia invincibiliter ignoratur, aut reipsa invincibiliter creditur verum. Ergo illius electio est honesta. Resp. Hæc est perpetua, ut millies diximus, Terilli, suorumque Probabilistarum hallucinatio. Scelus invincibiliter ignoratum non est voluntarium, atque adeo non imputatur ad culpam. Ergo est honestum? ergo est meritorium? Sed audi quod opponit ibidem, num. 42.

V. Obiicit 4. Omnis actus liber qui procedit a voluntate in omnibus recte disposita, est bonus. Sed omnis actus conformis rationi invincibiliter erranti, est actus liber qui procedit a voluntate recte disposita. Ergo omnis actus, conformis rationi invincibiliter erranti, est bonus. Resp. Singulæ propositiones sunt ineptæ. Prima laborat falso supposito, quod scilicet voluntas directa conscientia errante, sit recte disposita. Nam si conscientia, seu regula est *distorta*, voluntas nequit esse recta. Secunda implexa est, immo, nisi explicetur, errorem continet ab Ecclesia proscriptum. Actus directus a conscientia invincibiliter errante est actus liber? Ignorantia ergo invincibilis non tollit voluntarium; quod in antecedenti obiectione affirmavit Terillus noster. Ergo non excusat a culpa: quod proscriptum est. Futilis ergo est argutatio tota.

VI. Obiicit 5. Omne iudicium invincibiliter erroneum, & omnis volitio a tali iudicio regulata originem ducunt a iudicio prudente, certo, & evidente, & a voluntate certo honesta, a quibus derivantur tamquam effectus a propria caussa. Resp. Eiusdem furfuris sunt omnes istæ argutationes, quæ molestiam, non quidquam dignum disputatione, ingerunt. Totum argumentum est materia controversiæ. Quare unico verbo totum negatur.

VII.

VII. Obiicit 6. *num.* 44. plura exempla, & de uxore reddente debitum viro non suo, & de Catholico adorante hostiam non consecratam, & de filiofamilias obediente patri non suo. Resp. Hæc omnia exempla, ut inepta, reiecta sunt alibi; & quid veritatis, vel falsitatis in iisdem contineatur, perspicue explicatum est supra pluribus in locis.

VIII. Obiicit 7. Terillus *de reg. mor. Part. I. quæst.* VIII. *num.* 3. diploma Urbani VIII. quo contendit evincere, SS. Pontificem usum fuisse opinione minus probabili. Antequam verba decreti pontificii transcribat, præmittit *caput* XV. *Libri histor. Paraquariæ provinciæ P. Nicolai del Techo Societ. Iesu*, qui sic scribit.

„ Guaranæ gentis primores solebant tot pellices alere, quot eorum libido, & „ auctoritas a popularibus suis impetrabat; nec aliud erat maius capessendæ re- „ ligionis nostræ impedimentum, quam cum monerentur, unica uxore Christia- „ nos lege divina contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorum- „ dam Sociorum religiositas eiusmodi homines ad primam uxorem adigere vo- „ lentium. Alii, dempto scrupulo, religionem christianam ineuntibus, quamcum- „ que vellent, ex pellicibus pro uxore permittebant. Ob earum opinionum di- „ versitatem inde natam, quod Doctores scholastici de ea re inter se dissen- „ tiant, ad summum legum interpretem recursum est: & Ioannes Lugo, post- „ modum Cardinalis, rem totam his verbis Urbano VIII. Pont. Max. expo- „ suit. „

Sanctissime Pater, in provincia, & regno Paraquariæ in India occidentali maxima difficultas suboritur in conversione infidelium ad fidem nostram, quando aliqui ex ministris volunt illos cogere ad recipiendum, & retinendum primum coniugem, quem in infidelitate habuerunt. Gens quippe ex innata barbarie passim coniuges (si vere coniuges dicendi sunt) dimittunt, non aliter quam nostri famulos & famulas. Et hoc solum, quia coniux infirmatur, nec coquere cibos potest, aut vestes consuere, vel domus curam habere, vel quia iam senescit: immo frequenter non unam solam uxorem accipiunt, sed simul cum ea omnes eius filias, vel sorores, si quas habet: ex quibus postea donat amicis aliquam, vel famulo in gratiam obsequii; quam postea repetit, si famulus discedat. Aliis sola loci mutatio causa est deserendi coniugem, ne eam secum ferant. Itaque plerique putant non esse saltem communiter apud illos verum matrimonium, sed concubinatum: atque ideo permittunt quod coniugem baptizatum accipiant, quando ad fidem convertuntur. Alii tamen scrupulum habent, & cogunt eos ad repetendum primum coniugem: ex quo magna incommoda sequuntur. Primo, quod multi hoc terrore baptismum aversantur. Secundo, quod mentiuntur dicentes, se nullum alium coniugem habuisse, & mala fide cum aliis contrahunt. Tertio, quod fingunt se repe-

tere

tare primam uxorem; sed revera aliam habent, nec de prima curant. Quarto, quod frequenter difficillimum est primam agnoscere: quia vix recordantur in tanta multitudine, quæ fuerit prima, &, illa inventa, oportet rursum inquirere, an illa prius habuisset viros, & rursum de iis viris, an prius alias habuissent uxores. His accedit, quod frequenter in iis coniugiis non utantur signo aliquo externo speciali, diverso ab eo quo concubinam ad hebdomadam, vel mensem accipiunt: Quare non invenitur signum externum expressivum consensus ad matrimonium requisiti. Unde, attenta eorum praxi, & consuetudine, multi pii, & docti viri putant communiter non fieri apud ipsos verum contractum matrimonii. Ceterum ad tollendos scrupulos, & dubia, & ad hoc gravissimum impedimentum auferendum illius gentis conversionis ad fidem, a Sanctitate Vestra humiliter petitur, ut, quandoquidem iuxta virorum doctorum doctrinam Sedes Apostolica ex gravi causa potest aliquando matrimonium infidelium dissolvere, prout Sanctitas Vestra declaravit in Brevi suo expedito die vigesima Octobris 1626. & rursum in alio simili die 17. Septembris anno 1627. his verbis: Nos attendentes huiusmodi infidelium matrimonia non ita censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint &c. *& quidem in hoc gravissimæ causæ sunt, immo necessitas ad conversionem illorum infidelium: dignetur Sanctitas Vestra ex benignitate apostolica concedere Provinciali Societatis Iesu facultatem, ut ipse, & ii ex Societate quibus conversionem gentis demandaverit, & communicandam censuerit, possit, occurrente casu, & facto examine, & manente dubio de valore prioris matrimonii in infidelitate facti, vel magna difficultate inveniendi veritatem, vel magna difficultate repetendi primum coniugem iam dimissum: possint, inquam, ad conversionem faciliorem reddendam, vel ad conversorum manutentionem in fide, & obedientia legum ecclesiasticarum dispensare cum eiusmodi conversis, ut possint post baptismum contrahere verum matrimonium in facie Ecclesiæ. Hoc enim modo Sanctitas Vestra infidelibus illis aditum ad Ecclesiam patefaciet, quem dæmon occludere conatur, prout de Vestræ Sanctitatis benignitate sperare iubet, quam Deus &c.*

„ Urbanus Octavus, indicto sapientum virorum super ea re consulto, pronun-„ tiavit, non videri sibi speciali sua dispensatione opus esse, ubi Doctorum sen-„ tentiæ utrimque probabiles intercederent, sequentes opiniones, pro conditione „ locorum, ac hominum, barbaris favorabiliores. Salva interim utriusque partis „ auctoritate, sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem. Constans igitur So-„ ciorum plerorumque in his terris degentium opinio praxi confirmata fuit, ho-„ rum barbarorum matrimonia, ob rationes supra relatas, nulla esse, & posse „ barbaros ad fidem conversos, quamcumque baptizatam, reiectis aliis, in coniu-„ gem sumere. Quamquam eam semper adhiuere cautelam, quam rei gravitas „ postulabat. " *Hactenus* (subdit Terillus) *P. Nicolaus del Techo.*

IX.

IX. Hac descripta historia sic arguit P. Terillus *loc. cit.* „ Ex hac narratione „ multa sciuntur. Primum est, Urbanum VIII. a Missionariis evangelicis interro„ gatum fuisse, quomodo in re difficili, ad ius naturæ, atque ad matrimonii va„ liditatem spectante, se gerere deberent. Hi enim, ut absque scrupulis, ac tu„ tius procederent, suppliciter rogarunt ut facultatem cum infidelibus illis ad fi„ dem conversis dispensandi tribuere dignaretur, quando post factum examen, „ dubium adhuc esset, an matrimonium in infidelitate contractum esset validum „ &c. Pontifex, quod sui muneris erat, eos directurus, ac saluti, & conscientiis „ tam Missionariorum, quam infidelium conversorum consulturus, examen peri„ torum adhibuit, illoque præmisso, respondit, sibi videri, opus non esse specia„ li dispensatione, quando probabiles hinc inde Doctorum sententiæ existerent, „ sequerenturque proinde opiniones barbaris favorabiliores: sic enim eos tutos fo„ re, nec alio opus esse ad dubia scrupulosque tollendos. Hoc respondit Ponti„ fex; & nisi hoc respondisset, quæstioni petitæ non satisfecisset, nec oves an„ xias, quod humillime petebant, direxisset. Hæc autem responsio prorsus docet „ licitum illis esse sectari quamcumque opinionem certo probabilem barbaris fa„ vorabiliorem; quamvis illa minus probabilis fuerit. Ergo Urbanus VIII. quo„ ad omnia benignam sententiam esse veram, non tam censuit, quam curam „ ovium exercens, fidelesque requisitus post maturam consultationem pascens de„ claravit. "

X. P. Tyrsus Gonzalez *de recto usu opinionum probabilium diss.* XIV. hanc eamdem historiam, & oppositionem Terilli describit, narratque, quemdam doctum Professorem Iesuitam dissertationem scripsisse adversus hanc Terilli historiam, & argumentationem inde arcessitam. Tria in hac dissertatione, teste P. Gonzalez, demonstrantur. Primum nullum documentum a *P. del Techo*, sive a P. Terillo afferri, quo ostendatur, authenticum esse Urbani VIII. rescriptum. Alterum, admisso præfato rescripto, nihil in eo contineri nostræ doctrinæ adversum. Tertium, interpretamentum pontificiæ declarationis quod Terillus exhibet, vanum esse, & commentitium.

XI. Et ad primum quod attinet, *P. del Techo* vocale responsum Urbani refert, non Pontificis, sed propriis verbis expressum. Vocalia autem Pontificum responsa, historicorum verbis, & sensu narrata, ut fabulosa, docti omnes reiiciunt. *P. del Techo* refert propria verba, quibus Ioannes Lugo exposuit difficultatem, ortam in provincia Paraquariæ, & verba *formalia Pontificis* præterit? Ergo ex hoc solo capite in fabulis habenda est præfata historia.

XII. Tota ergo argumentatio Terilli, eruta ex historia *P. del Techo*, similis illi est quam Casuistæ plures repetunt ex declarationibus trium summorum Pontificum, ut evincant, tempore ieiunii licitum potum cocholatæ. Augustinus de

Pa-

Padilla, Archiepiscopus in India *Lib. II. hist. Regni Mexicani cap.* lxxxiv. conceptis verbis narrat, Gregorium XIII. declarasse, ejusmodi potum non obstare jejunio. Et tamen vel ipse Leander a SS. Sacramento *III. Part. tract.* 1. *§.* 2. rejicit ut commentitiam hanc pontificiam declarationem; licet se eam vidisse testetur Archiepiscopus de Padilla. Eam pariter reiicit Leander a Murcia *quæst.* xv. Numquid maior adhibenda fides erit historiæ *P. del Techo*, qui nec testatur se vidisse Urbani VIII. rescriptum, sed forsitan ab aliquo benigno Probabilista narrari audivit? Quid quod ipsa narratio *P. del Techo* falsam se prodit. Narrat *Guaranæ gentis primores tot pellices alere, quot eorum libido, & auctoritas a popularibus suis impetrabat*, idque impedimento esse ne christianam religionem profiteantur, audientes, Christianos una debere contentos esse uxore. Deinde subdit: *Accessit huic obstaculo nimia quorumdam Sociorum religiositas, ejusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii, dempto scrupulo, religionem christianam ineuntibus, quamcumque vellent ex pellicibus pro uxore permittebant*. Si prima mulier vera sit uxor, nullum apud Socios dissidium. Si omnes sunt pellices; nullum pariter dissidium, quin homines illi, quam maluerint, pro uxore habere possent. Crassior error est in eo quod subdit, quod *Doctores scholastici super hoc* dissentiant. Nam scholastici omnes affirmant, etiam inter infideles esse vera coniugia, dummodo adsit consensus ad valorem matrimonii requisitus, tametsi sacramenti vim nullam habeant. Utrum vero sincero mutuo consensu populi Guaranæ connubia inirent, Doctores scholastici non disputarunt. Errat quoque *P. del Techo*, dum subdit, *ob earum opinionum diversitatem ad summum legum Interpretem recursum esse*. Nam, ut ex verbis P. Lugo colligitur, recursus factus minime fuit ad Pontificem, ut rem dubiam declararet; sed ut facultatem impertiret dissolvendi matrimonium, inter infideles initum, casu quo dubium esset de ejusdem valore. Deceptus ergo est *P. del Techo*, & facta narrat quæ ad prudentis critices leges exacta, ad fabulas amandanda sunt.

XIII. Tandem, admisso disputationis gratia pontificio rescripto, nihil ex eo eruitur quod nostræ adversetur sententiæ. Propositum Pontifici fuit gentis Guaranæ coniugia non videri legitima, cum feminas viri illi ducant non aliter ac nostri famulas, easque vel senescentes, vel infirmas, vel ineptas, pro ingenio dimittant. Nec signum aliquod adhibent, cum eas sibi copulant, diversum ab eo quo concubinam ad mensem recipiunt. Quare illa matrimonia reputabantur ab aliis invalida; alii vero valida existimabant. Dubium non erat circa ius aliquod, sed solum circa facta. De his opinionibus variis super diversis factis Pontifex loquitur in illis verbis: *Non videri sibi speciali dispensatione &c.* Quid quod Socii in varias abeuntes sententias poterant ex utraque parte probabilitatem attingere? Nam reapse quandoque, & penes aliquos infideles illa matrimonia

nia poterant esse nulla, & ut talia communiter putabantur. Et cum Socii opinionibus barbaris favorabilioribus utebantur, infidelibus permittebant facultatem ducendi ad libitum uxorem. Contra valida interdum esse poterant ob varias circumstantias: quia revera sincero mutuo consensu peragebantur. Quare iuxta circumstantiarum varietatem alii valida, alii nulla reputabant eiusmodi matrimonia: & utraque pars poterat verum attingere ob factorum varietatem. Quapropter iniunctum est ne alii alios vexarent, *sed salva interim utriusque partis auctoritate, sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem*.

XIV. Non aliud ergo ex pontificio rescripto erui potest, nisi nos non teneri tutiora sectari, nec semper necessariam esse omnimodam certitudinem, sed post adhibitam diligentiam in veritatis inquisitione posse nos acquiescere iis quæ nobis verisimiliora apparent. Communiter pii doctique viri existimabant, post veritatis investigationem non contrahi apud Guaranæ gentis infideles vera matrimonia; & iuxta hanc opinionem, quam veram existimabant, permittebant quam mallent uxorem eligere. Quid hic quod nostræ adversetur doctrinæ? Nec enim nos docemus, sequenda esse tutiora, aut certitudinem evidentem necessariam semper esse.

XV. Quæ Terillus ex historia hactenus expensa colligit, falsa, pugnantia, & vana omnino sunt. Primum tamquam rem certam prodit, Urbanum rogatum fuisse ut manifestaret, quomodo Missionarii in re difficili circa ius naturæ se gerere deberent. Hoc autem falsum est. Pontifex enim consultus fuit super opinionibus quas propugnabant docti, piique Missionarii Paraquariæ, declaravitque, posse uti opinionibus barbaris favorabilioribus, quæ scilicet post debitam diligentiam apparent probabiliores. Quare magis falsum est quod in descripto *num. 9.* textu subdit Terillus, videlicet Pontificem docere, licitum esse uti quacumque opinione certo probabili, quamtumvis sit minus probabilis. Hoc est purum commentum Terilli. Approbavit Pontifex ut Missionarii sequerentur opinionem barbaris favorabiliorem, illam nempe quæ verosimilius existimabat, matrimonia illa nulla esse ob defectum mutui consensus. Quid plura? Terillus Pontificem efficit auctorem damnatæ sententiæ, ut evincat illum favere Probabilismo. Inquit enim, interrogatum Urbanum *fuisse a Missionariis, quomodo in re difficili ad ius naturæ, & validitatem matrimonii spectante se gerere deberent*. Approbavit ergo, Terillo teste, Urbanus usum opinionis minus probabilis in celebratione sacramenti matrimonii. Ergo approbavit in sacramentis perficiendis usum opinionis minus probabilis. Porro non modo hoc repugnat doctrinæ Ecclesiæ, verum etiam opinioni ipsius Terilli, *de consc. quæst.* XXIV *num. 6.* oppositum docentis. Si plura hac de re cupis, legesis P. Tyrsum Gonzalez *diss.* XIV.

XVI. Obiicit Terillus una cum Caramuele plures pontificias dispensationes iuxta

ta opiniones minus probabiles. Alexander III. inquiunt, relaxavit professionem monasticam, ut B. Nicolaus Iustinianus matrimonium contraheret. Hoc idem privilegium impertiit Constantiæ Regis Rogeni filiæ, licet Moniali professæ. Pius V. & Gregorius XIII. pluries dispensarunt super matrimonio rato. Gregorius I. & Alexander VII. facultatem impertierunt ut Sacerdos consecraretur in Episcopum ab uno solo Episcopo.

XVII. Respondet Paulus Comitolus, Pontifices semper probabiliora sequi. *In Romanorum Pontificum responsis illud animadvertas, cum de eadem re duas sententias contrarias explicarint, eos probabiliorem semper esse complexos.* Lib. V. quæst. XV. Idem adfirmant Fagnanus, Gonzalez, Gonet, & alii. In præfatis ergo dispensationibus Pontifices secuti sunt opiniones probabiliores. Plures Scholastici ad fabulas amandant recensitas dispensationes Alexandri III super professione monastica. Hos secutus nuper est P Carrattinus in sua *vita claustrali diss. VI.* in scholiis adiectis epistolæ eruditi P. D. Nicolai Iustiniani. Sed revera Carrattini commenta parvi pendenda sunt: ineptissima enim paradoxa consarcinat in præfatis scholiis. Sed hæc præter institutum dicta sint.

CAPUT IX.

Ultimum simul & potissimum principium probabilisticum a prudentiæ regulis repetitum, convellitur.

I. TRia principia probabilistica, videlicet *possessio libertatis adversus legem: lex dubia non est lex, lex æterna per se, & lex per accidens*, hactenus labefactata a nobis fuerunt. Hæc tria principia sunt veluti fossa, & vallum quarti principii, quod discutere in præsentia aggredior, quodque Probabilistæ vocant principium principiorum, & fundamentum fundamentorum. Hoc principium sequenti clauditur syllogismo.

II. *Omnis doctrina certo probabilis est doctrina certo prudens. Opinio minus probabilis in conspectu probabilioris est certo probabilis. Ergo est doctrina certo prudens.* Hinc alium eliciunt syllogismum. *Qui prudenter operatur, non peccat. Qui amplectitur opinionem minus probabilem, prudenter operatur. Ergo qui sequitur opinionem minus probabilem, non peccat.*

III. P. Antonius Terillus, Probabilistarum Reflexistarum facile princeps, fuse explicat hanc argumentationem, quam ineluctabilem vocat. De consc. quæst. XXIII. num. 133 *Hac ratione omnes benignæ sententiæ Auctores utuntur, tamquam valido, & irrefragabili argumento, quale revera est, ad stabiliendam suam sententiam.* His gloriosis grandiloquiis propagare student Probabilismum docti iuniores.

IV. Quæret quispiam, cur primo loco non refutaverim hoc primum Probabilistarum principium? Ut scilicet eorum verbis evincerem, esse vanum futileque sophisma. Siquidem, ut hoc principium Probabilistæ defenderent, excogitarunt tria principia, quæ hactenus evicimus esse immania paradoxa. Quare expediens iudicavi isthuc remittere huius principii examen, ut, ostensa aliorum principiorum, quæ ut istius propugnacula excogitata sunt, falsitate, efficacius illud labefactarem.

V. Relatus syllogismus, cui totam probabilisticam doctrinam fidunt adversarii, purus putusque est paralogismus. Ipsa propositio maior suas excipit difficultates. Nam datur opinio certo probabilis, cuius tamen usus proscriptus est ab Innocentio XI. Verum, ea nunc admissa, minor aperte negatur. Hæc secunda propositio est Probabilistis veluti primum principium per se notum; Antiprobabilistis est principium per se falsum. Breve audiamus colloquium Probabilistam inter & Antiprobabilistam. *Probab.* Opinio minus probabilis in conspectu probabilioris certo probabilis est. Ergo certo prudens. *Antiprob.* Negatur ancedens. *Probab.* Evinco anteced. Opinio minus probabilis, etiam in conspectu probabilioris, gravibus nixa momentis est; estque rectæ rationi conformis: ergo &c. *Antiprob.* Negatur antecedens. *Probab.* Illa opinio certo probabilis est quæ gravi nititur iudicio prudentum, & peritorum. Opinio minus probabilis, etiam in conflictu probabilioris, iudicio nititur graviorum Doctorum, & prudentum Theologorum. Ergo opinio prudens est regula certa humanarum operationum. Hoc est ultimum Probabilistarum effugium. isthic receptui canunt, & pæanas iactant. & tamen verba tantum diversa sunt a primo syllogismo, sensus idem. Minor ultimi syllogismi falsa est. Quare per verbo *nego* totum ratiocinium in nihilum occidit. Verum quia Probabilistæ hanc argumentationem gloriose extollunt, lubet caput istud in sequentes §§. tribuere, ut quam falsum sit hoc quod ipsi extollunt principium, evidentius ostendam; & gravissima, quæ inde dimanant, absurda explicem.

§. I.

Appellatio Probabilistarum ad prudentes, & doctos absurdorum plenissima.

I. TOta vis factæ demonstrationis in doctos & prudentes revocatur. Opinio, inquiunt, minus probabilis, etiam in conflictu probabilioris, iudicio nititur graviorum Doctorum, & prudentum. Qui sunt hi prudentes, & quot? Unus sufficit, dummodo pius doctusque sit, & iunior. *Dico secundo* (scribit P. Rodes disp. 11. de act. hum. quæst. 11. sec. 3. §. 1.) *sufficere omnino ad opinionem*

probabilem ut eam Doctor aliquis magni nominis, & pius, PRAESERTIM RECENTIOR, teneat. Primus illius doctrinæ inventor, ut alias diximus, & dicendum est iterum, fuit hæreticus Celestius. *Non tibi sufficit unus Sacerdos* apud S. Augustinum *Lib. de peccat. orig. cap.* III. Vasquez, & Thomas Sanchez requirunt, hunc doctum, prudentemque Theologum afferre rationes debere quæ tibi etiam probentur. Verum P. Rodes hanc opinionem reiicit, ut Rigorismum: quoniam auctoritas magni Probabilistæ magna ratio est. Sic ille ibidem persequitur: *Respondent Sanchez, & Vasquez, unius Doctoris auctoritatem non sufficere ad opinionis probabilitatem, nisi rationes habeat quæ tibi probentur. Ego existimaverim esse necesse ut ALIQUAS habeat rationes; sed necesse NON esse, ut illæ mihi probentur in seipsis quia viri magni auctoritas satis est MAGNA RATIO, ut iudicem rationes illas esse probabiles, quibus sententiam suam confirmat.* Ioannes Sanchez, Probabilista celebris, addit, probabilitati satis esse, doctum iuniorem *perfunctorie* disceptare quæstionem, *disp.* XLIV. Sed ut brevitati consulam, communem Probabilistarum consensionem in hoc puncto describam verbis P. Claudii La-Croix, qui *Lib. I. num.* 377. *pag.* 37. hæc habet. „Si quis „iudicet, opinionem alienam esse probabilem, *quamvis videatur esse falsa*, ideo„que, spectatis principiis directis, usus illius videatur esse illicitus, si tamen de „hoc certus non sit, valde probabile est quod *ex principiis reflexis* possit sibi „formare prudens dictamen, & secundum eam opinionem operari dicendo: *Iu„dico quidem opinionem illorum esse FALSAM; quia tamen hoc mihi incertum „est, & Auctores me sapientiores, qui opinionem possunt reddere certo probabi„lem, dicunt illam esse veram, ego quoad hanc operationem me accommodabo il„lis, & interea præscindam a directa opinione mea. Ita absolute tenent Azor, „Vasquez, Lessius, Valentia, Salas, Bonacina, Sotus, Bannez, Serra, Bardi, „Tannerus, Sanchez, Terillus in Reg. quæst.* XXII. *quæstiunc.* 35. *num.* 12. *clarissime quæst.* XLVI. *num.* 6. *aliique plurimi, & gravissimi AA. cum Illsung tract. „1. disp. 1. art. 6. §. 5. & Mendo in stat. disp.* XIII. *quæst.* XV."

II. Quam sit hæc doctrina monstrosa, colliges, continuo ac sequentia formaveris ratiocinia. Admissa præfata doctrina, quisque pro vero divendere falsum poterit, & mendacia veritatis loco evulgare. Nam quod iudicas falsum, alteri verum esse potest. Ergo quod tu iudicas falsum, tuo posito iudicio, poteris reputare verum, alterius auctoritate ductus. Mendacium, inquis, contra mentem est. Distinguet Probabilista: contra mentem *directam*, concedo; contra mentem *reflexam*, nego. Licitum est operari iuxta aliorum opinionem, quam tu directe falsam iudicas, hac sola ratione reflexa, quod aliis vera sit. Et non erit licitum falsum loqui, quando iudico probabile, ab aliis hoc meum falsum reputari verum?

III.

III. Admissa relata doctrina P. La-Croix, & Probabilistarum, Christianorum quisque poterit sibi comparare Summam quampiam Bertini, Bertoldi, Bertualdi, Summam Dianæ, Escobarii, Baunii; & quamlibet opinionem ibi repertam, & suæ libertati faventem, dummodo damnata ab Ecclesia non sit, eligere, & pro regula conscientiæ complecti. Hæc est ipsissima P. La-Croix, & citatorum Auctorum doctrina. Porro adeo immane est absurdum istud, ut omnia christianæ religionis fundamenta ab imis suffodiat. Hoc quippe admisso principio, superfluum est moralis Theologiæ studium, superflua investigatio veritatis, superfluæ preces, quibus legis notitia a Deo imploretur. Aperiantur Summæ *Dianæ*, *Escobarii*, *Baunii*, *Leandri*, *Zanardi*, *La-Cruz*. Auctores isti penes Probabilistas graves sunt, pii, docti, prudentes. Vix pagina est in qua non occurrant opiniones directe contrariæ, quarum altera te peccare asserit, si hunc celebras contractum; altera negat. Quæque opinio hac auctoritate, quæ *magna ratio* est, munitur. Ita *Diana*. Ita *Tamburinus*. Ita *Sanchez*. Ita *Mosa*. Ita *La Croix*. Ita *Terillus* &c. Ita *Zanardus*. Ita *Manriquez*. Ita *Sporer*.

IV Mercatorum ergo, artificum, ministrorum, & cuiusque status Christianorum quisque, missis consultatoribus, & Theologis, aliquam ex citatis Summis comparare poterit, & potissimum *Escobarianam*, & opinionem sibi favorabiliorem, quam in eadem repererit, seligere; dummodo proscripta ab Ecclesia opinio non sit, & defendatur ab Auctoribus licet modernis absque censura. Quis nunc non sentit tanti absurdi horrorem?

V. Sub alio aspectu proponitur principium probabilisticum. Opinio damnabilis ab Ecclesia non est probabilis. Ecclesia damnavit centenas propositiones, quas non unus, aut quatuor, sed plusquam viginti Auctores graves, & probi defendebant. Ergo non omnis opinio quam docent viri graves, & docti, semper probabilis est. Hæ propositiones ante decreta *Alexandri*, & *Innocentii* aut erant probabiles, aut improbabiles. Alterutrum fateantur oportet. Quodcumque autem dixerint, proprio renuntiant principio. Et primum nequeunt negare vi proprii principii, probabiles fuisse centum & amplius propositiones ante pontificia decreta, cum non ab uno alterove, sed magis communiter a Probabilistis earum plures defenderentur. Probabiles ergo erant. Quo posito, infero: ergo etiam opiniones quas nunc defendunt Theologi recentiores, damnari ab Ecclesia queunt. Nec enim privilegio infallibilitatis huius sæculi Moralistæ fruuntur; nec maiori præ antiquioribus Theologis potiuntur auctoritate. Evidens ergo est vi probabilistici principii, opiniones indicatas, antequam damnarentur, fuisse probabiles.

VI. Porro laudatas propositiones, a viris magnis defensas, non fuisse probabiles, hoc pacto evinco. Illæ opiniones haud sunt vere probabiles quæ Ecclesiæ iudicio scandali plenæ sunt. Eiusmodi sunt propositiones damnatæ. Ergo proba-

biles non sunt, nec fuerunt. Ergo non omnes opiniones minus probabiles reputari probabiles debent, eo ipso quod eas viri docti, prudentesque doceant. Reponit Probabilista, laudatas propositiones non esse post promulgata decreta pontificia probabiles, fuisse vero, antequam decreta prodirent. Iam ostensum est, Doctores ante decreta papalia indicasse sententias istas probabiles. Sed dico, illorum judicium fuisse falsum imprudensque. Ergo falsum, & imprudens quoque judicium esse potest quo nunc moderni Probabilistæ judicant, opinionem minus probabilem esse veram operandi regulam. Ergo falsum est principium, quo Probabilistæ confugiunt ad recentiorum prudentiam.

VII Clarius rem explico. Probabilistæ revocant probabilitatem opinionis in auctoritatem Casuistarum, tamquam in supremum tribunal. Hæc illorum probabilitas vera & realis sit oportet. Nec sufficit quod apprehendatur ut probabilis. Quoniam hæc probabilitas regula est voluntatis, operationis honestæ, sanctæ, & meritoriæ vitæ æternæ. Probabilitas ficta, & apparens nequit efficere ut opera quæ mala sunt, bona, & honesta evadant, mereanturque æternam vitam. Nisi dicere Probabilistæ velint, meritum, bonum, & malum esse ENTIA RATIONIS, & IDEAS Platonicas, atque figmenta humanæ mentis. Auctoritas itaque Theologorum nequit tribuere opinioni falsæ veram realemque probabilitatem, sicut nec operi suapte natura vitioso bonitatem realem. Ex quibus hoc conficio argumentum. Principium unicum in quod resolvitur demonstratio, nequit esse fallax, sed certum, firmumque sit necessum est. Atqui prudentia, & auctoritas, in quam Probabilistæ refundunt propriam demonstrationem, fallax est. Ergo fallax vanumque est potissimum, ac unicum probabilistici systematis principium.

VIII. Hæc argumentatio, clamant Probabilistæ, non minus Antiprobabilismum, quam Probabilismum destruit. Quot opiniones probabiliores damnatæ? Ejusmodi opiniones ante decreta pontificia erant ne probabiles? Si ais; ergo pontificia decreta improbabiles illas effecerunt. Si negas fuisse probabiles; ergo nec opiniones nunc reputatæ probabiliores, probabiles sunt.

IX. Hæc argumenti retorsio evincit, Probabilistas vel ipsum ignorare controversiæ nostræ statum. Confundunt illi suum cum nostro systemate, propterea fallaciter ratiocinantur. Tantum nostrum ab illorum systemate distat, quantum verum a falso. Paucis rem demonstro. Nos cum Davide Psalm. CXVIII. clamamus: *Viam veritatis elegi*. Conscientiæ nostræ positiva regula reapse talis *sola veritas est*. Hæc veritas non semper certo, & evidenter dignosci a nobis valet. Sæpe sat est ut verosimilius, & probabilius, quoad fieri potest, attingatur. Si hæc opinio probabilior vera sit, vera quoque regula est honestæ operationis. Si opinio, licet probabilior, licet probabilissima, falsa sit, non vera, sed falsa est

con-

conscientiæ nostræ regula; & operatio, falsa opinione directa, vitiosa est. Si tamen ignorantia veritatis invincibilis fuerit, tunc piaculo nobis non imputatur. Hæc omnia fusius supra demonstrata sunt.

X. Opiniones ergo probabiliores, vel probabilissimæ, in re falsæ, antequam damnarentur, falsæ erant, & improbabiles. Pariter opiniones quæ nunc reputantur probabiliores, aut probabilissimæ, si falsæ fuerint, sunt reipsa improbabiles. Probabilitas apparens potest interdum nos excusare a culpa; numquam vero efficere ut actio materialiter mortifera, sit formaliter vitæ æternæ meritoria.

XI. Toto cælo ab hac doctrina distat systema probabilisticum. Probabilitas ficta, & apparens est iuxta Probabilistas positiva regula honestæ operationis: quod aliis verbis sic exprimere possumus: Falsitas est regula veritatis: mensura virtutis malitia est. *Theologia ista* (scribit perdoctus Iesuita Camargo Lib. II. contr. I. art. 3. num. 38.) *non a magistro nostro Christo, vera sapientia, & luce, sed ab alio principio esse videtur. Quis enim credat, eos* (qui sic in tenebris quasi in luce ambulant, Iob XXIV.) *tenere viam Christi dicentis de se ipso:* Qui sequitur me, non ambulat in tenebris (Ioan VIII.) *nisi qui credat tenebras esse lucem, idest errorem esse veritatem?* Iuxta Probabilistas duæ opiniones contradictoriæ possunt esse simul probabiles, & tamen necessario alterutra falsa est. Probabilitas ergo adversariorum præscindit a veritate, & falsitate. Iuxta ergo Probabilistas propositiones damnatæ ante decreta pontificia erant non tantum apparenter, sed realiter probabiles. Et hæc realis probabilitas post decreta pontificia immigravit in realem falsitatem, & in scandalum.

XII. Alio ex capite repellitur probabilisticum principium. Si opiniones in se falsæ, & scandalosæ, dum a piis, & prudentibus, doctisque Theologis reputantur probabiles, sufficientes essent conscientiæ nostræ regulæ, si opera nostra, mala natura sua, directa eiusmodi probabilitate, essent honesta, & paradisi meritoria: superflua fuisset damnatio pontificia, & superflua foret futura quæque damnatio: quod sic evinco. Iuxta Probabilistas opinio certo probabilis regula tuta est honestæ, & meritoriæ operationis: quoniam ignorantia invincibilis falsitatis, & malitiæ operationis non excusat modo a culpa, verum etiam efficit ut operatio materialiter mala, & vitiosa fiat honesta, & vitæ æternæ meritoria. Hoc posito, ceu principio certo, & inconcusso penes Probabilistas, infero. Ergo minus provide summi Pontifices damnarunt ut falsas, perniciosas, & scandali plenas, propositiones indicatas. Si in praxi honestatem dirigebant, & æternæ vitæ merita fovebant, augebantque, ut quid illas, *tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas* proscripsere? Cur bonam Christianorum interturbarunt fidem, pacemque? Opinio probabilis favet libertati, iugi evangelici severitatem delinit, facilem cæli viam reddit, iterque asperum lævigat. Alia ex parte, æque animæ

prodest opinio falsa ac vera, quando invincibiliter veritas ignoratur. Invincibiliter prorsus ignoratur opinio falsa, quoties docetur a quatuor, vel sex doctis iunioribus, ne dicam ab uno. Æque meretur Probabilista mentiens, & periurans, si invincibiliter existimet se verum dicere, ac Probabiliorista verum dicens. Ergo imprudenter, & frustra Pontifices summi damnarunt propositiones ut *periculosas in praxi*, si in praxi proficuæ sunt, & valde commodæ, si suave efficiunt Christi iugum, libertati indulgent, unaque præmium vitæ æternæ, meritumque promovent, & augent, & sub amabili erroris velo in paradisum perducunt. Ergo non modo superflua, verum etiam perniciosa est pontificia propositionum proscriptio: quoniam privat Christianos tanto commodo, & suavitate, illosque periculo succumbendi evangelico iugo, atque æternæ iacturæ discrimini exponit. Quid mussitas? Aut opiniones propugnatæ a doctis iunioribus ut probabiles, sunt mensura, & regula honestatis, meritique supernaturalis, tametsi falsæ; aut secus. Si primum; ergo intempestive ac iniuste illas ut *in praxi perniciosas, scandalique plenas* Pontifices damnarunt. Si secundum, ergo Probabilismus error est, illusio, & seductio. Rotent se Probabilistæ in utrumque latus, numquam hinc evadent.

§. II.

Alia absurda hanc probabilisticam appellationem consequentia.

I. PRopria conscientia est regula proxima operationum nostrarum, ut dictum est, secus aliena. Sicut enim non aliena, sed sua mente homo est, ita non aliena, sed sua mens regula est propriæ voluntatis, & operationis. Nihil ergo monstrosius quam quod dicunt Probabilistæ, te posse deponere propriam conscientiam, seu propriam regulam, qua iudicas contractum usurarium; & aliena opinione, seu regula uti, quæ ostendit contractum esse licitum. Reponit Terillus *de regul. mor. quæst.* xxxv. nos confundere regulam obiectivam cum regula formali. Aliena opinio est regula obiectiva; propria conscientia est regula formalis. Quando aliena opinione utimur, non propterea reiicimus propriam conscientiam; sed eam adhibemus tamquam regulam formalem.

II. De more, verborum varietate, seu vaniloquentia Terillus ludit. Nemo adeo delirat, ut dum quis opinatur, iudicat, ratiocinatur, asserat aliena mente opinari, ratiocinari, iudicare materialiter. Nec in sensu formali, & iuxta communem sensum intelliguntur. Exemplis rem declaro. Narras non quæ ipse sentis, sed quæ tibi narranda præcipiuntur: tum aliena lingua loqueris. Iudicas non quæ tu vera, aut falsa cognoscis, sed quæ scis ab aliis ut vera, aut falsa,

ſa reputari: tum aliena mente iudicas, non aliena mente materialiter accepta, ſed aliena mente formaliter conſiderata; ſeu uteris propria mente ſub aliena regula, uteris proprio equo, ſed Paulo frenum moderante, & dirigente. Nec enim alienam opinionem aſſumis, ut eam diſcutias; ſed ut eidem propriam mentem, tamquam vile mancipium, ſubiicias. Nec eſt quod reponas, propria mente te ordiri telam illam aranearum reflexionum: quoniam hæc omnia præſtas, repudiata propria conſcientia, ſeu dictamine, & ut ſervus alterius. Omnes quippe reflexiones ſubiectæ ſunt aliorum auctoritati, tuæque directæ conſcientiæ, ſeu opinioni repugnant. Sed de hoc iterum infra.

III. Probabiliſtæ nobis depingunt propriam conſcientiam, propriumque iudicium, ut omnium malorum fontem. P. Paulus Segneri in ſuis epiſtolis contra ſuum Generalem P. Gonzalez paſſim eidem improperat Probabiliſmum ſubiectivum. *Non è, nè farà giammai* (inquit ille epiſt. III. pag. 293.) *queſta la buona regola nelle opinioni, che s'hanno a praticare come vere, ſtare al giudizio diretto, cioè al proprio*. Subdit: *La prudenza propria è la prudenza che ſcaturiſce dal giudizio diretto. La prudenza altrui è la prudenza che ſcaturiſce dal giudizio riflеſſo*. Duplex prudentia, altera directa, altera reflexa. Mea prudentia directa, peracto ſerio examine, iudico labe uſuræ infectum contractum; perſuaſum quoque mihi eſt, ſapientiores, probioreſque Theologos in meam concedere ſententiam. Hanc prudentiam, ſeu conſcientiam *directam* contemnere debeo, ut colligam emolumentum peragendi contractum ab omni uſura purgatum. Reflecto, alios Theologos doctrina, & numero etiam inferiores, ut iuſtum propugnare contractum. Etiam iſti tamen candide fatentur, meam ſententiam, meorumque ſapientum veroſimiliorem eſſe, atque ſecuriorem. Sed quia hæc mea ſententia omnino evidens non eſt, ideirco, ſubdunt, probabile eſt, probabilitate tamen minori mea, contractum ab uſura immunem eſſe. Tum ego, repudiata propria conſcientia *directa*, formo conſcientiam, ſeu prudentiam *reflexam*; & hac conſcientia *reflexa* ineo contractum ut licitum, quem conſcientia *directa* iudico uſura pollutum. Hæc Terilliana, ſeu probabiliſtica doctrina, *che veggo ben io* (pergit Segneri epiſt. III. pag. 310.) *di ripetere più volte. Ma che può farſi? Tante volte convien ripeterla, quante l'Autore ritorna in queſte ſue maſſime capitali a darne occaſione, non ricordevole di quelle inſigni parole dell'Eccleſiaſtico*, Ne innitaris prudentiæ tuæ, *da me citate in una degli articoli precedenti*. Aſſimilat proprium iudicium culmo cannabino, alienum nodoſæ quercui. Hactenus ex Segneri.

IV. Ut abſonum commentum penitus repellam, ab Scriptura ſancta orſa capio. Clamat Ieremias cap. XXIII. *A Prophetis Ieruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram. Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & de-*

cipiunt. Admonet Matthæus cap. VII. *Attendite a falsis Prophetis*. Inculcat Paulus ad Tim. IV. *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Iubet Ioannes: *Nolite omni spiritui credere*. Quid ergo agendum? *Sed probate spiritus, si ex Deo sint*. Sed qua via falsos a veris distinguemus? En falsos. *Qui pruriunt auribus*, inquit Paulus. Ita est, iubet Isaias cap. III. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*. Idem confirmat Hieronymus Lib. II. contr. Iov. *Pseudoprophetæ semper dulcia pollicentur*. S. Augustinus hæc scribit Lib. de persev. cap. XXI. *Neminem velim ita amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in his in quibus me non errare perspexerit*. Et Probabilistæ volunt nos eos sequi quos verosimilius directe judicamus errare? Cur hoc? Quia errant in commodum libertatis nostræ: quia errant faventes cupiditatibus nostris? Non persuadent, ut submittamus iudicia nostra Prophetis, & Patribus, quia severe loquuntur; sed Casuistis recentioribus, qui aures demulcent, & desideriis nostris blandiuntur. Audi Bernardum serm. de triplic. custod. man. ling. & cord. *Utilis est frater qui tibi loquitur, sapiens est religiosus, ac timens Deum. Plus dico, Angelus est, & Angelus lucis. Etiam sic cave tibi ne audias, unde lædaris. Nec personam tibi velim suspectam esse, sed linguam, præsertim sermocinatione communi. Bona quidem columbæ simplicitas: sed in hac parte quoque serpentis astutiam non omittas. MARIA ne angelicum quidem verbum sine discussione præteriens, cogitabat qualis esset ista salutatio*. Numquid Probabilistæ improperabunt Prophetis, Patribus, ac ipsi divinæ Matri, quod plus iusto detulerint proprio iudicio?

V. Sed pressius Probabilistas urgeamus. Proprium iudicium directum, & propria voluntas sunt duo illi pestiferi fontes, unde scaturiunt omnia mala. Cur? Quod iudicium *directum* est iudicium *proprium*. Bene habet. At iudicium *reflexum* nonne *proprium* est? Mutuo ne iudicium istud *reflexum* accipis? Iudicium *directum* conforme est æternæ legi, & concupiscentiæ oppositum: ideone malorum origo? Iudicium *reflexum* oppositum est æternæ legi, & cupiditati consentaneum: & ideo sanctum? Ne multa: iuxta Probabilistas numquam homo proprio, sed alieno iudicio, aliena mente iudicare deberet.

VI. Inquit Ecclesiastes cap. VI. *Consiliarius sit tibi unus de mille*. Duorum contra disputantium unus est verus sapiens, ut docet Augustinus de utilit. credend. cap. XII. *Aut nullum eorum, aut certe unum necesse sit esse sapientem*. Prudentia, cum virtus intellectualis sit, necessario verum agibile respicit. Falsum, quamtumvis existimatum verum, numquam poterit esse obiectum virtutis prudentiæ. Disputantium ergo prudentes alii, & alii imprudentes. *Sed beati Probabilistæ* (scribit Camargo Lib. I. contr. VIII. art. 2. num. 21.) *quibus nullo discri-*

mi-

mihi, nullo labore, nulla difficultate turmatim ultro etiam occurrunt viri prudentes, atque sapientes, quorum auctoritate, eaque irrefragabili, opiniones morales passim obviæ, humanæ libertati faventes, reddantur veræ, ac certo probabiles; indeque earum usus certo, & infallibiliter honestus, liberque a minimo periculo aberrandi a via salutis. Adeo felicia sunt tempora nostra præ temporibus Augustini, & Bernardi!

VII. Cum ergo evidens sit, in opinionibus probabilibus contradictoriis disputantes alteros esse prudentes, alteros imprudentes, consequitur, appellationem probabilisticam ad prudentiam recentiorum esse purum putumque sophisma. Quod clarius evinco. Vos, o Probabilistæ, iudicando opinionem minus probabilem, iudicatis eodem actu Auctores vestros minus esse prudentes: iudicatis verosimilius esse, illos decipi in illa ipsa opinione quam vos, illorum auctoritate nixi, probabilem reputatis. Porro quid absurdius quam illorum invocare testimonium quos vos ipsi probabilius iudicatis falsum esse testaturos? Quis umquam in aliqua caussa illos advocat testes quos verosimilius iudicat falsos esse quam veraces?

VIII. Theologi, reponunt Probabilistæ, in quorum auctoritatem revocamus probabilitatem, absolute sapientes, & prudentes sunt. Esto. Quid hinc? Ecce. Isti post serium examen securam iudicant opinionem minus probabilem, & hanc opinionem executioni ipsi demandarunt. Quis autem dixerit Theologos istos imprudentes, improbosque; cum doctissimi, & piissimi communiter habeantur? Vera sint hæc omnia. At tantumdem concedatis, o Probabilistæ, oportet adversariis vestris Antiprobabilistis. Porro hi post diligens, severumque examen decernunt, opinionem vestram minus probabilem falsam esse perniciosamque. Hi Theologi, Concilii nationalis auctoritate fulti, cur prudentes, & sapientes non audiunt apud vos? Aut prudentes istos asseritis, aut imprudentes. Si imprudentes Antiprobabilistas asseritis, cur prudentes Probabilistas dicitis? Duæ opiniones contradictoriæ, sicut nequeunt esse simul veræ, ita nequeunt simul esse prudentes. Ergo alterutri defensores imprudentes, & fallaces sunt. Si prudentes Probabilistæ, imprudentes Antiprobabilistæ, aut contra. Eiusdem enim contradictionis oppositi defensores nequeunt simul prudentes esse, nisi dicere velimus, quod stultitia est sapientia, error est veritas, stultus est sapiens. *Deus veritas est, nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat*, inquit Augustinus *Lib. V. de Musica*. Cum ergo incertum ut minus sit, quinam ex disputantibus in utramque partem sapientes & prudentes sint, stultitia manifesta est, ad illorum potius quam ad istorum appellare prudentiam. Quia cum probabilius sit opinionem minus probabilem falsam esse; probabilius quoque est Probabilistas imprudentes præ Antiprobabilistis esse.

IX.

IX. Alia via probabilistici syllogismi resolutio in prudentiam Theologorum refellitur. Docet Terillus, opinionem probabilem, etsi communem, improbabilem fieri posse. „ Non solum plures (inquit Terillus *de consc. quæst.* VI. *num.* 24.) „ sed unus vir doctrina ac pietate præstans, si de novo in dubium vocet pro„babilitatem cujusvis sententiæ, *etsi communissimæ*, & profiteatur se novis, ma„gnisque rationibus adductum id facere, *sua auctoritate efficit ut illa opinio sit* „ *amplius certo probabilis quoad nos*. " Heu quam male sibi constant Probabilistæ! Modo nolunt, quidquam deferri proprio judicio *directo*; modo docent, unum solum Doctorem posse se se communissimæ sententiæ opponere, & eamdem vi judicii *proprii* de gradu probabilitatis dejicere. „ *Et quidem* (pergit Terillus de „ regul. mor. quæst. XVI. num. 13. pag. 157.) *quoties viri graves, magnæ probi*„*tatis, & peritiæ fama celebres, novis magni momenti rationibus contra com*„*munem sententiam insurgunt*, illamque improbabilitatis arguunt; illa per hoc „ ipsum *quoad nos perdit probabilitatem suam*, nec illam recuperare potest „do„nec illæ novæ rationes examinatæ fuerint &c. "

X. Referent nobis hoc suum arcanum Probabilistæ. *Unus* vir gravis, & prudens, piusque cur potest opinionem vel communissimam vocare in discrimen? Cur illam sua exuere probabilitate? Sit hæc opinio communissima *benigna*. An non astringeris prudentum loco habere istius communis sententiæ Auctores? Quid reponis? Ais. At si prudentes fuerunt sententiæ patroni, consequitur illorum opinionem omnibus probabilem esse. Hui tam inepta illatio! Aliud est, hanc communem opinionem probabilem fuisse suis Auctoribus; aliud longe diversum ceteris omnibus probabilem esse. Illi probabilem reputarunt hanc opinionem, quia post serium examen gravia illis apparuerunt, solidaque talis opinionis momenta rationum, nobis hæc rationum momenta, diu expensa, vana, & inepta sunt. Illis ergo probabilis fuit hæc sententia, quod gravia judicarunt ejusdem fundamenta, nobis improbabilis est, quod frivola, & inepta existimamus, post diuturnum studium, illius fundamenta. Optimum responsum. At hinc evidenter colligo, syllogismum vestrum putidum esse sophisma. Opinio laudata minus probabilis judicata fuit secura honestatis regula a suis Auctoribus, doctis, prudentibusque viris. Sit ita. Ergo hæc eadem opinio probabilis nobis est: ergo probabilis est omnibus. Vos Probabilistæ negatis hanc consequentiam ut futilem & quidem in re. Ergo eadem ratione ut futile sophisma improbare urgemini vestrum syllogismum, seu principium probabilisticum.

XI. Quod sequenti ratiocinio confirmo. Argumentatio ab uno ad aliud particulare, vel a particulari ad universale, omnium Dialecticorum consensu falsa, & vana est. Quod his patet exemplis. Hoc objectum visibile est Petro aciei acutioris: ergo visibile est Paulo oculorum sensu destituto? Hujusmodi est syllo-

logismus probabilisticus in hac quaestione. Quoniam sicuti hominum oculi alii obtusi, alii acuti; ita varii sunt intellectus. Ergo qua ratione futilis est argumentatio isthaec: hoc objectum visibile est Petro, ergo etiam Paulo, ergo omnibus: eadem ratione vana, & frivola est haec alia: Haec opinio probabilis est multis doctis, piisque Theologis, ergo probabilis est omnibus. An non tangis nunc manibus futilitatem illorum syllogismi? Qui probabiliter operatur, nititur auctoritate prudentum, qui iudicarunt fundamenta huius opinionis gravia esse. Gravia fuerint ipsis, propterea ne gravia tibi? Visibile fuit illis objectum: ergo & tibi in actu secundo, ut dicitur? Tunc argumentatio iusta foret, quando intellectus iidem omnino essent, & sub eadem prorsus dispositione, eodemque gradu virtutis, & efficacitatis.

§. III.

Efficacior confutatio syllogismi probabilistici qui resolvitur in prudentiam recentiorum Theologorum.

I. DUpliciter Probabilistae suum formant syllogismum, illumque refundunt in suorum Theologorum prudentiam. Primo retinendo, secundo suspendendo opinionem directam. Ordiar a primo. *Ego iudico* (inquit Probabilista) *contractum quem celebraturus sum, esse usurae labe aspersum, legeque divina vetitum. Sed quia scio plures graves Auctores, qui tamen, me iudice, probabilius falluntur, docere licitum esse contractum hunc; ideo & mihi contractus iste licitus est. Ergo prudenter illum perago.* Quid reponis, o Probabilista? Tuus est syllogismus. Tua argumentatio. Sincere ne Deum quaerit qui tali pacto discurrit? Nullo pudore suffunderis haec inaudiens? „ Pero modo abs te (clamat Camargo *l. b. I. cont.* VIII. *art.* 4. *§.* 1.
„ *num.* 89.) Lector, per Deum immortalem, an qui sic operatur, quaerat serio &
„ ex animo legem Dei, ut suam illi conformet actionem? " Sed vividius syllogismum explicemus. *Probabilius mihi est* (inquit Probabilista) *me violaturum aeternam Dei legem, si celebravero hunc contractum. Sed homines docti, & pii adfirmant contractum esse licitum, quos tamen ego verosimilius errare iudico. Ergo mihi licitum est illum celebrare.* Quis horrorem huius ratiocinii non sentit? Quis eius non deprehendit fallaciam? Sed lubet verbis eorumdem Probabilistarum syllogismum rescribere. Sic ergo illi suum conficiunt syllogismum: *Omnibus, atque adeo mihi, agere licet ex directa opinione legi contraria, & meae libertati indulgente; dummodo certe probabilis sit, & licet ego contrariam teneam. Sed opinio quae docet contractum sub his circumstantiis usurarium non esse, sed potius licitum, licet mihi sit falsa, est opinio certe probabilis. Igitur licet mihi secundum illam agere, atque adeo inire hunc contractum; ideoque placet mihi ipsum inire.* Hic est syllogismus passim in omnibus Probabilistarum libris obvius.

II.

II. Petrus ergo absolute, & directe iudicat contractum usurarium. Ergo iudicat illum esse illicitum: ergo iudicat contractum hunc esse legi æternæ contrarium: ergo iudicat se, illum celebrando, violare æternam Dei legem. Quælibet harum propositionum evidens. Terillus post Caramuelem, ut vim huius ratiocinii evitaret, quo se recepit? Abolevit legem æternam primariam Dei, cui verosimilius opponitur opinio minus probabilis; & excogitavit *legem per accidens*, cui opinio minus probabilis reflexa conformetur. Hæc omnia, ut monstrosa, & horrida, supra reiecimus. Ergo effugium ad hanc duplicem legem inane est.

III. Ratiocinium ergo formemus iuxta secundum modum suspensionis proprii iudicii, communiorem hodie penes Probabilistas. Instar dialogi illud efficiam inter *Christianum* & Probabilistam, ut res clarius eluceat. *Christianus*. Celebrarem ego contractum lucrosum valde; sed video multos graves Theologos illum usuræ damnare, istorumque rationes urgentiores mihi apparent. *Probabilista*. Quid vereris? An te latet, octo Doctores iuniores oppositum docere, contractum nempe hunc esse usuræ expertem? *Christianus*. Scio istorum opinionem; at hæc mihi falsa est. *Probabilista*. Si prior tibi verosimilior, & non omnino evidens est, hæc posterior tibi etiam verosimilis, licet minus, sit oportet. *Christianus*. Ex una parte ita est; ex altera falsum. Nam quod mihi minus verosimile est in conspectu verosimilioris, falsum mihi est. Numquid potero ego amplecti opinionem minus probabilem, quam reputo falsam? *Probabilista*. Scilicet: & ecce rationem. Illud tuum iudicium *directum*, quo reputas usurarium contractum, efficitur ex principiis *directis*, quæ spectant contractum *secundum se*, & absolute. Sed post iudicium istud *directum*, tu vales formare ex principiis *reflexis* aliud iudicium pariter *reflexum*, quod contractum tibi contemplandum proponit sub aspectu minoris probabilitatis, & non *secundum se*. *Christianus*. Hæ vestræ *reflexæ*, (sic illas vocant) ut ex animi sententia loquar, mihi aranearum telæ sunt, involucra verborum, & sophisticæ cavillationes, data opera confictæ, ut obviæ veritatis luci, tamquam densæ nubes, obiiciantur. Contractum quem ego absolute, & sincere iudico usurarium, numquam perficiam. *Probabilista*. Ut video, meticulosus es. Arrige iterum, quæso, aures, sed parumper attentiores. Illud tuum iudicium *directum*, quo iudicas contractum usurarium, opinativum est: ergo liberum. Si liberum, ergo illud suspendere vales. Illud itaque suspende, donec perfeceris contractum. *Christianus*. Ecquid emolumenti mihi adfert suspensio isthæc? *Probabilista*. Adhuc insanis? Hæc iudicii suspensio duo includit. Primo suspendere debes iudicium directum, mentemque omnino avertere a consideratione rationum, & auctoritatum quæ usurarium contractum evincunt. Secundo defigenda tota mentis acies est in minore probabilitate, quæ tibi licitum contractum depingit. *Christianus*. Vah artificium vaferrimum! Si hæc sunt Probabilistarum artes, hæc præstigia, abeat in malam

iam crucem. Quis hominum auderet publice coram honestis Ethnicis similia effari?

IV. Qui systema probabilisticum ignorat, suspicabitur, dialogum factum minus esse sincerum, at omnes Probabilismi callentissimi apprime sciunt exactissimum esse. Similem dialogum iam sub initium huius tractatus fecimus ex P. *Estrix* Iesuita, relatum a Camargo, qui hæc scribit. *Cui vero eadem satyrica videbuntur, is benignam sententiam, & artificium eius iudicio suo accusat, ac damnat. Alioquin ostendat, petimus, quid in præmissis verbis per imposturam, aut calumniam dicatur.* Incredibile dubio procul ignorantibus, ut dixi, Probabilismum, est factum ratiocinium, utpote sensui communi repugnans. At luculentum est, sincerumque illud. Provocamus omnes Probabilistas Reflexistas, Terilli sequaces (nam Probabilistas Directos, non minora absurda proloquentes, alia via confutavimus) ut vel verbum obiiciant minus aptum, minusque verax in præfato dialogo. Non præstiterunt a medio iam sæculo, quo similem dialogum confecit P. Estrix Iesuita. Si ergo monstrosus est dialogus, monstrosus est Probabilismus. Nam iuxta hoc systema duo homines eodem tempore, iisdem in circumstantiis eumdem peragunt contractum. Alter usura polluitur, & damnatur; alter cæleste regnum assequitur. Cur? Quia ille ignoravit artificium suspendendi iudicium *directum*, hic vero calluit artem claudendi oculos luci veritatis, & repudiandi proprium iudicium directum, ut mutuo acciperet reflexum a doctis iunioribus, seu, ut reflectendo ad rationes, & auctoritatem Doctorum recentium, formaret iudicium hoc reflexum, & syllogismum consuetum. Qui operatur probabiliter, operatur prudenter. Theologi docti, & pii certo probabiliter docent hunc contractum, quem ego probabilius iudico usurarium, nulla esse usura infectum. Ergo licite eumdem celebro.

V. Verum enim vero qua fronte, quo ausu queunt Probabilistæ Deum cum sancto Davide orare *Legem pone mihi, Domine, viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper*? Quomodo orare vales: *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*? Si reiicis intellectum *directum* a lege æterna primaria. Quomodo orare potes: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo*. Legem enim obviam, & ultro se se menti ingerentem repellis. Ut hæc incredibilia absurda luculentiora fiant, nonnulla ex Terillo principe Probabilistarum transcribere lubet.

VI. P. Antonius Terillus ergo *de consc. quæst. XXX. num. 1. pag. 595.* hæc scribit. „ Plures putant quæstionem hanc summi momenti esse. Verum pro praxi eius resolutio parum refert. Nam in rebus obscuris unusquisque suspendere potest iudicium nulli parti affixum. Ergo licet peccatum esset agere contra propriam sententiam ACTU EXISTENTEM, facillimum esset se a peccandi periculo eximere: quia SUSPENDENDO ACTUALE IUDICIUM DE VERITATE OBIE-

„ CTI,

„ CTI, quod habitualiter habetur pro vero, formari posset conscientia per princi-
„ pia reflexa de absoluta eius honestate; atque ita posset operans a peccato excu-
„ sari. " Si vobis, inquit Terillus, non arridet prima ratio agendi contra propriam conscientiam, quam supra explicuimus; deponitote hanc actualem conscientiam, aliamque effingite ex principiis *reflexis*. Qui plura hac de re cupit, legat integram laudatam quæstionem, cuius hic paucas describam assertiones. *Asser.* II. *pag.* 596. hæc habet. *Semper licet operari contra propriam sententiam habitualem, si contraria sententia sit certo practice probabilis. Immo aliquando licet operari contra propriam sententiam actualem, etsi illa aliquando affirmet, obiectum quod eligitur, esse inhonestum.* Item pag. 598. asser. IV. *Si Theologus propriam sententiam DIRECTAM SUSPENDAT, potest pro rerum exigentia alios iuxta contrariam opinionem probabilem minus tutam dirigere, illamque aliquando consulere, modo sententiam benignam admittat ut veram.* Si suspendit sententiam directam probabiliorem, eo ipso sententiam benignam, seu minus probabilem admittit ut veram: sola enim hæc occupat illius mentem!. *Asser.* V. subdit: *Omni modo hactenus dicto, quo licet operari contra propriam sententiam, licet etiam contra eam pro rerum exigentia consilium dare, aliosque dirigere.*

VII. Si opponas Terillo, Apostolum Paulum clamare, omne quod non est ex conscientia, esse peccatum, mirificum præbet responsum. Inquit enim: Probabilista defendit, licitum esse deponere propriam conscientiam, & iuxta alienam agere, & agendo iuxta alienam conscientiam agit iuxta propriam. Cur? Quia tenet licitum esse sic agere, formatque dictamen, quo iudicat id licere. ergo sic operando iuxta conscientiam alienam operatur secundum propriam. Hæc sunt eiusdem verba *ibi num.* 18. *pag.* 600. „ Si omnia diligenter inspiciantur, qui dat huiusmodi
„ consilium, *semper dat illud maxime iuxta propriam sententiam*. Doctor enim
„ ille tenet, consilium posse hac ratione dari. Tenet etiam, consulentem posse
„ prudenter aliorum definitioni stare, ac esse securum in conscientia, *etsi contra*
„ *consulentis sententiam directam operetur. Hæc autem sunt quæ consulit. Ergo sem-*
„ *per consulit iuxta propriam opinionem.*

VIII. Tandem, ut securius & facilius scrupulis occurrat, quæstionem hanc concludit, recurrendo iterum ad suspensionem iudicii directi: quæ via semper, inquit, aperta est, & pervia. *Hæc dicta sunt tamquam corollaria præcedentis doctrinæ, quia facillima sunt, & clarissima. Unum noto, & finio: scilicet quæstionem hanc parum necessariam esse pro praxi: QUIA PRO QUOVIS INSTANTI SUSPENDI potest opinio directa, & elici persuasio de veritate benignæ sententiæ: qua stante, nec directio, nec consilium procederet contra, sed solum iuxta propriam persuasionem.* Viden' quam prodigiosa sit reflexionum probabilisticarum vis? Si agere contra propriam conscientiam, alienam sequendo expedit, persuade tibi hoc licitum esse. Reflecte,

hanc

hanc esse doctrinam recentiorum; & tum ex principiis reflexis formas propriam persuasionem, qua decernis id licere; & tunc agis iuxta propriam conscientiam. Conscientia tua tibi dictat, mendacia numquam licere, contractum esse usurarium: vides Doctores oppositum docere. Quod Doctores docent, probabile est. Ergo agendo contra conscientiam tuam directam, & iuxta alienam vi considerationis reflexae, agis iuxta propriam conscientiam. Tempus me deficeret, si omnia vellem quae ibidem, & in ceteris quaestionibus citatis Terillus promit, pro dignitate expendere.

IX. Relata doctrina pugnat cum ipso communi sensu. *Frustra sibi* (inquit Bernardus de gradib. humil. cap. XII.) *de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur qui, ut liberius peccent, libenter infirmantur, vel ignorant.* Evidentius damnat S. Thomas subdolam, atque artificiosam, & veteratoriam hanc ignorantiam 1. 2 quaest. LXXVI. art. 4. *Contingit autem quandoque quod talis ignorantia directe, & per se est voluntaria, sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid, ut liberius peccet: & talis ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum. Ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi.*

X. Porro quod ignorantia ex suspensione iudicii directi consurgens sit criminosa, luce ipsa meridiana evidentius est. Edisserite, quaeso, nobis o Probabilistae arcanum istud. In suspensione iudicii directi numquid e mente delere valetis absolutam legis notitiam? Dum iudicatis directe, sententiam faventem legi esse probabiliorem, contractum vi talis sententiae esse usurarium; vos suspenditis practicum dictamen super usura, & mentis oculum convertitis in minorem probabilitatem, proponentem contractum ab usura immunem. In hac momentanea suspensione iudicii directi amittitis ne absolutam, & probabiliorem notitiam legis vetantis usuram? Solus stultus id adfirmabit. Quod possitis coercere mentem ne in dictamen practicum erumpat, quod valeatis mentem convertere in minorem probabilitatem, ultro vobis concedere volumus; at quod e vestigio obliviscamini verisimiliorem legis notitiam, nemo sana praeditus mente adfirmare poterit. Evidens ergo est, hoc vestrum commentum suspendendi *iudicii directi* futile esse, ac subdolum. Futile est: quia vos minime eximit ab ignorantia vincibili, ut contendit Terillus, istius figmenti inventor, cum Caramuele: quoniam ignorantia invincibilis dici nequit illa quae praesupponit verisimiliorem legis notitiam, ut fuse ostensum est supra. Subdolum simul est & vafrum, quantum ex eiusdem natura colligitur. Absit enim ut quid simile de auctoribus talis commenti suspicemur. Bona ipsi fide illud excogitarunt, ut opportunum ad tuendum Probabilismum, sed & nos bona fide ac sincere existimamus, talem philosophandi methodum repugnare & christianae sinceritati, & bonae fidei, & rectae rationi. Quid aliud praefert inventum istud, nisi claudere oculos luci, ne dignoscatur vitium, quod placet, & opponere reflexionum den-

sam nubem, quæ veritatem abscondat? Huc recidit universum mysterium probabilisticum. Quare merito exclamat doctus, & pius P. Camargo Lib. I. contr. VIII. art. 3. §. 4. num. 76. pag. 172. *O vis benigni Probabilismi! Quantum differs a via veritatis, adeoque ab omnibus viis Domini, quæ universæ quidem benignitas, sed & veritas simul sunt!* Universæ viæ Domini misericordia, & veritas. *Iam vero benignitas illa quæ procul est ab omni via Dei, procul sit etiam necesse est ab omni vera benignitate.*

XI. Aliud absurdum consequitur hanc appellationem Probabilistarum ad prudentes. Quoniam, admisso hoc systemate, omnes Moralistæ sunt docti, probi, prudentes. Tametsi enim conditiones multas præscribant necessarias pro classico Auctore; nihilominus ut suffragia Probabilismo quærantur, omnes Scriptores alleguntur in eiusdem favorem ad augendum auctoritatis pondus. Hoc ergo principio posito, quod sequens opinionem probabilem prudenter operatur; & qui prudenter operatur, non peccat, vix scelus est quod fuco probabilitatis non obducatur. Quandoquidem vix est scelus quod probabilibus rationibus non queat depingi. Aperiatur Summa, non dicam Dianæ, & Escobarii, sed S. Thomæ Aquinatis. Vix occurret articulus, in quo modo tria, modo quatuor, modo sex argumenta non reperiantur in favorem errorum quos S. Doctor confutat: & interdum eiusmodi argumenta plus apparentis roboris præferunt quam rationes quas allegant Diana, Escobar, Tamburinus, Sporer in confirmationum plurium laxarum opinionum, quas ipsi ut minus probabiles defendunt. Quisque conferre potest argumenta Angelici Doctoris, producta in favorem opinionum quæ repugnant fidei, & moribus, cum argumentis quæ aliqui Probabilistæ promunt in defensionem opinionum, quas ipsi reputant probabiles. Si ergo urgeret syllogismus allegatus, quo evincitur, quamlibet opinionem esse probabilem quæ sex, vel octo propugnatores habet, quando horum rationes sunt reputatæ graves, & solidæ, vix crimen est quod probabilitatis lenocinio nequeat obduci.

XII. Respondet P. La-Croix *Lib. I. num. 361.* nequaquam reperiri opiniones *vere* probabiles pro universis sceleribus: quoniam fides declarat plura esse illicita, & mortifera. *Resp. negando seq. Quia certum est non dari opiniones VERE probabiles pro OMNIBUS sceleribus. Fides enim docet, multa prohiberi vere illicita; & habemus moralem certitudinem de multis in se illicitis.* Hæc responsio cedit argumento, atque eidem succumbit. Contendit solum, non dari opiniones *vere* probabiles pro *omnibus sceleribus*, quorum malitiam fides ipsa divina revelat. Ceterum millia sunt quorum malitiam fides aperte non prodit, nec moralis evidentia illam manifestat. Harum omnium occurrent ne opiniones *vere* probabiles? Id consequi videtur responsum P. La-Croix. Hoc autem nobis absurdum maximum est. Dicimus enim, non solum non reperiri *pro omnibus* opiniones *vere* probabiles, sed neque pro ullo scelere. Si tum solum peccaremus, cum aut lumine fidei, aut evidenti notitia deprehendimus operis malitiam, nulla forent ignorantiæ peccata.

§. IV.

§. IV.

Qui sint veri sapientes & prudentes. Probabilistæ suum syllogismum revocant in eos prudentes de quibus controversia est, utrum sint tales. Propterea eorum demonstratio est perridicula petitio principii.

I. Hominum alios esse stultos, alios sapientes necesse est, docetque Augustinus Lib. de utilit. cred. cap. XII. *Nam nemini dubium est omnes homines aut stultos, aut sapientes esse*. Quinam sapientes? Num acuti Sophistæ, & ingeniosi Reflexistæ? Absit. Solos veraces, & bene moratos sapientes asserit ibidem Augustinus. *Nunc autem sapientes voco, non cordatos, & ingeniosos homines, sed eos quibus inest, quantum inesse homini potest, ipsius hominis, Deique firmissime percepta cognitio, atque huic cognitioni vita, moresque congruentes. Ceteros autem, cujusquam modi artibus, incertisque affecti sunt, quolibet victu probandi, sive improbandi, stultorum in numero deputaverim*. Nemo ergo sapiens sine virtute: virtus nulla sine veritate. Probabilistæ, inquit Elizalde *Lib. VIII. quæst.* V §. 4. qui errorem loco veritatis existimatum virtutis regulam efficiunt, hac ratione orare Deum valent. *Emitte* (Domine) *falsitates tuas, & errores tuos. Nos fine invicte tenebimus, & dicemus: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua*. Blasphemia immanis est a Deo errores petere, & falsitates, cum Deo admodum repugnent error, & falsitas. Verum Probabilistæ, constituentes errorem, existimatum veritatem regulam operis meritorii, qua ratione in Deum meritum omne supernaturale revocant, ita revocare errorem debent, qui est regula talis meriti.

II. Quisque heinc colligit (resumit sermonem Augustinus) quanta sit necessitas investigandi, quinam sint veri sapientes, qui nos in hac tenebricosissima valle dirigant. *Nihil igitur nobis restare modo videt, quamdiu stulti sumus, si nobis vita optima, & religiosa cordi est, nisi ut quæramus sapientes*. loc. cit.

III. Verum hic gravissima occurrit quæstio, seu difficultas (pergit Augustinus) qua nempe ratione invenire nos sapientes valeamus. Quoniam si ignoramus sapientiam, profecto sapientes dignoscere nequimus, quemadmodum divites non discernit qui quid sint divitiæ nescit. Omnes se sapientes ostentant in illis ipsis rebus in quibus variæ, oppositæque sunt controversiæ: & tamen certum est ex tot oppositis disputatoribus solos illos esse vere sapientes a quibus stat veritas. *Hic rursus oritur difficillima quæstio. Quonam enim modo stulti invenire sapientem poterimus, cum hoc nomen, tametsi nemo fere audeat palam, plerique tamen ex obliquo*

sibi vendicent? Cum de rebus ipsis quarum cognitione constat sapientia, ita inter se dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certe unum necesse sit esse sapientem. Sed quinam iste sit, cum ab stulto requiratur, quo pacto queat dignosci plane, atque percipi, omnino non video. Neque enim signis quibuslibet cognoscere aliquid potest, nisi illud ipsum cuius ea signa sunt, noverit. Atqui sapientiam stultus ignorat . . . Non ergo potest, quamdiu stultus est quisquam, certissima cognitione invenire sapientem, cui obtemperando a tanto stultitiæ malo liberetur. De utilit. cred. cap. XIII. P. Michael Elizalde, qui fuse hanc Augustini doctrinam explicat, ad Probabilistas suam convertens orationem, sic eos alloquitur: *O beati Probabilistæ . . . in dissidentibus sistunt, in utrislibet tuto, prudenterque credi, ac utrorumlibet dicto vitam honeste regi, suum dogma est*. Lib. VIII. quæst. v. §. 5.

IV. Quo ergo lumine, quo duce a tam obscura abyssu, a labyrintho adeo tortuoso exire poterimus? Si ignorantes omnes ex originis nostræ culpa sumus, insipientes, & cæci; qua via discernere ab imprudentibus prudentes poterimus? Resolvit difficultatem Augustinus *cit. Lib. de util. cred. cap. XII.* his verbis. *Huic tam immani difficultati, quoniam de religione credimus, Deus solus mederi potest, quem nisi & esse, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipsam religionem debemus*. Hanc se tenuisse viam in assequenda veritate, testatur ipse cap. VIII. *Restabat quærere, quænam illa esset auctoritas, cum tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis silva, cui demum inferri multum pigebat; atque inter hæc sine ulla requie cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tum magis magisque ab istis, quos iam deserere proposueram. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis quam ut divinam providentiam lacrymosis, & miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer, atque id sedulo faciebam*. In universo hoc *libro de utilitate credendi* inculcat necessitatem orationis, qua imploretur a Deo lumen, & gratia cognoscendæ, amandæque veritatis æque in morum ac in fidei controversiis. Post precibus imploratum divinum auxilium, ad sacros deinde libros se se recepit, ut testatur Lib. VII Confess. cap. XX. & XXI. *Sed tunc lectis Platonicorum illis libris, posteaquam inde admonitus quærerem incorpoream veritatem, invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi . . . . . Garriebam plane quasi peritus, & nisi in Christo Salvatore nostro viam tuam quærerem, non peritus, sed periturus essem. Iam enim cœperam velle videri sapiens . . . . Ubi enim erat illa ædificans caritas a fundamento humilitatis, quod est Christus Iesus*? Quid egit, ut e silva humanarum disputationum tandem pedem referret? Respondet ipse: *Itaque avidissime arripui venerabilem stilum spiritus tui, & præ cæteris Apostolum Paulum: & perierunt illæ quæstiones* &c. Evanescerent etiam hodie tot disputationes, veluti nubes ad Solis conspectum, si, missis tot Casuistis, profunda humilitate S. Pauli libri legerentur.

V.

V. Sapienter ergo inquirendi : ad sapientes confugiendum : sapientibus credendum. Quinam isti sapientes? Prophetæ, Evangelistæ, Apostoli, Concilia, constitutiones pontificiæ, Patres sancti. Primi generis Scriptores, sapientes prudentesque ab errore immunes fatentur Catholici omnes. Concilia œcumenica, Pontifices summos pariter in fidei, morumque controversiis infallibilitatis privilegio potiri asserimus. Patrum doctrinæ communiter in fidei, & morum controversiis veræ sunt. Nec fortuita aliqua aberratio obscurare valet sapientiæ, & prudentiæ prærogativam, qua ipsi insigniti sunt. Ecclesia, dum illos Sanctorum albo adscripsit, declaravit illorum doctrinam sanam illis fuisse. Quod si illis, quidni & nobis sana erit? Hi sunt igitur sapientes, quibus plena adhibenda fides est. Sed numquid a sapientum censu expungemus recentiores omnes? Numquid omnes recentiores imprudentes, & insipientes? Absit a nobis decisio tam audax, & temeraria. Ecclesiæ est hoc iudicium ferre. Illa spiritu Dei illustrata nobis patefacit, sanctos Scriptores esse veros sapientes, & prudentes. Inter recentiores sapientes, prudentesque reperiri, quis tam demens, ut hoc neget? Quis tam audax, ut hos præ illis designet? *Illud* (inquit P. Michael Elizalde Lib. VIII. quæst. VIII. §. 4.) *ex dictis factis est perspicuum, plurimos maxime omnis doctrina revelata vacuos comprehendendos haud esse, qui non ausuri forsitan Logicam, aut Physicam Aristotelis commentari, de universa morum, virtutum, vitiorumque possessione, quæ profundissima pars est Theologiæ, expertes etiam moralis Philosophiæ, & Theologiæ speculativæ, libros interea morales evulgant, atque de cunctis decernunt.* Ab hoc catalogo excludendi sane sunt innumeri illi Moralistæ de quibus P. Terillus loquitur in prologo ad *conscient. probab.* qui spiritu ambitionis, inquit ille, & placendi hominibus studio ducti, laxissimas evulgarunt opinationes.

VI. Ex his sic colligo. Certum est veros sapientes notos esse, & manifestos iudicio definitivo ipsius Ecclesiæ. Hi autem sunt quos recensui, Prophetæ, Evangelistæ, Apostoli, Concilia, Pontifices, Patres. Non minus perspicuum est recentes Theologos, qui nullo definitivo Ecclesiæ iudicio Sanctorum albo adscripti sunt, non esse veros sapientes atque prudentes. Hi ergo ad summum sapientes dubii sunt, & controversi. Ad hos dubios & controversos sapientes suam demonstrationem revocant Probabilistæ. Ergo hæc demonstratio perridicula est principii petitio. Quoniam principium in quod resolvitur demonstratio quæque, certum sit oportet & ineluctabile.

VII. Exemplo rem declaro. In eruditorum academia disputatur de eleemosynæ præcepto in gravi pauperum necessitate : utrum plures in anno actus divini amoris elicere urgeamur : num occisio latronis ob furtum unius aurei sit grave peccatum : utrum restrictiones omnino mentales sint mendacia? Allegantur ex una parte auctoritates Augustini, Chrysostomi, Basilii, Ambrosii, Bernardi, Tho-

mæ Aquinatis, Bonaventuræ. Catholici omnes summa veneratione susciperent tantorum virorum auctoritatem. Insurgit ex altera parte Probabilista, qui, ut horum doctrinam Sanctorum confutet, vel ut aliquam aliam quæstionem gravem resolvat, hoc pacto argumentatur. PP. Diana, Tamburinus, Escobarius, Kazembergius, Castropalaus, Sanchez, Sporerius, Burgaberius contrariam opinionem defendunt. Ergo vera. Nonne sibilis & cachinnis exciperetur a doctis viris eiusmodi argutatio? Quid ad nos, clamarent, de Diana, de Caramuele, de Tamburino, de Escobario? Ratiocinium istud universum est P. Michaelis Elizalde *Lib. VIII. quæst.* VIII. *§.* 5. „ Sed ecce novus aliquis disputator accedit, & prælectionem dicere exorsus . . . dicit: Ratio dubitandi est auctoritas . . *Dianæ*, *Caramuelis*, „ *Tamburini* &c. Quod, precor, tunc murmur adstantium inciperet? Mirarentur, „ opinor, novi disputatoris audaciam alii, alii etiam riderent, *omnes vero despicerent*. Quid vero, si hisce auctoritatibus propugnator aliquis impeteretur? Scita „ est responsio. Nam nullum dubium quin diceret: Transeat auctoritas: & nego „ consequentiam. Vel forte etiam diceret: *Nego suppositum*: hoc est, nego *eam* „ *auctoritatem esse auctoritatem*, qua quidpiam ullo modo probetur. Atque hæc ab „ omnibus recepta sunt. Certa autem, vel probabilia sunt quæ omnibus viden„ tur." Duas heinc colligo illationes omnino ineluctabiles. Ergo iuxta æquam doctiorum æstimationem demonstratio probabilistica falsa est, & deridenda. Ergo vi systematis probabilistici probabile est præfatam demonstrationem esse putidum paralogismum. Quandoquidem vi systematis probabilistici est probabile præfatam Probabilistarum demonstrationem esse falsam, & ridiculariam. Quoniam vi istius systematis omne id probabile est quod doctorum hominum iudicio nititur, & quod nec Scripturis, nec Patribus repugnat. At non repugnat Caramuelem, Dianam, Tamburinum, Escobarium, Sporerium, Lacroixium, Busembaum, La-Cruz, Manriquez nullius esse auctoritatis in re morali. Ergo vi istius systematis probabile est demonstrationem vestram falsam esse. Hæc enim probabilitas nititur iudicio illorum Doctorum qui cachinnis exciperent auctoritatem Caramuelis, Tamburini, Escobarii ad dirimendam controversiam moralem.

VIII. Verum formidanda illatio, quam ex iis quæ diximus, eruit P. Michael Elizalde, eiusmodi est. Si in academiis, si in gymnasiis Eruditorum, & Theologorum, derisione, ac sibilis exciperentur auctoritates Terilli, Caramuelis, Tamburini, Dianæ, Zanardi, Bonacinæ, Escobarii ad dirimendam morum caussam; nonne lacrymis, & dolore summo digna res est, quoties istorum opinationes assumuntur, & præscribuntur tamquam regulæ conscientiarum in maximo & unico rerum negotio? Istorum sensis, & regulis ministrantur sacramenta, perficiuntur contractus, diriguntur animæ in itinere æternitatis? Quis non pavet, quis non terretur hæc recogitans? Christus Dominus clamat: *Contendite intrare per angustam*

ſtam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt : Theologi autem iſti per viam latam ducunt fideles. Clamant iſti : *Iugum meum ſuave eſt*; ac ſi ſuave eſſet, non ſuavitate caritatis, ſed ſuavitate probabiliſticæ laxitatis. Sed audiamus ſapientiſſimum Elizaldam *Lib. VIII. quæſt.* VIII. *§.* 8. ſic ſcribentem. „ Ex quo nunc perſpicias miſerandam prorſus rerum ad conſcientiam pertinen- „ tium, totiuſque moralis Theologiæ conditionem, in qua res quæque eis aucto- „ ritatibus ſtatuantur, ac probentur quæ in concione ſapientium, vel in diſputa- „ tione, ubi veri & falſi leges ſervantur, nec ad dubitandum quidem dignæ exi- „ ſtimantur, & quas ad probandum aliquid nemo auſus eſt adducere : quæ au- „ ctoritates eſſe in primis negantur, atque ex eis nullam concluſionem ſequi, o- mnes ſupponant, exploratumque habeant.“ Ratio cur iſti ſapientum loco non habentur, eſt, quod probabilitatem, non veritatem inquirant. Nulla autem abſque veritate ſapientia eſt. Quomodo ſapientes, quomodo prudentes, ſi defendunt, propoſitiones contradictorias ſimul eſſe probabiles reſpectu eiuſdem intellectus? Scribit vero M. Tullius Lib. I. de nat. deor. *Quorum opiniones, cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes; alterum fieri profecto poteſt, ut earum nulla; alterum certe non poteſt, ut plus una vera ſit.*

IX. Si ita res ſe habet, quid ergo de tot Moraliſtarum libris? Igni ne conſecrandi? Reſpondet P. Elizalde *loc. cit. §.* 8. eo in loco iſtos habendos quo illi Patres, & antiquiores habuerunt. Neglexerunt illi Patrum, & ſacrorum Scriptorum volumina in decidendis morum controverſiis. Prætereantur iſti totidem annis, & negligantur, ut continua ſit Pauli epiſtolarum, aliorumque ſacrorum librorum lectio. Aequa hæc ſane agendi ratio, quæ tamen quibuſdam diſplicebit. Sed audiant iſti celebrem Ieſuitam Elizalde *loc. cit.* „ Hæc ſit breviſſima, & æquiſſima „ ſane reſponſio : cum his ſcilicet libris id faciendum eſſe quod per ipſos, eorum- „ que auctores cum ſanctis Patribus, Doctoribuſque Eccleſiæ factum eſt; quod i- „ tem factum eſt cum Prophetis, cum Evangelio, cum Apoſtolis : & ſicut hi o- „ mnes penes derelicti ſunt, tantiſper illi derelinquantur, & in uſum praximque „ doctrina ſacra, Sanctorumque reſtituatur : atque ſic eis vicem iuſtiſſime rependamus.“

X. Non me latet, plures heinc commovendos fore; verum eorum indignatio iniuſta eſt. Iacuit in conſcientiæ foro tot ſæculis Auguſtinus, iacuit Thomas, &, quod plus eſt, iacuit Paulus. Eccur æquum non erit ut tamdiu iaceat *Diana*? Si reviviſcerent Ambroſius, Chryſoſtomus, Bernardus, Bonaventura : quis eos non præferret Caramueli, Tamburino, Eſcobario, La-Cruz, La-Croix, ceteriſque? Hæc omnia æquiſſima ſunt. Verum iterum loquatur ſapiens Ieſuita Elizalde *loc. cit.* „ Nimirum hoc loco offendi, commoverique iure, vel iniuria multi poſſunt, „ iure non poſſunt. Iacuit diu Auguſtinus in foro conſcientiarum regendarum.

„ Quis, quæso, ab institutis christianis tam longe positus est qui non consultius „ arbitretur ut tantumdem saltem *taceat DIANA*, & ad forum eius loco sedeat „ *Augustinus*. Si vel *Ambrosium*, vel *Caramuelem* vivere oportet, quis non „ Ambrosium præhabeat? Si populi vel ex *Chrysostomo*, vel *Gregorio*, vel ex *Tamburino*, & *Escobario* regendi sint, si vita fidelibus ex alterutris instituenda: „ quis eorum non præferat quos Doctores vitæ nostræ Ecclesia sancta mater, & „ magistra nostra nobis porrexit? *Hæc clara sunt, & nulli iniuriam facimus. & „ si persecutionem propter iustitiam patiemur, beati a Domino habebimur.* “ loc. cit. pag. 150.

XI. Responsurum te audio. Una vivant hi omnes, simulque Ambrosius, Gregorius, Bernardus, Thomas regnent cum Caramuele, Tamburino, Diana, Escobario, Castropalao. At hi simul regnare nequeunt. Illorum libri pleni sunt opinionibus damnatis, aut damnandis: istorum libri scatent opinionibus laxis, contrariisque. Istorum ergo media pars falsa est. Falsitas autem fœdus haud valet cum veritate inire. Hæc sunt persapientis Iesuitæ Elizalde verba *loc. cit.* „ Sed dicis, utrosque simul vivere, & regnare posse. Augustinos ergo, & Ambrosios restituamus quidem, & neutros dimittamus. Ad hoc plura brevissime respondeo. Primo, „ oraculo pontificio constat nobis, quibus Sedes Apostolica in loco suo est, irrepsisse modum in rebus conscientiæ opinandi omnino alienum a simplicitate evangelica, & doctrina sanctorum Patrum. Hic porro modus, & hæ opiniones alicubi „ sane sunt, & in aliquibus libris sunt. *Hi ergo libri cum Evangelio, & doctrina „ Sanctorum simul vivere, regnareque non possunt... Secundo, ex constitutis hoc „ opere constat, doctrinam sacram, & Sanctorum conciliari non posse cum opinionibus „ multorum, non modo in particulis quibusdam, & quasi conclusionibus, sed nec in „ ipsis quidem principiis universalibus philosophandi. Utrique ergo simul vivere, regnareque nequeunt. Tertio, apertis multis libris Moralistarum notorie constat, „ pene nullum usum in eis esse doctrinæ sacræ, & Sanctorum. Tantumdem ergo cum „ ipsis tantisper fiat. Quarto hi libri contrarietate, & contradictione pleni sunt: ex „ quo proinde dimidia saltem pars falsa sit. Sed nulla falsitas cum sacra doctrina, & „ rara vel nulla cum doctrina sanctorum Patrum de fide, & moribus conciliari potest. Hi igitur libri, quamdiu saltem falsa hæc omnia non expungantur, una cum „ doctrina Sanctorum Patrum de fide, & moribus conciliari non possunt.*“

XII. Illud tamen animadvertendum, non esse omnes indiscriminatim recentiores Theologos cum quibusdam Probabilistis, & Casuistis confundendos permiscendosque. Habet & ætas nostra, habebunt & posteriores ætates usque ad consummationem præfiniti temporis suos sapientes, suos prudentes. At nostrum non est, quinam isti sint, declarare. Nostrum non est hos extollere, illos deprimere; illos excludere, hos includere. Iudicium hoc Ecclesiæ est reservatum. Nobis interim Docto-

ctores Ecclesiæ, & Patres audiendi sunt, tamquam veri sapientes, prudentesque. Recentes legi possunt, tamquam sapientes, prudentesque controversi, non ut cæco modo illos sequamur, sed critice adhibita, atque ut illorum opiniones cum antiquorum doctrina conferantur. Ubi cum antiquis convenerint, sequendi; ubi dissenserint, relinquendi. *Noti sapientes* (inquit Elizalde) *necessarii in primis sunt, & credendi; controversi vero ad controvertendum, atque ad verum per controversias indagandum deserviunt. Notos sapientes audire debemus, posteriores examinare.*

XIII. Nemo autem iure nobis improperare valet, quod plurimos recentiores Probabilistas a numero prudentum, & sapientum excludamus: id quippe prius factum legimus tum a Pontifice summo Alexandro VII. in suo decreto, tum a gravissimis Theologis, tum denique ab ipso Probabilistarum recentiorum principe P. Antonio Terillo in sæpe citato *prologo ad consc. probab.* ubi inquit: *Innumerabiles sunt qui .... in opiniones laxiores oculos, animumque coniecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirum placituras ... Immo incredibile non est eos subtili SATANAE insinuatione deceptos sub humanitatis cuiusdam lenocinio, mutuique honoris specie, quibusvis aliorum dictis probabilitatem ideo attribuisse, ut quam ipsi prærogativam prioribus ultro dedissent, eam ipsis posteriores non inviderent. Hac arte dolosus inimicus .... laxitatis zizania superseminavit, & abiit.* Plures regulas, quibus prudentes, verique sapientes ab imprudentibus discernere valeamus, alibi explicabimus.

§. V.

Quam vana sit persuasio, non posse absque Casuistarum libris confessiones excipi.

I. QUis fidelium confessiones audiret? Quis tot obvios usuræ, & simoniæ contractus, tot in quaque materia casus difficillimos resolveret, modernis Moralistis sublatis? Facillimum Rigoristis est severiores scribere regulas, & ad mensulam sedentibus casus abstracte dirimere. In tribunali sedendum pœnitentiæ est, & Christianorum audire confessiones, ut quanta sit benignitatis probabilisticæ, & recentium librorum necessitas, percipiatur. Hæc & similia frequentissime cantitant christianæ Moralis ignari, & probabilisticæ novitatis sectatores.

II. Huic obiectiunculæ respondet ipse P. Paulus Segneri epist. 2. pag. 88. *Per li quindeci secoli antecedenti non si pensava ad esso* (al Probabilismo) *più che agli antipodi innanzi al Colombo; e con tuttociò si viveva con buone regole di pietà cristiana quanto al presente: si scioglievano dubbj, si arrecavano consigli, si ascoltavano confessioni, s' esercitavano tutti que' ministeri di carità fervorosa che il nostro secolo ha creditati in benefizio delle anime.* Audistin'? Probabilista est qui talia fatur. Nec

audias P. Claudium La-Croix, scribentem Lib. I. num. 299. *Terillus autem ostendit iam ab initio Ecclesiæ fuisse apud sapientes, & probos viros praxim etiam consulendi secundum sententiam benignam.* Hæc sunt consueta Terilli figmenta, quæ nullo delectu La-Croix transcribit, sed quæ omnes Probabilistæ Terillo anteriores damnant, & improbant, ut *Lib. II.* ostensum est.

III. Aliud responsum exhibet doctissimus Elizalde *loc. cit.* „ Dices iterum, in „ libro Dei, & doctrina Sanctorum deesse doctrinam necessariam salutis ad regen- „ dos populos, dirigendasque conscientias. Verum ostensum est, hanc doctrinam „ numquam magis quam fidem in Ecclesia defecisse. *Et monstrum monstrorum est,* „ *si existiment, se nunc venisse ad dandam scientiam salutis plebi eius. Ad hoc* „ *quippe ille venit qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui* „ *Ecclesiam ædificavit firmamentum, & columnam veritatis, cuique depositum custo-* „ *diendum credidit, quod haud dubie illa servavit.* Non hic doctrina, sed conside- „ ratione, & minimo saltem gradu humilitatis opus est. Illud itaque faciendum „ incunctanter asserimus cum his libris quod cum libris sanctis Dei, & Sancto- „ rum per eos factum est, ut hi vivant, & regnent. Et ad opinatores illud A- „ postoli dicere possunt: *Iam sine nobis regnatis, utinam regnetis, ut & nos vo-* „ *biscum regnemus.*"

IV. Tertium responsum ipse præbeo. Absque recentiorum libris nequeunt dirigi conscientiæ Christianorum qui pie volunt vivere in Christo Iesu, & ad normam evangelicæ legis suos conformare mores; *nego.* Absque Casuistarum libris non valetis confessiones audire Christianorum qui nolunt recte vivere, qui comœdiis, theatris, ludis, pompis, luxui, comessationibus indulgent, qui solvere mercatoribus debita, operariis mercedem reddere, Ecclesiis legata tribuere recusant, qui opipare mensas instruere pauperum carnibus, qui vestium luxum fovere mercenariorum sudoribus, & pauperum sanguine immanissime conantur; qui tempus terunt in mulierculatum commerciis, & servitute: hos similesque Christianos, sublatis probabilisticis libris dirigere non valetis; *concedo.* Ergo Probabilistarum libri necessarii absolute sunt pro recto conscientiarum regimine, sacramentisque ministrandis, *nego consequentiam.*

V. Paucis rem explico. Pro audiendis confessionibus haud est necessaria multorum librorum lectio, sed multa pietas, multa prudentia, multus Dei spiritus. Pia intentione, sanctoque animo, ut pie credere iuvat, recentiores Probabilistæ plures opiniones invexerunt, quibus faciliorem autumarunt reddere viam Dei. Rigorem legis laxarunt, &, ut ipsi aiunt, attemperarunt humanitati, accommodarunt carnis imbecillitati, quod nequiverunt legis severitati carnem, & appetitiones submittere: quia mores ad normam reformare non potuerunt, normam moribus subiecerunt, tali semper, sicut ipsi putarunt, cautione, & tot distinctionibus adhibitis, ut existimarint hac via, omnia esse integra: (vulgo *salvar la capra, e i cavoli.*)

VI.

VI. Hac Theologia benigna, dulci, commoda, & in utramque partem versatili, seu flexibili instructi a iuventute plurimi Confessarii, ita præventi sunt in favorem laxitatis, quam immerito vocant benignitatem, ut vix non hæresim reputent, dum audiunt sibi istorum plurium librorum neglectum suaderi. Sciant tamen, nos minime huiusmodi librorum lectionem absolute contemnere; quin addimus utilem esse interdum posse, debito adhibito examine. *Illis* potissimum utilis est horum librorum lectio qui eorumdem opiniones discutere, & confutare velint, qui illorum sophismata diluere, & veritatem a captiosis distinctiunculis asserere cupiunt. Ceterum qui salutis animarum sincero desiderio ardent, frequentissime legant Apostolum Paulum, sancta Evangelia, Patres sanctos, Ludovicum Granatensem, & sibi veram forment imaginem christianæ vitæ. In Scriptoribus sacris, in Patribus, in libris asceticis non invenient casuum decisiones, sed reperient vividis coloribus depictum christianæ vitæ spiritum. invenient eloquentia divina inculcatum, quid agendum sit, ut Christianorum vitam ad vivum exemplar vitæ Christi JESU Redemptoris nostri conforment: invenient cælestia pharmaca, quibus passionum vulneribus medendum sit. invenient remedia infirmitatum, & æternæ vitæ solamina. Quænam hæc? Audi, & serio meditare. Ambulandum per arctam, duramque viam, ingrediendum per angustam ianuam, confligendum cum carne, bellum passionibus indicendum, coercendam concupiscentiam, comprimendam cupiditatem, eruendum oculum, abscindendam manum, ut scandalum vitetur. Invenient continenter vigilandum, orandumque, enitendum adversus sanguinem, & mundum, bonum pro malo reddendum, & ab omni specie mali cavendum. Invenient cum tremore & timore saluti adlaborandum, virtutes excolendas theologicas, & morales ceteras, potissimum humilitatem, denique exuendum veterem hominem, novumque, nempe *Christum Dominum*, induendum, contemptis pompis, vanitatibus, & voluptatibus terrenæ Babylonis. Hæc sunt prima christianæ vitæ lineamenta, quæ si altius mentibus vestris fuerint impressa, facillime, sublatis Casuistis, in salutis semitam animas revocabitis, atque per eam ad patriam perducetis. Casuisticis libris innutriti, sibilis hæc excipient. Sancta, inquient, hæc omnia. At quid, quæso, ad casuum decisionem? Verum habet, præfatas regulas non decidere hunc aut illum casum, hunc aut illum contractum; tamen sapientiæ lumen tantum infundunt, quo valeas & casum quemlibet decidere, & per securam semitam animas ducere. Paucis. primum lege quæ dixi; post percurre celebriores Moralistas; & quæ offenderis Evangelio congrua, selige. Sed ad sacram Scripturam opiniones Moralistarum revoca, quin ad istorum effata Evangelium detorqueas.

VII. Verum quia pauci semper fuerunt qui ad hanc amussim cælestem suos conformare mores voluerint, quid actum? Probabilistæ pio desiderio amplificandi sal-

salvandorum numerum, cum nequiverint ad descriptæ evangelicæ vitæ exemplar reformare Christianos, relaxandam istius vitæ evangelicæ severitatem expediens judicarunt, plurium distinctiuncularum artificio. Præcepta a consiliis, quæ sæpe sunt ad observanda præcepta media necessaria, indiscriminatim, & nimis ample separarunt. Præcepta affirmantia, quæ virtutum officia præcipiunt, aut extenuarunt, aut in nihilum redegerunt. Continenter amandum, colendum, orandum sanctissimum parentem nostrum Deum, natura, Scripturæ, Patres omnes inculcant. Probabilistæ hæc, & alia similia mandata, missis illis qui usque ad quinquennium observantiam differebant, vix semel in anno onus obligationis ex debito imponere docent. Neglecta observantia mandatorum affirmantium, e vestigio sequitur transgressio præceptorum negantium, quæ abstinendum a vitiis, & peccatis jubent. Et ut multa in pauca contraham, Probabilistæ vitam evangelicam depictam in Scripturis jugum reputarunt valde severum, non portandum a Christianis: idcirco probabilistica suavitate severitatem temperarunt, distinctionum fuco præceptorum affirmantium rigorem deliniverunt, & novæ benignitatis lenocinio talem vitæ christianæ imaginem efformarunt, quæ non Christo crucifixo, sed gaudenti mundo sit consentanea.

VIII. Porro, ut hanc vivendi methodum dulcem, suavem, mundoque affinem, tamquam evangelicam, defendant Probabilistæ, immensam illam casuum, distinctionum, reflexionum multitudinem excogitarunt. Confessarii clamant, se nec in Scripturis, nec in Patribus reperire decisiones casuum, quas in probabilisticis libris illico offendunt: idque verum prorsus habet. Sed neque in Scripturis, neque in Patribus talem vivendi rationem a Christiano servandam invenient, qualem in Casuistis. Quomodo enim in Scripturis, Patribusque eas offendes sententias quæ non promovent, sed destruunt potius, aut extenuant illius vitæ methodum quam Christus præscribit? Multa, immo plurima dicenda præsto essent; sed timeo prolixitatem. Unum tibi meditandum suggero. Lege Evangelium, lege Paulinas epistolas, sed animo humili, demissoque. Continuo te quodam sacro terrore commotum senties. Ubique salutis negotium difficillimum occurret. Ubique colliges, totis viribus eitendum, colluctandum, contendendum sine intermissione ut in tuto collocetur. Huc omnia studia, conatus, sollicitudinem, & curas omnes esse dirigendas, nihilque curandum præter hoc unum negotium, certo addisces. Lege Patres omnes, & isti uberrima argumentorum copia, & cælesti quadam eloquentia hæc omnia inculcant, exaggerant, suadent, persuadentque bene in Deum affectis.

IX. Soli Probabilistæ facile tibi hoc negotium depingunt, dum morum regulas explicant. Difficile in abstracto fatebuntur, ne aperte Evangelio contradicant; verum, dum mandata divina interpretantur, suavitatem legis, ut primum principium, prætiacent, ut obligationum vim relaxent. Fac hominem ea omnia agere

quæ

quæ Probabilistæ plurimi aut ut licita omnino, aut ut a gravi culpa immunia defendunt. Quid tum? Christianus ne erit homo iste? Vix erit ad Ethices Platonis, Aristotelis, aut Ciceronis regulas compositus. Merito ergo exclamamus cum piissimo Camargo. *O via benigna Probabilismi! Quantum differs a via veritatis, adeoque ab omnibus viis Domini!*

X. Nolite ergo Confessarii aures obtundere, vos casuum decisiones in Scripturis, & Patribus non invenire: quia hoc verum est, sed invenietis regulas omnino oppositas: invenietis ea omnia quæ necessaria sunt animabus conformandis ad vitam Christi. Ea in Scripturis, & Patribus non reperietis quæ sensui & carni, quæ appetitionibus humanis indulgent. Hæc in Casuistis. Sed ea omnia invenietis quæ ad agendum salutis vestræ negotium, & ad assequendum æternæ vitæ præmium conducunt. Multiplicarunt Casuistæ quæstiones innumeras, ut vitam ingererent quæ reapse ea non est quam Evangelistæ nobis referunt. Quare ut divinam hanc imaginem aut obscurarent, aut minuerent, ut novam, quam excogitarunt plures, honestam & spectabilem efficerent, fucis, lenociniis, distinctiunculis, umbris, reflexionibus, technis, effugiis propemodum infinitis opus erat.

XI. Absit tamen ut hoc in loco omnes recentiores constituamus, quemadmodum toties animadvertimus. Quid quod omnes pia & sancta intentione salvandi animas, leges relaxasse, sæpius diximus? Accedit quod nos absolute nullius Casuistæ lectionem improbemus; sed dicimus, nullum sine examine, sine delectu, sine relatione ad Scripturam sanctam, & Patres nostros legendum esse. Dicimus, benignitatem quam Probabilistæ deprædicant, alienam esse a benignitate & suavitate evangelica. Illa in relaxanda lege, eaque carni accommodanda tota occupatur, hæc in unctione cælesti, qua vires humanæ naturæ roborantur ad observanda præcepta, quæ vi istius divinæ gratiæ observatu facilia evadunt, sita est. Benignos & misericordes volumus etiam nos Confessarios omnes. Hæc autem misericordia, & benignitas eo spectet, ut pœnitentium corda emolliat, ut summa patientia illorum toleret defectus, absque tædio, & molestia sustineat, eosque modo misericordiæ, modo iustitiæ ostensione a peccatis revocet. Si viderint Confessarii, pœnitentes suos ex sacramentorum frequentia meliores fieri, & a peccatis abstinere, tum colligent regimen illorum bonum esse. Si contra viderint, illos sacramentorum frequentiam cum peccandi consuetudine consociare; eos ut indignos ab altari removeant. Verum de hoc plura suo loco.

§. VI.

§. VI.

Brevis complexio eorum quæ in hac dissertatione dicta sunt.

I. PRobabilistæ communiter docent, opinionem minus probabilem haud esse regulam conscientiæ proximam, sed tantum remotam. Hæc tamen infere principia reflexa, vi quorum formatur practicum dictamen, quod est proxima, & immediata regula conscientiæ. Principia reflexa sunt: *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur*. Hoc principium appellant *a priori*. Alterum est: *In dubio de honestate actionis melior est conditio possidentis*. Heinc colligunt: Qui sequitur opinionem minus probabilem, sequitur opinionem vere probabilem. Ergo prudenter operatur. Antecedens, quod falsum ostensum est, loco principii habent, cum sit id quod in quæstionem vocatur. Alium syllogismum formant. Lex quæ prohibet pingere in die festo, non est certa, sed dubia. Homo in hoc dubio ius possidet libertatis. Ergo immunis a lege est.

II. Demonstratum evidenter fuit, hæc duo principia falsa esse, & absurdorum plena. Quoniam in dubio, Deus supremus Dominus, non homo, libertatis ius possidet. Accedit quod nulla actio sit licita, nisi conformis agnoscatur æternæ legi. Qui sequitur opinionem æque, aut minus probabilem, indicat actionem suam aut indifferentem esse ad conformitatem, & difformitatem, aut probabilius oppositam esse divinæ legi. Ergo non prudens, sed iniquus homo est sic operans.

III. Respondent Probabilistæ, opus directum ab opinione minus probabili non esse conforme legi æternæ primariæ & antecedenti, seu *per se*, sed legi consequenti, vel *per accidens*. Hoc duplicis legis antecedentis, & consequentis in Deo inventum, ut chimæricum & monstrosum reiecimus. Absurda horrenda quæ inde proficiscuntur, patefacta sunt. Alterutrum quippe concedant Probabilistæ necessum est: aut Deum iubere contemptionem voluntatis antecedentis, & sua lege consequente adprobare & confirmare hanc suæ voluntatis æternæ primariæ contemptionem; quæ est blasphemia horrenda: aut hanc voluntatem, seu legem primariam continuo in Deo realiter evanescere, ac opiniones hominum minus probabiles erumpunt in lucem; quæ est altera non inferior blasphemia, & monstrosa chimæra. Hanc tamen dilemmatis partem secundam ultro cum Terillo concedunt Probabilistæ. Sed eam supra penitus labefactavimus.


IV. Hæc sunt quatuor principia, seu cardines quibus tota vertitur probabilistica machina. *Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter operatur*: quod principium ridicularia, & vitiosa principii petitio est. *In dubiis prævalet possessio libertatis*: quod principium evidentius altero absonum est, & falsum in caussa nostra.

ſtra. Nam quando Petrus in litis tractatione allegat pro ſe titulum poſſeſſionis, ridiculum, & cachinnis ſubſannandum ſe proderet, niſi titulus iſte poſſeſſionis materialis certus eſſet, niſi ipſe reapſe abſque diſſidio fundum poſſideret. Si Probabiliſtæ aſſerant, certam eſſe humanæ libertatis poſſeſſionem adverſus æternam Dei legem, ſibilandos ſe exhibent. Si reponant, poſſeſſionem hanc eſſe dubiam, corruit Probabiliſmus, ut ſupra demonſtratum eſt. Opportuna ſunt ſapientis Camargo verba adverſus ultimum principium chimæricum legis æternæ primariæ, & ſecundariæ, per ſe, & per accidens.

V. Hæc itaque ſcribit perſapiens Ieſuita Lib. I. controv. x. num. 23. pag. 281. *Illud autem horrendum monſtrorum omnium monſtrum, vel auditu non tolerabile, quod, quaſi non ſufficeret ad indulgentiam libertatis humanæ facere homines ſui iuris ſolius, & exemptos ab omni ſubiectione, ac naturali ſubordinatione ad voluntatem, & legem Dei, conſtituendo per novam iſtam legem iudicia, & opiniones ipſorum hominum etiam minus probabiles, etiam falſas, regulam honeſtatis moralis, ab omni dependentia & ſubordinatione abſolutam: quaſi parum, inquam, hoc eſſet, Deus ipſe præterea vere ſubiicitur humanis opinionibus, & erroribus, ita ut ſapientia, & voluntas Dei ſubſequi neceſſario debeat, & probare tamquam honeſtum id ipſum quod antecedenter reprobabat ac prohibebat tamquam inhoneſtum ac turpe, quoties homines falſo, dummodo probabiliter, ut aiunt ipſi, licitum, & honeſtum illud eſſe putaverint; maxime vero ſi invincibiliter, quamtumvis turpiſſime, errent; quin immo & vincibiliter, ac voluntarie, ut conſequentiæ lege coactus affirmare* TERILLUS *auſus eſt, quod non credibile tantum, ſed neque cogitabile videretur.* Huc malorum, & abſurdorum devenit myſterium illud benignæ probabilitatis, univerſæ retro antiquitati incognitum. Clamet nunc P. Terillus de conſc. quæſt. XXVIII. num. 14. *Adverſarii autem, quia nondum intellexerunt myſterium, aerem verberant.* An intellexerimus *myſterium* iſtud, revera prodigioſum, quæ hactenus dicta ſunt, evincunt. Quin illud fuſe explicuimus, ut omnibus nota ſint abſurda quæ illud conſequuntur. Quare cum Paulo Apoſtolo *ad Rom.* II. dicere poſſumus. *Nolo vos ignorare, fratres, MYSTERIUM HOC, ut non ſitis vobis ipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte contigit.* Opportunum ne ſit S. Pauli oraculum, iudicent Probabiliſtæ.

VI. Illud magnopere advertendum eſt, hæc Probabiliſtarum principia excogitata eſſe poſt inventum Probabiliſmum. Revolvantur omnium antiquorum volumina, & nihil ſimile in iis apparebit. Probabiliſmus inventus eſt: commodus recognitus fuit in conſcientiarum regimine. Ergo enitendum fuit ut principia invenirentur, quibus propugnari ille poſſet. Affingenda Deo fuit lex *reflexa*, & *per accidens*, quæ Deum ſubiicit hominum opiniunculis, & hominem efficit primam

mam causam. Finem huic capiti impono verbis sapientis P. Palanco *de consc. quæst.* xxviii. *art.* 3. §. 3. *num.* 169. *pag.* 298. „ Lex reflexa intra regnum hu-„ iusmodi Probabilitatis se attemperat nostro iudicio. Concedit pro licito quid-„ quid nos voluerimus iudicare pro licito. Nihil interdicit, nisi quod quisque „ voluerit iudicare interdictum. Complacet in eo, quod eligamus obiectum di-„ recte, & per se prohibitum, quod probabiliter apparet ipsi eligenti prohibitum „ ante affectum suæ voluntatis; dummodo ipse velit iudicare pro arbitratu, ob-„ iectum tale esse licitum. *Sane si regnum probabilitatis tale est, in illo Deus* „ *non regnat; in illo Deus non est supremus Legislator, non est prima regula* „ *morum. Loco ipsius substituitur iudicium nostrum, pro libito nostræ voluntatis* „ *formatum. O infelix regnum, in quo Deus non regnat! Non permittat nos* „ *Deus vivere in tali regno, in quo tradimur propriæ voluntati, & iudicio vo-*„ *luntario nostro gubernandos. Sileo plura quæ mens offert.*"



DIS-

DISSERTATIO IX.

In qua

NONNULLA ALIA ABSURDA PROBABILISMI, ET SOPHISMATA CONVELLUNTUR.

PROOEMIUM.

HUcusque sententiæ & probabilioris, & minus probabilis principia expendimus. Illius vera, istius falsa demonstrata sunt. Immania absurda quæ peculiaria principia, invecta a novis Probabilistis, Caramuele, Terillo, eorumque asseclis, consequuntur, patefacta sunt. Adeo evidens est *Probabilismi* falsitas ex iis quæ diximus, ut superfluum omnino videatur longius protrahere sermonem. Verum si quid indictum omittamus, continuo clamant Probabilistæ, ideo omissum, quod ineluctabile sit. Quapropter in hac dissertatione nonnulla illorum obiecta, licet vana, & inania, sub examen inducere decrevi, ne si illa prætermeam ut inepta, ipsi eadem iactent ut invicta, quæ responsum non excipiant. Illud tamen adverto, non omnia & singula me expensurum, ut immensam prolixitatem devitem. *P. Carolus Casnedi* quatuor volumina consarcinavit improbo labore, ut hoc probabilisticum commentum incredibili verborum, distinctionum, & reflexionum farragine quoquo modo sepiret, muniretque. Quid, si omnia tot voluminum sophismata, responsa, paradoxa ad severiorem criticen revocare vellem? In immensum sane cresceret opus absque ullo emolumento. Nil quippe dignum refutatione promit Auctor iste, non acuminis, sed caussæ defectu. P. Claudius *La-Croix*, licet cetera argumenta obiter discutiat, hanc tamen de probabilitate controversiam paullo fusius versat, & lectoribus suis spondet se omnia Antiprobabilistarum argumenta relaturum, nempe detruncata, in falso sensu exposita, & sub aspectu omnino peregrino. Quia vero recens hic Probabilista obvius est, & omnium manibus teritur; ideo eiusdem & obiecta, & responsa breviter excutiam. Prius tamen nonnulla alia absurda, quæ Probabilismum consequuntur, explicare iuvat.

§. II.

Error Ianſenii, & quid affinitatis cum eodem habeat Probabiliſmus, exponitur.

I. PRimus Ianſenii error huiuſmodi eſt: *aliqua Dei praecepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus eſſe impoſſibilia, ſecundum praeſentes quas habent vires: deeſſe quoque gratiam qua poſſibilia fiant.* Quæ propoſitio hæretica declarata eſt ab Innocentio X. Alius Ianſeniſtarum error, non in quatuor aliis propoſitionibus contentus, ſed poſt Ianſenium excogitatus ab Ianſeniſtis, hic eſt. Quinque propoſitiones, inquiunt, quas damnavit Eccleſia, haud reperiuntur in libro Ianſenii, vel in ſenſu obvio, quo fruuntur in libro Ianſenii, damnatæ non ſunt. Quo effugio inferunt Ianſeniſtæ, Eccleſiam commentitiam, & phantaſticam damnaſſe hæreſim. Quem errorem damnarunt Alexander VII. Clemens IX. Innocentius XII. & Clemens XI. His poſitis, ſequentes elicio argumentationes.

II. Omnia divina præcepta ſunt poſſibilia hominibus, potiſſimum iuſtis. Si poſſibilia; ergo cognoſcibilia. Si cognoſcibilia, ergo poſſibilia. Contra, quæ nequeunt cognoſci, nequeunt obſervari, & quæ nequeunt obſervari, non ſunt poſſibilia. Secundum Probabiliſtas plura præcepta naturalia, & divina minime nobis ſunt cognoſcibilia: quoniam ignorari invincibiliter poſſunt. Ergo iuxta ipſos ſunt nobis impoſſibilia.

III. Ianſeniſtæ, inquis, præceptorum poſſibilitatem negant, non cognitionis, ſed virium, & gratiæ defectu; contra Probabiliſtæ poſſibilia reſpectu gratiæ adfirmant præcepta, & dumtaxat ob ignorantiam inſuperabilem impoſſibilia aſſerunt.

IV. Antequam reſpondeo, id animadverto, quod in memorata hiſtoria ſæpe, & perſpicue ſcripſi, nempe, noſtram orationem minime eo ſpectare, ut probet, eumdem eſſe Ianſeniſtarum, & Probabiliſtarum errorem. Abſit a nobis tanta dementia. Pro certo habemus, ab errore Ianſeniano Probabiliſmum diſtare. Quapropter in titulo capitis dictum eſt, Probabiliſmum *pendere* in Ianſeniſmum, minime vero eſſe Ianſeniſmum. Ipſi ergo fatemur, abſolute a Ianſeniſmo diſcrepare Probabiliſmum. Illud ſolum in diſputationem vertitur, utrum, facta collatione Probabiliſmi, & Antiprobabiliſmi, magis a Ianſeniſmo diſtet Antiprobabiliſmus, vel Probabiliſmus: ſeu illud explicandum ſuſcipimus, quid propinquitatis cum Ianſeniſmo Probabiliſmus in conſpectu Antiprobabiliſmi præferat. His præmiſſis.

V. Diſcrimen adductum diverſam tantum aſſignat impoſſibilitatis radicem, ſecus diverſitatem effectus. Quandoquidem æque mihi impoſſibile eſt præceptum quod non poſſum cognoſcere, ac præceptum quod nequeo implere. Quod hæc impoſſibilitas oriatur aut ex privatione luminis ad cognoſcendum, aut ex privatione virium ad operandum, ſemper punctum præcipuum impoſſibilitatis conſiſtit. Por-

ro Ecclesia sancta non modo definivit, praecepta quae cognoscimus, sed omnia ab-
solute praecepta esse possibilia. Accedit quod Iansenistae plurimas admittunt praece-
ptorum invincibiles ignorantias, quemadmodum & Probabilistae, atque adeo mul-
ta praecepta impossibilia ex capite ignorantiae. Et in hoc solum hi ab illis discre-
pant, quod illi criminosam effutiunt ignorantiam insuperabilem, hi innoxiam il-
lam defendunt.

VI. Instauratur argumentatio sub alio aspectu. Nihil volitum, quin praecogni-
tum. Ergo quod cognoscere nequimus, velle minime possumus. Rursus potestas
observandi praeceptum duo requirit, & lumen ad cognoscendum, & vires ad im-
plendum: & sicut paradoxon videtur, cognitionem concedere, & vires negare; ita
absonum apparet, vires concedere ad implendum, & lumen negare ad cognoscen-
dum; cum ex utroque capite potestas implendi praecepta pendeat.

VII. Et sane Patres omnes, ac Theologi sauciatam naturam docent humanam
tum in mente, tum in voluntate, illamque comparant & caeco nato, & homini
semivivo relicto. Et hinc colligunt, aeque donum Dei esse & lumen ad cogno-
scendum, & vires ad operandum. Iuvat Augustini verba rescribere ex Lib. II. de
peccat. merit. & remis. cap. XVII. *Iam ergo quod tertio loco posui, videamus. Cum vo-
luntate humana, gratia adiuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse,
cur non sit, possem facillime, ac veracissime respondere, quia homines nolunt; sed si
ex me quaeratur cur nolint, imus in longum. Verum etiam sine praeiudicio diligentio-
ris inquisitionis dicam. Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet, an
iustum sit; sive quia non delectat . . . Ignorantia ergo, & infirmitas vitia sunt quae
impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo
abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat,
gratia Dei est quae hominum adiuvat voluntates, qua ut non adiuventur, in ipsis
itidem causa est, non in Deo.*

VIII. Ex quo sic colligit magnus Elizalde *Lib. VII. quaest.* V. §. 3. „ Credant er-
„ go, si volunt, Augustino, causam ignorantiae, & infirmitatis esse unam, eodem
„ modo decidendam: credant rursus, si volunt, quod non innotescat quod latebat,
„ nec suave fiat quod non delectabat, in nobis causam esse, non in Deo: causam-
„ que eam esse, *quia homines nolunt*. Possunt ergo, si volunt. Mirum autem est
„ quod hoc textu tam saepe, tam fidenter, ipsi illi utantur quos hic impugna-
„ mus, pro gratia sufficienti, utpote probent homines posse, si velint, & non ad-
„ vertant, textum eodem modo esse pro cognitione, *& ut innotescat quod late-*
„ *bat*, & Augustini mentem ex aequo directam contra ignorantiam, & infirmita-
„ tem. "

IX. Rursus arguit Elizalde. Effingamus Iansenistam novi generis, sibique ma-
gis constantem. Hic docet, homini iusto volenti & conanti esse aliqua Dei prae-
cepta

cepta impossibilia; violationem tamen haud esse criminosam, seu formalem, sed pure materialem, ut Probabilistæ asserunt. Esset ne propterea ab errore impossibilitatis præceptorum liber?

X. Potestas implendi præcepta, duo, ut diximus, claudit, & cognitionem, & vires. Porro nec cognitio, nec vires istæ sunt in actu, sed vel in actu, vel in potestate nostra. Nam & per ignorantiam, & per impotentiam consequentem, voluntariamque sæpe peccamus. Sat ergo ad peccandum, vel si cognoscas, vel si cognoscere possis, ac debeas. Satis est, si auxilium Dei actu habeas, vel habere possis, & debeas. Quapropter Concilium Tridentinum hunc describit ordinem. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Quænam mihi excusatio, si petendo possim, petere vero nolim? Quod autem de virium auxilio, idem de cognitionis lumine asserendum videtur.

XI. Ne multa: ad executionem quod attinet, perinde se habet virium, ac cognitionis defectus. Alterutro deficiente, impossibilis est præcepti observatio. Impossibilia asserunt Jansenistæ plura Dei præcepta ob virium defectum: impossibilia plurima asserunt Probabilistæ Dei præcepta ex defectu cognitionis, deesse quoque gratiam asserunt ad hæc præcepta cognoscenda.

XII. Antiprobabilistæ e contrario pro dignitate sentiunt de divina gratia, cujus vi & cognoscibilia, & exequibilia asserunt præcepta omnia. Magna istorum pars nullius naturæ præcepti, sive in se, sive etiam in remotis conclusionibus, admittit ignorantiam invincibilem, ob hoc potissimum argumentum, quod ea ignorantia non sit invincibilis quæ viribus gratiæ, licet non naturæ, superari potest. Imo toto cœlo, nedum ostio, aberrant illi qui ignorantiam invincibilem explicant, spectata naturalium virium efficacitate. Sicut enim dum de possibilitate executionis mandatorum Dei sermo est, spectatur natura, non suis relicta viribus, sed gratiæ virtute roborata; ita, cum de cognoscibilitate præceptorum disputatur, consideratur quid mens humana possit, non suis, sed gratiæ viribus. Porro quemadmodum Deus omnibus donat auxilia sufficientia ad servanda, ita ad cognoscenda mandata. Hoc, inquam, argumento, sane mihi gravissimo, probant Antiprobabilistæ plurimi, nullam omnino juris naturalis ignorantiam invincibilem reperiri. Porro quis dixerit, istos Antiprobabilistas multis parasangis remotiores non esse præ Probabilistis a Jansenismo? Alii vero Antiprobabilistæ nullius omnino præcepti naturalis ignorantiam invincibilem admittunt, aliquam dumtaxat remotam consequentiam pluribus factorum circumstantiis implicitam, ignorari invincibiliter posse affirmant. Undequaque ergo plus distant Antiprobabilistæ quam Probabilistæ a Jansenismo. Quis nunc non percipit quam sit inconsulta, quam audax impostura Jansenismi, quam Antiprobabilismo affingunt Probabilistæ?

XIII. Hinc concludit Elizalde *loc. cit.* „ Hinc denuo cernitur, quomodo *via*
„ *ipsa probabilium in Iansenismum ex suo etiam instituto vergat*. Eo enim illa it,
„ & tendit, ut ab ipsa præceptorum observatione nos liberet, & eximat. Aliun-
„ de vero ait, nisi ipsum admittamus, nos fore Iansenistas. Hoc autem quid,
„ quæso, est? Sane est nos obligare ad impossibilia . . . Ergo via probabilium ex
„ suo instituto tendit, ut nos ab ipsis præceptis servandis reipsa eximat: hocque
„ ita, ut, sin minus ad impossibile homines obligari velit, & ad dura ac intole-
„ rabilia, ut mitissime dixerim, nimis *vergat in Iansenismum*, nec præceptorum
„ Dei, nec gratiæ dignam habens existimationem.

„ A contrario etiam demonstrative patet, neminem, intelligendo quod dicit,
„ obiicere nobis posse Iansenismum. Nam universa totius nostri operis sententia
„ una est, solas veras doctrinas morum esse rectas doctrinas morum, & rectam
„ regulam. At hæc regula non magis de Iansenio habet quam habeant ipsa præ-
„ cepta Dei. Quare aut Deus Iansenista est (quod esse nequit) aut nos Ianseni-
„ stæ non sumus, solas veras doctrinas, ceu regulam vivendi, constituendo. "

XIV. Laudati censores nostri, contempta P. Elizalde auctoritate, instabant, Iansenismum differre a Probabilismo; atque adeo, ut apertum sophisma, deridebant argumentationem hactenus factam, quæ tota est P. Elizalde. Ut similia audivi, evidentius deprehendi varia esse hominum ingenia. Quoniam quæ illi opponebant, iam præoccupaveram *loc. cit. pag. 174.* ubi hæc habentur. *Il mio assunto non ha per iscopo di rimostrare che il Probabilismo coincida, o confuai col Giansenismo. Tanto sono da ciò lontano, quanto che afferma il contrario. Il mio argomento è questo. Fatto il confronto de' due contrarj sistemi, del più probabile, e del men probabile, il sistema del men probabile è assai pendente, e vicino all' errore di Giansenio; per opposito il sistema del più probabile è direttamente contrario al Giansenismo . . . Nè ad altro mira questo argomento, se non a far conoscere, quanto ingiusta e lontana da ogni ragione sia la censura di Giansenismo. Perocchè quando uno de' due sistemi dovesse soggiacere a questa taccia, questo non potrebbe mai essere quello del più probabile, ma bensì quello del men probabile per le ragioni addotte, e per le altre che vo' qui soggiugnere.*

XV. Cuinam in mentem venisset, post tam strictam, cautamque limitationem censores futuros adeo morosos & tetricos, qui præfatam argumentationem carpere ut prorsus ineptam ausi fuissent?

XVI. Plurimæ sunt leges naturales divinæ obscuræ, quarum veritas impervia nobis est: solumque probabili cognitione easdem attingimus. Probabilistæ loco principii habent, eiusmodi leges, in utramque partem probabiliter disputabiles, nullas esse. Istarum legum, & præceptorum ignorantiam admittunt invincibilem. Crudelis tyrannidis Antiprobabilistas arguunt, quod ad has leges servandas fideles adigant.

gant. Quæ enim invincibiliter ignorantur, observatu impossibilia evadunt. Accedit quod Iansenistæ aliqua tantum præcepta impossibilia asserant; Probabilistæ plurimarum legum, & præceptorum ignorantiam invincibilem defendunt: Antiprobabilistarum vero plures nullius præcepti, nec quantum ad remotas conclusiones inde proficiscentes, ignorantiam admittunt, ceteri nullius pariter præcepti, sed solum alicuius remotæ consequentiæ insuperabilem ignorantiam concedunt. Ergo, facta collatione utriusque systematis, magis antiprobabilisticum, quam probabilisticum, distat a Iansenismo.

XVII. Iterum sic urgeo Probabilistas. Aut hi defendunt, omnia præcepta naturalia esse evidenter cognoscibilia; aut concedunt multas leges obscuras, inevidentes, & probabiliter disputabiles in utramque partem. Si primum, ergo labuntur in errorem Iansenistarum: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Quoniam in hac hypothesi vellent dumtaxat leges evidenter cognoscibiles. Si secundum aiunt; ergo de medio tollunt omnes leges naturales disputabiles probabiliter in utramque partem, atque adeo observatu impossibiles efficiunt. Quod enim non est, observari nequit. Lex dubia, inquiunt Probabilistæ, non est lex. Ergo illa observari nequit.

XVIII. Reponebant censores, quantum meminisse licet, discrimen latum adhuc esse Probabilistas inter & Iansenistas. Sed responsum istud iam refellimus. Nonne ipsi fassi sumus discrimen istud? Nonne diximus, Probabilismum absolute spectatum nec recidere in Iansenismum, nec propinquum illi esse? Sed eo tantum argumentatio nostra pertinet, ut, facta collatione Probabilismi, & Antiprobabilismi, cum Iansenismo, magis ab hoc distare evincatur Antiprobabilismus quam Probabilismus; atque sic evidentius diluamus imposturam Iansenismi, quam Probabilistæ nobis obiectant.

XIX. Sed, missis censoribus, nonnulla expendamus eorum quæ reponit P. Casnedi *Tom. II. disp. XV. sect. III. §. 3.* Inquit autem *num.* 70. Iansenistam non ideo esse hæreticum, quia negat mandatorum possibilem observantiam; sed quia negat gratiam qua possibilia fiant. *Nos autem*, pergit ille, *dum negamus possibilem præceptorum prorsus ignoratorum observantiam, Iansenistæ esse non possumus: alias omnis dormiens, omnis infans, omnis amens Iansenista erit.*

XX. Responsum potius dormientis est. Siquidem nec indirecte diluit vim argumentationis P. Elizalde. Cedo: Iansenistæ non errant, quia negant possibilem observantiam, sed quia negant gratiam qua possibilia fiant. Ergo Probabilistæ non errant, quia negant possibilem observantiam præceptorum prorsus ignoratorum, sed quia negant gratiam, qua superetur hæc ignorantia. Nam vel admittunt hanc gratiam sufficientem ad servanda omnia præcepta iuris naturæ; aut secus. Si secundum; negant ergo & ipsi cum Iansenistis gratiam qua possibilia fiant. Si pri-

mum; ergo ignorantia præceptorum non est invincibilis. Ignorantia quippe quæ, gratia collata, aut oblata, superari valet, invincibilis nullo modo est. Nec est quod dicas, hoc retorqueri argumentum posse in Antiprobabilistas, admittentes ignorantiam invincibilem conclusionum remotarum a primis præceptis. Quandoquidem etiam isti magis distant ab Iansenismo quam Probabilistæ. Illi enim paucarum conclusionum remotarum a principiis; isti vero plurium legum, & præceptorum invincibilem ignorantiam propugnant. Ut obiter dicam adversus censores morosos, argumentum factum adeo efficax est, ut illud etiam P. Tyrsus Gonzalez *disp.* XI. *§.* 4. grave reputaverit, & responsa quæ exhibet, non sunt, ut mea præfert opinio, adeo perspicua, quæ plene satisfaciant. Verum, utrumque res hæc se habeat, nobis sat. est, vi argumentationis illud patere, nimirum magis Antiprobabilistas quam Probabilistas, facta utriusque systematis collatione, distare a Iansenismo. Hoc & non amplius intendit inferre disputatio nostra.

XXI. Aliud responsum præbet P. Casnedi *loc. cit. num.* 71. videlicet, præcepta probabiliter dubia esse probabiliter cognoscibilia. Quare si quis velit ea servare, potest, non tamen tenetur. Aliud enim est quod præceptum probabiliter tantum cognitum existere, non obliget, quod verum est: aliud, quod non possit impleri; quod falsum est. Ergo Probabilismus omnino differt a Iansenismo.

XXII. Hæc P. Casnedi responsio nos cogit sub oculos revocare immania Probabilismi absurda. Ut enim P. Casnedi asserat a Iansenismo suum Probabilismum, illum Iansenismo monstrosiorem efficit; atque manifestis antilogiis semetipsum conficit. Siquidem fateri astringitur, legem probabiliter in utramque partem disputabilem, & cognoscibilem, esse vi systematis probabilistici, & non esse observatu possibilem. Quod lex probabiliter disputabilis in utramque partem, sit cognoscibilis, possitque observari, est tua prima propositio. Quod vero hæc eadem lex sit observatu impossibilis vi systematis probabilistici, probo. *Lex dubia iuxta Probabilistas non est lex*. Hoc est unum ex quatuor principiis cardinalibus Probabilistarum. Sed lex quæ non est, observatu impossibilis est. Ergo iuxta Probabilistas eiusmodi præcepta sunt, & non sunt observatu impossibilia. Sophistica, inquis, est argutatio isthæc. Nam si quis velit reapse servare legem dubiam, potest eam servare. Ais? Lex dubia ergo existit. Falsum ergo principium probabilisticum, quod lex dubia non sit lex. Melius ergo reponit acutus Probabilista. Si quis velit observare legem dubiam, tum observabit legem non naturalem, non divinam, sed legem pro libero ingenio confictam. Lex enim naturalis, vel divina controversa non est lex, & observari nequit; ut argumentum factum evidenter concludit. Alio syllogismo te conficio. Præcepta quorum habetur ignorantia invincibilis, sunt incognoscibilia, & observatu impossibilia. Atqui iuxta Probabilistas istorum præceptorum habetur ignorantia invincibilis. Ergo sunt incognoscibilia, &

obser-

observatu impossibilia. Minor propositio, quæ sola adduci in discrimen posset, est ex concessis manifesta, & est quoque unum ex principiis Probabilistarum. Docent hi, sequentes opinionem minus probabilem, licet falsam, adversus legem non peccare: quia ignorantia invincibili legis laborat. Hæc autem ignorantia invincibilis probabilistica monstrosiorem Iansenismo Probabilismum efficit, ut sequens argumentatio evincere vi ratiocinii videtur.

XXIII Error gravissimus est Iansenistarum, asserentium ignorantiam invincibilem non excusare a culpa. Paradoxon prodigiosum est Probabilistarum, qui aiunt, invincibili ignorantia præceptorum laborare eum qui verosimilius cognoscit præcepta hæc existere, & obligare. Hæc probabilistica ignorantia, præcisa damnatione Ecclesiæ, & vi ratiocinii spectata, monstrosior Iansenjana videtur. Errant sane turpissime Iansenistæ, negantes ignorantiam invincibilem excusare a culpa: quia quod vinci non potest, non est voluntarium. Sed ut hanc veritatem ipsi eludant, confugiunt ad voluntarium in Adamo, contenduntque hanc ignorantiam, secundum præsentes quas homo habet vires, esse utique involuntariam, & invincibilem, sed fuisse voluntariam in Adamo, & hoc voluntarium satis esse ad peccatum actuale. Et hic multa subtilia obtrudunt, quæ imperitis fucum facere possent. Verum illorum errorem damnavit Ecclesia. Ignorantia probabilistica e contrario adeo repugnat communi sensui, ut vel ipsis imperitis sincere exposita, portentosa appareat. Ignorantia invincibilis ea est quæ superari nequit. P. Casnedi cum omnibus suis Probabilistis fatetur, se probabilius, seu verosimilius cognoscere legem existere, legem obligare: & simul aiunt, se ejusdem legis laborare ignorantia invincibili illo ipso tempore quo probabilius eam agnoscunt. Probabilistæ fatentur, homines viribus pollere ad observanda omnia præcepta. Concedunt, se probabilius cognoscere legem controversam obligare. His positis, quia occurrit minor probabilitas opposita, defendunt impossibilem legis observantiam. Concedunt vires in voluntate, concedunt majus lumen in intellectu ad legem cognoscendam; & nihilosecius contendunt, transgressionem talis legis esse involuntariam: quia cum illo majore lumine conjungunt ignorantiam invincibilem. Conferantur hæc cum recensito errore Iansenjano, & judicium pronuntietur. Probabilistarum perfugium est ad reflexiones Tertullianas, quæ deliberate multiplicantur, ut spissam nubem obscurantem veritatem efficiant. Itaque Iansenistæ nobis repræsentant Deum injustum, & crudelem, dum aiunt, illum nos ad impossibilia obligare; Probabilistæ nobis depingunt Deum secum pugnantem. Nam sua æterna voluntate absoluta, & primaria vetat mendacia, perjuria, furta, usuram &c. & simul eadem sua æterna voluntate, ut *per accidens* considerata ad libitum cujusque homunculi *probabilizantis*, illa scelera approbat *per accidens* ut virtutes, ut merita æternæ vitæ digna. Deus juxta Probabilistas plurimas leges instituit obnoxias disputationibus hominum; sed has leges non pro-

 mul-

mulgavit. Ergo Deus vult has leges, quia eas condidit; & simul has leges non vult, quia eas non promulgavit. In legum institutione splendet sapientia; sed in defectu promulgationis deest providentia. Superfluæ quippe evadunt institutæ leges, quæ non promulgantur. Qui promulgationis defectus arguit aut impotentiam in legislatore, aut inconsultam providentiam in aptando leges subditorum viribus. Hæc, & alia plura horrenda consectaria ex ignorantia probabilistica proficisci supra ostensum est.

XXIV. Laudatus P. Casnedi *loc. cit. num.* 73. hæc scribit. „ Horreo ad hoc di„ ctum, nempe quod hæc propositio, *Sola veritas est regula morum*, nil plus ha„ beat de Iansenismo quam ipsa præcepta Dei. " Et ego repono, ideo Probabilistas toto ostio aberrare, scilicet quod *horrorem illis veritas ingerit*. Horres ad hanc propositionem? *Sola veritas est regula morum, nil plus habet de Iansenismo quam ipsa præcepta Dei.* Horres hanc comparationem? Horres ergo veritatem. Quid sunt præcepta Dei? Veritas. Quid lex Dei? Veritas. *Lex tua veritas*. Quænam vera regula morum? Lex Dei. Ergo vera regula morum lex est veritatis. Probabilitates falsæ, reputatæ veræ, sunt regulæ fictæ & apparentes, quæ interdum, intercedente nempe ignorantia invincibili, excusare a culpa valent, numquam tamen vera regula morum esse queunt.

XXV. Alia commenta quæ ibidem congerit P. Casnedi adversus sapientissimum P. Elizalde, nimis sunt (detur venia verbo) mania & futilia. Siquidem P. Elizalde nullibi comparat dictum hominis cum dicto Dei. Sed comparat verbum Dei prolatum ab homine, cum verbo Dei nobis a Deo revelato. Utique non implicat, Elizaldam errare, dum a se loquitur; sed implicat, Elizaldam errare, dum verba Dei refert, dum dicit, *legem Dei esse legem veritatis*, dum asserit legem Dei esse veram morum regulam. Horret P. Casnedi doctrinam Elizalde, quia revera præventus probabilisticis præiudiciis, eam non percipit. Aliqua obiter dico in defensionem sapientissimi viri, cujus lectione non parum me profecisse ad maiorem Dei gloriam fateor. Plura dicerem, si opus esset, sed illius doctrina suo splendore a noctuis se defendit. Plurima congerit P. Casnedi adversus doctrinam sapientissimi viri huius, quæ indicta prætereo: tum quia se ipsis corruunt; tum ne opus meum in immensum excrescat. Testor tamen, me nulla ideo prætenire, quod negotium facessant, sed ideo quod confutatione digna non reputem.

XXVI. Quantum porro declinent Probabilistæ in alterum Iansenistarum errorem, paucis ostendam. Negant Iansenistæ, damnatas quinque propositiones in Iansenii reperiri libro. Negant Probabilistæ plures, centum & amplius propositiones damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. extare in Casuistarum libris. Ut hanc secundam propositionem evincam, cum facti sit, textus adducam

opor-

oportet Probabilistarum eamdem adfirmantium. Verum si omnes exscribere vellem, Tomum implerem. Quisque legere Casuistas valet, & nisi passim inveniat, quemlibet fere Probabilistam defendere, sui instituti Auctores nullam docuisse damnatam propositionem, tum caussæ propositæ renuntiare volo. Unum ex omnibus proferam P. Dominicum *Viva*, qui hæc scribit *in tratin. in propos.* 26. *&* 27. *Innoc. XI.* quæ propositiones 26. & 27. sunt de restrictionibus mentalibus. *Utraque* (inquit Viva) *propositio a plurimis primi subsellii DD. videbatur doceri apud Dianam, & apud Sanchez. Verum si attente mens plerorumque istorum cum eodem Sanchez inspiciatur, & si advertatur ad casus in quibus docent has amphibologias licere, & eorum fundamenta; liquido apparebit, eos nolle licitas esse restrictiones pure mentales.*

XXVII. Luce meridiana clarius est, ambas propositiones, ut iacent, reperiri in Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* VI. *a num.* 12. *usque ad* 20. Eum legat qui vult, & iudicet. Quid? Ipse P. Viva *loc. cit.* usum restrictionis interioris concedit rusticis. En eiusdem verba: *Quando tamen non occurrit commoda æquivocatio, aut RESTRICTIO EXTERNA, si causa sit gravis, rustici possunt usu duplicis scientiæ, facile obvio, veritatem occultare, non animo decipiendi, sed solum permittendo deceptionem.* Restrictiones ergo *internæ* mentis vetitæ sunt litteratis, & acutis hominibus; quod isti facile queant verba captare, & infarcire amphibologica, quæ duplicem exteriorem sensum prodant. Rusticis vero, & obtusis hominibus licitus erit usus restrictionis interioris, quod his obvia non sint verba æquivoca. An hic P. Viva defendat nec ne propositionem damnatam restrictionis mentalis, ceteri iudicent. Caute saltem, ut ego quidem arbitror, legendus est.

XXVIII. Probabilistæ itaque illi qui defendunt, in doctis suis iunioribus minime reperiri propositiones damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. imitantur Iansenistas, qui negant, quinque propositiones extare in Iansenii libro. Et scandala quæ ex contumacia Iansenistarum, negantium *Iansenismum* contineri in *Augustino* Iansenii, sequuntur, proportione servata, consequuntur etiam opinionem Probabilistarum illorum qui negant, *Laxismum* damnatum ab Ecclesia haberi in libris Casuistarum. Iansenistæ, negantes quinque propositiones contineri in libro Iansenii, inferunt Iansenismum proscriptum *phantasma* esse, Probabilistæ illi qui pernegant, Laxismum damnatum ab Alexandro VII. & Innocentio XI. doceri in libris Casuistarum, inferunt scandalum, quod Ecclesia damnavit propositiones phantasticas, & chimæricas. Et sane eo progressi sunt Probabilistarum plures, factionis amore præventi, ut adfirmate negent, aliquam ex damnatis propositionibus reperiri in suis Auctoribus. & dum verba eadem obiectantur illis, reponunt, sensum damnatum illa non præferre. Quamobrem, ut tanto malo

op-

opportunum exhibeatur remedium, dicunt multi, FORMULARIUM necessarium fore subscribendum a Probabilistis, simile illi quod subscribendum a Iansenistis instituit Alexander VII ut animadvertit perdoctus piusque P. Vincentius Contensonius *Lib. VI. Theolog. ment. & cord. cap. 1. diss. 11.* „ In negotio Iansenii omnes „ ad unum contestati sunt, circa facti etiam quæstiones profundam summo Pon- „ tifici reverentiam esse præstandam. Alii ulterius progressi, obnixe contende- „ runt, ut doctrina Iansenii in sensu ipsius, totius Ecclesiæ subscriptione sine ul- „ la facti, iurisque præcisione damnaretur. Bene est . . . Nonne idem Alexan- „ der & Iansenii propositiones damnavit, & apologiam Casuistarum proscripsit? „ Nonne iidem Galliarum Episcopi in laxissimam Probabilistarum doctrinam gra- „ ves tulere censuras, nec minus acerbas iis quibus Iansenium reprobarunt? „ Numquid Ecclesiæ decreta patent exceptionibus arbitrariis suscipientium, qui „ non eodem reverentiæ obsequio ea prosequi teneantur? . . . Cur non instituta „ est in Gallia aliqua *FORMULA, in qua corruptionum moralium laxitas subscri- „ ptione damnanda offerretur; cum certum sit, quamplures non solum intus recon- „ dere, sed foris propalare, & ad praxim damnatas propositiones reducere?* . . . „ Causas huius operose non scrutor. Id a te exigo, ut Ecclesiæ Prælatorum „ consensioni, Romanæque Sedis censuræ eadem semper fide, eadem observantia „ obsequaris. Non sit tibi pondus, & pondus. “ Hæc pauca dixisse sufficiat, ut palam facerem adversus tetricos censores, recte efficaciterque concludere argumentationem qua P. Elizalde evincit, Antiprobabilismum magis quam Probabilismum recedere a Iansenismo; quia in hunc valde pendere Probabilismum, facta utriusque systematis collatione.

CAPUT II.

Probabilismus viam aperit omnibus fere sectis in religionis negotio probandis.

I. PLena manu versant hoc argumentum Antiprobabilistæ, potissimum Vincentius Baronius, Iacobus a S. Dominico, aliique communiter. Quare illud ego fere indictum prætéribo, ne actum agam. P. Carolus Antonius Casnedi *Tom. II. disp.* XV. *sect. 3.* quoquo modo solvere tentat Antiprobabilistarum argumenta, quæ absurda Atheismi, Polytheismi, & omnium hæreseon consequi Probabilismum evincunt. Tantum otii non est, nec operæ pretium censeo, responsionum istarum imbecillitatem refellere.

II. Quædam ego ipsorum principum Probabilistarum dicta referam, quæ nec P. *Casnedi* nec aliorum excipiunt responsa. Primo loco loquitur Caramuel primipilus Probabilistarum. *Cur non licebit dicere Romanam* (sic introducit Caramuel

Ba-

Basanomentum Lutheranum loquentem) *quidem Ecclesiam esse probabilissimam, adeoque in foro interno esse securissimam: & tamen hoc ipso non obstante Lutheranam, quam ipse profitetur, esse etiam probabilem, atque æque christianam, ac securam, immo securiorem omnino: quoniam minus probabilis sententia, si benignior, etiam securior est? Cur non licebit addere, se esse in quieta conscientia apud Lutherum, adeoque non teneri redire ad Ecclesiam Romanam, nec a Christi religione secedere? Sic discurrit etiam Basanomeneus, sed poterit erudite compesci*. Theolog. fundamen. num. 1362. Hoc eodem loco refert loquentem celebrem P. Valerianum Capuccinum, Lutherano indicentem aut regressum in sinum Romanæ Ecclesiæ, aut abjurationem Christianismi. Contra Lutheranus, scribit Caramuel, „ *fervide* „ *insurrexit*, *& dixit*: Christianismus *probabilissima* religio est: & sub ipso dan- „ tur *sectæ* antiquiores, juniores, *severiores*, benigniores. Lutherana est christia- „ na, & probabilis, & *multo Romana benignior*. " Hoc argumentum adversus Probabilismum refert Caramuel, illudque confutare studet, sed infelici conatu: quia legitima sunt novi systematis consectaria; sed quia nimis horrida, effugia captantur.

III. Probabilistæ alii, technis positis, aperte fatentur, hæreticos posse in propria secta salutem assequi Probabilismi virtute. Hæc enim scribit Erardus Billius *tract. III. cap. 1.* apud Contens. *loc. cit.* „ Etiam puer baptizatus non peccabit „ credendo hæresi sibi propositæ, & quam a parentibus edoctus est; nisi habeat „ argumenta convincentia, & probabilitatem excludentia suæ sectæ. *Quamdiu* „ *enim probabilis est, non peccat eam sequendo*. Quo fit ut multæ puellæ us- „ que ad vigesimum annum vix censeri possint hæreticæ. *Quis enim dicat*, „ *eas non habere argumenta probabilia suæ sectæ? At nemo peccat sequens opi-* „ *nionem probabilem*. "

IV. P. Thomas Sanchez *Lib. II. in Decal. cap. 1. num. 6. pag. 87.* hæc scribit. *Dum infidelis sibi persuasum habet, suam sectam esse probabilem, quamvis contraria sit probabilior, teneretur utique in articulo mortis constitutus veram fidem, quam probabiliorem judicat, amplecti, utpote qui in eo articulo est constitutus in quo de æterna salute agitur; ac proinde partem quam tutiorem, & probabiliorem judicat, amplecti tenetur. At extra eum articulum non tenetur, quod adhuc prudenter existimet se posse in sua secta perseverare, tempusque rei melius examinandæ superesse. Adde mysteria fidei tam sublimia esse, ac christianos mores adeo carnis, & sanguinis legibus repugnare, ut non quævis major probabilitas sufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem*.

V. Audistin' mysterium probabilisticum? Ut infideles excusentur ab amplectendo veræ fidei onere exaggeratur austeritas religionis. Ut fideles eximantur ab hac religionis austeritate, clamatur: *Jugum meum suave est*. Sic alloquuntur Proba-

babilistæ Christianos. Dum vero ad infideles sermonem habent, en quæ scribunt. *Adde mysteria fidei tam sublimia esse, ac christianos mores adeo carnis, & sanguinis legibus repugnare* &c. Doctrinam P. Thomæ Sanchez defendunt P. Matthæus Moya *in select. Part. II. in append. ad disp. v. quæst. 11. pag. 345.* Eamdem defendunt Busembau, Escobarius, aliique Probabilistæ.

VI. Plures alios eiusmodi textus adferre in medium possem; sed hi satis sunt ad finem nostrum. Laudati Probabilistæ, cum principes sint istius systematis, penitius comprehenderunt quæ ex eodem necessario dimanant. Hi autem minoris probabilitatis usum æque defendunt in materia religionis ac in quacumque alia. Nulla est hæresis quæ veritatis fuco delibutam se se visendam non exhibeat. Quis est qui defendat errorem cognitum ut errorem? inquit S. Augustinus Lib. XXII. contr. Faust. cap. XVII. *Numquid est hæresis quæ non veritatem se nominet? Et quanto est superbior, tanto magis se etiam perfectam nominat veritatem.*

VII. Damnata ab Innocentio XI. hac propositione, *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*, non audent Probabilistæ in religionis negotio usum probabilitatis defendere. Sed dicimus, hoc eos negare necessitate coactos, non vi systematis ductos. Edisserant nobis, cur usus opinionis minus probabilis sit regula conscientiæ in morum, secus in fidei materia? En ex una parte *Decalogum*, en ex altera *Symbolum*. Non est minus verum quodlibet Decalogi mandatum, quam quilibet Symboli articulus. Quæstiones æque super Symbolo ac super Decalogo passim occurrunt. Cur qua ratione Probabilistæ ad voluntatem interpretari Decalogum contendunt, eadem non poterunt hæretici pro libito interpretari Symbolum? Cur sex Casuistæ securam conscientiæ regulam efficiunt opinionem minus probabilem in quæstionibus Decalogi, secus sex Protestantes nequeunt efficere securam conscientiæ regulam hanc minorem probabilitatem in controversiis fidei? Antesignani Probabilistæ legitima agnoverunt utriusque generis consectaria ideirco tam in fidei, quam in morum caussis usum minoris probabilitatis concesserunt. Recentiores nequeunt concedere hæc consectaria in fidei materia, quia Ecclesia vetat, & quia hinc sequitur, quemquam in sua secta salvari posse. Verum nos dicimus, eos hoc vi proprii systematis negare non posse. vel assignent nobis discrimen, non fictum, sed verum.

VIII. Nec reponant, sectas esse improbabiles, ab Ecclesia vero proscriptas non esse in his controversiis opiniones certo probabiles. Quia nunc præscindendum est ab Ecclesiæ proscriptione; & solum spectandum, quid vi systematis sequatur. Quod subdunt, viros probos, & doctos affirmare, in morum materia licitum esse usum opinionis minus probabilis, secus in fidei quæstionibus, pro solutione argumenti vanum est. Nam recurrit petitio, cur hoc asserant. Quæritur,

tur, utrum vi systematis id affirmare queant. Et tandem P. Sanchez erat probissimus, probissimus Terillus, probissimus Moya, probissimus Busembau; & tamen propugnant cum aliis, æque in fidei ac morum controversiis urgere Probabilismum.

CAPUT III.

Probabilismus infestus est auctoritati summorum Pontificum, Regum, Theologorum, Sacerdotio, & Imperio.

I. AD hoc versandum punctum nos Probabilistæ coegerunt. Probabiliori quippe doctrinæ non modo nigrum Rigorismi theta inurunt; verum etiam eamdem pontificiæ auctoritatis contemptricem repræsentant. Hæc enim scribit P. Francolinus in præfat. ad Tyrocin. *Hujus* (Antiprobabilismi) *tria principia sunt, Patres jactare plurimum, Pontifices æstimare parvi, recentiores Theologos nihil.* Hæc illi pro ingenio evulgant, quin quidquam probent. Nos contra evincemus, Probabilismum reapse infestum esse pontificiæ infallibilitati, Principum potestati, Theologorum auctoritati.

II. Eo spectat Probabilismus, ut in controversiis morum *libertati conscientiæ* faveat; quia, inquit, *in dubio melior est conditio possidentis libertatem.* Tribunal probabilisticum adeunt lex divina, & humana libertas, quæ mutuo sibi litem intentant. Et quamquam rationes quæ a lege divina stant, fortiores sint, veroque similiores; nihilominus sententiam pronuntiat judex probabilisticus in favorem humanæ libertatis, quæ rationibus minus probabilibus fruitur. Hinc arguit invicte Augustinus. Si Probabilismus inflectere scit Dei legem, eamque humanis rationibus, & libertati aptare, accommodare; & idcirco *Theologia accommodans* nuncupatur: quanto magis Pontificum diplomata, Principum statuta, Conciliorum canones aptabunt appetitionibus creatæ libertatis! *Verum si Dei legem* (inquit Augustinus Lib. III. contr. Jul. cap. III.) *non sicut se habet, sed sicut vobis placet, intelligitis, quid mirum, si & de lege Imperatoris hoc facitis?*

III. Reponunt, Pontificum dogmaticas constitutiones nulli esse disputationi subjectas, atque adeo extra probabilisticas disputationes. Ita rem se habere, tum Probabilistæ, tum Antiprobabilistæ communi assensione propugnant, Scripturarum, traditionum, Conciliorum, Patrumque momentis nixi. At illud venit in disputationem, asserere ne id vi systematis Probabilistæ queant. Hoc est quod nos inficiamur, probamusque hoc pacto. Quando plures Doctores defendunt sententiam non proscriptam, nec evidenter Scripturæ sacræ, Conciliisque adversam, hæc probabilis est. Si probabilis, licet minus, licita est: quoniam qui probabiliter

ter operatur, prudenter agit. Ergo non peccat. Hoc primo probabilistici systematis principio præsupposito, sic arguunt Gallorum plures. Sententia quæ asserit, Pontificum constitutiones, morum, fideique controversias definientes, Ecclesiæ consensu non accedente, discussioni obnoxias esse, defenditur a pluribus Theologis Gallis. Hæc prima propositio facti est, & certissima. Hæc opinio non est adhuc expresse & definitive ab Ecclesia proscripta. Hæc quoque propositio manifesta est. Ergo hæc opinio vi systematis probabilistici probabilis dicenda erit.

IV. Opponent forsitan Probabilistæ, Gallorum Doctores plures defendere fallibilitatem Pontificum, ut sententiam probabiliorem: ergo etiam ex *Probabiliorismo* sequitur absurdum istud. Qui id obiectat, vel ipsum quæstionis statum ignorat. Quandoquidem Probabilioristas Gallos sic nos aggredimur. Veritas facti est luculentissima, Theologos, & Canonistas Italos, Hispanos, Germanos, & magnam Gallorum partem Scripturarum, traditionis, Conciliorumque documentis munitos, propugnare, Pontificem definientem in rebus fidei, morumque nec fallere, nec falli posse. Quantumvis obfirmati in sua opinione adversarii sint, numquam tamen vi auctoritatis, extrinsecus petitæ, negare audent, probabiliorem esse nostram sententiam, spectata Auctorum immensa multitudine, in cuius conspectu exiguus est illorum manipulus. Ergo nos, non modo Scripturarum, traditionis, Conciliorum, & Theologorum momentis persuasi, verum etiam vi systematis antiprobabilistici defendere cogimur, constitutiones dogmaticas summorum Pontificum infallibiles seipsis esse. E contrario Probabilistæ, quamquam absolute, ut dixi, defendant infallibilitatem pontificiam, vi tamen systematis probabilistici concedere coguntur ceu probabilem oppositam Gallorum sententiam. Quid? Negabunt ne Probabilistæ factum Doctorum Gallorum, qui defendunt præfatam opinionem ut probabilem? Negabunt ne, plures Doctores catholicos, defendentes opinionem quampiam non expresse damnatam ab Ecclesia, constituere eam probabilem? Si hanc secundam propositionem negent, textus Probabilistarum obvii sunt. *Communis Theologorum sententia* (inquit Caramuel Theolog. fundamen. num. 448.) *postulat quatuor Auctores in re quae a multis tractatur: in hoc enim saltem omnes conveniunt, quod opinio quatuor Doctorum sit probabilis.*

V. Quin numerus iste nimius apparuit Caramueli ipsi, qui statim ibidem subdit, quod *opinio unius Doctoris sit probabilis*. Hanc opinionem amplexus est P. Thomas Tamburinus Lib. I. in Decal. cap. III. §. 3. num. 4. & 5. *An auctoritas unius Doctoris sufficiat ad probabilem practice, & proxime opinionem constituendam? Respondeo, tunc solum sufficere unum, tametsi contra INNUMEROS DOCTORES is doceat, quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque ra-*

rationem pro se habet, nec appareat contra ipsum aliquid convincens. Subdit, si ratio istius unius Doctoris sit levis, non posse hominem doctum sequi talem opinionem; posse vero indoctum: quin ipse homo doctus, pergit, potest iudicare rationem Doctoris esse gravem, & a se non penetrari. Hæc sunt verba Tamburini loc. cit. *Quod si eiusmodi Doctor ratione alicuius momenti fulciatur, idque doctus animadvertat, non valet illius sententiam regulariter excipere; cum tamen possit indoctus . . Dico regulariter. Nam potest contingere ut ille rem serio tractans sit adeo doctus, ut sibi liceat prudenter iudicare rationem illius firmam esse, sed minus a se penetratam, vel notam: & item iudicare ipsum rationem in contrarium sibi probatissimam facile posse diluere. In hoc enim eventu eius opinionem, utpote extrinsece probabilem, si amplectaris, prudenter ageres*. Plures allegat Tamburinus Auctores istius opinionis patronos.

VI. P. Dominicus Viva in trutina in propos. 27. Alex. VII. *Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem*, coarctat sensum huius propositionis ad aliquem *iuniorem* vulgarem, & mediocriter doctum. Ceterum, si *iunior* sit doctissimus, omnique exceptione maior; tum reddere opinionem probabilem potest, etiam contra communem Theologorum sententiam. *In eo dumtaxat casu admitti potest ut probabilis, non solum plurium, sed etiam unius Auctoris opinio, etiamsi adversus communem aliorum sentiat*. Melchior Canus hæc scribit Lib. VIII. de loc. theol. cap. IV. concl. 3. *Concordem omnium Theologorum scholæ de fide, aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est*.

VII. Ex his perspicue constat, Probabilismum infestum esse auctoritati Pontificum, Principum, Theologorum, Imperio, & Sacerdotio. Quoniam si quod asserunt tres quatuorve Auctores, probabile est, & si quod probabile est, in conspectu probabilioris licitum est: nemo non videt consectaria quæ hinc proficiscuntur. Possem hic plures propositiones rescribere, quibus Probabilistæ docent, subditum non astringi superiorum mandatis, habita pro se opinione probabili. P. Castropalaus *I. Part. tract. 1. disp. VI. num. 1. pag. 9.* scribit: *Non est controversia, quando detur opinio probabilis ex parte subditi, quod non teneatur obedire; tametsi contraria sententia sit probabilior: tunc enim licitum est ex supradictis amplecti quæ tibi gratior fuerit. Ita notavit* Thomas Sanchez. *Neque obstat, superiorem tunc iuste præcipere, ut tu tenearis obedire: quia non undequaque iuste præcipit, sed probabiliter: ac proinde tu probabiliter solum obligatus eris obedire, & probabiliter deobligatus*.

CAPUT IV.

Diluuntur obiecta adversariorum, collecta a P. Claudio La-Croix.

I. Quamvis inter disputandum convulsa sint omnia adversariorum principia, & responsa eorum contrita, tamen iubet presse & succincte eadem iterum diluere ad faciliorem imperitorum intelligentiam. Et quia adversariorum nonnulli nos ad scholam P. Claudii *La-Croix* mittunt, ut sub tanto magistro modum decidendarum quaestionum apprehendamus, idcirco istius Probabilistarum recentioris antesignani argumenta brevissime diluam. Hic autem *Lib. I. qu. est.* xlt. *num.* 268. simul congerit utriusque partis momenta. Quae in favorem Probabilismi adfert, sunt sequentia.

II. Obiicit *num.* 268. auctoritatem Sac. Canon. Pontificum, Cardinal. Episcop. communemque consensum Doctorum. Resp. Haec omnia evidenter falsa esse, supra ostensum est.

III. Obiicit *num.* 272. Non constat nobis certo de lege quae prohibeat sequi opiniones probabiles, & obliget ad sequendas probabiliores. Resp. Negatur antecedens. Quod subdit „ meliorem esse *conditionem possidentis*, commentum est supra contritum. Festivum est quod adiicit de Lactantio *Lib. III. Inst. cap.* xxvii. inquiente: *Stultissimi est hominis praecepto eorum velle parere quae utrum vera, aut falsa sint, dubitatur, & ideo nemo paret, quia nemo ad incertum vult laborare*. Stultissimus utique est qui dubius se operationi committit. Idcirco dictum est, debere quemquam pro virili adlaborare ut veritatem, aut quod veritati propinquius est, assequatur. Sic explicat semetipsum ipse Lactantius eodem Lib. III. cap. xiii. *Ne trahamur auctoritate cuiusquam, sed veritati potius faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritati locus est: in aeternum stultitiae poena subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit*. Grates agendae huic erudito recentiori, quod tandem unum saltem antiquum Scriptorem nobis opponere dignatus sit.

IV. Quod *num.* 273. reponit, dominium, & possessionem libertatis, a Deo nobis datam, certam esse, atque adeo non impediri, quamdiu prudenter iudicamus actionem talem permitti a Deo, vitiosa petitio principii est. Cur prudenter iudicas, hanc actionem a Deo permissam tibi esse? Quia libertas tua possidet. Eccur libertas possidet contra Deum? Quia prudenter iudicas, actionem talem a Deo permitti. Hic est probabilisticus circulus. Peius est quod retorquet adversus maiorem probabilitatem, ut saepius declaravimus. Nam quoties operamur iuxta id quod post diligens studium iudicamus propinquius veritati, liberi sane a culpa

pa sumus. Quæ ergo comparatio lucis ad tenebras? Nam minor probabilitas reiicit maiorem lucem, & a veritate deliberate recedit.

V. Obiicit *num.* 274. Etiamsi lex existeret, non esset satis promulgata: ergo non obligat. Resp. Plura congerit, quibus evincat, legem controversam satis promulgatam non esse, quæ omnia supra explosimus. Sed, ut omnia quæ *a num.* 274. *ad num.* 282. consarcinat, uno verbo exsufflemus, admisso etiam hoc paradoxo, quod lex non esset promulgata ante subditorum notitiam, adhuc Probabilismus monstrosus est. Nam in caussa nostra subditi habent probabiliorem notitiam esse promulgatam: ergo lex sufficienter nota est, ut dicatur promulgata. Si reponis, non sufficere notitiam probabiliorem, sed requiri evidentem, excludentem omnem contrariam probabilitatem; sequitur, frustra Deum erexisse tribunalia, & supremos iudices, qui legum controversias dirimerent; sequitur superfluam esse Theologiam.

VI. Audias velim quid ad hæc reponat P. La-Croix, cuius hæc sunt verba num. 281. *Si requiratur talis promulgatio, frustra erit omnis Theologia moralis: nam certum erit, ubi erunt utrinque probabilia motiva, certo deesse sufficientem promulgationem legis adversantis libertati, ideoque certo licere partem benignam. Ita Gon. . . . Necesse est scire, an dentur motiva probabilia nec ne, an hæc motiva sint, vel non sint certo probabilia, quod non facile rescitur, ut dictum est a num.* 150. *nec resciri potest, nisi per Theologiam moralem inquirendo in veritatem, & conferendo utrinque motiva. Quod si reperero incertam esse veritatem, & certam esse probabilitatem opinionis directæ faventis libertati, tunc prius potero reflexe iudicare, promulgationem legis adversantis libertati non esse certam; adeoque certo esse legem permittentem operari oppositum. Videri potest Terillus quæst.* XVIII. *quæst.* XLIII. Tenes quam verum sit, hunc P. La-Croix strictissime suo adhærere *Terillo*? Hac doctrina posita, omnes leges, omnia præcepta *adversantia libertati*, in quæ probabiliter docti iuniores disputant, in nihilum occidunt. Quando *incerta est veritas*, & reperis iuniorum certam probabilitatem, tunc *reflexe* iudicare vales, certam non esse promulgationem legis *adversantis libertati*. Quid heinc? Ergo certo iudicare potes, adesse legem oppositam *faventem libertati*. Animadverte, conatus omnes istorum Probabilistarum eo tendere ut faveant *libertati conscientiæ*. Lex adversatur libertati? Ergo, nisi sit evidens, de medio tollatur. Ut lex obliget, non sufficit probabilitas, inquiunt Probabilistæ nostri: necessaria est certitudo, necessaria est veritas evidens. Quia si veritas non sit certa & evidens, iam datur opposita probabilitas; & tum lex nulla obligat. Ne multa: ut exemptus a lege sis, sufficit probabilitas; ut legi obligationi sis devinctus, requiritur certitudo excludens probabilitatem. Hæc certitudo difficile haberi potest. Vix reperitur lex, de cuius obligatione iuniores acu-

acuti non disputent. Ergo vix est lex cui plene sis subiectus. Quis Paganorum tam monstrosam Ethicen docuit umquam?

VII. Obiicit idem P. La-Croix *num.* 282. Qui operatur contra legem ex ignorantia invincibili legis, non peccat. *Sed qui operatur secundum opinionem probabilem, si erret, operatur contra legem ex ignorantia invincibili. Ergo non peccat.* Quomodo probas minorem? Quia, re sufficienter examinata, bona fide iudicat non esse obligationem. Quomodo probas, illum bona fide iudicare non esse obligationem? Silet. Ut certum, id supponit. Hæc est probabilistica ars. Respondetur ergo, non bona, sed mala, sed pessima fide hominem istum iudicare, non esse obligationem, dum probabilius in actu primo iudicat legem obligare. Ignorantia isthæc non invincibilis, sed vincibilis, sed affectata, & criminosa est. Lege quæ fuse dicta sunt de hac monstrosa ignorantia probabilistica *Lib. II. differ.* 11 *cap.* IV. Accedit: si lex nulla est, quid ad ignorantiam invincibilem confugis?

VIII. Confutat *num.* 284. responsum *Vendrochii*, dicentis, rogandum esse Deum ut auferat hanc ignorantiam. Rogarunt, respondet La-Croix, SS. Hieronymus, Augustinus, Thomas &c. & non sunt assecuti quod petebant. Verum errat P. La-Croix. Neque preces necessariæ sunt, ut cognoscatur hæc ignorantia, quæ obfirmate respuit maiorem probabilitatem legis. Res est nimium evidens vel ipsis lippis, & tonsoribus. Hinc corruunt ea quæ adversus oppugnationem *Gonzalez* reponit Probabilista noster a *num.* 284. ad 289. omnia enim, ut futilia, prætereunda ducimus: tum quod convulsa sunt *cit. Lib. differ.* 11. *cap.* IV. tum ne tempus prodigamus.

IX. Obiicit *num.* 289. Qui prudenter operatur, non peccat. Sed qui operatur secundum opinionem probabilem, prudenter operatur. Ergo non peccat. Resp. Quam sit vitiosus, & fallax syllogismus iste, fuse probatum est *differ.* VIII. *cap.* VIII. Lege quæ ibi dicta sunt. Minorem propositionem supponunt, & numquam probant Probabilistæ nostri. Semper se se turpi principii petitione, & vitioso circulo illaqueant.

X. Obiicit *num.* 291. Deus permittit in rebus incertis illud facere quod omnibus expensis iudicamus esse licitum. Sed iudicamus esse licitum quod est probabile. Ergo. *Prob. min.* Quamvis iudicemus probabilius esse quod sit illicitum, adhuc manet hoc iudicium quod probabiliter sit licitum. Resp. Omnia hæc probabilistica argumenta consanguinea, nedum affinia, sunt. Supponunt semper quod est in controversia. Quid asseris manere iudicium probabile, & prudens in conspectu probabilioris? Nonne hoc est quod in quæstionem vocamus, & negatur a nobis, ceu propositio evidenter falsa? Quod subdit de conceptione B. Virg. prætereo. Lege P. Vincentium Baronium, aliosque, qui fuse id versant.

XI.

XI. Obiicit *num.* 292. Sequens opinionem minus probabilem non manet practice dubius. Ergo &c. Resp. Negatur: idque numquam probatur ab adversariis.

XII. Obiicit *num.* 293. plura absurda sententiæ probabilioris. Et 1. Quisque tenebitur ante operationem inquirere quænam sit probabilior. Resp. Papæ, maximum absurdum istud est, quod in dubiis debeas investigare quæ sunt verosimiliora. At non semper homines agnoscunt quænam sint probabiliores opiniones. Si agnoscunt minus, agnoscunt & magis probabiles. Onus intolerabile, quod obtrudunt, chimæricum est. Animadverte, quam festivi sint Probabilistæ. Sermo est nunc, utrum, quando occurrunt duæ opiniones quarum una sit minus, altera magis probabilis, debeat eligi probabilior. Quid ergo obtrudunt difficultatem inveniendæ probabilioris sententiæ? Concedunt ne nobis sequendam probabiliorem esse, dum hæc menti occurrit? Si aiunt; caussa deiecti sunt. Nec enim occurrere menti potest minus, quin occurrat magis probabilis.

XIII. Absurdum 2. Non licebit advocato defendere partem minus probabilem; nec licebit petere dispensationem a Papa, si probabilius iudico eum dispensare non posse. quæ tamen omnia sunt contra praxim. Resp. Sint hæc Probabilistis absurda: nobis non sunt. Quomodo se gerere advocatus cum cliente debeat, dum minus probabilem reputat opinionem, suo loco dicetur.

XIV. Absurda 3. 4. 5. 6. quæ indicat, nimis sunt ridicularia. Scrupulosus debet obedire Confessario. Confessarius nequit consulere contra propriam opinionem probabiliorem. Larva Tutiorismi, quæ opponitur, larva scilicet est. Rescissio contractuum in infinitum valde puerilis est. Nihil adhuc simile contigit sequentibus probabiliora.

XV. Tandem quod ex Terillo ibidem obiicit, sententiam nempe probabiliorem esse *filiam Iansenismi*, argumentum est dignum sane tanto Probabilista. Ad hoc nec verbum repono, ne clavo clavus trudatur, neve in quidpiam minus modestum incidam. Nam non quæ illos, sed quæ nos decent, scribenda sunt.

XVI. Hactenus P. La-Croix argumentatus est, & arma Probabilismi distrinxit. In posterum a *num.* 294. *& seqq.* quasdam præscribit regulas. Nonnullas obiter indigitabo. *Num.* 296. docet, ad nos non spectare tollere leges certas & evidentes, bene vero leges probabiliter dubias. Quapropter deleatur e sacra Scriptura lex divina præcipiens, consulendos iudices in controversiis: de medio tollantur tribunalia quæque. Tribunalia quippe, & iudices potissimum super legibus in controversiam vocatis sententias dicunt. leges enim certæ & evidentes non deferuntur ad tribunalia.

XVII. Quæ scribit *num.* 297. digna sunt tua curiositate. Docet, homines propensiores esse ad aggravandas, augendasque, quam ad diminuendas leges. Re-

pugnat hoc, inquis, & communi sensui, & perpetuæ experientiæ. Sed lege ejusdem sequentia verba. *Ex adverso potius præsumendum est, quod Deus permisit et ut ipsa* (natura humana) *invincibiliter sibi imponat PLURES leges quam reipsa sint, ut ita ipsa sibi suum onus aggravet*. (En invictum argumentum.) *Et sic legimus, quod ab initio Ecclesiæ plus fuerit erratum per additionem quam per subtractionem legum: nam multi adhuc volebant servare legem Mosaicam.*

XVIII. Natura ergo humana, originali culpa sauciata, a suo divino Legislatore aversa, rebellium appetitionum pondere in delectabilia propensa, magis inclinat ad leges multiplicandas, augendamque earumdem severitatem? Natura humana in rigorem potius quam in laxitatem tendit? Addit potius quam detrahat legum jugo? Cuinam hæc admirationem non ingerunt? Quod nationis judaicæ homines, a teneris unguiculis suis cæremoniis addicti, dum Evangelium profitebantur, vellent simul suos antiquos ritus servare; ideone insita humanæ naturæ est in rigorem, in austeritatem propensio? Ita res se habet, respondet Probabilista noster. Quapropter opus fuit ut Probabilismus erumperet in mundum ad demulcendam hanc crudelem hominum austeritatem in conflictanda carne nimio legum pondere. Dilaniassent se se homines flagellationibus immanissimis, disciplinis, ciliciis, ieiuniis, abstinentiis, nisi benignitas probabilistica diram hanc hominum propensionem ad semetipsos pene conficiendos deliniviset. Sed quid ultra provehor ad tam incredibile paradoxon refellendum?

XIX. Obiicit iterum *num.* 298. Licitum est sequi opinionem probabiliorem. Opinio minus probabilis est probabilior. Ergo &c. *Prob. min.* auctoritate *P. Moyæ*. Resp. Pudere deberet P. La-Croix allegare auctoritatem *P. Moyæ*, totics ab Ecclesia damnati, ut tam perridiculum paradoxon confirmaret: *Opinio minus probabilis est probabilior*. Probabilismus ergo talis lapis philosophicus est, ut valeat tam prodigiosam conversionem efficere! Vi cuius considerationis reflexæ, quod est minus probabile directe, evadit probabilius reflexe? Hæc deridenda magis quam convellenda refero. Hanc sophisticam argumentationem primus omnium excogitavit Caramuel, a quo eam transcripsit P. Moya, & ab his P. Claudius La-Croix. P. Tyrsus Gonzalez refert hoc sophisma *diss.* XIII. *cap.* I. simulque describit responsum quod eidem reponit P. Andreas Iunius. Hic autem plura absurda talem sophisticam argumentationem consequi evincit, radicem quoque æquivocationis pandit. Si plura cupis, ipsum lege. Adeo tamen subtilia sunt quæ opponit, ut obscura appareant. Mea sententia adeo futile est sophisma illud, ut contemptione potius quam confutatione reiiciendum sit. Et, ne gratis hoc asserere videar, en rationes quas fuso calamo Terillus *de reg. mor. quæst.* 11. *a num.* 113. promit. Omnes, inquit, Theologi iuniores docent, licitum esse usum opinionis minus probabilis. Ergo vi auctoritatis probabilius

est

est licere usum opinionis minus probabilis. Antecedens, quod loco primi principii Terillus præiacet, falsum esse, supra ostensum est. Aliud eiusdem principium est eiusmodi. Rationum momenta quæ evincunt licitum usum opinionis minus probabilis, admodum prævalent rationibus partis oppositæ. Ergo &c. Hoc quoque principium purum putumque sophisma esse, lato calamo palam feci. Ne multa: Probabilismum & auctoritate, & ratione destitutum demonstravimus. Caramuel, Moya, Terillus eo tempore scripsere quo Probabilismus plures Casuistas asseclas habebat, & eorum sophismata latius serpebant: idcirco formarunt descriptam argumentationem, quæ hac tempestate risum provocat, vel potius commiserationem. In argumentatione quippe ista continue variatur appellatio a probabilitate directa ad probabilitatem reflexam. Ceterum, quocumque modo accipiatur, pernegamus sententiam minus probabilem esse probabiliorem.

XX. Probat *num.* 302. licitum esse sequi opinionem minus probabilem non solum in materia iuris humani, ut volunt aliqui, sed etiam in materia iuris positivi. Hoc dissidium tangit solos Probabilistas. *Num.* 303. explicat, quomodo formandum sit dictamen practicum secundum sententias minus probabiles. Hæc quoque Probabilistis Reflexistis meditanda relinquimus, ne ipsorum delicias turbemus. Unum tantum meditandum lectori meo propono, non dubitans eidem festivum futurum. *Num.* 305. docet, ultimum dictamen non posse deduci ex opinione probabili, sed deduci debere ex duabus præmissis certis. post *num.* 306. hæc scribit. „ Una præmissarum, ex quibus deducitur ultimum dictamen conscientiæ, debet habere pro obiecto opinionem probabilem, secundum quam aliquis vult operari, *non tamen debet affirmare veritatem illius opinionis probabilis*. sic enim & ipsa esset tantum probabilis. Sed tantum debet affirmare illius existentiam saltem obiectivam, idest, debet dicere, non *quod illa sit vera*, sed quod sit probabilis, aut saltem *existere possit in intellectu alicuius viri prudentis, & periti*. “ Audistin'? Non debes curare quod opinio sit vera. De veritate nil tibi curandum. Illuc tendant studia tua, ut scias talem opinionem existere, vel saltem potuisse existere in mente viri prudentis, puta Dianæ, Caramuelis, Tamburini, Moyæ, Escobarii, Zanardi, Leandri, aliorumque. *Num.* 307. format famosum syllogismum reflexum. Hæc, ut dixi, lectori propono, ut, si per otium liceat, ea meditetur, ut clarius imaginem Probabilismi percipiat. *Num.* 308. admonet lectores suos, ne mentem fatigent in formandis illis syllogismis, ut operentur secundum opinionem minus probabilem. quia *hoc ipso quod sciant se operari iuxta opinionem minus probabilem*, habent virtualiter hoc dictamen. A *num.* 309. ad *num.* 318. sibi opponit argumenta Antiprobabilistarum contra hoc dictamen, eaque infelici conatu solvere nititur.

XXI. Similiter *quæst.* XLIV. *a num.* 318. refert momenta Antiprobabilista rum adversus Probabilismum absolute spectatum. Et primum opponit sibi PP. auctoritatem. *Num.* 320. docet, Patres silere de utraque sententia: S. Augustinum agere contra Academicos S. Thomam stare potius pro benigna. S. Bonaventuram tutiora suadere. *Num.* 324. lepida scribit, ut eludat Ordinum Regularium decreta adversus Probabilismum. *Num.* 327. censuras texit in Theologos Antiprobabilistas. *Num.* 330. sibi opponit textus plures, præcipientes investigandam esse veritatem: respondetque, amplectendam esse veritatem, dum invenitur; ceterum, dum inveniri non potest, nulla, inquit, lex vetat operari secundum alterutram. *quia in utraque potest esse veritas*. In utraque contradictionis parte reperiri posse veritatem, paradoxon est omnibus inauditum. Inquit enim Tullius Lib. de nat. deor. *Opiniones cum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes; alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una vera sit*.

XXII. Quæ scribit a *num.* 331. usque ad *num.* 339. nullius sunt momenti. Responsio quam *num.* 339. præbet argumento P. Camargo, vana omnino est, ex ignorantia, ut toties dictum fuit, oriens doctrinæ nostræ. Nam operatio directa opinione probabiliore falsa, reapse contraria est legi æternæ, licet nobis non imputetur ob ignorantiam invincibilem, & dicitur licita negative, non positive. Plura *ibidem* congerit P. La-Croix quæ alibi confutata sunt; tametsi confutatione non egeant. Similiter illius reflexiones, quas adversus doctrinam P. Camargo *num.* 340. obtrudit, supra refutavi. Responsa vero quæ argumentis Antiprobabilistarum exhibet, lepida sunt. Modo asserit, sententiam probabiliorem esse improbabilem, modo probabilem. Modo cum Terillo suo docet, sententiam probabiliorem in materia obedientiæ esse prorsus improbabilem, modo permitti posse in aliis materiis. Addit, celebrem suum P. Moyam definire cum aliis, sententiam *rigidam* (sic vocat sententiam probabiliorem) esse absolute improbabilem: quia laxa, seu benigna, est moraliter certa.

XX II. Ut respondeat argumento huic: Si actio non est licita ex principiis directis, nequit esse licita ex principiis reflexis, & absolute: quoniam bonum ex integra caussa: ut, inquam, hoc diluat argumentum, inter alia hæc scribit num. 351. *Sicut certitudo Trinitatis non petitur ex principiis naturalibus, sed ex principiis fidei, supponentibus cognitiones naturales; ita certitudo conscientiæ non nititur cognitionibus directis, tamquam præmissis, quas affirmat veras, sed tantum reflectit se supra eas tamquam existentes saltem obiective*. Non plus ergo influunt præmissæ directæ in cognitionem reflexam, quam rationes naturales in mysterii Trinitatis fidem? Nonne præmissæ directæ evadunt obiectum cognitionis reflexæ? Sed dubitarem ipse, si longius confutarem similia paradoxa. Similiter præ-

tereo

cæco ea quæ congerit usque ad finem quæstionis; tametsi non pauca sint, quæ serio discussa, evidentius falsitatem Probabilismi proderent.

CAPUT V.

P. Antonii Terilli, aliorumque Probabilistarum argumenta diluuntur.

I. PRincipia, & argumenta quibus P. Antonius Terillus impetit sententiam probabiliorem, inter disputandum convulsa penitus sunt. Nonnulla alia hic diluam, pluribus ineptis omissis commentis.

II. Obiicit primo *de regul. mor. quæst.* 11. *part.* 1. *num.* 20. Omnes Doctores totius Ecclesiæ, præter unum Comitolum, graviter peccassent, nisi liceret sequi opinionem minus probabilem, quam ipsi secuti sunt. Ergo licitus talis opinionis usus. Resp. Antecedens Terilli falsum esse, supra ostendi; illudque negant vel ipsi sinceriores Probabilistæ. Omnes vero qui secuti sunt opiniones minus probabiles, reiectis probabilioribus, errasse dicimus, & demonstravimus.

III. Obiicit secundo *num.* 35. In materia fidei licet sequi opinionem minus probabilem, ut patet in materia de Immaculata Conceptione. Ergo &c. Resp. Si in nulla materia permissus est usus opinionis minus probabilis, multo minus in materia fidei. Immaculata Conceptio non est articulus fidei, ut docent omnes. Accedit quod in materia fidei damnatus est usus opinionis minus probabilis. Ergo damnata est doctrina Terilli, eiusque discipuli P. La-Croix, & aliorum.

IV. Obiicit tertio *num.* 45. Nulla lex obligat, nisi promulgetur. At quoties adsunt rationes probabiliter suadentes, partem minus tutam esse licitam, lex non est sufficienter promulgata. Ergo illa lex neminem obligat. Resp. Minorem propositionem iam supra penitus profligavimus simul cum aliis non paucis, quas superfluit repetere.

V. Obiicit quarto *num.* 75. Licitum cuique est facere quod pensatis omnibus iudicat esse universaliter licitum. Sed quisque prudenter iudicat sibi licitum quod probabiliter sibi licitum videtur. Ergo &c. Resp. Hoc potissimum Probabilismi principium fuso calamo convulsum supra est.

VI. Obiicit quinto *num.* 113. Licet sequi opinionem probabiliorem minus tutam. Ergo licet sequi minus probabilem, & simul minus tutam. Prob. conseq. Isti duo modi secundum magis & minus non differunt specie. Ergo uterque licitus. Resp. Negatur prima consequentia, & eiusdem probatio. Differunt quippe specie moraliter accepti hi duo modi opinandi, non secus ac accessus, & recessus a veritate. Quam sit hæc Terilli argumentatio monstrosa, paucis declaro. Excusatur a culpa qui pro viribus accedere veritati conatur. Ergo excusatur a

culpa qui sciens & volens probabilius a veritate recedit? Quare licet præfati duo modi physice considerati, sint eiusdem speciei, in genere tamen moris, specie differunt.

VII. Obiicit sexto *num.* 116. Magis & minus probabile se habet, sicut magis & minus honestum. Sed nemo tenetur ad honestius, licet tutius; sed sufficit, si sequatur honestum. Ergo sufficit, si sequatur probabile, licet minus. Resp. Negatur maior, & concessa minori, negatur consequentia. Ratio discriminis est, quod veritas non reperitur, nec reperiri potest in utroque extremo, sicut bonitas, & honestas, ut alibi diximus. Quare datur magis & minus bonum, magis & minus honestum, quod per se terminare valet voluntatis appetitionem; sicut etiam datur status magis & minus securus: & nemo absolute astringitur eligere securiorem statum, quando minus securus vere securus est. Et, ut plura diluantur sophismata, advertendum, quod probabile per se non spectatur ab intellectu, sed per accidens, quatenus ad veritatem via est. In uno tantum extremorum veritas est, in altero falsitas. Idcirco discrimen est evidentissimum. Quare dum instat Terillus: Non tenemur sequi probabiliora, quia talia, nec quia tutiora; alioquin teneremur ad tutiora: respondetur, nos teneri in rebus dubiis ad utrumque, ad probabiliora nempe, & tutiora, immo tum quod tutius est, unice tutum est.

VIII. Obiicit septimo *num.* 121. Subditus tenetur obedire Prælato licita præcipienti, licet sibi probabilius videatur esse illicitum. Ergo &c. Resp. Negatur consequentia. Omnium Theologorum consensu subditus non debet in examen vocare mandatum Prælati; sed suum iudicium debet eidem subiicere. Hæc est tutior via respectu subditi. Si tamen veritas adeo pateret, ut deponere iudicium nequiret; tum non teneretur obedire. Sed hæc rara sunt. Nisi enim stultus Prælatus sit, illicita non præscribit. Quare facilius est falli subditos in iudicando Prælatorum præcepta esse iniusta, quam Prælatos in iubendo licita. Et ideo tutius communiter est, subditum subiicere iudicium suum iudicio Prælatorum.

IX. Obiicit octavo *num* 89. Confessarius potest, immo debet se conformare opinioni pœnitentis, etiam minus probabili. Ergo licitus est eiusdem usus. Resp. Negatur absolute antecedens: & paucis perstringuntur quæ Confessarii regimen spectant. Si Confessarius peculiarem aliquam opinionem excogitavit adversus communem, quam sequitur pœnitens, debet, & tenetur Confessarius, propria opinione posita, absolvere pœnitentem, ut docent communiter omnes. Quid enim magis iniustum quam si Confessarius vellet ceteros omnes suo privato iudicio subiicere?

X. Præterea ex hoc quod Confessarius absolvere possit pœnitentem, sequentem opinionem minus probabilem, non sequitur, licitum esse usum opinionis minus pro-

probabilis. Nam licet opinio pœnitentis sit minus probabilis Confessario, probabilior tamen est ipsi pœnitenti. Fuse hanc materiam versat P. Tyrsus Gonzalez *dissert.* XIV. *cap.* IX. Pauca ex eodem delibabimus, quæ tamen communia sunt, & pervia. Itaque, ut clarius caussa percipiatur, fac duas esse Doctorum opiniones, quarum una adfirmet, negetque altera restitutionis debitum. Confessarius post diligens examen adfirmantem ut probabiliorem sibi, pœnitens post examen similiter diligens negantem opinionem amplectitur ut sibi probabiliorem. Hac opinione præventus ad confessionem accedit. Quis dixerit hunc absolvendum non esse? Tam solum absolvendus minime foret pœnitens, si, præmissa diligenti veritatis inquisitione, opinio appareret illi minus probabilis, & nihilosecius Probabilismi fuco deceptus, vellet eam amplecti. Si hoc in casu licitum Confessario esset absolvere pœnitentem, licitus quoque esset usus opinionis minus probabilis. At negamus tunc licere Confessario absolvere pœnitentem. Nec reflexio pœnitentis, qua judicat, præfatam opinionem probatam esse viris doctis, efficit ut ille queat eam sequi, si illam judicet ut minus probabilem.

XI. Quare merito rejicit idem P. Gonzalez, ut laxam, & evidenter falsam, doctrinam quam defendit P. Terillus *de reg. mor. II. Part. quæst.* XLVII. *num.* 15. *pag.* 93. ubi inquit. „Omnis opinio probabilis de honestate operis habet vim de- „ obligandi, non solum quando exercite existit in seipsa, & enuntiat operationem „ hic & nunc ponendam, esse bonam, atque conscientiam constituit, sed etiam „ quando reflexe consideratur, dum quæritur, ad quid teneamur in casu incerti- „ tudinis, & probabilitatis faventis utrique parti contradictionis. Omnis enim o- „ pinio probabilis excusans præbet argumenta longe potiora ad dicendum, quod „ omnibus consideratis hic & nunc nulla detur obligatio operans, quam ulla opi- „ nio probabilis gravans præbeat ad inferendum, quod ulla obligatione hic & „ nunc absolute premamur ad abstinendum ab opere, ut fuse ostensum est tum in „ hoc, tum in tractatu de *consc. prob. quæst.* XXII. *num.* 23."

XII. Quam laxa sit hæc Terilli doctrina, nemo non videt, si pressius, & clarius exponatur. Quatuor aut sex Auctores propugnant aliquam opinionem ut probabilem super justitia alicujus contractus. Tu scis, dari hanc opinionem probabilem, illam quippe in libris legis. Ea tibi non probatur; sed contra, illam falsam deprehendis. Nihilominus juxta celebrem Probabilistam P. *Terillum* poteris talem opinionem, quam falsam judicas, ut regulam operationis honestæ, & meritoriæ sequi vi *probabilisticæ reflexionis*, qua omne probabile asseritur regula morum. Quis, inquit P. Gonzalez *num.* 118. non videt tam immane absurdum! Tam mirifica potestate donati quatuor aut sex Probabilistæ sunt, ut quam opinionem faventem libertati adversus legem judicent ipsi probabilem, eam licitam omnibus efficiant, illis etiam qui judicant, aut judicare facile queunt, illam esse fal-

falsam? Contra vero opinio favens legi adversus libertatem, tametsi communi Theologorum assensu firmata, non valet onus imponere, seu obligationem servandi legem? Pugnent, inquit Gonzalez, quatuor aut quinque Casuistæ adversus legem pro libertate: hi continuo tali fruuntur privilegio, ut Christianos ab observandæ legis debito eximant. Pugnent e contrario duodecim aut viginti pro lege contra libertatem. hi juxta *P. Terillum* nulla auctoritate pollent subiiciendi homines legis observantiæ. Quis æquabili animo perferre hæc absurda valet?

XIII. Ut paucis omnia comprehendam, mihi non probatur sententia illorum qui propugnant illicitum usum sententiæ minus probabilis; concedunt vero, Confessarium absolvere posse, immo debere pœnitentem qui opinione minus probabili, & minus tuta ad confessionem accedit. Hanc sententiam defendere narrant Adrianum *tract. de confess. quæst.* v. *dub.* 7. Sed intelligendus Adrianus est de Confessario qui vellet obligare pœnitentem ad sequendam peculiarem suam opinionem, communi Doctorum sententiæ oppositam.

XIV. Itaque quando opinio Confessarii est paucorum; opinio vero pœnitentis multorum est, tum absolute loquendo Confessarius deponere propriam opinionem debet. Quod potissimum locum habet, si Confessarius sit indoctus, doctus vero pœnitens. Suam tamen appendicem hæc regula excipit. Nam si pœnitens sit vir doctus, quique argumenta habeat pro sua sententia valde urgentia, nulloque negotio diluat adversæ opinionis fundamenta; licet eius sententia a paucioribus, opposita vero a pluribus defendatur, non propterea deponere suam debet: & Confessarius potest pœnitentis opinioni sese accommodare · quandoquidem licet opinio communior absolute probabilior etiam sit, tamen quia homines sunt qui illam defendunt, videlicet errori subiecti, idcirco accidere potest, opinionem communem esse falsam, paucorum vero sententiam esse veram. Non adeo tamen frequenter hoc evenit. Quamobrem magna diligentia, severum examen, passionum, & præiudiciorum vacuum, præcedere debet, antequam opinio aliqua præferatur communi.

XV. Quando autem opinio Confessarii probabilior est, & communior, tum absolvere pœnitentem nequit, nisi is deserat opinionem oppositam, quam bona fide amplexus est. Ratio est quia Confessarius iudicis personam sustinet. Iudex autem non debet sequi opinionem rei, sed secundum veritatem iudicium formare. Plura in hanc rem congerit P. Gonzalez; sed quia obvia sunt, & levioris momenti, missa facio. Quæ hactenus dicta sunt, sufficiunt, ut Confessarius sciat quid agere debeat, quando pœnitentes acquiescere nolunt illius iudicio.

CA-

CAPUT VI.

Nonnulla alia obiecta resolvuntur.

QUamquam ex hactenus dictis omnia adversariorum argumenta convulsa maneant; tamen nonnulla, quæ imperitis facere fucum possunt, dissolvere sigillatim lubet. Quod ut clarius præstem, distinctis §§. rem peragam.

§. I.

Sit ne via Antiprobabilistarum scrupulis, & anxietatibus obnoxia.

I. UNum præ ceteris argumentum exaggerant Probabilistæ. Opponunt textum illum: *Iugum meum suave est, & onus meum leve*. Iugum antiprobabilisticum durum est, & importabile. Quomodo enim Parochus, aut Confessor, qui sæpe unum, aut alterum Summistam habet, diiudicare poterit quæ sententia sit probabilior? Quomodo formare poterit dictamen certum de honestate actionis? Innumeræ occurrunt difficultates quæ impediunt discernere, quæ sit opinio probabilior, & formare dictamen certum. Ergo via Antiprobabilistarum difficilis est, & scrupulis subiecta.

II. Resp. Textus evangelicus supra fuse expositus est. Iugi suavitas in caritatis unctione tota sita est, ut ex Patribus ostensum fuit. Via nostra difficilis, arcta, multisque tribulationum spinis consita est: quia via evangelica; *& pauci sunt qui inveniunt eam*. Pudere Probabilistas deberet similia opponere; cum nihil in Evangelio frequentius occurrat, quam regnum cælorum vim pati, quam cum timore & tremore salutem operandam, quam vias difficiles & duras calcandas. Quid ergo difficultatem in deligenda opinione probabiliore obtrudunt? Sequantur interea illam quæ probabilior occurrit. Fatemur difficilem inventionem veritatis. Sed preces adhibere Deus præcipit, ut illam assequamur. Edisserant nobis Probabilistæ: numquid in eorum systemate quæcumque probabilitas regula est conscientiæ? Absit. Numquid facile est distinguere probabilitatem sophisticam a vera, tenuem a gravi, certam a dubia? Numquid facile est confingere artificium illud reflexionum, & tot formare syllogismos, vi quorum ex principiis incertis eruatur dictamen certum, & evidens? Quot conditiones non assignat P. Terillus, Reflexistarum, secundum Caramuelem, princeps, de *consc. prob. quæst.* 11. *num.* 41. ut opinio sit probabilis, ut distinguatur opinio certe probabilis ab opinione probabiliter probabili? Octo conditiones ad veram probabilitatem exposcit P. Cardenas *disput.* XV. *cap.* IV. *art.* 5. Quis est qui clare percipiat quæ isti docent, dum probabilitatem spe-

speculativam a practica, directam a reflexa secernunt? Similia docet alter celebris Probabilista P. Esparza *Part. II. art.* 112. Ne multa · Terillus Probabilismum *mysterium* vocat, & ceteri Probabilistæ passim causantur Antiprobabilistas, quod principia Probabilismi ignorent.

III. Hinc evidenter constat, longe difficiliorem esse, & longe pluribus scopulis obnoxiam Probabilismi quam Probabiliorismi viam. Tot reflexiones tot distinctiones, effugia, subdistinctiones excogitarunt Probabilistæ, ut non modo *mysterium*, sicut Terillus ait, sed labyrinthus inextricabilis vere Probabilismus sit. Laxat legem, viam cæli dilatat, cupiditatibus favet: & in hoc tota eius sita benignitas est. Verum, ut evadat conscientiæ regula, ut hanc suam benignam laxitatem cum honestate consociet, per circuitus, per ambages, per prærupta conscientias dirigit, seu sophisticis distinctiunculis, & vanis reflexionibus easdem irretit atque illaqueat.

IV. Contra Antiprobabilismus per viam *arctam*, per angustas semitas, ut Evangelium præscribit, animas ambulare docet; sed lumen offert splendidum & clarum. Quid enim humanæ menti congruentius quam illam percurrere viam quæ verosimilius ad metam ducit? Sed hanc dignoscere viam, inquis, perdifficile est. Ecqua fronte hoc præbent Probabilistæ responsum, si ipsi contendunt, te posse respuere verosimiliorem, quam reipsa iudicas viam? Quid hiscis? Quando agnoscis probabiliorem opinionem, teneris ne eam amplecti? Si ais; caussa cecidisti. Si negas; quid difficultatem agnoscendi probabiliorem opinionem obtrudis, cum vel cognitam te posse illam reiicere defendas? Sed, missis Probabilistis, fatemur, non raro difficile esse discernere, quæ sit probabilior opinio: sæpe enim anceps intellectus est, & fluctuans. Sed tunc tutior via seligenda est, ut docet præ aliis Clemens V. *in Clement.* Exivi, *de verbor. signific.* ubi hæc habentur: *Attendentes, quod in his quæ ad animæ salutem respiciunt, ad vitandos graviter remorsus conscientiæ pars securior est tenenda.* Viden'? *Ad vitandos conscientiæ remorsus*, scrupulos, & anxietates, Christi Vicarius non benigniorem, seu laxiorem, sed securiorem opinionem amplectendam docet. Ergo Probabilismus animas scrupulis implicat, & Antiprobabilismus ab eisdem animas eripit. Itaque *diligite veritatem, & veritas liberabit vos. Dirige me in veritate tua. Viam veritatis elegi.* Hæ sunt preces Deo fundendæ, cum difficile quidpiam occurrit. Quæ de Confessario, & Parocho indocto obtruduntur, absona sunt. *Si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt.* Si Confessor, aut Parochus, unicum habens Moralistam, pius fuerit, & sincere timens Deum; *postulet* (inquit S. Iacobus epist. cap. 1.) *sapientiam a Deo, qui dat omnibus affluenter.* In dubiis tutiora seligat. Si pietas, & amor Dei, & implendi ministerii studium adfuerit, præsto Deus erit lumine suo.

§. II.

§. II.

Diluitur obiectum petitum ab ignorantia invincibili, reperta in opinione probabili. Refutatur doctrina P. Cardenas.

I. FUso calamo disputatum est adversus ignorantiam probabilisticam *Lib. II. diss.* II. *cap.* IV. Pauca nunc obiter adiiciemus resolvendo obiectum, primum a Caramuele, post a sequacibus illius propositum. Caramuel in *Apologem. num.* 290. hoc argumentum format. Omnis opinio probabilis includit ignorantiam invincibilem. Sed omnis ignorantia invincibilis excusat a peccato. Ergo omnis opinio probabilis excusat a peccato.

II. Hoc argumentum Caramuelis sibi opponit P. Vincentius Baronius *disp.* II. *sec.* I. *art.* 3. *S.* 2. *pag.* 154. reponitque, plures errores quam verba continere, atque in profundum omnium errorum inducere. Presse rem absolvam. Contendit Caramuel, sola evidenti scientia ignorantiam invincibilem tolli. Quando sunt duæ opiniones oppositæ probabiles, rei evidentia haberi nequit. Ergo ignorantia invincibilis est. Hic error manifestus est. Ignorantia quippe invincibilis sola dubitatione aufertur, ut evincit laudatus Baronius, & communiter fatentur ceteri Theologi. Plura congerit P. Cardenas *disp.* XV. *cap.* III. *art.* 4. adversus Baronium, quæ si confutare vellem, in immensum liber cresceret: ideo missa facio, tum quod seipsis corruant, tum quod extra caussam nostram sint.

III. Concedit tamen vel ipse Cardenas, ignorantiam invincibilem tolli posse absque evidenti scientia, & sola incertitudine; nam opinio tenuiter probabilis, quæ caret gravi fundamento, non est evidenter falsa, & tamen illius incertitudo non excusat a peccato. Additque, duplici modo tolli ignorantiam invincibilem, aut evidenti scientia, aut dubio practico, vel incertitudine.

IV. Qua autem via defendunt Probabilistæ, ignorantiam opinionis minus probabilis esse invincibilem? Respondet Cardenas ipse *loc. cit. art.* 3. *num.* 71. ex P. Vasquez *Tom. I. in part.* I. *disp.* CXVII. *num.* 2. ignorantiam probabilem dici invincibilem: quia licet potuerit, non tamen debuit vinci. Dupliciter, inquit, ignorantia dicitur invincibilis: vel quia nulla diligentia, nullo studio auferri valet; vel quia homo non tenetur eam fugere. Porro tum non astringitur eam fugere, quando occurrit ratio vere probabilis pro libertate adversus legem. Lubet eiusdem verba rescribere ex num. 76. *Hinc colligitur, quomodo in omni opinione probabili adsit ignorantia invincibilis. Quia licet homo possit vincere practice eam ignorantiam, resolvendo illam in dubium, & ad exigentiam dubii sequendo partem tutiorem; quia*

tamen per rationem probabilem deponit dubium, non tenetur ad eum modum vincendi ignorantiam.

V. Mirifica est Probabilismi excantatio, quæ valet vel acutissimos, doctissimosque viros, quales mihi sunt Vasquez, & Cardenas, ita hebetare, ut ignorent relatæ doctrinæ apertissimam falsitatem. Cum dubitas, num contractus sit usurarius, ignorantia tua vincibilis est: & dum probabilius iudicas usuræ labe inquinatum contractum, tum ignorantia tua invincibilis est? Per rationem probabilem deponis dubium, dum adest opposita ratio aut æque, aut magis probabilis? Quomodo id probas? Quid probationem requiris? Hoc est primum principium Probabilismi. Prima autem principia non probantur. Excandescunt Probabilistæ, dum deridenda proponimus illorum principia, dum dicimus, illos continenter turpi principii petitione in omnibus fere suis argumentationibus pro hac caussa laborare. Dicat nobis Cardenas, dicantque Probabilistæ omnes, cur non teneamur vincere hanc ignorantiam legis, dum adest ratio probabilis pro libertate in conflictu rationis probabilioris pro lege? Hoc loco primi principii constituunt, cum sit falsitas sensui communi repugnans. Si enim probabilius est legem adesse, & urgere; minus vero probabile non obligare: qui fieri potest ut ignorantia hæc invincibilis dicatur? Quomodo prudenter deponi dubium potest? Actum agerem, si longius confutarem hanc doctrinam, mihi evidentissime falsam.

VI. Et quod admirationem auget, est, quod P. Cardenas, & ceteri Probabilistæ non erubescant præfatam doctrinam affingere S. Thomæ, eo quod *quodlibet.* VIII. *art.* 15. hæc habet: *Ea ignorantia est inculpabilis quæ versatur circa id quod homo scire non potest, vel scire non tenetur.* Vera doctrina est. Sed discutiendum remanet, quæ sint a quibus sciendis homines exempti sunt. Numquid addiscere Decalogum, & universam legem pro viribus homines non debent? Si autem, quoad fieri potest, homines addiscere omnia legis præcepta debent & tenentur, quid obtrudunt, ignorantiam legis esse invincibilem, quia homines non tenentur ad talem ignorantiam devincendam? Verum ergo habet, Probabilistas semper laborare futili petitione principii. Audiant S. Thomam quodlib. IX. art. 5. *Dum quis dubitat, & occurrunt opiniones contrariæ, tenetur plus inquirere, & magis certiorari, antequam agat: alioquin committit se periculo, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale quam propriam salutem.* Inquit ne Angelicus, deponendum dubium esse? *Tenetur plus inquirere, & magis certiorari.* Quid, si audiret incredibile Probabilismi commentum, quo asseritur, hominem posse respuere maiorem verisimilitudinem, dubiumque deponere, eo quod adest ratio in oppositum minus probabilis? Ignorantia vero invincibilis probabilistica inauditum est paradoxon, absurdorum plenissimum; ut optime evincit P. Vincentius Baronius *loc. cit.*

§. III.

§. III.

Diluitur argumentum ex dissensione sanctorum Patrum in re morali petitum.

I. SAnctissimi Ecclesiæ Doctores sæpe in iis morum quæstionibus invicem dissident, mutuoque pugnant. Ergo alterutros falli necesse est. Qpis autem dixerit, culpabilem fuisse eorum errorem? Diligentissimi quippe fuerunt in investiganda veritate, pro qua assequenda preces studio adiunxerunt. Quare diligentiæ defectum illis adscribere temeritate non vacat. Ergo admittenda est ignorantia invincibilis.

II. Resp. Distinguo consequens. Admittenda est ignorantia invincibilis probabilistica, nego consequentiam: admittenda est ignorantia invincibilis non probabilistica, permitto consequentiam. Antequam distinctionem explico, adverto, Patres in iis paucis controversiis in quibus dissederunt, numquam secutos fuisse sententiam aliquam relative ad illos minus probabilem; sed quemlibet illorum amplexum fuisse quod sibi probabilius videbatur. In hoc solum discrimen fuit, quod illa opinio quæ uni verosimilior, alteri minus verosimilis, & e contrario apparebat. Nulla ergo in ipsis ignorantia invincibilis probabilistica, quæ ob rationem probabilem in conspectu probabilioris, quam respuit, se se invincibilem iactat: quæ sane invincibilitas monstrosa est, & communi sensui repugnans.

III. Utrum postea in sanctis viris post diligentem veritatis investigationem fuerit aliqua invincibilis ignorantia veritatum ad ius naturæ pertinentium, disputant in utramque partem vel ipsi Antiprobabilistæ. Aliqui negant, illorum ignorantiam fuisse invincibilem. Et primo advertunt, perraro in iis quæ sunt naturæ iuris, Patres, sanctosque viros discrepasse. Deinde illud est magnopere perpendendum, non adeo necessariam esse Doctoribus, sanctisque viris veritatis notitiam, dum scribunt, ac dum eam exequi debent. Dei promissa impertiendi veritatis lumen omnibus eam sincero corde inquirentibus, non docentes, sed operantes comprehendunt. Discriminis ratio hæc est, quod si veritas moralis non reperitur in uno Auctore, reperiri in alio valet. Quisque potest alios interrogare, suum Pastorem adire, Christi Vicarium consulere, qui privilegio infallibilitatis in terris fruitur, erroresque corrigere potest, ut correxit opinionem sanctissimi viri Cypriani, qui contendebat, nullum esse baptisma ab hæreticis collatum. Quod ergo aliquis non inveniat veritatem, dum eam docet, non adeo nocet fidelibus, qui valent aut in alio Doctore reperire, aut se ipsis iugibus precibus, & sedulo studio inquirere, & implorare. Ceterum si frequenter, dum implere legem debent, requirerent, & facta sufficienti diligentia, veritatem non invenirent, frequenter illis

lis observatu impossibilia præcepta essent. Quæ enim ignorant, implere nequeunt. Quare vix concedendum videtur, deesse lumen veritatis absque propria culpa iis qui exequi legem debent. Illis vero qui alios docent, non ita lumen promisit, sicut operantibus. Quin non oportuit istos habere securitatem veritatis inveniendæ ne superbirent, quasi scientiæ clavem haberent. Sed ineffabili providentia Deus plurima voluit occulta, & nonnisi magno studio, vigilantia, humilique petitione scienda decrevit, ut in studio, humilitate, & oratione continenter homines exerceret; quemadmodum docet S. Augustinus in Enchiridio ad Laurent. *cap. lx.* „ Magis opus est diiudicare, atque dignoscere, cum se Satanas transfigurat velut „ Angelum lucis, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat . . . Sed quomodo u„ nusquisque hominum idoneus est omnes mortiferos eius dolos evadere, nisi re„ gat, atque tueatur Deus? *Et ipsa harum rei difficultas ad hoc est utilis, ne sit spes „ sibi quisque, aut homo alter alteri, sed Deus suis omnibus. Id enim nobis potius „ expedire prorsus piorum ambigit nemo.*"

IV. Ut paucis rem totam perstringam; perrara est inter sanctos Dei, & Ecclesiæ Doctores dissensio in fidei, morumque quæstionibus: perrara quoque dissensio, sed mira conformitas in omnibus Magistris vitæ spiritualis super iis quæ morum sanctitatem spectant; quod hi omnes ex Evangelio suas eruant regulas, quod hi omnes veritatem requirant. Contra, continua inter Probabilistas pugna, bellum perpetuum, quod non *veritatem*, sed *probabilitatem* isti inquirant. *Probabilitatem* indifferentem ad verum, & ad falsum, immo propinquiorem falsitati quam veritati, constituunt regulam conscientiæ, & honestatis.

V. Accedit quod vel ipsi Sancti in inquirenda veritate non omnem semper adhibuerunt diligentiam. Falsa quædam mentem occupavit persuasio, sanctos viros fuisse impeccabiles; cum nemo mundus a sorde sit. Sancti omnes cum Davide orant: *Ab occultis meis munda me, Domine. Ignorantias meas ne memineris.* Levioris culpæ sontes fuisse vel ipsos sanctissimos viros, ii soli negabunt qui Scripturas sanctas ignorant. Quid ergo mirum, si dixerimus, alterutros errasse vincibiliter, dum oppositas docuerunt opiniones? En quam infirmum sit argumentum quod ineluctabile Probabilistæ existimant. Hac tamen super re nihil audeo definire: semper enim mihi perobscura fuit controversia isthæc undique difficultatibus obsita, e quibus ut emergam, lumine cælesti opus est, quod enixe imploro. Raro, in paucis, & pro aliquo tantum tempore ignorantiam invincibilem, non quidem primorum iuris naturæ principiorum, sed quarumdam solummodo consequentiarum a principiis iuris naturalis remotarum admittere, absurdum imbecillitati meæ non videri, trepidans alibi dixi; ceterum hanc sententiam extra dubitationis aleam constituere non possum; cum in Scripturis, & Patribus vix occurrat quod sententiæ admittenti invincibilem veritatum iuris naturæ ignorantiam faveat. Illud unum pro


pro praxi adverto, orandum nempe indefinenter, ut Deus pro sua in nos misericordia, ignorantiæ nostræ tenebras dispellere dignetur. Huc itaque studia nostra omnia collineent.

VI. Quamobrem ad excutiendam ignaviam, multorumque soporem legenda recordor quæ *Lib. II. diss.* II. *cap.* III. scripsimus. Nonnullos textus sub oculos revoco ex SS. Thoma, & Antonino. D. Thomas hæc scribit quodlib. IX. art. 5. *Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod sit secundum conscientiam .... Ille qui facit contra opinionem Magistrorum, si facit contra veram opinionem, non excusatur a peccato, quamvis non faciat contra conscientiam: sic enim contra Dei legem facit.* Item quodlib. III. art. 10. *Diversæ opiniones Doctorum sacræ Scripturæ si quidem non pertinent ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. ... In his vero quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem alicuius Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat.*

VII. S. Antoninus *II. Part. tit.* VI. *cap.* IX. §. 2. versus finem. „ Dicit etiam Ulricus, quod quum aliquis dubitat de aliquo facto, vel fiendo, utrum sit licitum, vel illicitum, & consulit peritos, & facit quod in se est ad inveniendam veritatem: si sibi consulatur contrarium veritati, quod ille sequitur, satis excusatur: quia potest dici in eo ignorantia invincibilis, ut in dubio schismate, cui debeat adhærere, in bello dubioso quoad subditos, & huiusmodi. *In his autem quæ sunt de iure naturali, vel divino, quantumcumque consuleretur sibi ignoranti a peritissimis contrarium veritatis, non excusaretur a peccato illud agendo: quia in huiusmodi non potest habere locum ignorantia invincibilis quoad habentes usum rationis.* " Adeo perspicuus est textus iste, ut nulla queat tergiversatione eludi.

VIII. Illud postremum in hac gravissima quæstione meditandum summopere adverto, quod etiamsi admittantur ignorantiæ invincibiles iuris naturæ, difficillimum sit easdem dignoscere. Peccare homines peccata ignorantiæ, certo scimus ex Scriptura. Utrum autem hæc peccata *materialia*, ut aiunt, vel *formalia* sint, imputabilia, an secus, aqua hæret, & vix est qui id scire valeat. Hæc sola consideratio nos vigiles, experrectos, sollicitos, atque studiosos nostræ salutis efficere deberet. Hæc sola consideratio humilitatem, Deique timorem excitare in nobis vehementer deberet. Quamobrem testis Deus est, me totum contremiscere, dum audio Probabilistas adeo secure ostentare invincibiles ignorantias, ac si evidenti demonstratione hanc *invincibilitatem* ostendere possent. Hæc sola meditatio satis est ut Probabilismum detestentur omnes, tamquam æternæ salutis syrtim & charybdim. Quod ignorantia sit vincibilis, aut invincibilis, pendet ab occultissima negligentia, a secretissima ambitione, ab aliquo immoderato affectu nobis im-

pervio. Et beati Probabilistæ iactant, se immunem te reddere ab his occultis hostibus; tibique securitatem adpromittunt. Clamitant, nos te scrupulis angere, pavore concutere, timore torquere, mæstitia, & dolore configere. Ideo, ut te his omnibus subducant, beatumque in hoc exilio efficiant, securitatem spondent; sua probabilistica ignorantia invincibili, veluti armatura fortissima instructi omnes lætitiæ tuæ inimicos propulsant. Verum admonet te Deus per Isaiam: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant:* cap. III.



DISSERTATIO X.

De licito usu sententiæ probabilioris minus tutæ: de extremis nimii rigoris, & nimiæ laxitatis vitandis: & de certitudine requisita ad formandum ultimum conscientiæ practicum dictamen.

PROOEMIUM.

PRobabilismi caussam undequaque, nisi nos omnia fallunt, labefactavimus. Illius principiis convulsis, sophistica quædam argumenta penitus diluta sunt. In hac ultima brevi dissertatione adversus quosdam æquo rigidiores Antiprobabilistas, & Probabilistas disputandum mihi erit. Tempus enim est ut oppignoratam fidem, declinandi ab extremis severitatis, & laxitatis, liberem; & ne te diutius detineam, ad illud accedo quod proposui.

CAPUT I.

Licitum est sequi opinionem minus tutam evidenter probabiliorem adversus tutiorem pro lege minus probabilem.

I. PLures Antiprobabilistæ negant, licitum esse sequi opinionem minus tutam, tametsi evidenter probabiliorem, faventem libertati adversus tutiorem pro lege. Hi sunt Vendrochius, Sinnichius, Henricus a S. Ignatio: quibus accenseri solent Mercorus, Baronius, Contensonius, & Fagnanus; sed immerito, ut mox ostendam. Ut quæstionem non adeo levem perspicue resolvam, in sequentes §§. eam tribuo.

§. I.

Notiones probabilioritatis absolutæ, & relativæ, seu objectivæ, & subjectivæ, sub oculos revocantur. Conditiones servandæ in formanda probabilitate subjectiva.

II. POtissima aberrandi radix in hac controversia est falsa notio probabilitatis absolutæ, & relativæ. Hæc distinctio ab omnibus admittitur, sed Probabilistæ eadem abutuntur. Opinio absolute probabilis ea est quæ, gravi fundamento

 ni-

nixa, non habet adversum se quidquam certum, aut convincens: opinio relative probabilis ea dicitur quæ intellectum, in quo residet, movet, & inclinat ad assensum opinativum.

III. P. Antonius Terillus, quem non pauci Probabilistæ sequuntur, de *consc. quæst.* v *num.* 31. docet, illud obiectum esse certo probabile, & omnibus licitum, quod viri docti & pii mature & prudenter iudicant esse probabile. Item *quæst.* 11. *de reg. mor.* fuso calamo probat, universaliter licitum esse sequi opinionem quamcumque directe minus probabilem, modo opinio illa directa sit practice probabilis, & operans certo sciat illam esse probabilem. Et *num.* 17. inquit: *Hic agimus de opinione probabili, non existente in ratione actus animam informantis, sed in ratione obiecti reflexe cogniti*. Hæc doctrina omnium laxitatum origo est. Quam ut clarius intelligas, eam explico. Legis Summam Dianæ, Leandri, aliorumque: offendis plures opiniones practice probabiles. Illæ quippe opiniones dicuntur practice probabiles quas viri docti & pii citra passionem, & post maturam diligentiam iudicant tales, & vi earumdem in actionem moralem erumpunt. Porro tibi certum est auctores talium opinionum fuisse viros probos & doctos. Licitum ergo tibi similes opiniones ad praxim reducere. At tu iudicas vi gravium rationum, & fundamentorum esse improbabiles. Nihil officit, inquit Terillus, quominus valeas vi reflexionum præfatis uti opinionibus. Neminem arbitror non percipere doctrinæ istius falsitatem. Fallitur aperte P. Terillus cum suis Probabilistis, ut sapienter advertit P. Tyrsus Gonzalez *dissert.* VI. *num.* 43 quia opinionem practice probabilem concipit tamquam regulam quamdam absolutam, quæ sit regula recta, non solum respectu eius in quo *subiective* residet, sed respectu omnium aliorum, in quorum intellectu solum *obiective* existit, quatenus nempe sciunt, talem opinionem ab Auctoribus defendi, & ad praxim reduci.

IV. Vix cadere in mentem posset, Terillum Theologum doctum, acutum, piumque, & alios similiter doctos probosque viros tam aperte decipi, & primis Logicæ regulis renuntiare, ut Probabilismum defendant. Aliqui viri docti iudicant practice contractum A. esse licitum: ergo omnes iudicant licitum esse? Valet ne argumentum ab uno particulari ad aliud? Petrus albus est, ergo & Paulus? vel a particulari ad universale? Hoc obiectum est proxime visibile Petro habenti oculos expeditos ad videndum: ergo omnibus est visibile? Qui sic argueret, deridendum se se propinaret. Porro sicut obiectum visibile Petro est, eo quod habeat facultatem expeditam ad videndum; ita obiectum est proxime probabile Petro sapienti viro, quod eius intellectus rationes graves, post sufficientem diligentiam, & citra passionem invenerit, efficacesque reputaverit ad veritatem talis obiecti suadendam. Ergo quemadmodum futilis est argumentatio isthæc: Obiectum est visibile Petro, Paulo, & Antonio, ergo visibile est omnibus: ita sane inepta est hæc

illa-

illatio: Hoc obiectum est probabile Dianæ, Terillo, Castropalao, Escobario, Zanardo, Pasqualigo: ergo probabile est omnibus, quorum intellectus aliis dispositionibus instructi sunt.

V. Basilice ergo decipiuntur Probabilistæ illi qui probabilitatem opinionis adeo absolutam constituunt, & adeo generalem, ut talis sit relative ad omnes, & singulos intellectus. Probabilitas quippe practica, quæ conscientiam informat, suapte natura relativa est.

VI. Advertas autem velim, quod, ut aliqua opinio dicatur absolute probabilis, satis est quod respectu aliquorum sit talis, quamquam aliis improbabilis appareat; sicut, ut obiectum dicatur absolute visibile, sufficit ut ab aliquibus bene dispositis oculis videatur, aut videri possit. Contra improbabilitas absolute talis omnem negat probabilitatem respectu quorumque, sicut obiectum absolute invisibile, omnibus tale est. Stat ergo, opinionem moralem esse relative improbabilem, & probabilem absolute. Vix autem invenitur absoluta probabilitas absque relativa improbabilitate. Quin vix occurrit aliquod principium adeo per se notum, ut nemo ei repugnet; cum *nulla fatuitas sine patrono*. Omne ergo iudicium mere probabile natura sua relativum est. Mirum itaque in modum decipiuntur recentiores Probabilistæ, dum opinioni probabili respectu aliquorum tribuunt probabilitatem absolutam, & generalem respectu omnium, ita ut nemini sit improbabilis, nec illis qui eam reputant, vel reputare queunt falsam. Hinc colligunt, cuique licitum esse sequi præfatam opinionem, sibi obiective vere probabilem.

VII. Quis nunc non miratur ausum recentiorum Probabilistarum, qui incusant probabilitatem relativam, seu *subiectivam*, tamquam laxitatum, & absurdorum radicem? P. Paulus Segneri in suis tribus epistolis continenter improperat P. suo Generali Tyrso Gonzalez Probabilismum *subiectivum*. Hoc idem præstat P. Sanvitali in suo libello inscripto, *Giustificazione di varj Personaggi*. Si dixerimus, recentes istos Probabilistas penitus ignorare quæstionis statum, illorum idiomate loquemur, & vitium vitio detrudemus.

VIII. His ergo missis, paucis punctum hoc perstringimus. Omne quod non est secundum conscientiam, peccatum est. Dictamen practicum est secundaria regula conscientiæ. Probabilitas ergo practica, quæ conscientiam format, & dirigit, suapte natura relativa, seu *subiectiva* est. Ergo, clamant Probabilistæ, tot erunt probabilitates, quot capita. Ergo quisque pro arbitrio opinionem minus probabilem permutabit in probabiliorem. Ergo eadem absurda ex Probabiliorismo *subiectivo*, ac ex Probabilismo profluunt. Ita ne vero? Iuxta omnes Catholicos quisque operari tenetur ex conscientia propria, qua nihil magis subiectivum. Sed quisque formare potest, & debet propriam conscientiam. Ergo tot erunt conscientiæ, quot capita? Ergo quisque sibi formare potest conscientiam laxam, laxiorem, laxissimam?

mam? Ergo agendum non est secundum conscientiam? Sentitis ne, Probabilistæ; quam sit futilis argutatio vestra?

IX. Quisque debet formare sibi suam conscientiam; sed ad normam primariæ regulæ, legis nempe divinæ, ut omnes docent. Quisque tenetur inquirere veritatem, quæ sola est positiva conscientiæ regula. Et quoties eam evidenter assequi nequimus, enitendum pro viribus est ut eidem proximius, quoad fieri potest, accedamus. Hoc spectare studia nostra debent, ut citra passionem, ut pravis affectionibus abscissis, & necessaria diligentia in veritatis investigatione adhibita, formemus dictamen, quo iudicemus verum esse, aut verosimilius, actionem esse licitam. In formando ergo hoc dictamine, seu probabilitate hoc dictamen dirigente, solam veritatem inquirere oportet. Tunc vero solam veritatem inquirimus, quando illud lumen sequimur quod proximius veritati inveniendæ apparet; quando mens nostra sic rationum momentis, tum intrinsecus, tum extrinsecus arcessitis; in actu primo verosimilioribus & urgentioribus adhæret. Dum dicimus, probabilitatem subiectivam & formalem regulam proximam esse *conscientiæ dictaminis*, non excludimus probabilitatem obiectivam. Quin addimus, quemquam debere in hac controversia expendere ceterorum Theologorum sententias; examinare vim rationum, antiquorum auctoritatem: & hæc omnia conferre cum æterna Dei lege, debita diligentia, & sola intentione inveniendi veritatem. Quod vero, post hæc omnia sincere peracta, sibi verisimilius apparet in actu primo, amplecti debet. Fieri aliquando potest ut ego aliorum Theologorum rationes infirmas deprehendam; & quæ illis fuerunt urgentia, mihi exilia sint argumenta: atque adeo iudicem minus probabilem quæ ipsis probabilior fuit opinio. Sed dum hoc accidit, primum omnium sincere spectandum est, num mea intersit, quod hæc opinio appareat probabilior; num hæc opinio faveat alicui meo privato commodo, aut humano respectui auram captandi, vel ad aurem loquendi. Et si hoc invenero, diffidere mihi debeo; & rationum mearum efficacitas suspecta mihi sit oportet. Si nihil horum occurrat, sed veritas splendidior appareat post sinceram investigationem, si tamen obstet communis auctoritas, antequam in opus prodeam, primum omnium recogitandum, tanti ne ego sim, ut aliorum librare momenta valeam, num revera rationes meæ notabiliter prævaleant aliorum rationibus. Postremum alios viros doctos consulere, & iuges fundere preces debeo, quibus a Deo lumen obtineam. Si, his omnibus sincere peractis, probabilitas mihi valde maior apparuerit, tum amplectenda erit.

X. Ceterum perraro hoc accidit, quod nempe peculiaris opinio, adversa communi Theologorum sententiæ, sit probabilior, talisque appareat homini bene ad veritatem comparato. Quare futilia omnino sunt, & prorsus inepta Probabilistarum obiecta adversus Probabiliorismum *subiectivum*. Siquidem communiter probabilitas *obiectiva* mensura

ſura eſt & regula probabilitatis *ſubiectivæ*. Antiquiores enim Theologi, qui eamdem diſpexere quæſtionem, rationes plerumque veritati propinquiores repererunt. Sublata aliqua peculiari graviſſima ratione, communiter ſuperbia non vacat, & errore, a communi Theologorum ſententia receſſus. Hic locum habet effatum Salomonis. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Circumſtantiæ peculiares non raro occurrunt, quæ cauſſam variant: & tum non recedimus ab anterioribus, ſi aliter ſentimus; ſed quæſtionem ab ipſis indictam decidimus ſecundum id quod probabilius apparet. Igitur in formanda probabilitate dirigente conſcientiam animus cum primis in veritatem amplectendam intentus ſit. Poſt ſerio perpendat Theologorum rationes: caveat ne aliqua peculiaris & occulta paſſio intellectum inclinet in partem carni aptiorem. Si quæſtio gravis ſit, ferventiores preces Deo offerat. Et tandem, omnibus expenſis, & Theologorum qualitate, & fama ſpectata, quod communius apud viros doctos, & pios, & Antiprobabiliſtas invenerit, illud amplectatur. Quorum autem Theologorum auctoritas præferenda ſit, alibi dicemus. Huic viæ inſiſtendum in conſcientia formanda, in probabiliori ſententia ſeligenda. Abuti his regulis homines valent. Quid inde? Abutuntur & lege, abutuntur ſacramentis, abutuntur ſanctioribus conſiliis, abutuntur conſcientia. Quot ſunt qui erroneas ſibi effingunt conſcientias? Non ergo agendum ſecundum conſcientiam propriam? Auferenda ergo ſacramenta, quod iiſdem homines ſæpe abutantur? Quis tam inſipiens, ut talia effutiat? Probatum ergo manet, probabilitatem practicam relativam, ſeu ſubiectivam eſſe, in cuius formatione, ſervanda quæ præſcripſimus ſunt.

§. II.

Licitum eſt amplecti opinionem evidenter probabiliorem ex gravibus momentis pro libertate, relicta minus probabili tutiore pro lege.

I. ANtequam propoſita ſententia probetur, termini explicandi ſunt. Et primum, ut opinio probabilior præferri tutiori minus probabili poſſit, oportet ut maior probabilitas ſit certa & evidens, atque momentis *notabiliter* prævalentibus oppoſitæ opinionis rationibus: non enim quæcumque maior probabilitas, levibus fulta ratiunculis, ſufficit ut ſententia tutior minus probabilis relinquatur. Do exemplum. Paulus celebraturus contractum, præmiſſa ſufficienti diligentia, & ſincero examine facto, ut veritatem inveniat, iudicat ex momentis tum auctoritatis, tum rationis graviter prævalentibus contractum non eſſe uſurarium, ſed iuſtum, & licitum, ſimul tamen ſcit, alios Theologos probabiliter opinari eſſe uſurarium, & illicitum; & forte Theologi iſti probabilius iudicabunt, eſſe uſurarium contractum, divina, naturalique lege prohibitum. Quæritur, valeat ne Paulus celebrare hunc

contractum, quem probabilius modo explicato iudicat licitum, relicta opposita sententia sibi minus probabili, sed absque dubio tutiore?

II. Negantem sententiam defendunt plures Antiprobabilistæ, Sinnichius, Vendrochius, Fagnanus, Mercorus, Contensonius, Baronius (hi tres tamen quæstionem hanc ex instituto non discutiunt) Henricus a S. Ignatio, & alii pauci. Affirmantem communiter ceteri Antiprobabilistæ defendunt.

III. Ut clarior sensus propositæ sententiæ percipiatur, perspicue exponendus est huius vocabuli *tutior* significatus. Porro ly *tutius* significare potest securitatem a peccato etiam *materiali*; ut, si Paulus abstinet a præfixo contractu, quem opinio minus probabilis usura pollutum censet, *tutus* omnino est a legis transgressione, etiam *materiali*: & ab hac materiali transgressione *tutus* non est, si celebret contractum, ductus opinione evidenter probabiliore. Secundo ly *tutius* significare potest securitatem a transgressione formali legis. Et hoc modo Paulus, celebrans contractum vi opinionis certo probabilioris ex momentis valde præponderantibus, *tutus* est a peccato formali, licet forte contractus sit usurarius reipsa, & lege prohibitus, atque adsit materiale peccatum.

IV. Altera distinctio significatus in verbo *tutius* magnopere perpendenda est. Igitur ly *tutius* significare potest securitatem a falsitate. Hoc autem in sensu opinio probabilior semper est tutior, sive sit pro lege, sive sit pro libertate. Quod enim est probabilius, est verosimilius seu propinquius vero. Licet enim ob imbecillitatem mentis nostræ interdum falsa sint verosimiliora; tamen communiter, & plerumque quod probabilius est, verum est; seu maior probabilitas frequentius, & securius ducit ad veritatem assequendam quam minor probabilitas, ut Theologi omnes docent, aut docere debent. Hoc ergo in sensu opinio probabilior est etiam tutior, tutior, inquam, a falsitate: quia quod est verosimilius, magis distat a falsitate, & proximius accedit veritati. Ergo quod probabilius est, tutius quoque est.

V. Sententia itaque adfirmans, licitum esse sequi opinionem certo probabiliorem ex momentis valde prævalentibus rationibus oppositæ sententiæ tutioris minus probabilis, evincitur. Licitum est exequi id quod, omnibus serio expensis, apparet prudenter verum, & honestum. At dum sententia adfirmans contractum iustum esse, mihi post adhibitam diligentiam necessariam, citraque passionem, verosimilior opposita ex momentis graviter præponderantibus est, prudenter iudico, vel iudicare possum hunc contractum licitum esse, & iustum. Ergo &c. Maior certa est. Minor quoque propositio videtur vera. Nam opposita sententia est minus probabilis, minusque verosimilis. Ergo prudenter nequeo illam esse veram iudicare. Antecedens est ipsa caussa quam versamus. Consequens hactenus demonstratum est in toto hoc opere. Universa hæc doctrina confirmatur ex eo quod, ut formemus

indi-

iudicium prudens, minime requiratur omnimoda certitudo. Iudicium enim prudens non est actus nec sapientiæ, nec synderesis, nec fidei divinæ. Ergo non requirit omnem certitudinem, excludentem omnem formidinem, ut evidenter demonstrabo *cap. seq.* Cedo: nonne aliquod iudicium distinctum ab actu fidei divinæ prudenter imperari a voluntate potest? Quodnam istud? Evidens? Hoc necessarium est antecedenter ad imperium voluntatis: evidentia enim abripit mentem in sui assensum. Verum, cum hoc principium infra expendendum sit, illud nunc prætereo.

VI. Confirmatur hæc nostra communis sententia auctoritate regul. xlv. in Iur. canon. & in civil. cxiv. *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Hæc regula pluribus aliis in locis iuris civilis, ubi non præcipitur, sed permittitur ut licitum quod est verisimilius, licet minus tutum, habetur. Hæc regula ipsi principio synderesis nititur: idcirco in omni foro admittitur. Ut vero plenius rem totam teneas, animadvertas velim, nos in præsentia loqui de iis quæ necessaria sunt necessitate præcepti: nam in iis quæ sunt necessaria necessitate medii, tutiora semper amplectenda sunt: quia in his malus eventus vitandus potissimum est. In iis autem quæ necessaria sunt necessitate præcepti, duo mala declinanda sunt, alterum intellectus, voluntatis alterum, videlicet falsitas, & malitia materialis. Quando sententia tutior est, unaque verosimilior, necessitate præcepti amplectenda ea est quia longius ab utroque distat extremo; & opposita utrique extremo subiacet. Quando e contrario una pars verosimilior certo est, seu evidenter probabilior, consilium quidem est tutiorem sequi ad evitandum periculum etiam materiale; at præceptum non est. Quoniam licet hæc pars tutior seu remotior sit a malitia, etiam materiali, ut sapienter advertit P. Tyrsus Gonzalez *disser.* x. cap. I. §. 10. tamen tutior minime est a falsitate; sed propinquius eidem accedit. In dubiis ergo id eligendum est tutius quod magis abest vel a malitia materiali, vel a falsitate, vel ab utroque simul. Id vero tutum non est quod propius accedit ad utrumque malum tum intellectus, tum voluntatis collective. Plura dicenda remitto ad caput sequens.

§. III.

In confirmationem sententiæ nostræ explicatur propositio damnata ab Alexandro VIII.

I. DUæ sunt in hac materia sententiæ, laxitatis, & austeritatis damnatæ. Altera est illa damnata ab Innocentio XI. in ord. 3. *Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus*

nibus non eneatur, consisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Altera ab Alexandro VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Extremum ergo laxitatis damnatum ab Innocentio est, quod sufficiat probabilitas, *quantumvis tenuis*, extremum rigoris proscriptum ab Alexandro est, quod non sufficiat probabilitas, *quantumvis maxima.*

II. Conveniunt Auctores nostræ sententiæ, Alexandrum non definiisse, licitum esse sequi opinionem probabilissimam minus tutam. Quoniam propositio damnata indefinita est, & universalis, quæ, ut falsa sit, sat est quod aliqua particularis sit vera, & licita. Verum autem est iuxta omnes, licitum esse sequi opinionem probabilissimam, simulque tutiorem, aut æque tutam, quando lex pro utraque parte urget, & obligatio. Sit exemplum. Iudex certo conscius innocentiæ hominis qui ex allegatis in processu evidenter homicidii convictus est, iuxta S. Thomam tenetur illum ut reum damnare, secus opinatur Scotus. Pro utraque parte urget obligatio, & lex: neutra tuta est. In hoc casu locum habet declaratio Alexandri, quod iudex sequi valeat opinionem probabilissimam. Secus, quando occurrit sententia tutior pro lege adversus libertatem. Sic respondere valent rigidioris sententiæ patroni.

III. Quamquam conceptis verbis Alexander nostram non declaravit sententiam; nihilosecius tamen argumentatione satis valida id inferri contendimus. Nam propositio damnata accipienda est in sensu obvio, & naturali. Sed sensus obvius & naturalis propositionis damnatæ est, quod non liceat sequi opinionem minus tutam, tametsi probabilissimam. Ergo ex eadem evidenter infertur sententia nostra. Prima propositio certa est apud omnes; illamque plures leges confirmant. Minor probatur. Idem est sensus propositionis damnatæ nunc ac antequam damnaretur. Sed obvius sensus ante damnationem erat, nemini licere usum opinionis minus tutæ adversus legem, tametsi probabilissimæ. Ergo idem & nunc sensus est. Minor propositio patet ex lectione Auctorum Lovaniensium, qui illam propugnabant ex eo quod sententia, licet probabilissima, obnoxia sit falsitati. Requirunt enim Auctores illi ad licite operandum omnimodam certitudinem de operis honestate.

IV. Quid quod nemo umquam in dubium vocavit, licitum esse sequi opinionem probabilissimam faventem legi, atque adeo tutiorem? Si vero utriusque opinionis idem omnino & æquale periculum urgeat, & necesse sit alterutram eligere, ut in allato iudicis exemplo, tum sufficit maior probabilitas, immo & æqualis. Alterutrum ergo dicendum, aut ineptam esse, & frustraneam damnationem propositionis; aut futilem adversariorum interpretationem.

V. Hinc patet, posse iudicem in tribunalibus iudicium ferre, quando de iure partium disputatur, secundum opinionem illam quam post maturum diligensque examen, citraque passionem deprehenderit aut unice probabilem, aut longe probabi-

babiliorem. Alioquin iudices in litibus controversis numquam possent sententiam ferre; cum in his veritatem evidenter reperire nequeant.

§. IV.

Responsa, & obiecta P. Henrici a S. Ignatio.

I. P. Henricus a S. Ignatio, qui prolixe hanc quæstionem versat *Lib. II. cap.* lxxii. *& seqq.* fatetur *cap.* xc. *num.* 1110. argumenta quæ indicavimus & plura alia, quæ brevitatis gratia missa fecimus, sibi ineluctabilia visa fuisse. Verum, inquit, mihi profundius in lege Dei mentem defigenti, remque maturius expendenti, visa tandem sunt leviora. Contra mihi accidit. Adeo sunt varia hominum ingenia. Fateor tamen, non adeo mihi veram esse quam propugno sententiam, ut securitatem tribuam illam amplectenti. Sed, re serio perpensa, mihi verosimilior apparet, tum ob unanimem fere Doctorum auctoritatem, tum ob vim rationum, tum denique quia clementior opposita. Malo enim in extremum benignitatis quam nimii rigoris declinare. Responsa quæ laudatus Henricus præbet ad argumentum ex damnata ab Alexandro propositione petitum, evidenter imbecillia sunt. Nec maioris ponderis sunt cetera.

II. Ut clarius teneas sententiæ nostræ, & adversariorum intelligentiam, scias oportet, præfatum Henricum, Sinnichium, & alios, ad licite operandum requirere omnimodam certitudinem, excludentem vel levem formidinem. Quare negant licitum esse sequi opinionem vel probabilissimam, si contraria minus tuta sit, vel exigue probabilis: quam opinionem comprehendi in propositione damnata ab Alexandro, satis efficaciter probatum est. Adverto autem, mihi probari sententiam illam quæ docet, licitum haud esse sequi opinionem probabiliorem, quando contraria magis tuta, non exigue, sed valde probabilis est in occursu probabilioris. Quoniam cum in conspectu probabilioris sit valde probabilis, & simul tutior, adhuc urget, & non leviter pertrahit intellectum in sui assensum. Hic dicendi modus, ut dixi, mihi ipsi probatur. Quapropter declaravi, tum solum licitum esse sequi probabiliorem minus tutam, quando evidenter constat hæc maior probabilitas ex fundamentis valde graviterque præponderantibus, seu cum gravi excessu super opposita probabilitate; adeo ut opinio tutior sit leviter probabilis.

III. Obiicies 1. ex D. Augustino, qui *hom.* xli. ut refertur in cap. *Si quis autem* de pœnit. dist. vii. inquit: *Tene certum, dimitte incertum*. Sed omnis opinio, licet probabilior, habet incertitudinem maxime in conspectu tutioris. Ergo &c. Respondeo. Omnis opinio habet incertitudinem levem, concedo; gravem, nego. Nec quælibet opinio, nec quælibet certitudo, & contra, movet intellectum, aut sufficit pro regimine conscientiæ. Sed opinio gravi fundamento nixa, quæque certitudinem

dinem affert probabilem, seu moralem, excludentem omnem gravem incertitudinem. Quare Augustinus eam certitudinem præscribit quæ moraliter possibilis est humanæ imbecillitati; secus quæ fugit communem & ordinariam sedulam & sinceram inveniendæ veritatis intelligentiam.

IV. Obiicies 2. S. Thomas *quodlib.* VII. *art.* 5. docet: *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* Quicumque opinatur, veritatem expresse non videt. Item *quodlib.* VIII. *art.* 13. scribit, quod *si operans in quamdam dubitationem inducitur, & sic, si manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo se committit, & sic procul dubio peccat.* Respondeo. Verissima est Angelici doctrina. Et ad primum textum quod attinet, dubio procul non levi discrimini se se committit qui in obscuris morum controversiis, in quibus veritas latitat, absque severo gravique examine definit, deciditque, & quæ sibi incerta sunt, pro certis venditat. Quoties ergo quæstio dirimenda occurrit obscura & gravis, severe examinanda est; & nisi veritas expresse appareat, caute decidendum est. Quod post maturum examen videtur verosimilius, ut tale proponendum est, secus ut certum. Non est promittenda securitas, quando veritas expresse non apparet. Probabilistæ sunt qui vades, & sponsores se se præbent conscientiarum, passim securitatem crepantes, ut mox dicemus.

V. Ad alterum textum ex *quodlib.* VIII. *art.* 13. plura diximus alibi. Mirifica sunt responsa, & commenta quibus Probabilistæ eludere eiusmodi textum conantur. Brevissime dicimus, non aliud in textu allato S. Doctorem intelligere, nisi peccare eum qui dubius operatur. Omnes enim adfirmamus deponendum dubium esse, antequam in operationem erumpatur. Alia verba quæ ibidem Angelicus habet, fortius urgere videntur: nempe: *Illud quod agitur contra legem, semper est malum; nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Hæc ultima verba intelligenda sunt secundum conscientiam *errantem vincibiliter*. Nam cum ibidem loquatur de lege absolute accepta, evidens est admittendam esse conscientiam invincibiliter errantem circa legem saltem positivam. Plura alia nunc omitto.

VI. Obiicies 3. In dubiis tutior pars est eligenda, ut omnes docent Antiprobabilistæ. Sed quamvis probabilior opinio sit pro libertate, tamen quæ est pro lege, tutior est. Ergo iuxta principia Antiprobabilistarum hæc eligenda est. Accedit quod qui amat periculum, peribit in illo. Sed quantumvis opinio sit probabilior, periculum non aufertur; cum opposita opinio tutior sit. Ergo hæc eligi debet.

VII. Respondeo. Dupliciter aliqua opinio tutior esse potest, nempe tutior a peccato materiali, & tutior a falsitate. Porro iuxta circumstantiarum varietatem quandoque eligenda est opinio quæ tutior sit ab utroque extremo: interdum eligenda est tutior a falsitate, secus a peccato materiali, ut supra explicatum est. Opinio evi-

evidenter probabilior cum magno, & manifesto excessu pro libertate supra aliam quæ stat pro lege, tutior est a falsitate: tunc enim illud est tutius quod est verosimilius. Et hæc regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*: intelligenda est, & explicanda per hanc aliam: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*. In his quæstionibus quod primo loco intellectus quærit, est *veritas*. Quod verum est, tutum est; & quod est verius, tutius quoque est in iis quæ sunt necessaria necessitate præcepti. In nostro casu opinio probabilior cum magno excessu, & ex fundamentis valde prævalentibus pro libertate contra tutiorem pro lege minus probabilem, est verior, seu unice vera, atque adeo tuta. Porro inter duas propositiones tutas electio tutioris est consilii, non præcepti. Ad id quod subditur, respondeo, periculum esse remotum, quod vitare non tenemur; secus proximum. Nec reponant Probabilistæ, nos reiicere hanc distinctionem adhibitam in defensione Probabilismi. Quoniam opinio minus tuta, simulque minus probabilis, proxima est utrique extremo & falsitatis, & peccati formalis. Idcirco merito dicimus, tum periculum formale esse & proximum.

VIII. Plura alia obiicit P. Henricus a S. Ignatio, quæ missa facio, tum quod seipsis corruunt, tum quod de iis mox sermo redibit.

CAPUT II.

De certitudine ultimi iudicii practici dirigentis conscientiam. Rigor nimius Probabilistarum Reflexistarum, potissimum P. Antonii Terilli.

I. PLures recentes Probabilistæ pro licita operatione requirunt dictamen, quod practice practicum appellant, certum certitudine evidenti, & quidem metaphysica, quod vix credibile est, ut advertit Camargo *Lib. II. contr. IV. art. 7. §. 1. num.* 431. Probabilistarum Reflexistarum facile princeps est P. Antonius Terillus, qui *tract. de consc. quæst.* XIII. *assert.* 5. *num.* 22. hæc scribit: *Ultimum conscientiæ dictamen, regulans operationem honestam, non solum debet esse moraliter certum, sed etiam est, & esse debet evidens*. Probat vero *num.* 23. & 24. *pag.* 183. hoc dictamen debere esse evidens evidentia metaphysica. Ex plurimis pauca verba transcribo, quæ sufficiant ad fidem faciendam. „ Conscientia regulans actionem honestam, „ est dictamen *infallibiliter* repræsentans veram honestatem in electione ponenda „ .... At omnis actus certus & infallibilis tam ex parte subiecti, quam ex „ parte obiecti, si fidem demas, est evidens. Ergo & ultimum conscientiæ dicta„ men evidens est, *& quidem metaphysice evidens*. Cum enim obiectum illius non „ sit quid a sensibus dependens, dictamen illud est persuasio de obiecto immediate „ solum intelligibili. *At de tali obiecto aliam evidentiam quam metaphysicam habere*

„ *non*

„ *non possumus. Ergo est metaphysice evidens.* " Latissime ibi hoc evincere nititur incredibile paradoxon.

II. Viden' lapidem, non philosophicum, sed probabilisticum? Directæ propositiones, ex quibus primum directum dictamen elicitur, minus verosimiles sunt, immo magis falsæ quam veræ: & mirifico probabilisticarum reflexionum artificio evadunt infallibiles, evidentesque. Pariunt dictamen evidens *evidentia metaphysica*. Dictamen infallibile in rebus dubiis! Nisi hæc monstra sint, quænam erunt?

III. Primores Probabilistæ, & quidem doctiores, Medina, Vasquez, Sanchez, Lorca, Granados, Salas, impossibile reputarunt in rebus dubiis dictamen infallibile. Communiter Antiprobabilistæ cum SS. Thoma, Antonino sustinent, satis esse ad operationem honestam dictamen vere probabile, ut clarius mox explicabitur.

§. I.

Varii certitudinis gradus. Diversa Theologorum placita.

I. TRiplicem distinguere certitudinem Scholastici solent, physicam, metaphysicam, moralem. *Physica* est quæ experimento nititur, & argumentis, quæ naturaliter decipere nequeunt, quæque evincunt, rem naturaliter secus se habere non posse. *Metaphysica* est quæ rationibus adeo invictis, & evidentibus fulcitur, ut demonstret ita firmam esse veritatem alicuius propositionis, ut neque divina potestate aliter se habere queat. *Moralis* certitudo est quæ motivis fallibilibus nititur: estque duplex, ut ex Bellarmino advertit Gonzalez *diss. x. num.* 14. Altera quæ aliqua credenda proponit ob auctoritatem humanam, sed ita confirmatam, & celebrem, ut omnem formidinem prorsus excludat: cuiusmodi sunt, Demosthenem, Homerum, Virgilium, Ciceronem fuisse insignes viros; Hierosolymam esse in Palæstina, Constantinopolim in Thracia, Alexandriam in Ægypto; & plurima alia id genus. Alia est certitudo moralis, quæ coniecturis, & rationibus talibus nititur, quæ hominem securum reddunt, & anxietatem excludunt, non tamen formidinem omnem expellunt: & hæc certitudo moralis opinionis est. Hæc porro certitudo excludit periculum, non logicum, aut metaphysicum, seu deceptionem pariter metaphysicam, sed moralem; admittit vero formidinem, sed levem, & prudenter contemptibilem.

II. Hoc in sensu intelligenda est plurium Theologorum Antiprobabilistarum doctrina. Caietanus verbo *Opinio* hæc scribit. *In operandis, nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cuiuscumque assumere ut regulam operis. Quoniam eo ipso quod operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ: quia opinio omnis ambigua est, utpote cum formidine alterius partis. Et quia præsupponi-*

tur

tur, quod non eligatur tutior pars, consequens est ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad casum peccati, ac per hoc exponatur periculo peccandi; quod constat esse illicitum.

III. Caietanus a regula operationis eam opinionem excludit quæ annexam habet non solum formidinem logicam, sed ambiguitatem, & dubitationem moralem de malitia operis: quod & ex relatis verbis, & ex iis quæ e vestigio subdit, constat. Pergit enim *Et si de peccato mortali agitur, constat esse peccatum mortale facere scienter operationem dubiam, an sit mortalis*. Nomine vero opinionis, ut sapienter prius adverterat P. Tyrsus Gonzalez *diss. x. num.* 12. intelligit Caietanus infimam opinionis speciem, quæ nimirum annexam habet dubitationem de malitia operis. At non propterea reiicit opinionem vere probabilem in sensu a nobis explicato, quæ moralem formidinem, & prudentem dubitationem excludit, & moralem certitudinem adiunctam habet; ut ex verbis immediatis constat. Subdit itaque Caietanus *Et hoc intellige de opinione proprie dicta, quæ est cum formidine alterius partis. Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diversi Auctores contraria sentiunt: quoniam cum huiusmodi contrarietate stat quod una pars sit ratione sufficiente ad moralem certitudinem fulta, & iam non est opinio apud capientes rationem illam. Sed quia nesciunt multi discernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant sub opinionibus*. Mentem ergo Caietani paucis habe. Opinio levibus innixa momentis, quæ intellectum fluctuantem, & ancipitem relinquit, nequit esse regula operationis. Contra opinio quæ, licet non habeat certitudinem demonstrativam, seu mathematicam, habet tamen certitudinem moralem excludentem prudentem formidinem, sufficiens est regula honestæ operationis. Et hoc in sensu loquitur Armilla cum nonnullis aliis.

§. II.

Ad licite operandum sufficit dictamen vere probabile, seu moraliter certum, iuxta SS. Thomam, Antoninum, aliosque communiter tam antiquos, quam recentes Antiprobabilistas.

I. Certitudo moralis, ut dictum est, si presse loqui velimus, eadem est ac certitudo vere probabilis. Et ut tollatur ambiguitas, & confusio, quam voces eiusmodi parere solent, ob diversum loquendi modum a quibusdam usurpatum, advertendum, nos loqui de *vera* probabilitate, prout distincta a *falsa*. Falsam probabilitatem vocamus illam a Probabilistis excogitatam, quæ nempe vaga est & versatilis, ad verum & ad falsum indifferens, quin etiam magis falso quam

vero

vero affinis & propinqua est. Vera autem probabilitas unice verum spectat, & , quoad fieri potest, vero accedit, & reapse ut in pluribus verum assequitur, & in paucioribus deficit. Hanc nos cum omnibus antiquis dicimus sufficientem esse regulam operationis honestæ.

II. Ut hoc evincam, duo testimonia ex pluribus proferam. Primum est S. Thomæ, qui 1. 2. *quæst.* XCVI. *art.* 1. *ad* 3. hæc habet *Non est eadem certitudo quærenda in omnibus, ut in I. Ethic. dicitur. Unde in rebus contingentibus sicut sunt naturalia, & res humanæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus.* Lubet referre verba Aristotelis Lib. I. Ethic cap. III. *Disciplinati enim est, in tantum certitudinem quærere secundum unumquodque genus, in quantum rei natura recipit. Proximum enim videtur & Mathematicum persuadentem acceptare, & Rethoricum demonstrationem expetere.* Quæ verba sic interpretatur ibidem S. Thomas. *Quia ad hominem disciplinatum, idest bene instructum, pertinet, ut tantum certitudinis quærat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur.* Plura prætereo brevitatis gratia.

III. Alterum testimonium est S. Antonini I. Part. tit. III. cap. X. *Tertia conditio* (inquit) *moralis, seu civilis tangitur in principio Ethicorum, ubi dicitur, quod disciplinati est in unaquaque re certitudinem quærere iuxta exigentiam materiæ. Neque vitiosum est persuadentem quærere Mathematicum, & Moralem demonstrantem. Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus coniecturis grossis, & figuralibus, magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus. Dicitur autem probabile quod pluribus, & maxime sapientibus apparet verum. Ex hoc igitur sequitur quod in humanis agibilibus sufficit talis certitudo quæ non semper scrupulos omnes abscisat, sed sufficit ut contemnat.*

IV. Hinc patet quantum abludat a vero P. Azorius, dum *Tom. I. Lib. II. cap.* XVI. affingit S. Thomæ, aliisque manifestam falsitatem, quod nempe Doctor sanctus exigat evidentem & omnimodam certitudinem in dictamine conscientiam dirigente. Patet enim ex allatis, & ex plurimis aliis textibus, quos afferre possem, S. Doctorem non aliam exigere certitudinem nisi eam quam materiæ conditio fert. Porro materia necessaria necessariam, contingens contingentem notitiam exigit. Materia moralis ut plurimum contingens est. Ergo notitiam contingentem, seu vere probabilem, moraliterque certam, non maiorem postulat. Hanc ipsam, & nullatenus infallibilem, & absolute certam, defendunt communiter Theologi Antiprobabilistæ, etiam recentiores, nedum antiqui.

V. Hoc in sensu loquitur Antonius Charlas, dum asserit, haud licere sequi minus tutam probabiliorem, dum opposita magis tuta probabilis existat. Quoniam, si probabilis existat, iam minus tuta non est evidenter, & cum magno excessu probabilior. Idem quoque sentit P. Iulius Mercorus, quem lege *II. Part. art.* 7.

Idem

Idem Prosper Fagnanus cap. *Ne innitaris*, ubi hæc habet num. 109. *In moralibus non requiritur certitudo evidens, seu mathematica, immo vitiosum est illam quærere, teste Philosopho I. Eth. cap. 111. tum quia alioquin nihil possemus. etenim omnino impossibile est omnium esse demonstrationem, ut legitur IV. Met. cap. 11. tum denique quia, si licitum est sequi opinionem probabiliorem, cuius opposita est probabilis, ut patebit infra &c.* Quare immerito P. Muniessa *simul.* 7. § 10. tutiorismum affingit Fagnano, Mercoro, Baronio, aliisque. Verum habet quod interdum hi Auctores, aliique Antiprobabilistæ vocibus utuntur minus aptis, quibus ad damnatum rigorem Sinnichii, aliorumque accedere videntur. Ceterum si attente, & integre legantur, a communi sententia non recedunt. Henricus tamen a S. Ignatio in extremum nimii rigoris prolapsus videtur, & dum propositionem 3. Alexandri VIII. interpretari conatur, hæret ad aquas.

§. III.

Sententia P. Antonii Terilli, aliorumque recentium Antiprobabilistarum de metaphysica certitudine dictaminis practici aperte repugnat sacræ Scripturæ, Concilio Tridentino, & Patribus.

I. P. Antonium Terillum propugnare necessitatem dictaminis quod sit certum certitudine *metaphysica* ad honeste operandum, patet ex eius textibus supra allatis sub initium *cap.* 11. Antequam vero falsitatem sententiæ *Terilli*, aliorumque Probabilistarum evincam, iubet pauca verba transcribere ex P. Ignatio de Camargo, qui *Lib. II. contr.* IV. *art.* 8. *num.* 491. hæc scribit. *Precor te, candide lector, ne mireris, si dicere compellar, nescire prorsus me, quibus libris utantur recentiores hi Theologi prudentissimi, intrepidissimi, & infallibiles, qui tantam, tamque facilem nobis spondent securitatem in operando.*

II. Probabilistæ semper super latera abyssi ambulant, & in extrema semper impingunt. Modo contendunt, satis esse ad operandum honeste opinionem magis falsam quam veram, post contendunt, ad honestam operationem requiri certitudinem infallibilem, seu metaphysicam honestatis operationis eliciendæ. Incredibilia hæc forent paradoxa, nisi verba Terilli transcripta fuissent. Verum ad id quod proposui, accedo.

III. Probo ergo, sententiam Terilli repugnare S. Scripturæ. Psalm. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Item Psalm. XVIII. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Sed audi Apostolum Paulum I. Cor. IV. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat*

me, Dominus est. Et ad Philip. cap. II. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Apocalypsis cap. III. *Dicis, quia dives sum & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

IV. Innumera alia sunt Scripturarum testimonia, quæ Terilli, aliorumque Probabilistarum metaphysicam securitatem improbant, damnantque. Clamant ubique Scriptores divini, cor hominis inscrutabile esse, soli Deo notum, abyssum profundam, latebrarum plenissimam. Quid quod ipsi viri Dei, nullius sibi culpæ conscii, occultas animi insidias pertimescebant? Non est unus ex mille qui se iustificare apud Deum possit. Quo sanctiores sunt homines, eo altiore percelluntur timore in conspectu Dei, etiam dum conscientia non clamat, non accusat. Nemo est suæ propriæ reclamantis conscientiæ iudex, sed aliorum tribunali quisque se se sistat oportet. Hinc vero syrtes, hinc scopuli. A pseudoprophetis cavendum Scriptura admonet, probandos esse Dei spiritus, vigilandum, ne Angelus Satan in Angelum lucis transfiguretur, & ne lupi rapaces pastorum vestes induant ut crudelius oves devorent, venturos Antichristos, pseudoapostolos, falsos Prophetas, fallaces magistros, assentatores Theologos, qui placentia pro hominum ingenio loquantur, qui dicant malum bonum, bonumque malum, qui beatum populum prædicent, & securitatem spondeant. Periculum imminet ingens, ut istorum dulciloquiis, & præstigiis animæ capiantur nostræ. Nos arctam refugimus viam, angustam devitamus ianuam. Via lata, & spatiosa arridet. Pœnitentiæ severitatem, carnis conflictationem detestamur, & appetitiones nostras mortificationis freno cohibere respuimus. Idcirco magistris seductoribus perquam facilem aurem aptamus, quod nostris cupiditatibus faveant, & desideriis. Mendaces esse hominum stateras, falsa iudicia scimus, nihilosecius errorum blandimentis capimur, & versuti sermones nos decipiunt. Hæc, & alia longe plura meditantes viri sancti verentur omnia opera sua, eadem scrutantur; & ne decipiantur, orant, vigilant, lugent, atque lumen divinum sine intermissione implorant.

V. Quis est modo qui non videat, securitatem probabilisticam illusionem esse, verendumque præstigium? Docent laudati Probabilistæ, nos operationum nostrarum honestatis securitatem habere posse, & quidem *metaphysicam*. Nihil timendum super iudiciis nostris, nihil super conscientia nostra hic & nunc operante verendum inclamant. Nihil formidandæ amoris proprii insidiæ, nihil occultæ superbiæ molimina pertimescenda contendunt. Hæccine salutis nostræ incertitudini, hæccine humilitati, timori, & vigilantiæ, quam adeo frequenter Evangelia inculcant, respondent, congruuntque? Hæc, lector, serio expende: & nisi probabilisticam P. Terilli metaphysicam certitudinem, collatam cum divinorum iudiciorum severitate, sis detestaturus, stupidus ipse sim.

VI.

VI. Quod si te Scripturarum oracula non urgerent, audi quid contra hæreticorum securitatem decernat Synodus Tridentina sess. vi. cap. ix. *Sed neque illud asserendum est, oportere eos qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminemque a peccatis absolvi, ac iustificari, nisi eum qui certo credat se absolutum, & iustificatum esse .... cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

VII. Huic doctrinæ Tridentini aperte repugnat metaphysica Probabilistarum certitudo. Reflexistæ Probabilistæ exigunt dictamen honestatis propriæ operationis ita certum & infallibile, ut omnem prorsus timorem excludat, & formidinem. Ergo istorum sententia in novatorum errorem recidere videtur. Nec est quod reponas, Lutheranos exigere certitudinem fidei divinæ. Nam hinc instauratur argumentatio adversus Probabilistas. Error Lutheranorum est, hominem in suis operationibus esse certum certitudine infallibili, quæ omnem prorsus excludat formidinem. Hanc certitudinem sola fides divina in rebus ad conscientiam pertinentibus præbere valet. Ergo, hac fide exclusa, nulla habetur de nostrarum operationum moralium rectitudine certitudo absoluta, cuiusque formidinis vacua. Si absque hac fide certitudo iustificationis infallibilis haberi posset, vana esset Tridentini doctrina. quod hæresim redolet. Ergo nostræ conscientiæ, absolute loquendo, certitudo infallibilis, & metaphysica, cuiusque formidinis vacua, haberi nequit ab alio principio quam a fide divina. Hæresis est asserere, nos certos esse certitudine fidei divinæ de nostræ operationis moralis sanctitate. Ergo alterutrum fateri debent Probabilistæ Reflexistæ, aut cum hæreticis defendere certitudinem ultimi dictaminis, dirigentis operationem moralem, esse certitudinem fidei divinæ; aut abiurare proprium systema coguntur, certitudinem nempe honestatis operationis esse metaphysicam.

VIII. Confirmatur assertio nostra. Non minoris facienda est nobis anima, seu conscientia nostra, quam operatio nostra, seu non minus solliciti esse debemus de bono conscientiæ nostræ statu, ac de operationis nostræ honestate. At conscientiæ nostræ, seu iustificationis nostræ securitatem absolutam, & infallibilem quærere non astringimur. Ergo multo minus operationis nostræ metaphysicam certitudinem investigare debemus. Maior propositio videtur natura sua evidentissima. Quid enim diligentius in hac mortali vita investigare fidelis debet quam animæ suæ statum, quam scire se gratia privatum non esse, sed a gravi noxa mundum, Dei filium, & æternæ felicitatis heredem? Huc sane tendere hominum studia debent, industriæ, & conatus. Unica utique operatione criminosa status animæ deturpatur, gratia amittitur. Sed hinc non aliud infertur, nisi qua diligentia invigilo super gratiæ divinæ custodia, animæque sanctificatione, eadem

me debere declinare cuiusque operationis meæ malitiam. Nemo vero dixerit, plus me debere esse sollicitum de noxia operatione evitanda quam de gratia divina possidenda, & conservanda. Hæc omnia comperta sunt & evidentia. Minor propositio est doctrina Scripturæ sanctæ, & universæ catholicæ Ecclesiæ, ut ostensum est. Illatio vero legitima, & necessaria.

IX. Varia ad præfata argumenta responsa P. Terillus exhibet *de regul. mor. Part. II. quæst.* xl. *a num.* 45. sed omnia vana, & ex proprio cerebro conficta. Infinitus essem, si omnia refellere vellem. Pauca obiter delibabo. Concedit, nos certos esse de non peccato, quando sequimur opinionem certo probabilem; at negat hinc inferri, nos certos esse de statu gratiæ. Quia, inquit, status gratiæ non obtinetur nisi per sacramenta, vel per contritionem perfectam. Sacramenta autem ab intentione ministri pendent. Idcirco dispar ratio.

X. Verum hæc non solvunt argumentum factum. Nam, concedente Terillo nos certos metaphysice esse debere, & posse de honestate operationis nostræ; consequitur, nos certos esse non peccare in hac aut illa operatione. Constituamus hanc hypothesim. Puer rite baptizatus gratia sanctificante perfusus est. Hic, lumine rationis effulgente, operatur semper iuxta opinionem certo probabilem, aut scit se operari adversus eamdem. Ergo scit se peccare, aut non peccare Porro qui scit se non peccare, scit se gratiam receptam in baptismo non amisisse. Ergo scit se eam habere, & certitudine quidem evidenti ac metaphysica.

XI. Tandem hæc metaphysica certitudo unice comparatur *artificio illo sane mysterioso* reflexionum humanæ mentis. Concedunt, probabilitatem directam, sive formalem, sive obiectivam, fallibilem esse. Deinde contendunt, dictamen, ex his principiis incertis & fallacibus formatum, esse certum certitudine metaphysica. Hic est illorum syllogismus. Quod est probabile, est licitum. Posse pingere die festo est probabile. Ergo licitum. Multiplicent Probabilistæ reflexiones usque ad diem iudicii: ultimum iudicium numquam a linea probabilitatis extrahent.

XII. Postremo, ut plenius teneas sententiæ nostræ sensum, nos non negamus, dari interdum posse certitudinem evidentem honestatis operationis nostræ Sed id quod negamus, est, necessariam esse eiusmodi certitudinem ad honeste operandum, immo frequenter esse impossibilem asserimus. Ecquo ausu iactabunt Probabilistæ, se in tanta actionum, negotiorumque multitudine numquam falli, quod nihil omiserint, nihil neglexerint eorum quæ præstanda erant?

XIII. Obvium proponamus exemplum. Sacramenti poenitentiæ minister, quamvis nequeat formare iudicium evidens de valore sacramenti, ut tamen honeste operetur iudicare debet, se prudenter gerere, & ex parte sua omnia præstare

quæ

quæ humano modo conducunt ad discernendum numerum peccatorum, circumstantias, species, & pœnitentis dolorem, ac propositum non peccandi de cetero. Debet prudenter iudicare, se congrua porrigere remedia vulneribus sanandis, sufficienter instruxisse pœnitentem, eumque ab ignorantiis pro virili liberasse, opportunam demum satisfactionem imposuisse. Nisi prudenter iudicet, hæc omnia se peregisse, iudicare nequit se prudenter absolutionem impertiisse. Quid? prudenter ne iudicabit se honeste & licite confecisse sacramentum, licet cognoscat se non peregisse ea quæ peragere debebat, ut legitimum conficeret sacramentum?

XIV. Dicant nunc nobis Probabilistæ, an ipsi nullam impendant absolutionem, antequam iudicium forment certum, & quidem metaphysica certitudine, se ea omnia adamussim peregisse quæ indicavimus? Aut affirmare debent; aut abnegare propriam opinionem. Si affirment: putasne ne unum ratione præditum invenient qui fidem iisdem adhibeat? Stat ergo prudens iudicium absque metaphysica & infallibili certitudine, cum sola morali, seu vere probabili, ut supra explicatum est.

XV. Hæc omnia evidentius patent ex propositione damnata ab Alexandro VIII. Nam certum est, vi talis propositionis licitum esse cuipiam suam dirigere conscientiam iudicio directo de operationis honestate non absolute certo, sed vere probabili. Sed ex iudicio tantum probabili nemo eruere valet iudicium certum & evidens de honestate eiusdem actionis sub eisdem circumstantiis. Neque ullo principio reflexo fieri valet ut iudicium directum de honestate obiecti novam aliquam accipiat certitudinem de eadem obiecti honestate relate ad legem Dei antecedentem: quoniam hæc principia reflexa nequeunt efficere ut obiectum istud firmius, aut propinquius coniungatur cum lege Dei. Quod si recursus fiat ad legem indirectam, & consequentem; iam supra pro dignitate, quam sit chimærica eiusdem novæ legis inventio, ostensum est.

XVI. Ex his colliges, paucos illos Antiprobabilistas qui certitudinem absolutam dictaminis ultimi requirunt, aut fœdus inire debere cum Probabilistis, quod numquam eveniet; aut suam de absoluta certitudine deserere opinionem. Nam si eam propugnare velint, aut labantur in errorem Sinnichii, aut confugiant ad principia reflexa Probabilistarum necesse est. Utrumque autem ipsi detestantur. Ergo recedendum illis est a sententia de certitudine absoluta iudicii.

XVII. Alibi fuse explicata sunt principia nostræ ignorantiæ, & aberrationum, videlicet occulta negligentia in quærenda lege, pravæ affectiones, secreta superbia, pravæque consuetudines. Isthuc revocat vel ipse Aristoteles errores nostros Lib. III. Ethic. cap. x. *Studioso igitur, idest affectabili voluntate, quod vere est bonum; vitioso vero, quidquid contigerit. Fitque hoc perinde ac in corpo-*

ribus ipsis. His enim quorum corpora bene se habent, salubria sunt ea quae vere talia sunt; iis autem quorum corpora sunt aegrota, nec ipsa, sed alia, similiter & amara, ac dulcia, & calida, atque gravia, & cetera id genus. Studiosus enim homo recte singula iudicat, & singulis in rebus id ipsi videtur quod vere est tale . . .

Ratiocinationes enim agendarum rerum principium habent, cum talis sit ipse finis, & ipsum optimum, quidquid tandem sit illud . . . Hoc autem nonnisi bono viro videtur. Pravitas enim pervertit, facitque ut circa principia rerum agendarum homo fallatur. Quare patet prudentem neminem esse posse nisi sit bonus.

§. IV.

Resolvuntur nonnulla obiecta.

I. OBiiciunt 1. pauci Antiprobabilistae rigidiores. Quamquam possibile non sit dictamen absolute & perfecte certum vi artificii probabilistici, & reflexionum humanae mentis; possumus tamen semper hanc absolutam certitudinem habere, partem tutiorem amplectendo, & ubique partem minus tutam declinando, quoties haec non apparet evidenter honesta, & procul ab omni periculo etiam levi, remotoque peccandi. Ad hanc autem tutiorem partem nos astringit Augustinus Lib. contr. Donat. cap. IX. *Efficere id quod incertum est an sit peccatum, certum peccatum est.*

II. Qui diceret, levem esse difficultatem istam, is sane aestuantis caniculae ardorem non sentiret. Non adeo tamen gravis est, ut ex iis quae iam supra dicta sunt, soluta non maneat. Animadvertimus supra, hanc viam amplectendi partem tutiorem semper, quoties minus tuta non est evidenter honesta, & licita, minime posse afferre conscientiae securitatem, & certitudinem absolutam. Quoniam saepe ex utraque parte periculum imminet peccandi: & saepe nequit discerni, saltem evidenter, sed ad summum opinative, & probabilitèr, utrum istorum maius sit. In hac hypothesi formidare operans debet ne in praelatione extremi decipiatur culpa sua.

III. Quid quod nec ipsi rigidiores adversarii valent defendere, semper eligendam esse tutiorem partem, quoties evidens non est honestas partis oppositae minus tutae. Nam si hoc defenderent, deberent etiam affirmare, neminem posse licite ministrare, aut suscipere sacramentum aliquod, obire munus directoris conscientiae, consultoris, Praelati, iudicis, & similia, nisi in casibus in quibus urgetur stricta conscientiae obligatione, aut caritatis, vel iustitiae lege. Quod absurdum nec ipsi deglutire queunt: & alioquin necessario consequitur illorum posi-

tionem. Nam iudicium particulare de positiva obiecti honestate absolutum atque directum, quod sit omnino evidens, nullique obnoxium deceptionis periculo, moraliter loquendo haberi semper nequit. Ad impossibile autem non astringimur, nisi *Iansenizare*, & *calvinizare* velimus. Aliunde reflexiones illas, quibus Probabilistæ iactant metaphysicam dictaminis certitudinem creare, inanes, ac futiles esse supra ostensum est.

IV. Hinc ergo patet, nos sæpe immunes esse a necessitate eligendi partem tutiorem, & acquirendi omnimodam certitudinem; cum hæc non raro impossibilis sit in pluribus actionibus. Quare sententia Augustini intelligenda sane est iuxta materiæ diversitatem. Utique in salutis negotio certa incertis omnino præferenda absolute sunt. Ceterum non heinc sequitur quod in omnibus actionibus metaphysicam certitudinem habere debeamus, cum hæc sæpe haberi nequeat, ut probavi Eam ergo certitudinem assequi debemus quam materiæ conditio fert, & eam amplecti securitatem quæ huic mortali vitæ congruit. Securiorem vero, tutioremque partem eligere in omnibus actionibus onus est supra humanam conditionem, ut vidimus.

V. Obiicies 2. Si prudenter se gerit qui operationes suas dirigit iudicio tantum probabili, & aliquatenus formidoloso; prudenter quoque se gerit qui credit quidquid prudenter iudicat iudicio probabili, esse a Deo revelatum. Atque hoc consectarium damnatum est ab Innocentio XI. in hac propos. 21. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine ne non sit locutus Deus*. Quod argumentum sub aliis terminis adversus P. Baronium opponit P. Honoratus Fabri in apolog. dialog. v. *Si non teneor illud credere quod certo mihi non constat revelatum a Deo fuisse, & ab Ecclesia propositum; non teneor etiam illam legem servare quam constat non certo a Deo, vel ab Ecclesia latam: & sicut certo iudico me non peccare, dum illud primum non credo, ita certo credo me non peccare, dum illud secundum non facio. Solvat hoc mihi Baronius, & erit mihi magnus Apollo.*

VI. Resp. Mirum est potuisse ab Honorato Fabri, viro alioquin acuto, & docto, obtrudi hoc argumentum, tamquam Apollineum, seu vix ab Apolline solvendum. Sed hic est Probabilistarum mos, grandiloquis, & inflatis vocibus sua sophismata iactare; cum sint vesicæ tumentes vento, & omni veritate vacuæ. Trito proverbio fertur apud Logicos, argumenta a paritate arcessita communiter aliquo claudicare pede. Relatum argumentum non claudicat modo, sed pedibus privatum iacet. Non plus virium habet quam istud: *Gallus cantat; Ergo Turca saltat*. Non modo teneor, sed neque licite valeo credere mysterium fidei divinæ, quod certo mihi non constat a Deo esse revelatum: ergo pariter servare licite nequeo legem, nisi certo sciam hanc esse a Deo revelatam? Non

teneor fide theologica credere, Christum esse in hac numero hostia, tametsi sciam a Sacerdote pro consecratam: ergo neque teneor illam adorare; immo nec licite possum eamdem colere? En robur argumenti Apollinei. Non datur praeceptum credendi fide divina, nisi quod certo scimus a Deo revelatum: ergo non datur praeceptum observandi legem quam nescimus certo promulgatam? Non datur lex servandi virginitatem: ergo non datur lex observandi aliquam continentiam? Sed propius ad rem. Nullum datur praeceptum credendi fide divina quod infallibiliter assecuturus sim aeternam salutem: ergo neque datur praeceptum me obligans ad eamdem salutem procurandam? Non teneor fide divina credere, hunc hominem esse meum parentem: ergo nec teneor eum honorare, licet iudicio fallibili, & probabili illum credam? Ecce, inquit P. Camargo, argumentum gloriosum, ad quod solvendum Apollinem deposcit. Quis non videat, manibusque fere contrectet, Probabilismum esse puram putamque larvam; cum videt argumenta quae acutissimi, & doctissimi Probabilistarum principes exaggerant gloriabundi, ineptissima esse commenta?

VII. Rationes cur credere fide divina nihil possimus, nisi quod iudicio omnino certo iudicamus a Deo revelatum esse, obviae sunt in Theologia, easque explicant Theologi in *tract. de fide*. Credimus enim fide infallibili divina propter auctoritatem Dei revelantis: ergo, ut sic credamus, necesse est nobis certo constare de hac Dei locutione, seu revelatione. Hic enim est proprius fidei divinae character. Contra evenit in fide humana, aut opinione. Hoc enim credere prudenter possumus tamquam revelatum a Deo, licet possimus prudenter aliquo modo formidare de existentia revelationis, & de absoluta obiecti veritate. Quis imprudentiae postulabit eum qui congruis fundamentis credit alicui privatae revelationi humana fide? Quis damnabit catholicos Doctores qui probabiliter, & opinative libros sacros interpretantur? Nonne hinc apparet, quam sit intolerabilis error Tutioristarum, seu Iansenistarum, qui omne iudicium opinativum, seu vere probabile damnant in morum operationibus? Quae sane doctrina adeo monstrosa est, ut sit vel ipsi humanae societati, & civili commercio infesta.

VIII. Rem totam paucis perstringere iubet. Dicimus, iudicium vere probabile esse sufficientem regulam actionis honestae: quia licet non sit ita certum, ut falsitas eidem repugnet; tamen non est ita fallibile, ut frequenter, sed raro tantum, aut fere numquam fallat. Illud enim in nostra vera sententia est probabile probabilitate conscientiae, quod plerumque verum est, & perquam raro contingit esse falsum. Quare periculum errandi remotum est, & quammaxime leve. Lex autem prudentiae non iubet abstinere ab operatione ob eiusmodi periculum vitandum; alioquin exeundum de mundo esset. Imprudentiae ne damnabis homines, quod domi reclusi non maneant, ut periculum occisionis aliquando con-

contingentis devitent? vel, si domo egrediantur, non ambulent per viæ medium, ne tegula aliqua de tecto descendente percutiantur? Imprudentiæ ne damnabis homines aut equo iter agentes, quod interdum aliqui ab equo præcipites acti sunt; aut cymba flumina & maria transeuntes, quod interdum nonnulli passi sunt naufragium? Imprudentiæ ne damnabis qui gravia negotia amicis, parentibus, advocatis fidunt, ob leve, remotumque periculum infidelitatis? Et, ut quid dicamus de salute animæ, imprudentiæ ne damnantur Christiani, quod non ingrediuntur Religionem austeram, ut sæculi pericula declinent? Quin stultus haberetur, qui ob similia pericula suas suspenderet actiones.

IX. Eiusmodi ergo iudicium vere probabile, quamvis non excludat omnem omnino formidinem, excludit tamen omnem formidinem prudentem, excludit omnem anxietatem, turbationem, & fluctuationem; atque reddit intellectum firmum & securum securitate, non metaphysica, sed morali, & imperfecta, quæ in hac mortali vita haberi potest. Æternæ salutis negotium utique omnem certitudinem, & securitatem possibilem postulat, sed possibilem iuxta leges humanæ prudentiæ, & iuxta naturam contingentium actionum istius vitæ. Summa autem certitudo, quam communiter natura harum contingentium actionum, & eventuum fert, moralem & imperfectam non excedit nec ab homine diligentia plusquam humana exigi iure potest. Iudicium autem infallibile in quacumque actione Angelis, non hominibus congruit, inquit Augustinus Lib. II. cont. Donat. cap. v. *Aliter aliquid sapere quam res se habet, humana tentatio est: in nullo autem aliter sapere quam res se habet, angelica perfectio est.*

CAPUT III.

Monita magnopere advertenda in seligendis opinionibus.

I. AD finem iam tendit Probabilismi tractatus. Plurima omitto, ne congruæ brevitatis limites transiliam. Tot volumina multiplicarunt Probabilistæ in hac celeberrima caussa, ut si omnia refutare vellem quæ ipsi congesserunt, vix disputandi finis occurreret. Aliqua monita porrigam, quorum usu securius inter laxitatis, & rigoris extrema incedere lectores mei valeant.

§. I.

Extrema Tutiorismi, & Probabilismi devitanda.

II. EXtrema declinanda clamant omnes, & potissimum ipsi Probabilistæ. At quænam sunt extrema ista quæ vitari debent? Laxitas, & rigor nimius, subdunt omnes. Hucusque unus est omnium sensus. At ubinam laxitas hæc, ubi rigor nimius reperitur? En lapidem dissidiorum. Probabilistæ laxitatem benignitatis fuco deliniunt. Iansenistæ suum *Tutiorismum* evangelicæ severitatis calamistro præcolorant. Utrisque extremis detracta hactenus larva est. Nonnulla tantum addenda, ut altius memoriæ infixa hæreant.

III. MONITUM I. Arcta, angusta, & rigoris plena est via quæ ducit ad vitam. Pauci sunt qui intrant per eam. Multi quærent per eam intrare, & non intrabunt. Quo ergo in sensu dicitur extrema esse devitanda? Ecce: Lex divina, prima nostrarum operationum mensura, & regula, est *rigoris plena*, & severitatis, comparata ad hominis vires; & sola caritatis unctione suavis evadit. Dictamen conscientiæ nostræ est regula secundaria, seu prioris regulæ applicatio. In hac applicatione aut æquo severiore, aut æquo laxiore extrema consistunt aut nimii rigoris, aut nimiæ laxitatis. Clarius rem explico. *Iansenistæ* in legis applicatione extremum rigorem præferunt: siquidem non contenti certitudine probabili, seu morali de actionis honestate, exigunt iudicium *directum* evidenter & absolute certum: quæ iudicii certitudo semper haberi nequit. Idcirco ad impossibilia Iansenistæ homines cogunt. *Probabilistæ* e contrario iudicium directum minus verisimile sufficere ad operationis honestatem docent. Isti non legis veritatem, sed probabilitatem, ad verum, & falsum indifferentem, poscunt. *Tutiorismus* ad impossibilia nos adigit; *Probabilismus* a possibili & facili legis observantia nos avocat. *Tutioristæ* in desperationem, *Probabilistæ* in præsumptionem nos agunt. *Tutioristæ* confitentur præcepta legis, sed observatu impossibilia efficiunt, *Probabilistæ* de medio auferunt præcepta.

IV. Inter hæc duo extrema incedit *Antiprobabilismus*, utraque declinans. Hic in applicatione divinæ legis haud postulat iudicium evidenter certum & evidens, sed probabile tantum, seu moraliter certum. Hoc iudicium moraliter certum devitat tum desperationem Iansenistarum, tum præsumptionem Probabilistarum. Qua parte certitudinem præfert, spem parit, & ea parte qua hæc imperfecta certitudo formidinem iunctam habet, timorem concitat. Itaque Antiprobabilistæ cum *timore & tremore* salutis negotium operantur: securitatem probabilisticam, & desperationem Iansenisticam detestantur.

V.

V. Nec propterea negamus laudabile esse cavere, quoad fieri possit, vel ipsum remotum deceptionis periculum, partem amplectendo tutiorem: quod præstare aliquos eximiæ sanctitatis viros scimus. At tantum onus sub præcepto, strictaque lege postulare, sævitiam, nedum rigorem sapit. Quid quod illi ipsi qui caritatis ardore succensi, minima, & remota pericula præcavere student, hilariter id peragunt, quod compertum habent, liberum esse eiusdem exercitium? Si autem onus stricta lege impositum apprehenderent; terrore perculsi, & nimia anxietate turbati, frequentius succumberent, atque veluti spe deiecti iugum tam grave, propriisque viribus impar, excutere pertentarent. Cavendum est itaque a laqueo Iansenistarum, seu Tutioristarum, qui specioso pietatis velo, reformationisque prætextu, summam tandem invehunt laxitatem, & impietatem.

VI. Nec minori sollicitudine cavendum est a securitate illa chimærica, larvataque tranquillitate, quam Probabilistæ subtilium suarum reflexionum inanissimo artificio persuadere conantur. Hi enim fateantur oportet, neminem posse munera Episcoporum, iudicum, ministrorum, & cetera id genus subire; aut se defendere istos non posse, quin graviter peccent. Negent ergo necessum est, requiri ad honeste operandum dictamen certum, evidens, & infallibile infallibilitate metaphysica. Siquidem, admissa necessitate certitudinis metaphysicæ ad honeste operandum, peccarent, si vel levissime formidarent se peccaturos in tali munerum susceptione. Et tamen certo scimus, Ambrosium, Chrysostomum, Gregorium, Augustinum, aliosque sanctissimos viros cum timore & tremore præfata munia suscepisse. Peccarunt ergo iuxta Probabilistas, deposcentes dictamen infallibile, evidens, & certum metaphysice ad honeste operandum. Sed, quod arcanum istud probabilisticum magis portentosum efficit, est, quod extrema extremis accumulet. Extremo laxitatis adicit securitatis extremum. Certitudinem dictaminis reflexi metaphysicam cum incertitudine probabiliori dictaminis directi consociant.

VII. *Nonne* (inquit P. Camargo sapiens Iesuita Lib. II. contr. IV. art. 8. §. 16. num. 630.) *Probabilistis satius foret .... ferre secundam saltem laudem sapientum, prout Augustinus summus Ecclesiæ Doctor verbo, & exemplo suo faciendum docuit, retractando aliquando Probabilismum suum, adeo sibi difficilem, & insupportabilem, adeoque noxium christianis moribus? Nonne melius sibi, & Ecclesiæ catholicæ consulerent, si redeuntes tandem ad castra veritatis clarissime iam affulgentis, sanæ doctrinæ morum vires adiicerent, & vitiis patrocinium subtraherent, ut uno invicto agmine nobiscum facto, omnes pariter præliaremur prælium Israel cum lætitia? Nonne ingenii vim magnam, & eximiæ sapientiæ dotes, quibus plures ipsorum eminent, multo felicius, gloriosiusque locarent propugnandis decretis pontificiis, quibus moralis Theologiæ laxitatem Apostolica Sedes coercet, quam eis-*

eisdem interpretandis (ne dicam enervandis, omninove frustrandis) impendant, ut sustineant ruinosam Probabilismi fabricam, quæ diutius iam stare non valet, & cuius magna tandem ruina, sicut christiano populo saluti, ita ipsis dedecori haud mediocri futura sit! Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent: *Deut. xxxii. Verum id Deus. Nos cum eius auxilio Probabilismi tantum falsitatem demonstrare pariter possumus.*

§. II.

Non sufficit reiicere Probabilismum; sed summa diligentia conditiones necessariæ ad maiorem probabilitatem assequendam expendendæ sunt.

I. MONITUM II. Plenis buccis non pauci Probabilismum deridendum propinant, & Probabiliorismum extollunt, ac si vox ista *Probabiliorismus* in tuto salutis negotium collocaret. Vereor ne multi Antiprobabilistæ Probabilistarum artificia imitentur. Hi, ut vidimus, incerta, & falsosimiliora, certa certitudine metaphysica, & evidentia suarum reflexionum virtute efficiunt. Utinam Antiprobabilistarum non pauci, quæ sunt minus probabilia, probabiliora efficere non studerent, quia propriæ favent libertati. Hoc non infrequenter nobis improperant Probabilistæ. Sed pudere illos deberet, abusus hominum in ipsam doctrinam reiicere. Numquid falsa religio est, quod plures eadem abutantur? Doctrinam nostram audiant, non eadem abutentium corruptelas. Dicimus nos, repudiata sententia quæ omnibus expensis minus verisimilis apparet, verosimiliorem amplectendam. Addimus, non pro ingenio, sed pro veritate hanc maiorem verisimilitudinem, & probabilitatem formandam esse. Serio investigandum, quid sancti Patres, quid graviores Theologi doceant super materia controversa. Rationum momenta exacte consideranda sunt. Quisque sui cordis penetralia invadere, & secretiores sinus, ac recessus subire debebit, ut exploret, serpat ne sensim sine sensu invidia, odium, amor, cupiditas, ambitio, ceteræque affectiones, quæ veritatem obnubant, quæ malum bonum, bonum malum, & minus probabile magis probabile repræsentent. Ab his intestinis præstigiis cavendum magnopere est, & iuxta negotii gravitatem fundendæ preces Deo sunt, ut veritatis cognoscendæ lumen obtineatur. His omnibus sincero corde peractis, & unico fine veritatis assequendæ, omnia tum auctoritatis, tum rationum momenta simul expendantur, & quod coram Deo conscientiæ verosimilius apparet, amplectendum est. Dum dicimus, quod conscientiæ nostræ probabilius apparet, Probabilistarum Idiotæ obtrudunt nobis superbiam, qua propriæ conscientiæ tribunal erigimus supra

præ ceteros Doctores. Sed falluntur, & ipsum quæstionis statum se se ignorare manifestant. Nam in formando hoc conscientiæ nostræ dictamine primas tenent & Scripturarum, & Conciliorum, & Patrum, & Theologorum auctoritas, & rationum vis. Dicimus, quoties graviores Theologi aliquam defendunt sententiam, hanc communiter esse probabiliorem: quoniam raro evenit ut doctiores alicuius scientiæ professores ignoraverint quod verosimilius est in aliqua eiusdem facultatis controversia. Quoniam vero conscientia nostra propria regula est secundaria operationis honestæ; lex Dei, & Theologorum, rationumque pondus mentis nostræ libra expendendum est. Ubinam hic superbiæ vola? Numquid superbiam Apostolus Paulus nos docuit, dum ex conscientia nos agere iussit? Occurrere interdum, raro tamen, potest quod anteriores Theologi oscitanter, & perfunctorie caussam versaverint. Si mihi occurrant rationes evidenter validiores, si post omnia mature considerata, opinio adversa communiori Auctorum sensui apparet manifeste probabilior, tum deberem hanc præferre. Advertas tamen velim, non satis esse quod tibi soli rationes efficaciores appareant; sed tales sint oportet in communi sapientum existimatione. Paratus sis oportet eiusmodi rationes promere in publicum, & coram doctis Theologis eas propugnare ut certo validiores oppositæ sententiæ argumentis. Quippe si evidentiores tibi appareant ob mentis tuæ imbecillitatem, & obtusam penetrationem, vel ob aliquem pravum affectum; iudicium tuum subiicere teneris Theologorum communiori sententiæ. Sed, ut toties dixi, hoc perrarum est: communiter enim, quæ absolute sunt probabiliora, cuique talia sunt.

II. Abeant ergo Probabilistæ, qui vellent homines truncos, & psittacos efficere, dum solam probabilitatem obiectivam ut regulam operationis honestæ designant. Aliena ne mente, aliena conscientia agere homines debent? Probabilitas obiectiva utique primum omnium spectanda, & ponderanda est. Videndum, quibus fulciatur fundamentis, & quæ sit eius vis, & efficacitas, & prout magis, vel minus probabilis reperta fuerit, amplectenda, aut repudianda erit. At modus operandi quem præscribunt Probabilistæ, psittacorum est, & rationi repugnans. Quando tu, inquiunt, in Diana, Tamburino, aliove simili offendis opinionem Auctorum multitudine fultam, licet tu falsam eam directe existimes, sufficiens tamen ea est regula operationis tuæ: quoniam probabilitas *obiectiva* ipsa regula est honestatis, licet *subiective* sit falsa. Quam doctrinam supra plenius labefactavimus.

III. MONITUM III. Ostensum est adversus Tutioristas, seu Iansenistas, & Probabilistas, necessariam minime esse certitudinem iudicii metaphysicam, & infallibilem; sed sufficere ad honeste operandum iudicium moraliter certum, seu vere probabile. Hinc intuli, non semper tutiorem pro lege eligendam esse, quan-

quando opposita minus tuta est evidenter, & valde magis probabilis. In præsens adverto, hanc generalem regulam suas habere exceptiones. Si enim aliqua circumstantia occurrat quæ prudenter timere cogat, errorem hic & nunc imminere, tunc maior diligentia adhibenda est, ut veritas deprehendatur; aut tutior, seu securior pars amplectenda est. Duplicem *tutioritatem* distinximus supra: alteram quæ præfert securitatem a peccato; alteram quæ prodit securitatem a falsitate. Tutior pro lege abstinere iubet ab actione: quæ abstinentia, etiamsi nulla sit lex, innoxia est. Probabilior pro libertate tutior est a falsitate: quia quod probabilius est, per se proximius veritati accedit, atque adeo securius recedit a falsitate. Et quoniam in controversiis legis veritas est cum primis inquirenda; idcirco diximus, evidenter probabiliorem præferendam esse tutiori minus probabili, seu minus propinquæ veritati. Ceterum si aliqua circumstantia magnitudinis negotii repræsentet aliqua peculiari ratione errandi periculum, tum hoc periculum desinit esse remotum; atque adeo cavendum.

§. III.

Conscientiæ nostræ pax, & securitas in timore, & veritate. S. Augustini *pulcherrima documenta.*

I. MONITUM IV. Nihil æternæ salutis negotio infestius quam securitas probabilistica, quæ errorem, subtilium reflexionum artificio, & ignorantiæ fuco obtectum, veritati coæquat, ut infra videbimus. Securitas hæc recta radicem averruncat illius timoris de quo dicitur: *Initium sapientiæ timor Domini*: Psal. cx. In hoc timore residere sapientiam, docet Salomon: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum*: Eccl. cap. 1. vers. 20. Repetit ibi vers. 22. *Corona sapientiæ, timor Domini, replens pacem, & salutis fructum*. Item vers. 25. *Radix sapientiæ est timere Deum*. Iterum *cap.* 11. *vers.* 6. custodiam illius timoris commendat, & in eodem senescere iubet: *Serva timorem illius, & in illo veterasce*.

II. Timor itaque Dei securitatem probabilisticam, filo inanissimarum reflexionum contextam, execratur. Sanctum hunc timorem, clavum animæ fluctuantis, consiliorum, vigilantiæ, sollicitudinis, industriæ, laboris, humilitatisque fecundissimum parentem Patres appellant. Dum intrinsecus occultam aliquam cupiditatem experimur erga quodpiam obiectum, dum propensionem sentimus in ea quæ nobis arrident; continuo Dei timor clamat cavendum ab his domesticis insidiis, ac veluti præstigiis; tametsi probabile, & probabilissimum nobis appareat quod appetimus. Quodcumque enim volumus, sanctum est, inquit alicubi Augustinus.

III. MONITUM V. Itaque in qualibet gravi decidenda caussa illud inprimis spectandum, utrum nostra intersit hoc aut illo modo decidere. Summopere animadno-

nostræ, & passionum nostrarum sinus subeundi sunt; atque severitate summa expendendum, utrum e re nostra quoquo modo sit adfirmare, aut negare actionis honestatem. Nec satis est quod nullum appareat temporale emolumentum: hostis quippe iste adeo insidiosus, & occultus est, ut facile non deprehendatur. Sed penitius intendenda est oculorum acies, explorandumque, num captandæ popularis auræ, num spes, aut timor cujusque rei terrenæ, num amor placendi hominibus, timorque displicendi, num secretum illud occultumque desiderium altius animo insitum, sese in hujus mundi theatro spectabilem & celebrem exhibendi, & magnam multitudinem post se pertrahendi, animum tuum pervertat, mentemque fascinet?

IV. MONITUM VI. S. Augustinus in *Psal.* LXIV. scite nos admonet, ut scholæ, professionis, nationis, educationis occultissima præjudicia caveamus. Quid, quæso, est quod diversarum scholarum opposita placita simul vera, aut verosimilia diversæ professionis hominibus efficiat? Quid quod quæque schola strenue deprælietur, ut sua propugnet systemata? Quid in ipsius religionis negotio in varias sectas sejunctos homines detinet? Audi Augustinum, qui in versiculum eic. Psal. LXIV. *Sermones iniquorum prævaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis*, hæc scribit. *Quid est sermones iniquorum prævaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis? Quod nati sumus in hac terra, iniquos invenimus, quos loquentes audivimus. Si possim explicare quod sentio, adjuvet me intentio caritatis vestræ. Omnis homo, ubicumque nascitur, ipsius terræ, vel regionis, vel civitatis linguam discit, illius imbuitur moribus, & vita. Quid faceret puer natus inter Paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum insinuaverunt parentes? Inde prima verba audivit, illum errorem cum lacte suxit: & quia illi qui loquebantur, majores erant, & puer qui loqui discebat, infans erat, unde poterat parvulus nisi majorum auctoritatem sequi, & id sibi bonum ducere quod illi laudarent?* Hinc collige, quanta sint impedimenta, quam occulti hostes, qui veluti ex insidiis mentis nostræ judicia pervertunt. Semper ergo excubiæ agendæ adversus inimicos adeo vafros. Maxime vero metuere nobis debemus, dum aliqua peculiari propensione in objectum, super cujus honestate dicendum judicium est, ferimur. Quoniam, ut Bernardus de grad. humil. ait, *amor, sicut & odium, judicium nescit*. Et quo majus est tractandum negotium, eo exactior diligentia, & vigilantia adhibenda. Audi iterum Augustinum ser. XII. de temp. *Nam voluntatis propensio auctoritatem vitiis quærit; & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet*. Item Lib. XXII. de civit. Dei cap. XXIII. *Continuis vigiliis excubant, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum, quod malum est, bonum esse dicatur*.

V. MONITUM VII. Omnes ergo curæ nostræ, omniaque studia illuc pertineant, ut

ut veritatem assequamur. *Omnes viæ tuæ veritas*: inquit David *Psal.* CXVIII. Contra vero *error*, *& tenebræ peccatoribus concreata sunt*: Eccles. 11. Item David Psal. XCIII. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Universa vanitas omnis homo vivens. Omnis homo mendax.* Et Sapient. cap. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Hæc, & plurima alia momenta, quæ alibi allata sunt, evincunt necessitatem implorandi a Deo auxilium acquirendæ veritatis. *Petite, & dabitur vobis. Quærite, & invenietis*: Luc. cap. 11. *Qui confidunt in illo, intelligent veritatem*: Sap. cap. III. *Pax multa diligentibus legem tuam*: Psal. CXVIII. *Veritatem tantum, & pacem diligite*: Zachar. VIII. Habes ergo omnium Sanctorum auctoritate, in veritate sitam esse pacem nostram: a Deo petendam esse gratiam veritatis: vigilandum vero continenter, ne affectionum nostrarum caligo lumen obnubat veritatis. Plurima alibi dicta sunt. idcirco, ne actum agam, illa prætereo; quamquam tanti momenti hæc monita sunt, ut nulla prolixitas sit superflua, si cum profectu conferatur.

CAPUT IV.

P. Caroli Antonii Casnedi, *errorem invincibilem veritati coæquantis, paradoxon refellitur.*

I. P. Carolus Antonius *Casnedi* quinque Tomos in folio edidit in rem probabilisticam. Præcipuorum Probabilistarum, & Antiprobabilistarum argumenta collegit. Quam profunde, atque perspicue celebris controversiæ germanum sensum assecutus sit, ex paucis quæ indicabo, quisque veluti ex ungue leonem colliget. Si quæ Antiprobabilistarum primoribus Theologis imponit, dispicere, omnesque, ut quidem ego censeo, aberrationes tum facti, tum iuris, cavillationes, sophismata refellere vellem, non pauciora volumina mihi scribenda forent. Verum superfluus foret labor. Tam quippe apertæ sunt illius fallaciæ, ut nullo contra pugnante corruant. Audi capitalissimum illius principium, quo eodem in throno errorem collocat, & veritatem. In memoriam tamen revoca meam consuetam declarationem, nempe me non in personam, non in Auctorem, quem ut doctum piumque colo, & suspicio, sed in errores, seu falsas opiniones calamum distringere.

II. Itaque in ipsa *Tom. II. dedicatione* ad Christum JESUM hæc scribere ausus est. *Cum magister veritatis sis, adeo humanæ condescendis inscitiæ, ut in TUO Veritatis TRIBUNALI ERROR inculpatus ipsam COÆQUET VERITATEM. Eum enim non accusas, sed excusas, non plectis, sed PRÆMIARIS, ipsam tuam legem habendo pro non lege, & tuam non-legem habendo pro lege; si lex, ut non-lex, & non-lex ut lex invincibiliter proponatur.* Hanc doctrinam, quam ego, salvo melio-

liori iudicio, existimo falsam, scandalique plenam, fose probare conatus ille est *Tom. I. disput. VI.* Nos vero supra *Lib. II. dissert. I. cap. V.* penitus eam labefactavimus. Placuit nihilosecius descriptam periocham sub lectoris oculos efferre, quod potentius, & grandiori, ne dicam audaciori, phrasi, & durioribus verbis paradoxon proponatur.

III. Et primum, quod phrasi nimis aspera P. Casnedi exprimat suam, & quorumdam Probabilistarum sententiam, res aperta est. Nam etsi admitteremus, opus malum, ex errore invincibili reputatum bonum, præmium a Deo accipere (quod absolute falsum est, atque, ut mihi videtur, erroneum) censura tamen non vacat hæc assertio: *ERROR inculpatus ipsam COAEQUAT VERITATEM.* Nam *error*, sive culpatus, sive inculpatissimus, *error* semper est. Si *error*, qui fieri potest ut veritatem *coæquet*? Nam inter ipsa opera suapte natura bona unum altero præstantius est, ipsæque virtutes suos habent gradus. Et P. *Casnedi* eodem in gradu errorem invincibilem, & veritatem collocat? Hæc duo extrema ad eamdem dignitatem evehit, & mutuo caritatis vinculo consociat? Quid plura? Probabilistæ, ut tam absurdum paradoxon aliquo fuco deliniant, illud distinctiuncularum *per accidens*, *indirecte*, *secundum quid*, mentis nostræ imbecillitate, aliorumque verborum artificio tegere student. Sed P. Casnedi, non in nostro intellectu, tenebris circumdato, sed in ipso divinæ maiestatis tribunali errorem veritati, veluti æquali sponsæ suæ, assidere pronuntiat. *In TUO veritatis TRIBUNALI ERROR inculpatus ipsam COAEQUAT VERITATEM.*

IV. Sed quod omnes admirationis limites transilit, est, quod in ipso ad Christum IESUM alloquio talia effari potuerit, nullo adiecto linimento, nullo adhibito fuco. Deus veritas est. Lex illius lex veritatis est. Veritas cum errore, non secus ac lux cum tenebris, peccatum cum virtute, pugnat. Et P. Casnedi in *divinæ veritatis tribunali* errorem inculpatum veritati coæquat? *Non plectis, sed præmiaris?* Quomodo hoc? Audi: *Ipsam TUAM LEGEM habendo pro NON LEGE, ET TUAM NON-LEGEM habendo pro LEGE; si lex ut non-lex, & non-lex ut lex invincibiliter proponatur.* Audistin' antitheses elegantissimas, scita doctissima? Sicctne in omnium negotiorum altissimo, verborum conflictu luditur? Siccine in gravissima caussa pueriliter iocatur? Non secus errorem ac veritatem præmiatur, quando lex sua pro non-lege habetur? Verum, ut tam monstrosa commenta profligem, lubet & mihi æternum Dei Filium alloqui.

V. Ut quid, Domine IESU, e Patris æterni sinu in terram homo factus descendisti? Ut illuminares, inquit Evangelista Ioannes, omnem hominem venientem in hunc mundum: ut, dissipatis tenebris, arma lucis indueremus: ut, pulsa errorum caligine, lumen veritatis per universum mundum resplenderet: ut denique esses via, veritas, & vita. ut viam Dei in veritate doceres. Hæc ut præ-

ftares, e cæli sedibus in hunc mundum venisti, si fidem oraculis tuis adhibemus.

VI. At fallimur, si Probabilistas audiamus. AEque per illos via erroris inculpati, ac via veritatis ad cælum ducit. Non minus tenebræ quam lux gressus hominum dirigunt, si homo absque culpa in tenebris iaceat. In tenebrarum porro abyssu inculpate iacet etiam tum cum maiori veritatis luci oculos claudit. Clamitent quatuor aut sex Casuistæ, æternam legem tuam probabiliter non urgére, quamquam graviores Theologi oppositum propugnent, continuo error est inculpatus. Ergo vana sunt Domine (tremunt calamus & manus tam horrenda scribere; & tamen sunt necessaria consectaria doctrinæ P. Casnedi) consilia tua: vanum ineffabile illud divinæ incarnationis mysterium: vana infinita illa prodigia quæ, ut idololatriæ densam caliginem dissipares, patrasti: superfluum cruentum sacrificium, in ara Crucis Deo Patri oblatum, ut in veritatis semitam revocares errantem gentem. Enimvero facilior erat ante tuum in hunc orbem adventum ad paradisum via, inquiunt Probabilistæ. Via quippe erroris inculpati latior est, & humanæ naturæ accommodatior quam via veritatis. Angusta hæc, & spinis consita, ampla illa, & voluptatum deliciis aspersa. Et tamen non minus inculpati erroris via quam via veritatis animas nostras ad empyreum dirigit. Quid ergo, Domine, iacere noluisti in amatı erroris, ignorantiarumque tenebris humanum genus? Cur dissitos per universum orbem Apostolos tuos misisti, ut lucem Evangelii tui deferrent? Cur difcendam legem tuam tanto studio imperasti hominibus, ut scriberent eam in cordibus suis, haberentque, sive domi, sive in itinere, ante oculos suos? Nam tu, Domine, *ipsam tuam LEGEM* habes *pro NON-LEGE; & TUAM NON-LEGEM* habes *pro LEGE; si LEX, ut NON-LEX, & NON-LEX ut LEX invincibiliter proponatur*: canunt Probabilistæ. Non imposterum orent cum Propheta: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: Deus meus illumina tenebras meas*: sed contra precari Probabilistæ debent: *Emitte Domine errorum tenebras, & doce nos legem inculpatæ ignorantiæ.*

VII. Hactenus, Domine IESU, ut horrorem Probabilismi patefacerem, tecum ipso quasi ludere coactus fui, non meis (nec enim tantum ausus fuissem) sed Probabilistarum verbis. Id peregi unice, amantissime IESU, ut patefacerem efficacius confutatæ doctrinæ horrorem. Utinam hinc saperent, & intelligerent, quam sit monstrosa eorum doctrina, quæ æternam Dei legem pro non-lege, & non-legem pro lege, seu, ut clarius dicam, legem æternam Dei in hominum commenta, & hominum commenta in æternam Dei legem permutant. Quæ P. Casnedi doctrinam, ad ipsum Dei tribunal delatam, consequuntur absurda, exaggerare uberius nolim.

CA

CAPUT V.

Argumentum defensivum, & offensivum P. Caroli Antonii Casnedi, quo probatur futilem esse controversiam de licito usu sententiæ sive minus, sive magis probabilis, nihilque coerceri laxitatis ex damnatione sententiæ minus probabilis.

I. ANtequam argumentum istud *defensivum*, & *offensivum* describo Auctoris verbis, paucis ipse, quid evincere contendat ille, exponam. Itaque P. Carolus Antonius Casnedi, sive quod statum controversiæ non satis calleat, sive quod Probabilismum suum damnandum præsentiat, persuadere studet inutile prorsus esse controversiam hanc, quæ tanto ingeniorum æstu a duobus circiter sæculis in utramque disputatur partem, definire. Utramque opinionem magis, aut minus probabilem eadem consequi sive commoda, sive incommoda asserit, nullamque coerceri laxitatem, etiamsi damnaretur Probabilismus. Huc illius argumentum unice spectat. Alterutrum ergo dicamus oportet: aut omnes duorum sæculorum celebriores Theologos stupidos fuisse, operamque lusisse in voluminibus edendis, aut P. Antonium Casnedi, post edita quinque volumina in hanc caussam, eamdem penitus ignorare. Sed ne imponere illi videar, ejusdem rescribenda verba sunt.

II. Hæc itaque P. Casnedi scribit *Tom. II. disp.* XI. *sec.* VI. *§.* I. *num.* 140. *pag.* 121. „Probatur 1. argumento mihi evidenti, & quod *a nemine insinuatum vidi*, & simul „ est *defensivum*, & *offensivum*: sumitur ex nullitate sententiæ obligantis ad proba„ biliorem, & dimittendi minus probabilem minus tutam. Nullum est commodum, „ aut incommodum quod æquo passu non oriatur ex opinione probabiliori quam „ ex minus probabili, & vice versa. ergo cum sententia obligans inter probabiles „ ad probabiliorem nulla majori gaudeat utilitate quam sententia deobligans a se„ quenda probabiliori, & cum sententia deobligans a probabiliori nulli sit subjecta „ incommodo, damno, vel absurdo (si tamen est subjecta) quibus æque non subji„ ciatur sententia obligans ad probabiliorem; sequitur vel æque licere eligere mi„ nus probabilem ac probabiliorem; vel æque non licere eligere probabiliorem ac „ minus probabilem. Sequela probatur, & claritatis gratia sumo opinionem docen„ tem licitum pingere die festo; & suppono esse minus probabilem (quidquid sit an „ suppositio sit vera) e contra opinionem negantem licitum pingere die festo, sup„ pono magis probabilem. *Ecce dicit Probabiliorista*. Ex opinione affirmante mi„ nus probabili sequitur irreverentia diei sacri, alienatio a rebus divinis, & similia „ spiritualia damna: e contra ex negante probabiliori nihil eorum sequitur, im-

 „ mo

„ mo maior reverentia, & cultus Dei, & rerum sacrarum. Ergo, inquit Proba-
„ biliorista, sequenda est probabilior, & deserenda minus probabilis. Verumtamen
„ quis non videat, quod ea damna non sequantur, si tamen sequantur, ex sen-
„ tentia, *quia minus probabilis est*, nec ea bona sequuntur ex sententia, *quia pro-*
„ *babilior*, sed ex ipsa materia, seu ex obiecto earum opinionum, *sive ea sit pro-*
„ *babilior, sive minus probabilis.* "

III. En argumentum *defensivum, & offensivum, a nemine hactenus insinuatum.* Nemo sane illud insinuavit, quia nemini tam insolens paradoxon in mentem venire poterat. P. Antonius Casnedi, Probabilismi præiudiciis occupatus, in hoc sophisma absurdorum omnium ferax lapsus est. Salvo in tantum virum obsequio, officioque, dicam quod res est. Nihil præfata doctrina perniciosius Ethicæ christianæ. Utique ex ipsa opinionum materia seu obiecto opiniones laxæ proxime profluunt; at opiniones quæ materiam vitiosam licitam asserunt, sunt caussæ veluti principes. Si consisteret doctrina P. Casnedi, nullæ generales opiniones, quantumvis laxissimæ, nulla principia, quantumvis erronea, nullæ hæreses damnandæ ut noxiæ forent. Quoniam non ex sententiis, sive laxis, sive erroneis, sive hæreticis, sed ex earumdem obiecto, & materia mala oriuntur, inquit ille. Fornicatio ipsa physica est quæ damnum parit, secus opinio quæ licitam fornicationem asserit. Occurrunt argumenta probabiliora, & urgentiora Titio, Bertam in lecto secum dormientem non esse uxorem suam: occurrunt etiam momenta, sed evidenter minus probabilia, quæ suadent esse suam uxorem. Concupiscentia pruriente, & Probabilismi auctoritate impellente, amplectitur Titius opinionem minus probabilem: vi huius opinionis fornicatur, adulteratur. Opinio eiusmodi innocens est, modus sic opinandi, & dirigendi propriam conscientiam sanctus est. Fornicatio, & adulterium, vi talis opinionis perpetrata, mala sunt, prava, & noxia. Næ hæc sublimis Theologia? Sed accipe alias propositiones. *Est licitum Religioso, & Clerico calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua Religione minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* est 17. ex damnatis ab Alexandro VII. Adiiciamus alteram affinem, damnatam ab Innocentio XI. *Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam, & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.*

IV. Theses istæ sunt generales, quæ plures peculiares comprehendunt. Mala (dicit P. Casnedi) ex ipsa occisione physica oriuntur, secus ex thesibus ipsis. Cur hoc? Quia, inquit, opinio affirmans licitam occisionem, quæ est minus probabilis uni, potest esse probabilior alteri: & opinio probabilior, negans licitam occisionem,

potest

potest esse alteri minus probabilis. Quamobrem, sive adfirmes, sive neges probabile esse licere occisionem, perinde est. Materia ipsa cavenda.

V. Verum transcribamus verba, quibus clarius rem totam explicat *loc. cit. num.* 143. *pag.* 122. „ Probatur 4. Do, damnari sententiam generalem de licito usu mi„ nus tutæ minus probabilis. Numquid cohibita erit laxitas opinandi? Numquid „ Christianorum mores reformati? Nil minus, *quia pejus errabitur*: quia eadem „ minus probabilis, ex qua sequitur laxitas, videri potest alicui probabilior; ut „ accidit ante damnationem patronis damnatarum. Ergo in sequendo probabilio„ rem aderit laxitas, & quidem cum lege naturali sequendi illam. *Ergo adhuc* „ *negato usu licito minus tutæ minus probabilis, nulla in christiana Republica* uti„ litas, nulla laxitas sublata . . . Tota ergo culpa est Probabilistæ, aut Probabi„ lioristæ, qui opinatur probabile, aut probabilius objectum quod utrumque ex„ cludit.

„ *Quare ego semper ejus sententiæ fui, quod quæstio, quæ hodie tanto calore in„ ter Probabilistas, & Probabilioristas agitatur, num liceat usus minus tutæ, cer„ te tamen probabilis, sit in ordine ad coercendam opinandi libertatem prorsus inu„ tilis.*

VI. Deficiunt verba, quibus istius doctrinæ immania consectaria explicare pro dignitate valeam. Tam densæ sunt Probabilismi tenebræ, ut vel acutorum hominum aciem obnubant. Et ut ab ultimis verbis incipiam, *inutilis prorsus est* ad coercendam opinandi libertatem proscriptio opinionis minus probabilis faventis libertati adversus legem? Inepte ergo Alexander Papa VII. detestatus est in suo decreto an. 1665. *summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam . . . per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate?* Frustra Innocentius XI. damnavit sequentem capitalem thesim 3. *Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quamtumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus?* Quæ enim tenuiter tibi, valde alteri probabilis est. Quare inutilis fuit damnatio thesis universalis, solumque attendendum, ne Probabilista, vel Probabiliorista erret in attributione probabilitatis majoris, aut minoris objecto illi quod utramque excludit. Frustra ergo Comitia Cleri Gallicani an. 1700. omnium malorum fontem declararunt Probabilismum? Frustra duorum sæculorum intervallo Probabilistæ, & Antiprobabilistæ tot volumina utraque ex parte ediderunt? Frustra P. Casnedi edidit quinque volumina in folio pro defensione Probabilismi?

VII. Sed, his extrinsecus arcessitis missis, quid roboris insit argumento P. Casnedi, videamus. Ex systemate sententiæ probabilioris eadem damna, vel majora sequuntur ac ex sententia minus probabili: quoniam quisque valet opinionem minus probabilem reputare probabiliorem, & e contra. Ergo tota culpa est Probabi-

 listæ,

listæ, vel Probabilioristæ, qui rem improbabilem probabilem facit. Respondeo. Si hæc argutatio quidquam evinceret, actum de omnibus, vel sanctioribus legibus esset. Ut evidenter percipias, quo spectet P. Casnedi argutatio, audias Iudæum, Turcam, & quemlibet Ethnicum hoc pacto argumentem. Christiani hæretici ex ipso Evangelio, & universa Scriptura sacra innumeras, impiasque hæreses eruerunt. Mores plurium Catholicorum laxiores, peioresque sunt moribus sectariorum, Iudæorum, atque Turcarum. Ergo inutilis est evangelica lex: ergo non plus utilitatis habet Evangelium quam Alcoranum. Tota itaque culpa est in ipsis professoribus Alcorani, Evangelii, alteriusve legis, qui male operantur. Quid plura? Quisque formare erroneam conscientiam potest, qua dicat malum bonum, & bonum malum. Hoc passim evenit. Ergo sententia illa quæ docet agendum esse secundum dictamen propriæ conscientiæ, futilis est, nihil habens utilitatis. Propria conscientia est regula secundaria operationis honestæ. Hæc regula secunda applicat primam. Quisque pro ingenio applicare primam regulam valet. Ergo reiicienda hæc secunda regula ut inepta, ut superflua. Hæc & alia monstrosa, atque immania absurda necessario consequuntur argumentum *offensivum & defensivum* P. Casnedi. Quod si eiusmodi sunt arma *defensiva*, & *offensiva* Probabilistarum; quisque iudicet, cuius sint temperaturæ illorum arma dumtaxat *defensiva*. Cetera eorumdem argumenta supra examinavimus, & illa affinia vidimus huic argumentationi P. Casnedi.

VIII. Sed quid diutius immoror in confutando apertissimo paralogismo? Satis est veram quæstionis ideam ob oculos referre, ut quisque percipere P. Casnedi, aliorumque Probabilistarum hallucinationem valeat. Hæc est autem vera caussæ notio. Duæ mihi insunt opiniones contrariæ super eadem actione. Secundum priorem probabilius mihi est, illam esse a lege vetitam; secundum posteriorem minus mihi probabile est, esse licitam, permissamque a lege. Aio ego, me non posse, reiecta prima, secundam oppositam sequi; sed necessario amplectendam priorem: quoniam sola prior in hoc conflictu probabilis, sola prudens est, atque adeo sola tuta, ut probavimus supra loco opportuno. Hallucinatio P. Casnedi, & omnium Probabilistarum, ut centies animadvertimus, duplici ex capite oritur. Primo pro certo constituit P. Casnedi cum suis Probabilistis, secundam opinionem minus probabilem in conspectu probabilioris *certo* remanere probabilem. Et hoc non tam probat, quam supponit ut principium inconcussum penes Probabilistas. Hoc vero nos evidenter falsum esse, supra demonstravimus. Quare dum P. Casnedi cum ceteris scribit, *prudentius* esse sequi probabiliorem, *prudens vero* sequi minus probabilem: quoniam nemo tenetur ad *melius*, seu *ad tutius*: dum hæc, inquam, docet, se ignorare caussæ statum declarat, & turpiter errat: siquidem confundit Tutiorismum cum Probabilismo. Nemo sane tenetur ad melius, quando oppositum

est

est bonum; bene vero, quando oppositum est malum: quia tum ly *melius* unice bonum est.

IX. Ex duabus opinionibus contradictoriis alteram esse veram, alteram falsam necesse est. Quæ ex his duabus mihi verosimilior est, unice mihi vera est. Quoniam licet evenire possit quod verosimilior sit falsa; tamen plerumque, & absolute loquendo, sententia quæ omnibus serio expensis apparet probabilior, seu proximior vero, illam ut *veram* omnes prudentes habent; & consequenter oppositam ut falsam rejiciunt. Id enim prudentes amplectuntur in omni negotio quod frequentius evenire solet. Frequentius autem, & quasi semper evenit, id esse verum quod sapientibus proximius vero, seu verosimilius, & probabilius apparet. Et licet aliquando oppositum accidere possit, hoc minime aufert debitum sequendi quod probabilius est. Ineptissimæ sunt similitudines duorum bonorum, quorum unum majus, alterum minus bonum est; duorum aureorum, quorum unus perfectior, nempe Hispanicus, alter minus perfectus, nimirum Italus. Quoniam in utrisque his extremis positiva bonitas residet; licet una sit maior, altera minor. In controversiis intellectualibus in uno tantum extremorum veritas est, in altero falsitas: idcirco paritates eiusmodi futiles sunt. Verum de his plura supra dicta sunt.

X. Alterum principium, unde emergit hallucinatio P. Casnedi, est abusus qui fieri sententiæ probabilioris potest. Verum pudere deberet doctum eruditumque Theologum, hunc abusum obtrudere, ut hinc inferat inutilitatem sententiæ probabilioris. Nam, ut dixi, nulla lex tam sancta, tam vera est, qua homines vafri abuti non possint. Sed, ut pressius urgeam P. Casnedi, eumque ad incitas redigam, constituo, usum probabilitatis semper fuisse, semperque necessarium fore, spectata nostræ humanæ mentis infirmitate; verum enim semper a nobis attingi evidenter & certo nequit. Quare iure damnavit Pontifex Alexander VIII. illam opinionem quæ dicebat, non licere sequi vel inter probabiles probabilissimam. Difficultas est in designanda vera probabilitate. Nonne ipsi Probabilistæ circiter quatuor conditiones assignant, ut propositio sit vere probabilis; nimirum quod non repugnet sacræ Scripturæ, sacrisque canonibus; quod fulciatur gravi fundamento, quod sit non tenuiter, sed graviter probabilis; quod non lædat proximum, seu quod non inferat damnum alicui; idque genus alia præscribunt? Quisque abuti his conditionibus potest. Ergo auferenda de mundo est probabilitas vera? Ergo inutilis? Nonne stultitiæ postularent Probabilistæ eum qui sic argueret? Usus ergo veræ probabilitatis in hac tenebrarum valle necessarius omnino est: hocque libentissime fatentur omnes Probabilistæ.

XI. Porro ex eodem imbecillitatis mentis nostræ principio oritur super eadem operatione diversitas opinandi in utramque partem; immo ex hoc principio, sin omnia, plurima certe & potissima mala. Hinc, ut alias diximus, bella, lites, jur-

 gia,

gia, dissidia, contentiones, factiones, sectæ, schismata, hæreses. Si enim veritas; ut Sol, fulgeret omnibus, harum dissensionum tenebræ cessarent. Occurrunt rationes, quæ probabilius suadent iniustum bellum, iniustam litem; occurrunt in oppositum aliæ quæ minus probabiliter hæc omnia iusta referunt. Hic opinionum conflictus in dies occurrit. Ergo necessario decidendum est, num in tali conflictu liceat repudiare probabiliorem, & amplecti minus probabilem. Ergo necessaria est universalis regula, qua definiatur, quid in simili opinionum conflictu eligendum sit. Quid ad hæc P. Casnedi? Reponet ne abusum peculiarem aliquorum Probabilistarum, aut Probabilioristarum pro ingenio probabilitatem maiorem, aut minorem effingentium? Sed id perperam opponitur; ut ex paritate invicta, & perspicua conscientiæ nostræ, quam quisque ob occultas affectiones erroneam formare potest, manifestavi. Et tamen nisi quis eam deponat, illam sequi sub peccato tenetur, ut omnes ad unum fatentur Theologi. Et cum hæc vera sint, audet P. Casnedi *loc. cit. num.* 142. opponere, quod si lege naturali teneremur sequi id quod est probabilius, teneremur sequi eadem lege quod est laxius; ut olim accidit patronis damnatarum propositionum, quibus probabiliores erant damnatæ theses. Argutationem hanc plures labefactavi in quæstione de conscientia invincibiliter, aut vincibiliter erronea. Si enim propria culpa, & secretarum affectionum lenocinio, quod falsum est, probabilius apparet; peccatum non declinatur: si autem id invincibiliter accidit, peccatum non imputatur. Interea semper consistit principium, quemquam operari debere secundum propriam conscientiam. Propria autem conscientia formatur in rebus dubiis, & controversis, dictamine verosimilius repræsentante honestatem operationis. Qui vero sequitur iudicium minus verosimile, atque adeo magis remotum a veritate, contra conscientiam operatur.

XII. Non modo ergo inutilis, sed absolute necessum est definire, quamnam ex duabus oppositis opinionibus magis, minusve probabilibus amplecti debeamus. Addo tamen, non satis esse definire necessitatem amplectendi probabiliorem; sed insuper serio præmittenda esse omnia requisita necessaria ad constituendam maiorem probabilitatem. Quisque sequi astringitur propriam conscientiam, non modo rectam, sed etiam erroneam; at summa attentione exequenda sunt ea omnia quæ requiruntur ad hoc ut quis rectam sibi formet conscientiam. Primum omnium sola veritas inquirenda: huc curæ, & studia omnia dirigenda. Consulenda Scripturarum oracula, Patrum, & canonum regulæ, deponendæ pravæ affectiones, juges fundendæ Deo preces sunt, ut lumen veritatis infundat.

CA-

CAPUT VI.

Brevis apologia P. Michaelis Elizalde *sapientis Iesuitæ; P. Gonet, & omnium Antiprobabilistarum adversus imposturas P. Casnedi, qui Antiprobabilistas distinguit in* Veristas, & non Veristas.

I. P. Antonium Casnedi in suis quinque voluminibus in *folio* bibliothecam probabilisticam compilasse, dicere iure possumus. Illius quippe cura peculiaris fuit colligere præcipuorum Auctorum utriusque partis argumenta, & dicta. Quod si exacte hanc collectionem egisset; haud spernendus eius labor esset. Nolo ego censuram mente conceptam in eamdem collectionem pronuntiare, ne officio, & obsequio in Auctorem istum me deesse asserere quisquam possit; tametsi censura in opinionem nil obsequii erga Auctorem adimat. Utinam *P. Casnedi* hanc cautionis regulam sibi præstituisset. Humanior sane fuisset in viros sanctitate, & sapientia celeberrimos, quos inter eminet *P. Michael Elizalde*, sapientissimus Iesuita, ac summus sui ævi Theologus, teste amplissimo Cardinali Pallavicino. De hoc autem P. Elizalde P. Casnedi sequentia scribit *Tom. II. disp. XI. sec. X. §. 1. pag. 152. & seq.* & primum præmittit hunc titulum.

PALINODIA P. ELIZALDE.

II. Post auspicatur suum sermonem, quo probare contendit, præfatum P. Elizalde cecinisse palinodiam his verbis num. 280. „ Ad manus habeo farraginem con„ tradictoriorum, quibus feraces sunt Tutioristarum, & Probabilioristarum libri. „ Etenim non tantum inter se contradicunt, sed quilibet sibi ipsi: *& quidem mi„ hi non nisi amanuensis labore opus esset, nempe calamo, quo ea transcriberentur; „ cum labor in colligendo contradictoriorum fasciculo*, & non exiguum in eis revol„ vendis studium facili nobis negotio hæc comparaverit. At quia hoc ab aliquo „ ægre ferri posset, malo videri indoctus, *quam caritatem vel levi nævo offendere*. „ Quare unice traho quæ trahit *P. Elizalde*, qui omnium qui retro scripserunt, „ *palinodiam* cecinisse visus est. “

III. Novum caritatis genus. Universe carpit omnes Probabilioristas, ut *contradictoriorum* architectos. Fasciculum tamen *contradictoriorum* ligatum penes se custodit. Plura tamen ex suo hoc *fasciculo* decerpsit, atque evulgavit adversus suum Socium *P. Elizalde*, *P. Gonet*, Illustrissimum Prælatum *Fagnanum*, aliosque sigillatim, & omnes *collective*; ut mox videbimus. Nunc de P. Elizalde.

IV. Ubinam P. Elizalde palinodiam cecinit? Ecce reponit P. Casnedi ibidem *num.* 281. „ Duobus primis libris . . . *solam veritatem* communiscens esse conscientiæ re-

„ gu-

„ gulam, eamque semper necessariam; tandem aggreditur Lib. III. a duplici quæ-
„ stione: in 1. asserit, opinionem probabilem esse conscientiæ regulam; in 2. asse-
„ rit, non requiri dictamen certum de non peccato, & de honestate, ut sine pec-
„ cato operemur. Miratus sum, ut hæc legi . . . . . . Ne autem mea admiratio
„ lectori meo mirabilis videatur, producam hic quæ P. Eliz. tradit *Lib. III.*
„ *quæst.* 1. "

V. Sapienter scripsit Aristoteles, ignorantiam matrem esse admirationis. Mirabilis nobis non videtur admiratio P. Casnedi: quia quæ passim obvia, & consueta sunt, admirationem non gignunt. Passim autem abludit a vero P. Casnedi in exponenda doctrina P. Elizalde, aliorumque Antiprobabilistarum. Ut autem facto evidentissimo evincam, Patrem Casnedi Theologiam Patris Elizalde non fuisse assecutum, atque adeo per summam imposturam eidem imposuisse cantum palinodiæ; quid doceat P. Elizalde, paucis iterum exponam.

VI. Docet P. Elizalde, solam veritatem esse regulam positivam honestæ conscientiæ. Hoc est primum & inconcussum principium. Quoniam vero hæc veritas nequit a nobis semper certo & evidenter cognosci, satis est, si probabiliter attingatur. Nec enim requiritur dictamen proponens hanc veritatem, esse evidenter certum, sed sufficit esse vere probabile, nempe quod plerumque verum sit, licet aliquando deficiat. Quando autem probabilitas recedit a veritate, reipsa non est positiva, sed negativa operationis honestæ regula. Et talis probabilitas non realis est, sed apparens: quæ a culpa excusare potest, secus dirigere operationem honestam. Quando P. Elizalde docet, probabilitatem esse regulam positivam conscientiæ, loquitur de probabilitate reali, secus de apparenti & sophistica, ut perspicue se se explicat ibidem §. 4. pag. 122. his verbis. *Nos autem nequaquam dicimus, esse regulam morum hanc probabilitatem solum talem quoad nos, quæ videtur esse, & non est: & idem etiam dicimus de probabiliori, & de certo, solum tali quoad nos, quod quippe totum est tale solum apparenter, & sophistice, & heretici quoque, & parricidæ habere potuerunt . . . Nos ipsam etiam probabilitatem resolvimus ad veritatem.* Probabilitas, inquit P. Elizalde §. 2. est regula conscientiæ, sed *cum onere* attendendi ne nos fallat. Probabilitas enim plerumque non fallit; at quia interdum fallere potest, ideo adfert secum onus invigilandi ne nos decipiat in aliquo casu. Quod si post adhibitam necessariam diligentiam nos fallit, error nobis non imputatur, ut alias dictum fuit.

VII. Qua doctrina solvitur illud argumentum satis familiare. Videt eminus venator animal. Viginti homines testantur esse lupum: duo testantur esse hominem: prius testimonium natura sua probabilitatem, quam vocant ab auctoritate, facit; tamen si venator eiiceret sagittam, peccaret. Cur? Quia probabilitas utique absolute regula est operationis; suam tamen exceptionem habet in aliquo casu, ut in

pro-

præsenti: idcirco onus secum defert attendendi peculiari studio ne error contingat. Si plura cupis, consule ipsum Elizalde, qui pluribus exemplis rem declarat.

VIII. Verum, ut ad commentitiam contradictionem P. Elizalde redeamus, dicimus, P. Casnedi confundere certitudinem cum veritate. Et quia P. Elizalde constituit, solam veritatem esse positivam regulam conscientiæ, putavit eum secum pugnare, dum ab hac regula excludit certitudinem ut semper necessariam. At fallitur P. Casnedi, doctrinamque Elizalde minime assecutus est. Quoniam licet regula conscientiæ sit sola veritas; hæc tamen non semper certo & evidenter attingitur, sed aliquando probabiliter tantum. Et hoc satis esse, invictis argumentis ostendit, nosque supra declaravimus. Ex quibus omnibus palam est, meram esse imposturam, qua P. Casnedi affingit P. Elizalde cantum *palinodiæ*. Quid? Pro titulo sectionis ponit. *Palinodia P. Elizalde*. Cur? Quia sibi videre visus est umbram contradictionis in ejusdem doctrina, a se minime intellecta. Hiccine *palinodiæ* cantus? Vix reperitur Auctor cui affingi non posset similis palinodia?

IX. Perridiculæ sunt contradictiones quas affingit P. Gonet. Dividit P. Gonet *Tom. III. dissert. de probabil. num.* 7. conscientiam in rectam seu bonam, & erroneam seu falsam & malam. Clamat P. *Casnedi* loc. cit. §. 8. num. 428. *Ecce conscientiam falsam reciprocat cum mala, & veram cum bona: quod est certo falsum; cum nulla mala excuset, erronea aliqua excuset.*

X. Quid adduci evidentius potest, ut evincam P. Casnedi inscientem se prodere istius controversiæ, & vel ipsa prima sententiæ nostræ principia aut dissimulare, aut non percipere? Expendamus breviter illius commentum. *Nulla* conscientia *mala excusat*? Ignorantiæ error est ne bonus, vel malus? Malus, inquis. Et tamen aliquis error excusat, nempe invincibilis. *Erronea* conscientia *excusat*. Verum habet, si est invincibilis. Quid inde? Ergo bona? Error ergo bonus est? P. Gonet jure reciprocat conscientiam falsam cum mala, & veram cum bona; ut alias evidenter ostendimus. Et P. Casnedi clamitat: Hoc *est certo falsum*? Saltem dixisset, hoc falsum esse Probabilistis. Sed absolute falsum pronuntians quod nos absolute verum asserimus, se minime intelligere prodit quid sub lite, quid extra litem sit. Prætereo innumera alia sophismata, quæ adversus Gonet, & Fagnanum perperam congerit. Ex paucis quæ delibavi, quisque, veluti ex ungue leonem, colligere, cujus sint momenti cetera, valet.

XI. Genium, & eruditionem istius Probabilistæ deprehendere itidem possumus ex *loc. cit. sec.* 11. *pag.* 159. *num.* 310. ubi Antiprobabilistas compellat *VERISTAS*, & eorum contradictiones refert his verbis: *Inter Antiprobabilistas, quo nomine veniunt quotquot nostram sententiam impugnant, alii sunt, ut ita dicam, VERISTAE.*

XII. Sed audias serio velim momenta quibus probat, istos sibi contradicere.

VE-

VERISTAS illos vocat, quia *obligant semper ad verum in re*. Porro, inquit, hi homines fuerunt. Si homines; ergo fallaces. Ergo aliquando falsum sub specie veri docuerunt. Ergo sibi contradicunt, dum obligant ad verum. En illius verba num. 312. *Igitur vel sunt* VERISTAE. *Hi autem homines fuerunt. Ergo sæpe falsum sub specie veri dixerunt. Ergo eorum doctrina, & eorum praxis sæpe sibi contradicunt.*

XIII. Risu ne, an detestatione accipi hæc debeant, iudicet lector. *VERISTAS*, veluti sectarios quosdam, per summam derisionem subsannando appellat Doctores catholicos qui veritatem investigandam, amplectendamque decernunt! *VERISTA* ergo appellandus Deus ipse erit, quod sit ipsa veritas. VERISTAE Catholici omnes, quod profiteantur legem veritatis: *Lex tua veritas*: quod iubeantur *servire ei in veritate*: I. Reg. XII. *Servite Domino in veritate*: Tob. XIV. *Dirige me in veritate tua*: Psal. XXIV. *Quoniam veritatem requiret Dominus*: Psal. XXX. *Viam veritatis elegi*: Psal. CXVIII. *Labium veritatis firmum erit*: Prov. XII. *Viam Dei in veritate doces*: Matth. XXII.

XIV. Si Antiprobabilistæ vocantur *VERISTAE*, iure Probabilistæ appellari *FALSISTAE* debent. Sed quid alieno vitio in vitium trahi patimur? Pudeat viros graves his dicteriis, scommatis, & ridiculariis nomenclaturis mutuo se se mordere. Suavitatem, benignitatem, dulcedinem passim iactant Probabilistæ. In solos Antiprobabilistas severi sunt, ac veluti truces, improperia, & censuras ubique vibrantes. Illos appellant *Rigoristas*, *Tutioristas*, *Iansenistas practicos*, *Veristas*. Sed dum talia agunt, quæ sit illorum caussa, evincunt. Absit a nobis similibus dicteriis proscindere doctos, piosque Probabilistas, quos semper data occasione colimus, & quibus debita obsequii officia persolvimus: memores enim sumus oraculi S. Pauli ad Galat. V. *Quod si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.*

CAPUT VII.

Brevis caussæ universæ complexio. Docilitatis, & modestiæ probabilisticæ specimen. Nonnulla quæsita resolvuntur quæ praxim spectant.

I. Finem disputationi tandem impono, tametsi plura adhuc dicenda superessent, si omnia vellem Probabilistarum commenta explodere. At ex iis quæ hactenus dicta sunt, cetera omnia quæ obtrudere adversarii solent, in fumum occidunt. Illorum quatuor principia, quibus tota vertitur probabilistica machina, penitus sunt labefactata. Libertatis possessionem adversus æternam Dei voluntatem, seu legem, Deo iniuriosam, & ab eodem principatum auferre, evicimus. Quid por-

porro universæ Theologiæ exitiosius quam legem naturalem, divinamque, in controversiam vocatam, non esse legem, constituere? Commentum duplicis legis Deo adscriptæ contrivimus. Appellationem quam opponunt ad prudentes, palam feci esse merum perfugium ad imprudentes. Quæ enim manifestior imprudentia quam in investigatione veritatis ad eos judices appellare caussam qui a veritate præscindunt, qui sectatores veritatis *VERISTAS* per derisionem compellant, qui errorem coæquant veritati? Quare illud principium. *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur*: in sensu Probabilistarum penitus commentitium demonstravi. Sed lubet in hoc ultimo capite tantisper illud exagitare sequenti ratiocinio.

II. Qui agit id quod sibi probabiliter honestum apparet, recte, & prudenter agit. Ergo eadem ratione perverse operatur qui agit id quod sibi probabilius vitiosum apparet. Probo consequentiam. Actiones speciem capiunt ab objectis. Ergo qua ratione probabilitas minor honestatis objectivæ refundit honestatem in actionem formaliter, eadem ratione major probabilitas turpitudinis objectivæ refundere malitiam in actum formalem debet. Quin potiori jure actus inficitur malitia objecti quam honestate illius imbuatur. Bonum quippe ex integra caussa, malum ex quocumque defectu.

III. Quid ad hoc Probabilistæ? Impeditur, inquiunt, major probabilitas malitiæ objectivæ, ne refundat in actum malitiam: quia, ut objectum speciem tribuat actioni, ab intellectu proponi, illudque amplecti voluntas debet. alioquin specificare, ut dicitur, actionem non valet.

IV. Cavillationes ineptæ, effugia vana. Nonne agnoscitur probabilius esse, contractum usura laborare? Major ergo probabilitas usuræ objectivæ reapse ab intellectu proponitur. Dum enim utriusque partis, & affirmantis usuram, & eam negantis, momenta expenduntur, & graviora quæ usuram produnt, apparent, propositio intellectui adest. Ergo usura objectiva speciem tribuit actioni: ergo actio usuraria est.

V. Clamitabunt, hæc evenire in syllogismo directo, secus in reflexo dictamen directum non esse ultimum, sed reflexum: hoc vero, non illud, speciem tribuere actioni. Dictamen autem reflexum pro objecto habet probabilitatem honestam.

VI. Quo major est a veritate recessus, eo crassiores succedunt errores. Major probabilitas directa repræsentat malitiam objectivam actui directo. Ergo hic actus formalis malus est, utpote speciem malitiæ capiens ab objecto probabilius inhonesto. Hoc evidens est. Tum. Hic actus formalis, qui probabilius inhonestus est, evadit objectum dictaminis reflexi. Ergo dictamen ultimum reflexum vitiosum est: speciem quippe capit ab actu formali, qui vices objecti gerit. Hæc omnia evidentia suapte natura sunt, & supra latius exposita.

VII. Alterum sophisma, a probabilitate objectiva petitum, fusius profligavimus, illud-

illudque nunc paucis perstringere lubet. Quamvis, inquiunt, hæc aut illa opinio mihi falsa appareat; potero tamen eam, hoc discursu prævio, amplecti. Auctor huius opinionis longe me sapientior fuit, atque prudentior: quæstionem hanc pro dignitate dispexit: momenta in utramque partem seria libravit: has ipsas rationes, quæ mihi graves sunt, ille ponderavit, ut credere iuvat. Quid ergo iudicium meum illius sententiæ præponam? Nonne Scriptura ipsa clamat, *Ne innitaris prudentiæ tuæ?* Alioquin superbus habendus essem. Ergo, mea reiecta, illius amplectenda opinio est.

VIII Larvata modestia hæc est, & insidiatrix docilitas. Ratiocinium istud concupiscentiæ, atque occultioris affectionis præstigium est, quod aures demulcet, mentesque excantat, iuxta illud Apostoli: *Coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. ad Timoth. II. cap. IV. Edisserant nobis Probabilistæ, quid caussæ sit cur tanti faciant hunc, aut hos Auctores, cur extollant hanc probabilitatem obiectivam; cur tanta animi demissione herbam illis porrigant, subiiciant in eorumdem obsequium mentem suam? Forsitan quod arctam viam cæli ostendant? Quod sententiarum severitate carnem affligant, appetitionesque cohibeant? Forsitan quod aspera, & dura loquantur? Hui tam peregrina, & absona! Probabilismum *obiectivum* ideo exaltant, quia docent, quamlibet opinionem repertam in Tamburino, in Busembau, in Diana, quatuor aut sex iuniorum fultam patrocinio, esse propriæ conscientiæ regulam, quamvis operans directe falsam eam reputet.

IX. Contra, si severiora Theologi proponant, si arctiorem viam calcandam doceant, si legis observationem promoveant, si denique verisimiliora doceant; tum, illorum auctoritate contempta, *propriæ prudentiæ innituntur*, aut alii consuluntur Auctores, qui proprio commodo faveant. Huc recidit hæc modestia probabilistica, hæc demissa docilitas.

X. Ut autem recta argumento toties convulso occurramus, repeto quod alias dixi, hoc esse purum putumque sophisma, sacræ Scripturæ directe infestum. Conferamus paullisper laudatum textum, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, cum aliis. Ioannes *Epist. I. cap.* IV. admonet: *Carissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint* D. Paulus I. ad Thessal. V. *Omnia autem probate; quod bonum est, tenete*. Prioris ergo textus sensus est, ne iudicio nostro innitamur, legibus, Patribus, & gravioribus Theologis spretis. Quid inde? Propterea ne uti iudicio nostro prohibemur? Psittaci ergo, & trunci, non homines erimus? Adhibendum est iudicium nostrum, sed Scripturarum, Patrum, Theologorumque graviorum regulis directum. Lumine cælestis doctrinæ persusi, recentiorum placita expendere, illaque cum maiorum, Sanctorumque doctrina conferre debemus, ut separare pretiosum a vili, & quæ bona sunt, tenere valeamus. Tangi aliquo pudore

re recentiores deberent, cum submittendum intellectum solis Probabilistis contendunt, si ipsi quidquam deferre antiquitati recusant. Ne multa: legi, & proprio iudicio, non a lege seiuncto, sed lege directo, innitendum. Expendenda sunt Auctorum momenta, & quæ vero viciniora, ac legis observationi, non quæ libertati, & concupiscentiæ propinquiora apparent menti nostræ, amplectenda sunt. Non est tuæ prudentiæ innitendum: id ultro fatemur. Sed spectandum quid sapientiores, quid leges decernant. Hic est genuinus sensus. Quod autem a iudicio tuo severiora dictante recedere debeas, ut cæco obsequio aures præbeas recentioribus placentia loquentibus, ut *Probabilismo obiectivo* mentem tuam subiicias, commentum est inauditum, & communi sensui repugnans. Valeant ergo Probabilistæ eiusmodi *obiectivi*, & *subiectivi*, qui lumini divino, vel iis quæ huic lumini viciniora sunt, refragantur, quippe non veritatem, sed probabilitatem æque indifferentem ad verum, & ad falsum, immo falso affiniorem, exaltant, præferunt, amplectuntur.

XI. Confirmantur hæc omnia auctoritate cap. *Ne innitaris* de constitut. *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ suæ innititur qui ea quæ sibi agenda videntur, Patrum decretis præponit.* Potissimum autem cavendum a proprio iudicio est, dum obedientiam Superioribus præstare debemus. Illorum præcepta proprio iudicio præferenda sunt. Si quæ nobis præcipiunt, certo & evidenter constet esse mala, numquam parendum. Si res quæ præcipitur controversa est & dubia, adveniente præcepto Prælati, deponendum est proprium iudicium, & Prælato obediendum: vices enim Dei gerit, ideoque illius præceptum efficere debet ut probabiliora nobis sint quæ nobis a Prælato præcipiuntur. Hinc est quod P. Gonzalez *dissert. XIV. cap. VIII. §. 2. num.* 106. deceptum asserat P. Terillum, qui de *reg. mor. I. Part. quæst. II. num.* 124. *pag.* 38. hæc scribit: *Non enim præceptum Superioris minus docti efficere potest ut subdito probabilius appareat exercitium pingendi non esse opus servile, cui antecedenter ad præceptum probabilius apparebat esse opus servile.* Hanc vim permutandi maiorem probabilitatem in minorem, & contra, minorem in maiorem tribuit subtilium reflexionum vanissimo artificio Terillus cum suis Probabilistis, secus obedientiæ virtuti. Nos contra asserimus, in rebus controversis semper deferendum esse Prælatorum mandatis, sive docti illi sint, sive indocti. Ratio quippe subiiciendi illis nostra iudicia, non est illorum doctrina, sed eorum dignitas seu auctoritas, cui solemni obedientiæ voto devincti sumus. Æque indocti, ac docti in regimine nostræ conscientiæ vices Dei tenent, Deoque obedimus, dum illorum iussa implemus. Hinc habes, quanti faciant divinum oraculum, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, illi qui nobis illud obtrudunt. Dixi, in regimine nostræ conscientiæ, seu in iis quæ disciplinam spectant quia tum non nos, sed illi iudices sunt. Si tamen etiam in his opposita opinio evidenter nobis probabilior esset illa quam sustinet

Præ-

Prælatus; tum adhærendum esset propriæ opinioni quia magis Deo quam homini obediendum est. In ceteris autem, quæ sunt extra disciplinam regularem, Prælati non gerunt personam Superioris, sed Theologi. Ideo in controversiis theologicis eorum opinio non maioris ponderis est quam aliorum Theologorum doctrina.

§. I.

Licitum ne sit operari secundum opinionem alienam, quam tu reputas falsam.

XII. QUæst. I. P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.475. quæst.xlix.* proponit hanc quæstionem: *An licitum sit operari secundum opinionem alienam, quam tamen operans iudicat reipsa esse falsam?* Resp. Primo docet, absque artificio probabilistico id esse illicitum, licitum vero, si mirifica illa vi Probabilismi reflexi uteretur. *Iudico quidem opinionem illorum esse FALSAM: quia tamen hoc mihi incertum est, & Auctores me sapientiores, qui opinionem possunt reddere certo probabilem, dicunt illam esse veram, ego quoad hanc operationem me accommodo illis, & interea præscindam a directa opinione mea. Ita absolute tenent Azor. Vasquez, Less. Salas, Bonac. Sot. Bann. Sera, Bards, Ioan. Sanch. Terillus aliique plures & gravissimi AA. cum Illsung, & Mendo.*

XIII. Habes in hac doctrina *mysterium* probabilisticum reseratum. P. Antonius *Casnedi*, ut supra vidimus, vocat Antiprobabilistas *VERISTAS*, quod ad meritum, & honestatem *veritatem* semper requirant. An ceteri vi descriptæ doctrinæ iure valeant compellare Probabilistas *FALSISTAS*, iudicent æqui rerum æstimatores.

XIV. Quam sit evangelicæ simplicitati, & christianæ sinceritati præfata doctrina contraria, nemo non videt. Ea admissa, poterit quis narrare ut verum quod ipse iudicat falsum formabit enim sibi hoc ratiocinium. Quod mihi falsum, aliis verum est. Præscindam ego a mea sententia, & accommodabo me contrariæ sententiæ, quam ob auctoritatem Doctorum iudicare possum probabiliter veram, licet absolute, & directe falsam reputem. Licita ergo mendacia erunt. Neque reponant, mendacia contra mentem esse: quoniam licet sint contra mentem directam, non tamen sunt contra mentem reflexam. Cedo: licitum est operari secundum opinionem aliorum, quam tu reputas falsam, ob hoc solum quod reflectas, probabile esse, quod viri docti doceant talem opinionem, tibi alioquin falsam? Cur ergo licitum non erit loqui quod tibi falsum est, quoties iudicare vales aliis probabiliter verum esse?

XV. Audiamus potissima momenta quæ P. La-Croix ex omnibus Probabilistis col-

collîgit. Inquit ergo: *Fieri potest ut aliorum opinio, quam directe iudico falsam, revera sit probabilior, & communior quam mea: ergo non est cur illam sequi non possim, SUSPENSA vel non ATTENTA TANTISPER MEA ...* Reponit Camargo *supra, non posse formari iudicium reflexum, quod contractus sit licitus, si adsit, vel adesse possit iudicium directum, quod sit illicitus. Sed oppositum constat ex dictis.*

XVI. Habes hic paucis perstrictam totam Probabilismi picturam, quam tibi repræsentavi supra *Lib. II. cap. III. num. 3.* Falsa tibi est hæc sententia ob momenta quæ tibi videntur vera. Peccabis ergo in veritatem cognitam, si eam amplectaris. Ita est secundum iudicium *directum*. Sed suspende *tantisper* (intende animum in hoc *tantisper*) hoc tuum iudicium *directum*: Averte *tantisper* animum a veritate, quæ tibi honestatem pandit, & recogita quid sapientiores Neoterici doceant. Iudicio tuo directo iudicas contractum usura inquinatum. Sed mentem alio diverte, inquiunt, & forma aliud iudicium reflexum, auctoritate nixum recentiorum, quod tibi licitum contractum ostendit. Et ecce quomodo, reiecto primo iudicio, vi alterius dictaminis, quod tibi placet, licitum evadit. Hinc ortum ducit illud axioma: *Quod volumus, sanctum est.* Hæc omnia supra iam confutata sunt.

XVII. Quæst. II. *Utrum sit specialis obligatio sequendi minus probabilem, relicta probabiliore?* Resp. P. Claudius La-Croix *Lib. I. num. 460.* relatis pluribus casibus, in quibus debitum constituit amplectendi minus probabilem, subdit ex Lohner, & Gobat, specialem esse obligationem sequendi minus probabilem in his casibus: *nempe si agatur de valore matrimonii, uti habent plurimi Theologi, & Juristæ cum Sanchez: item quando agitur de valore testamenti, vel favore Religionis, uti habet cum aliis Barbosa: item quando agitur de potestate clavium, & iurisdictione Ecclesiæ.*

XVIII. Matrimonium sacramentum est in lege evangelica. Ubi ergo de valore matrimonii disputatur, non possumus modo, verum etiam astringimur opinione uti minus probabili? Hanc minorem probabilitatem amplecti tenemur, dum disputatur de clavium potestate, & Ecclesiæ iurisdictione? Potestas clavium, & Ecclesiæ iurisdictio necessaria est ad valorem sacramenti pœnitentiæ. In sacramentis ergo conferendis non tutior, non probabilior, sed minus probabilis amplectenda est? Ni fallor, hæc doctrina proscripta est ab Ecclesia. Damnavit quippe Innocentius XI. usum minoris probabilitatis in sacramentis ministrandis. Dicimus ergo adversus Lohner, Gobat, La-Croix, aliosque similes, in nulla materia licitum esse usum minoris probabilitatis, multo minus vero in supra recensitis de valore matrimonii, de potestate clavium, de iurisdictione Ecclesiæ, de valore testamenti, ubi damnum tertii agitur. Quin addimus, sententiam P. La-Croix, & aliorum esse laxissimam.

§. II.

De operante docto, & illiterato in formando practico dictamine.

XIX. SI nullum occurrit dubium, nulla est difficultas in formando dictamine. Quia tum opus licitum iudicari potest. Si dubium occurrit, rationes, & auctoritates investiget vir doctus: probos eruditosque consulat homines: legat melioris notæ libros, ut id seligat quod verosimilius iudicaverit, dubio posito. Si utrinque momenta æqualia consistant, atque adeo anceps & dubius perseveret; tutiorem eligat partem necesse est. Non dicimus, summa anxietate venandum esse, quæ opiniones sint reapse obiective probabiliores penes Auctores, ut falso imponunt Probabilistæ, sed quæ probabiliores *subiective* occurrunt, dicimus esse sequendas. Conditiones necessario servandas in formanda opinione *subiective* probabiliore alibi explicavimus.

XX. Homines illiteratos, & idiotas nobis passim obtrudunt Probabilistæ. Qua via, inquiunt, rudes homines probabiliores opiniones præferre minus probabilibus poterunt? Oppositio isthæc inanis est. Qua via homines idiotæ poterunt discernere, & iudicare vestros syllogismos reflexos, conditiones probabilitatis directæ, & reflexæ? Experientia teste, homines illiterati ab anticipationibus, quibus passim Theologi præventi sunt, vacui omnino reperiuntur. Sequuntur isti rationis lumen purum, signatum super vultum animæ eorum. De dubiis quæ occurrunt, Parochum, aut Confessarium, aut experrectiores sincere, & ingenue consulunt: & istorum consiliis, ceu oraculis, auscultant, & acquiescunt. Si bene moratæ conscientiæ sint, in dubiis tutiorem eligunt partem: quod naturæ lumine in quibusque aliis gravioris momenti negotiis præstant, ignorantque probabilisticum reflexionum artificium. Si vero criminosæ sint conscientiæ, ut cetera manifesta flagitia, ita hæc dubia scelera deglutiunt.

XXI. Hæc est communis rudium hominum consuetudo in dictamine conscientiæ formando. Contingere interdum potest gravis aliquis casus, in quo & isti peculiarem, & ultra communem diligentiam adhibere teneantur. Quemadmodum in gravioribus corporis infirmitatibus, & negotiis extraordinariam curam adhibent; sic & in animæ controversiis dirimendis præter communem diligentiam studio singulari astricti sunt. Verum hoc debitum perrarum in rusticis, montuosis, & plebeiis est: quoniam, ut dixi, hi præiudiciorum vacui ducem rationem sequuntur. Et dum sincere veritatem inquirunt, raro decipiuntur. Sæpe ipse homines istos illitteratos, & rudes, sed probos, in controversiis morum, data opera, consului,

ut

ut sincerum naturæ iudicium sentirem. Fere semper quod veritati, quod legi, quod honestati proximius erat, audivi.

§. III.

De consultoribus, seu de his qui quærunt, dantve consilium.

XXII. PRimo loco pauca dicam de consultoribus Principum. Gravissimo debito Principes astringuntur eligere Theologos, & ministros doctiores, sanctioresque. At quid, si Principes ipsi rudes sint, vixque valeant vera a falsis consiliis distinguere? Respondet Salamon Eccl. x. *Væ terræ, cuius Rex puer est*. Vix tum quidquam boni sperari potest. Principes ipsi sapientes sint oportet. Scriptum est enim: *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram* &c. *Psal.* II. Item Sap. cap. VI. *Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones, ut discatis sapientiam.* Lege ibi plura.

XXIII. Falsa ergo absolute est illorum doctrina qui asserunt, Principibus satis esse, si consultorum suorum iudicia sequantur. Si hæc doctrina consisteret, non peccassent tyranni Principes, innocentes martyres occidendo, qui ministrorum consilia sequebantur. Immunis a culpa Roboam fuisset, consiliariis suis morem gerendo. Quid quod, admissa præfata doctrina, semper bellum ex utraque parte iustum erit, cum utraque pars ministrorum consiliis utatur, & pro belli iustitia libros edat? Plura alibi de hoc dicam.

XXIV. P. Claudius La-Croix *Lib. I. num.* 456. inter alia hæc scribit. *Principes possunt sequi consilium probabile suorum, relicto eo quod ipsi iudicant probabilius, formando sibi conscientiam secundum dicta num.* 377. . . . *Etiam possunt contra iudicium suorum sequi illud quod ipsi bona fide putant esse probabilius, vel melius; poterit tamen esse res suspecta, si agatur de suo, vel suorum commodo.* Si interest sequi consultorum iudicium probabile, etiam contra propriam conscientiam probabiliorem possint Principes illud amplecti, si e contrario, possunt etiam contra iudicium suorum sequi id quod bona fide reputant probabilius. Vis ne dulciorem Theologiam? Si melius laudatæ doctrinæ benignitatem comprehendere cupis, consule locum citatum nempe *num.* 377. ubi inquit: *Si quis iudicet opinionem alienam esse probabilem, quamvis videatur esse falsa, ideoque spectatis principiis directis usus illius videatur esse illicitus, si tamen de hoc certus non sit, valde probabile est quod ex principiis reflexis possit sibi formare prudens dictamen, & secundum eam opinionem operari dicendo: Iudico quidem opinionem illorum esse falsam* &c. Quia tamen consultores sapientiores me sunt, illorum opinionem amplectar, licet directe iudicem

esse falsam : quoniam reflectendo ad illorum sapientiam opinio quæ mihi falsa directe erat, reflexe probabilis evadit.

XXV. Si in Principum penetralibus hæc regnet doctrina, quodnam bellum non justum, piumque? Quodnam tributum injustum? Quænam fœdera inviolata, & firma? Sit ne hæc doctrina ipsis principatibus, & universo humano generi infesta, judicent æqui rerum æstimatores. Videtur enim illa viam reserare mutuis bellis, regnorum devastationibus, populorum cladibus, atque extirpationi. Sancta intentione, pioque zelo illam tradunt Probabilistæ, quia utilem reputant æternæ salutis negotio. Nos contra sentimus, caritate mutua salva. Uter nostrum verum attingat, Deus solus judex est. Ut igitur Principes sibi caveant, summa diligentia uti debent in seligendis doctioribus, & sanctioribus viris. Ipsi, quæ proprium officium, & statum pertinent, addiscere tenentur. Juges fundant preces, ut lumen divinum obtineant. Sincere veritatem inquirant. Consultorum, & Theologorum suorum affectiones, vota, gesta, molimina scrutentur, serioque dispiciant. Si artificia, si mundanam, carnalemque politicam, assentationem, ambitionemve deprehenderint, eos a curia expellant. Recogitent serio, Theologorum, & Confessariorum suorum probitatem singularem esse debere. Si istorum virtutes vulgares sint, & mediocris probitas, cito vitiosi erunt. Ut in eminenti gradu, & alta dignitate consistere diu valeant, heroica virtute, & sanctitate opus est. Ad talia munia eos eligant qui talia non ambiunt, sed reformidant, horrent, ab iisque refugiunt. Verum de hoc plura alibi.

XXVI. Theologi, & consultores privati, quoties rogantur ut controversiam quampiam dirimant, pro caussæ magnitudine momenta utriusque partis ponderent. Quod sibi verosimilius apparet, sincere manifestent. Theologus vere christianus caveat a quorumdam Probabilistarum fatali methodo, qua rogati a pœnitentibus respondent. *Utramque probabile est : elige quod malueris*. Sic respondent Probabilistæ tum in libris editis, tum voce, dum interrogantur. Sed cave tum ab his libris, tum ab his consultoribus. Quid de illo medico diceres qui consultus, in quonam ex duobus vasibus venenum reperiatur, responderet : *Probabile est utrumque epotari posse* : cum certum sit in alterutro reperiri venenum? Ex duabus morum opinionibus in alterutra reperiri venenum falsitatis, & malitiæ certum est. Quid ergo amentius quam indiscriminatim alterutrum epotandum suggerere? Nec est quod reponas, innoxie ebibi posse venenum istud beneficio mirificæ probabilitatis. Quoniam tum verum est, cum, facta diligentia, invincibiliter ignoratur, ubinam virus reperiatur. Porro dum ex tripode respondes, utramque opinionem probabilem esse, & utramque exequendam proponis ad libitum, diligentiam ne adhibes in veritate investiganda?

XXVII. Ut ergo in consiliis dandis & tibi, & proximo consilium petenti caveas,

utrum-

utrumque extremum devita, & nimiæ facilitatis, & nimiæ trepidationis ac anxietatis. Si controversia difficillima sit, non te pudeat respondere cum D. Bonaventura in IV. dist. XXXVIII. art. 2. quæst. III. *Quæ istarum opinionum sit verior, fateor me nescire*. Sunt qui, ut magistri in Israel habeantur, ad omne quæsitum, quamtumvis impervium, decretorie respondent. Pudet illos, se minus versatos, aut vel unius quæstionis ignorantes prodere. Tu vero serio cum Iob XXIV. dicito: *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam*. Quod tibi verosimilius est, præmisso debito studio, expone. Si casus propositus facilis sit resolutionis; noli nodum in scirpo quærere. Satagito ut, quoad fieri potest, proximum opem animæ suæ petentem adiuves, sublevesque. Noli plus iusto esse meticulosus, sed pro caussarum diversitate sermonem moderare. Si aqua hæret, ad alios doctiores, peritioresque consulentem remittito. In gravioris momenti dubiis ita tuam sententiam proponito, ut alienam non spernas. Plura enim sunt in quibus quisque abundare in proprio sensu valet.

§. IV.

Quomodo aliorum sententiæ magni, aut flocci faciendæ; seu approbandæ, vel improbandæ sunt, salvo in Auctores obsequio.

XXVIII. Passim, occasione data, Probabilismum, seu opinionem minus probabilem, laxitatis, & falsitatis sugillavi; & absurda quæ illum consequuntur, exposui. Id præstiti, quod doctrina isthæc ab integra Ecclesia Gallicana improbata sit, tamquam omnium laxitatum pestifera radix, omniumque malorum fons. Accedit consensus omnium fere Universitatum, doctorum Theologorum, Synodorum, & Romanorum Pontificum, qui licet ultima, & solemni, expressaque definitione Probabilismum non damnaverint, tamen adeo illum circumciderunt, & e scholis exturbandum curarunt, eiusque ramos amputarunt, atque alienum ab evangelica simplicitate, Patrumque doctrina declararunt, ut merito, mea quidem sententia, tamquam doctrina falsa, laxa, & periculi plena, improbari valeat, quin ullus queri iure possit; potissimum quod solum vi ratiocinii theologici, ut in scholis agi communiter solet, laudatam doctrinam improbaverim. Si quid tamen per inscitiam calamo exciderit, indictum volo, atque infectum.

XXIX. Quo liberior sum in reprobandis opinionibus reapse & manifeste laxis, eo cautior sum (& esse quisque debet) in censurandis, aut improbandis sententiis quæ inter Theologos in utramque partem laudabiliter disputantur. Ab harum censu excludo Probabilismum ob indicata momenta. Ceterum plures, gravissimæ-

quæ quæstiones in dies occurrunt quarum veritas latet vel ipsos viros doctos. Occurrunt in utramque partem gravia momenta. Tum ego, quam reputo probabiliorem, seligo, oppositam non sperno. Id sincere aperio iis qui me consulunt: eos ad oppositæ opinionis Auctores remitto: eos moneo, quod liberi sunt in hoc casu ab amplectenda mea opinione. Addo tamen, eos teneri illam amplecti quam post audita utriusque partis momenta, iudicant probabiliorem. Suggero, ut evitent Theologos illos qui uno stantes in pede omnia indiscriminatim resolvunt, dicentes: *Utrumque probabile est*. In gravioribus ergo caussis maiori diligentia, studio, & ferventioribus precibus opus est. Et quando veritas expresse non resplendet, contraria sententia non est contemnenda; sed summa animi demissione id est suscipiendum quod proximius veritati apparet.

XXX. Huc recidunt ea omnia quæ intempestive Probabilistæ ex antiquioribus congerunt. Merito sane D. Thomas inquit quodlib. IX. quæst. VIII. art. 15. *Omnis quæstio in qua de peccato mortali agitur, periculose determinatur, nisi veritas expresse habeatur*. Hoc pariter in sensu loquitur Gersonius III. Part. lect. 4. de vit. spirit. tit. D. *Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub verbo universali, maxime cum observatio communis obnititur, ubi non sunt certissimi de re ipsa; nec talia sunt prædicanda populo tamquam certa. Nam per huiusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras, & nimis strictas in rebus incertis, nequaquam eruuntur homines a luto peccatorum; sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur. Hinc etiam generantur scrupuli inquietatrices simplicium*. Constitutiones Ordin. Prædicat. in prolog. text. 10. *Relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas, & austeritas in consiliis, & homines benigne tractandi sunt*. Item S. Bonaventura in Compendio Theolog. Lib. II. cap. III. *Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta: nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem, prima dicit sæpe malum bonum, secunda bonum malum*.

XXXI. Hæc obtrudere Probabilistæ solent, ut suum Probabilismum propugnent, tamquam medium inter laxitatem & rigorem. Nos vero hactenus demonstravimus, Probabilismum hunc ad extremum laxitatis reiiciendum esse, & quam immerito laudata testimonia in suum patrocinium allegent, patefecimus. Sensus similium auctoritatum est, quod in controversiis difficilibus summa cautione & maturitate opus sit, antequam proferatur sententia. Periculum errandi ob oculos habendum est.

XXXII. Et ut altius lectoris animo insit regula quam nos sequimur, & sequendam proponimus, & quam alias sæpe innuimus, iterum repetimus, nos propensiores in clementiam quam in rigorem esse. Malo enim ego de nimia benignitate, quam de nimio rigore, rationem Deo reddere: & idem clamamus omnes. Hanc be-

benignitatem quisque in ore habet. Extrema laxitatis, & rigoris se quisque declinare iactat. Verum reipsa hic laxitatem vocat benignitatem; ille veritatem rigorem nominat. Tu lector profectum inspice animarum. Illæ tibi sint doctrinæ sanctæ quæ a peccatis animas liberant, quæ salutis negotium promovent. Quid mihi *Benignissimum* obtrudis, si usu istius *Benignissimi* in peccatorum luto Christiani svolutantur? Relaxa rigorem, quantum sat est, ut facilius proximum lucreris. Si benignitas tua sordes culparum auget, laxitas est crudelis. Missis ergo tricis, rem meditemur. Deus non irridetur. Difficillimum est atque laboriosissimum salutis negotium. Evangelicæ legis ideam præ oculis habeto. Nisi ad istius conspectum, velut ad Solis radios tenebræ, Probabilismi caligo dispereat, insipiens ego sim. Hæc est methodus quæ mihi arridet.

XXXIII. Aliorum sententiæ quæ gravibus nituntur fundamentis, spernendæ non sunt, multo minus illorum Auctores. Pro certo enim habendum nobis est, quemlibet Catholicum pio zelo proximum suum illuminandi, & æternæ ruinæ subtrahendi, opera moralia in lucem edere, nisi aperte oppositum appareat. Hæc tamen sancta intentio non impedit quominus reipsa Auctor decipiatur. Quare intentio semper, quoad fieri potest, excusanda, laxitas, aut rigor nimius improbari iure debet.

XXXIV. Finem huic tractatui impono verbis S. Pauli Apostoli I. ad Timot. 1. *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* De ceteris hominum statibus, nempe de advocatis, procuratoribus, de iudicibus, de Confessariis, subditis, & Prælatis, alibi sermo erit.

Hæc omnia cedant in maiorem Dei gloriam, & laudem B. Virginis, S. Patriarchæ Dominici, SS. Augustini, & Thomæ, atque Vincentii Ferrerii.

CENSURA CENSURAE

Lata Anno MDCLXXIV. a Patribus Revisoribus generalibus Societ. Iesu contra Librum de recto usu opinionum probabilium compositum a P. Tyrso Gonzalez nunc Præposito generali eiusdem Societatis,

AUCTORE

P. IOSEPHO DE ALPHARO

In Collegio Romano Professore Theologiæ Anno MDCXCIII.

IUDICIUM

Patrum Revisorum generalium

De Libro inscripto,

FUNDAMENTUM THEOLOGIAE MORALIS,

Idest Tractatus

De recto usu opinionum probabilium.

QUamvis ingeniose admodum compositus sit tractatus iste ab homine docto, & erudito, plura tamen sunt quæ videntur obstare eius editioni: quorum præcipua sunt hæc.

Primum enim docet Auctor, nemini licere operari secundum opinionem minus probabilem, relicta magis tuta, non solum evidenter probabiliore, sed etiam absolute, & simpliciter, idest quocumque modo existimata probabiliore, licet non evidenter, ut multis probare contendit quæst. III.

II. Docet, in pari gradu probabilitatis non licere operari secundum minus tutam.

III. Docet quæst x. Confessarium non posse contra propriam opinionem absolvere pœnitentem utentem opinione probabili, immo sibi probabiliori.

IV. Docet quæst. XVIII. non licere homini docto consulere, vel respondere secundum probabilissimam aliorum opinionem minus tutam contra sibi probabiliorem.

V. Docet quæst. XCII. non probabilitatem communem oppositis opinionibus, sed dumtaxat veritatem, saltem existimatam, & prudenter affirmatam, esse rectam regulam morum.

VI. Nihilominus docet, ad recte operandum non sufficere veritatem realem, quæst. x. qua in re videtur contradicere dictis a se quæst. præcedenti.

Cum tot, tantaque doceat hic Auctor a communi scholarum sensu abhorrentia non solum Societatis, sed etiam aliorum Ordinum, & Academiarum, non videtur secundum nostras regulas permitti posse huius operis editio, præsertim cum multa ex prædicta doctrina incommoda consequantur, quorum nonnulla subiicimus.

Primum. Cum Superior præcipit aliquid quod, subdito probabilius videtur esse illicitum, teneri subditum non obedire, & peccare, si obediat. Hoc autem est contra Patres, & spiritualis vi-

tes magistrum, qui docent, verum obedientem debere obedire in omnibus in quibus nihil evidenter Deo contrarium præcipitur. Respondet Auctor, teneri subditum quærere rationes, & motiva quibus probabilior illi fiat Prælati opinio. Sed quid, si quærat, & non inveniat? tenebitur ne obedire? Auctoritas, inquit, præcipientis faciet illi probabilius id quod præcipitur. Quæ vero auctoritas Superioris, qui non raro est minus doctus quam subditus, præponderet rationibus in contrarium, & auctoritati doctorum hominum, quorum sententiam subditus sequitur tanquam sibi probabiliorem.

II. Ex doctrina Auctoris sequitur falsum esse quod docet S. P. N. Ignatius in epistola de obedientia, ubi ad perfectionem obedientiæ requirit ut subditus conformet judicium cum judicio Superioris in omnibus in quibus veritatis evidentia vim intellectui non infert. Tunc enim, inquit, potest voluntatis pondere in hanc potius quam in aliam partem inclinari. Ponamus itaque, Superiorem præcipere subdito aliquid quod ille non evidenter, sed probabiliter putet esse illicitum, debet juxta S. Patrem submittere judicium suum judicio Superioris, & obedire ex imperio voluntatis, ut in rebus fidei. Hoc autem negat Auctor fieri posse.

III. Sequitur, nullum esse proprie, & formaliter hæreticum, dum errat contra fidem. Aut enim suus error videtur illi probabilior veritate opposita, vel e contra. Si primum, assentitur errori, qui videtur illi probabilior. Si secundum, assentitur veritati, & sic in neutro casu erit hæreticus. Erit, inquit, quia neglexit inquirere rationes, quibus redderetur sibi credibilis veritas fidei. Ergo error ipse contra fidem non est peccatum hæresis, sed peccatum consistit solummodo in illo neglectu: quod non videtur sufficere, ut quis dicatur formaliter hæreticus, & pertinax.

IV. Sequitur, non dari judicium temerarium, cum unusquisque judicet secundum id quod probabilius sibi apparet, nec possit ex levibus fundamentis judicare ex pravo affectu voluntatis juxta Auctorem: atque ita ruit commune Philosophorum effatum ex Aristotele: *Unusquisque judicat, prout est affectus:* experientia quotidiana sæpius testante.

V. Si requiratur veritas realis, & non sufficit prudenter existimata ad recte operandum, sequitur eum qui obedit Superiori aliquid quod re ipsa est malum, bona fide præcipienti, non recte operari, atque adeo perdere meritum obedientiæ. Docet enim Auctor quoscumque aliquis operatur ex conscientia erronea invincibiliter, excusari quidem a culpa, sed tamen operationem ejus numquam esse meritoriam, & honestam: quod est contra communissimum hominum sensum, quamvis Auctor ex divo Thoma, & Bernardo male intellectis id probare contendat.

Postremo quis ferat in Auctore Societatis summis laudibus extolli homines de Societate male meritos, & novæ doctrinæ partiarios, ut Fagnanum, Sinnichium, Mercorum, Merendam, aliosque, quorum sententiam præfert tot viris doctissimis, & religiosissimis in re gravissima, quam ipse appellat *fundamentum Theologiæ moralis*: eosque peccati damnat, ut qui nimio affectu placendi hominibus absque sufficienti studio sententiam protulerint, ut ait quæst. ix. fol. 19. num. 17. Nititur quidem Auctor ostendere sententiam suam non adversari communi, sed tradita. His, aliisque de causis, quas brevitatis studio prætermittimus, non expedit opus illud in lucem edi, ne *callidi adversarii nostri, habentes tandem opera sua malis, & argumentis convictos paullatim ab errore suo recedere, & qui tanto illos doctiores sunt* (sic enim & ipsi loquuntur) *viam aliis monstrare quam sequi debeant*.

Subscr. quinque Revisores

In Collegio Romano
18. Juni 1674

CENSURA CENSURAE

Lata a Patribus Revisoribus

Contra Librum

De recto usu opinionum probabilium anno 1674.

CUM nihil frequentius contingat quam censuram Revisorum nostrorum sive generalium, sive particularium corrigi & emendari, & passim videamus librum aliquem semel reprobatum, audita deinde parte, & caussa melius examinata, vel ab eisdem, vel ab aliis Revisoribus tandem approbari: nihilominus in præsenti, perinde ac si Patrum Revisorum sententia esset irreformabilis, educta est eorum censura, & publice propalata contra librum de recto usu opinionum probabilium. Quare ne inde aliquod præjudicium patiatur doctrina in illo libro contenta, quæ non solum tuta, & sana, sed etiam valde utilis, immo & necessaria a plerisque censetur, operæ pretium est prædictam censuram examinare, & palam ostendere, judicium Patrum Revisorum non fuisse secundum veritatem, & æquitatem.

§ I.

Prima & fundamentalis ratio prædictæ censuræ discutitur, & ostenditur eam non fuisse rationi, & æquitati consentaneam.

I. QUAE Revisores unice notarunt in libro de recto usu opinionum probabilium, ne illius editio permitteretur, sunt sex, quæ fere revocari possunt ad unum. *Primum, neminem licere operari secundum opinionem minus probabilem, relicta magis tuta, non solum evidenter probabiliore, sed etiam absolute, & simpliciter, idest quocumque modo existimata probabiliore, licet non evidenter, ut multis probare contendit quæst. III. II. In pari gradu probabilitatis non licere operari secundum minus tutam. III. Confessarium non posse contra propriam opinionem absolvere pœnitentem, utentem opinione probabili, immo sibi probabiliori. IV. Non licere homini docto consulere, vel respondere secundum probabilissimam aliorum opinionem minus tutam contra sibi probabiliorem. V. Non probabilitatem communem oppositis opinionibus, sed dumtaxat veritatem, saltem existimatam, & prudenter affirmatam, esse rectam regulam morum. VI. Nihilominus ad recte operandum non sufficere veritatem realem.*

II. De his autem sex assertionibus judicium PP. Revisorum est. *Cum tot & tanta doceat hic Auctor a communi scholarum sensu abhorrentia, non solum Societatis, sed etiam aliorum Ordinum, & Academiarum, non videtur secundum nostras regulas permitti posse hujus operis editio, præsertim cum multa ex prædicta doctrina incommoda consequantur, quorum nonnulla subjicimus.*

III. Hoc tamen judicium PP Revisorum, bona ipsorum venia, non fuisse rectum, & æquum, neque secundum veritatem, patet primo, quia constat evidenter, prædictam doctrinam non abhorrere, ut ipsi ajunt, a communi scholarum sensu tum Societatis, tum etiam aliorum Ordinum, & Academiarum, quinimmo & fuisse communem omnium Theologorum ante Bartholomæum de Medina, ut testatur Corduba in suo Quæstionario Lib. II. quæst. 11. & modo etiam habere præsertim post Alexandrum VII. innumeros ex omni Ordine, & statu patronos, quorum plures refert Auctor libri de recto usu opinionum probabilium.

IV Secundo constat, sine ullo fundamento, sine ullo jure, immo & cum aliqua Societatis injuria dictum esse, non posse secundum nostras regulas permitti hujus operis editionem. Nam quæ regula, aut constitutio, vel ordinatio Superiorum est in Societate quæ vetet ne nostri doceant dari obligationem sequendi partem tutiorem, quando illa censetur ab operante probabilior, vel

æque

neque probabilis ac pars contra tuta ? Porro Congregatio XIII. declaravit oportere [illegible] neque Societatem prohibere [illegible] neque prohibere quo [illegible] tueri possint, quibus [illegible] probetur.

V. Tertio [illegible] potius secundum nostras regulas [illegible] secundum ordinationes Generalium [illegible] debuisset a Revisoribus approbari [illegible] editio, & non [illegible] P. Tamburini in Decalogum [illegible] P. Mutius Vitelleschi [illegible] generalis in epistola ad [illegible] 4. Ian. 1617 ut vitare [illegible] damna quae ex nonnullorum [illegible] praesertim in rebus moralibus [illegible] in Societate [illegible] universam dimanare [illegible] quam rem summi momenti praescripsit ut *qui docent, scribuntur, minime hac regula & norma in delectu opinionum utantur*. Tueri quis potest: Probabile est, Auctore non caret: *verum ad eas sententias accedant quae tutiores, quae graviores*. At P. Tamburinus non aliam fere regulam sequitur in decidendis quaestionibus moralibus, nisi quam P. Mutius Vitelleschius vetuerat, & de hoc ipso monet lectorem in principio sui operis in Decalogum, ubi apponitur haec monitio Auctoris ad lectorem, quam saepe alibi repetit, & inculcat: *Unum est*, inquit, *quod te monitum volo, amice lector: cum sententiam quampiam probabilem, seu, quod idem est, non improbabilem in his in Decalogum libris, ut & alibi appello, illud dico, te sine peccati periculo amplecti, atque in praxi sequi tuto posse. Ejusmodi locutionem communem esse bonis Doctoribus in illo principio, quia qui probabili ratione ductus aliquid agit, prudenter se gerit, probe novi. Verum in memoriam id revocare ad omnem haesitationem removendam operae pretium fuit*. Hoc autem quid aliud est quam in docendo, & scribendo sequi, & profiteri regulam illam, & normam a Patre Mutio nostris prohibitam, *Probabile est* &c.? Contra vero Auctor nihil aliud agit quam tueri prudentissimi illius Generalis consultissimam discipinam, & ostendere, quam jure merito ipsi displicuerit ea norma regulaque docendi, & consequenter operandi, *Probabile est, Auctore*, vel *Auctoribus non caret* &c. Debuerunt ergo PP. Revisores non approbare, neque permittere juxta ordinationes Societatis editionem operis P. Tamburini, & aliorum similium, in quibus de vero, aut falso vix umquam agitur, sed omnia revocantur ad illud, *Probabile est*, & e contra permittere, & approbare potius editionem libri de recto usu opinionum probabilium.

VI. Quarto. Quia manifeste apparet, P. Martinum de Esparza fuisse unicum praedictae censurae Auctorem, & reliquos Revisores tantummodo subscripsisse, illius unius judicium, & sententiam sequentes. Nam nihil omnino aliud in ea censura continetur praeter illa eadem argumenta, & motiva, quibus ipse P. Esparza in appendice ad quaestionem de usu licito opinionis probabilis contendit licitum esse sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, & tutiore. Illa vero argumenta non magnam certe vim habere, & neque apud pios benignae sententiae AA. & defensores magnam aestimationem, & plausum habuerunt: quia non satis firma visa sunt, nec quidquam revera probant, ut discurrendo per singula statim ostendam. Ergo non est cur eius censurae magna ratio habeatur.

VII. Quinto. Quia (quod est valde notandum) praedicta censura tota & totaliter revocatur ad illud doctrinae punctum, in quo liber de recto usu opinionum probabilium discrepat a particulari sententia quam in hac celebri controversia tenet P. Esparza. Ipse enim late docet in sua appendice ab articulo 152. non esse licitum sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, quando pars opposita apparet evidenter probabilior, sed tunc solum, quando maior ipsius probabilitas non est valde notabilis, aut omnino clara, sed aliquatenus dubia, obscura, & anceps. Unde hoc solum reprobat in libro de recto usu opinionum probabilium, quod

eius

mus Auctor docet, *omnes licere operari secundum opinionem minus probabilem vel se magis tuta non solum evidenter probabiliore, sed absolute & simpliciter, idest quolibet modo cognita ut probabiliore, licet non evidenter.* Hæc vero distinctio, & via media, qua in sua sententia tradenda, & in censura hic facienda procedit P. Esparza, est prorsus singularis & aliena a sensu, & mente aliorum Doctorum. Nam qui tenent non esse licitum operari secundum minus tutam, & minus probabilem, non limitant suam sententiam ad casum in quo opinio tutior sit evidenter probabilior, sed universim & absolute loquuntur de omni casu in quo tutior cognoscatur ab operante probabilior, vel æstimetur æque probabilis. Quod de modernis quibusdam Auctoribus notorium est, de antiquis vero Theologis testatur expresse Antonius de Corduba, ubi supra. & fatetur etiam P. Amicus Tom. III. d. [illegible] num. [illegible] dicens: *omnes fere antiquos Theologos negare licitum esse operari secundum minus tutam & minus probabilem, semperque exigere ad licite operandum ex sententia minus tuta, quod ea sit probabilior.* E contra vero qui docent, licitum esse sequi minus probabilem, & minus tutam, eodem modo, & sine differentia loquuntur. Nec vero conflictæ oppositam esse probabiliorem, sive hoc non sit [illegible] certum, & fundamenta harum sententiarum eamdem plane vim habent in utroque casu. Unde & ipsemet P. Esparza loco supracitato dicit *se non esse nec expresse notatam apud Auctores distinctionem.* Neque mirum est quod eam non invenerit expressam, cum neque implicite in eis reperiatur, neque Auctorum menti conformis, sed omnino contraria. Quod patet manifeste, nam ipsi etiam sententiæ benignæ Auctores communiter distinguunt has duas assertiones: *Aliud licere sequi opinionem probabilem minus tutam in concursu tutioris æque probabilis; & aliud licere eam sequi in concursu tutioris etiam probabilioris.* Ubi nomine probabilioris procul dubio intelligunt eam quæ notabilem, & sensibilem habet probabilitatis excessum, non exiguum, aut ita dubium, & obscurum, ut vix discerni possit: quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. & quando una opinio non præeminet alteri notabiliter, & clare, sed aliquantulum, & subobscure, computantur ac si essent æque probabiles. Ergo patroni usus licet opinionis minus probabilis, & minus tutæ, non solum loquuntur in casu quo opinio tutior sit aliquantulum, & subobscure probabilior (tunc enim computatur ac si esset æque probabilis) sed loquuntur etiam in casu quo opinio tutior sit evidenter probabilior. Ergo cum P. Esparza in sua censura non damnet aut reprobet hanc doctrinæ partem, quod scilicet non liceat sequi opinionem minus probabilem & minus tutam contra tutiorem, & evidenter probabiliorem, sed præcise damnet, quod non liceat sequi minus tutam contra tutiorem & probabiliorem, quomodolibet cognitam ut talem, vel contra tutiorem æque probabilem: patet evidenter eum non reprobasse in libro de recto usu opinionum probabilium id in quo Auctor libri discrepat ab Auctoribus benignæ sententiæ, sed id quod præcise in quo discrepat ab ea singulari opinione quam in hac controversia tenet ipse P. Esparza. At æquum non erat ut in approbandis, vel reprobandis aliorum libris attenderetur pro regula & norma opinionem illam suam particularem, vellet que universæ Societati quasi legem, & necessitatem imponere cum sua sententia: æquum non erat ut quasi solus ipse saperet, crederetque sibi licitum esse limitare, & coarctare, prout vellet, sententiam communem de electione opinionis minus probabilis & minus tutæ, & aliis non esse permittendum ut exceptionem aliam, vel limitationem ullam apponerent, præterquam ab eo præscriptam. Non ergo fuit ejus censura æquitati, & rationi consentanea.

VIII. Sexto. Quia hinc denuo evidenter apparet, immerito Patrem Esparza reprobasse doctrinam libri de recto usu opinionum probabilium, tamquam

quam a communi Scholarum sensu abhorrentia, non solum Societatis, sed etiam aliorum Ordinum. Nam primo quidem doctrina in eo libro contenta, nempe *non esse licitum sequi opinionem minus tutam, minusque probabilem in concursu probabilioris, aut aeque probabilis affirmantis rem esse illicitam, & a Deo prohibitam*, praeter antiquos omnes Theologos habet etiam nunc ex Societate non paucos, innumeros autem ex omni alio Ordine & statu patronos, praesertim viros ex Dominicanorum familia, qui integris voluminibus longe & alte ex sacris literis, & testimoniis sanctorum Patrum, & summorum Pontificum decretis, ac gravibus rationibus in pondere hanc eamdem sententiam stabiliunt. At vero contra P. Esparza in hac re opinionem habet omnino novam, & cum sensu aliorum Doctorum sensui repugnantem, nempe *tunc solum licere sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam, quando parem, aut fere parem habet probabilitatem cum opposita, non vero quando pars opposita est probabilior*. Quae doctrinae complexio neque ullum Auctorem ducem habuit ante Patrem Esparza, neque ullum quem sciam hactenus sectatorem habet, sed omnibus abunde displicuit, tum his qui negant licitum esse sequi opinionem minus probabilem, tutiore & probabiliore neglecta, tum his qui affirmant. Injuste igitur, & sine caussa fuit eam censuram contra librum &c. quam potius merebatur ipsius opusculum, vel appendix ad quaestionem de usu licito opinionis probabilis.

IX. Septimo. Quod peculiariter attinet ad nostrae Societatis Doctores, ostenditur ulterius Auctorem libri de recto usu opinionum probabilium longe minus discrepare a communi nostrorum sententia quam dissideat ipse P. Esparza in sua appendice, & consequenter ipsius judicium non fuisse rectum, & aequum, sed contra omnem rationem, & aequitatem, quandoquidem ex hoc capite vel unice, vel praecipue obstitit editioni eius libri, & invidiam ei conflavit apud nostros. Assumptum ergo demonstratur aperte. Nam doctrina tota in eo libro contenta revocatur ad duo puncta, alterum proprie theologicum, alterum fere philosophicum. Primum est, judicium de sola probabilitate nullatenus sufficere posse ut liceat alicui agere secundum opinionem probabilem aliorum, quam ipse operans judicat esse falsam, & legi divinae contrariam, idest ut licite faciat id quod opinatur esse directe a Deo prohibitum: & pariter neque ulla principia reflexa sufficere posse ut a peccato excusetur ille qui sola opinionis probabilitate contentus, & nulla habita ratione veritatis, sequitur in praxi minus tutam, abstrahendo ab eo quod sit vera, vel falsa, contraria, vel conformis divinae legi: sed ad conscientiam rite formandam opus esse ut quisque per judicium, saltem opinativum, determinate sibi persuadeat id quod agit non esse revera directe, & per se divina lege prohibitum. Alterum est, neminem posse serio credere, ac determinate judicare, verum esse id cujus oppositum ipse agnoscit tam a ratione, quam ab auctoritate esse aeque probabile, aut probabilius: in quo duplici principio continetur neminem posse sequi opinionem probabilem minus tutam, relicta tutiore, quae probabilior, aut aeque probabilis ab eo esse cognoscitur.

X. Jam vero ex his duobus principiis primum, & principale, ac proprie theologicum admittitur etiam a P. Esparza, & late, solideque ab eo probatur in appendice ab articulo 143. usque ad 151. requirit enim ad agendum ex opinione probabili minus tuta, ut operans sit in ea opinione, eamque habeat, & approbet ut veram: & acriter invehitur tum in eos qui cum P. Vasquez, C. Palavicino, Caramuele, & aliis docent, opinantem directe aliquid esse illicitum posse nihilominus agere absque peccato per cognitiones quasdam reflexas circa probabilitatem opinionis contrariae, tum nominatim in P. Thomam Sanchez, & alios communiter, qui ad hoc ipsum utuntur distinctione cognitionis speculativae, & practicae, univer-

sa-

falis, & particularis &c. atque eorum sententiam non esse omnino falsam, & tam enim ab Adriano fuisse consultam argumento omnino demonstrativo. Solum ergo negat P. Esparza illud aliud principium philosophicum: ipse enim latissime probare contendit intellectum posse ex voluntatis imperio opinari, & credere absolute verum esse id cujus oppositum apparet ei minus probabile, aut probabilius. Atque in hoc solo puncto consistit tota dissensio, & discordia inter P. Esparza, & Auctorem Libri. At in hoc puncto non Auctor ejus libri, sed potius ipse P. Esparza est, qui manifestissime dissidet a communi, aut saltem communiori nostrorum sententia. Ergo de primo ad ultimum, si attendatur tota doctrinae series, Auctor ejus libri multo minus dissidet a communi nostrorum sententia, quam ipse P. Esparza. Minor sententia patet: quia quod intellectus non possit etiam ex imperio voluntatis assentiri parti minus probabili, & quam ipse cognoscit esse minus probabilem, docet P. Suarez t. 2. tract. de act. hum. disp. [illegible] sect. 1. num. 5. dicens: *voluntatem non posse movere intellectum nisi sub ratione veri: quando autem medium est tale, quod non infert necessitatem, tunc quidem voluntatem posse movere ad assensum, sed non posse movere nisi in illud quod probabilius, & verisimilius apparet.* Vasquez 1. 2. disp. [illegible] num. 4. dicit: *judicium [illegible] probabili conceptum fuit, [illegible] minus clara ratio, & minus probabilis, non [illegible] generare assensum contrarium.* Idem docet, & probat P. Lessius Tom. posthumo tract. de actibus humanis quaest. [illegible] art. 16. P. Laymann tract. [illegible] de consc. c. 1. § 1. n. 2. Becanus [illegible] de consc. Lib. III. cap. [illegible] Arriaga Tom. [illegible] disp. [illegible] num. 30. & disp. [illegible] Card. Pallavicinus de act. hum. disp. [illegible] quaest. [illegible] cap. [illegible] P. Antonius Perez disp. [illegible] de justitia & jure cap. [illegible] P. Moya [illegible] selectarum tract. [illegible] quaest. [illegible] num. 5. affirmans id [illegible] esse certum. Idem tradit Venerab. P. Ludovicus A Ponte in manuscriptis suis theologicis, quae asservantur in Bibliotheca Collegii nostri Vallisoletani S. Ambrosii, in quaest. de consc. dub. 4. num. 1. ubi ait: *Nullus potest speculative assentiri opinioni quam videt minus probabilem.* Et dub. [illegible] verbo *Notandum est primo*, ubi sic ait: *Non est in voluntate hominis deponere opinionem quam certo scit esse probabiliorem: quia intellectus necessitatur quoad specificationem assensus probabilioribus.*

XI. Quin immo dum occurrunt intellectui rationes aequales, & paria motiva pro utraque parte contradictionis, tunc nullum esse possibilem assensum; sed intellectum necessario manere dubium, & haerere, aut fluctuare inter utramque partem, atque in hac paritate motivorum consistere dubium proprie dictum, prout ex Philosopho, & D. Thoma tradunt communiter Summistae, inter quos Sylvester verbo *Dubium* ita illud definit: *Dubium secundum Philosophum, ut D. Thomas est contrariarum rationum aequalitas.* Continent communiter nostri DD. Suarez t. 2. disp. [illegible] sect. [illegible] num. [illegible] & Tom. IV. in III Part. disp. xxii sect. [illegible] num. 7. Vasquez [illegible] disp. [illegible] num. 9. Sanchez Lib. II. de matrim. disp. [illegible] num. 5. & [illegible] Coninch disp. xxxiv de sacram. dub. [illegible] num. 82 cap. [illegible] Becanus Lib. IV. de consc. cap. [illegible] & alii passim. Immo, & quod plus est, quando intellectus habens utrinque rationes fere pares, propter aliquam tamen [illegible] alteri parti assentitur, tunc assensum [illegible] adeo esse levem, ut [illegible] possit, & potius [illegible] quam judicium: quia potius se habet ut quaedam propensio, & inclinatio, quae proprie appellatur suspicio, quam ut vera determinatio [illegible] ad unam partem, quae vere tollat dubitationem, est expressissima, & formalissima sententia P. Vasquez disp. [illegible] cap. [illegible] & Thom. Sanchez Lib. I. Sum. cap. [illegible] num. 4. & [illegible] tract. [illegible] cap. [illegible] num. 146. & Baldell. Lib. IV. disp. [illegible] num. 5. Cum ergo tota discordia inter Patrem Esparza, & Auctorem consistat praecise in

hoc

hoc puncto quod vult P. Esparza, intellectum posse operari, & credere verum esse id quod utrique in utrisque omnibus non apparet esse verisimilius aut probabilius, sed aeque aut minus probabile quam oppositum, & in hoc quidem puncto, a quo tota pendet Esparza pendere totam resolutionem de usu, vel non usu opinionum aequalium, aut minus probabilium habeat ille contra se omnes fere Societatis DD. patet evidenter Auctorem libri &c. longe minus dissidere a communi nostrorum sententia quam dissidat P. Esparza, & consequenter non recte censuram & rejiciunt, sed potius recollectam & ab omni ratione alienam quod ex hoc capite merito reprobaverint, & invidiam ei conflaverint apud nostros.

XII. Ex quo etiam obiter patet, quam vana sit ea gloriatio, qua P. Esparza in fine suae Appendicis art. 212. jactat se habere doctrinae suae patronos Suarium, Vasquezium, Lessium, Thomam Sanchez, Antonium Sayas, Card. de Lugo, Granadum, Tannerum, Laymannum, Filliucium, Baldellum, Reginaldum, Sforzam Pallavicinum, &c. quibus deinde contraponit duos tantum e Societate nostra contrariae sententiae Auctores, Paulum Comitolum, & Andream Bianchi, eosque insigne traducit, & [illegible] habens tamquam degeneres, & nullius nominis aut momenti. Nam certe, si non haereamus in sola superficie, sed rem ipsam serio, & sincere consideremus, constat evidenter P. Esparza longe magis dissidere ab omnibus illis Societatis nostrae Theologis, quam ab iis dissideant Comitolus, & Andreas Bianchi, ita ut [illegible] quae [illegible] in rebus manet. Siquidem omnes fere unanimiter docuerunt, intellectum non posse speculative amplecti, judicare, & approbare ut veram opinionem quam agnoscit esse minus probabilem, sed tamen ad operandum ex opinione minus probabili, & minus tuta, relicta probabiliore, & tutiore, sufficere judicium moraliter vel reflexum de ipsius probabilitate, neque opus esse ut opinionem illam esse veram, quin immo licet in esse intellectum sequi aliorum opinionem probabilem contra propriam probabiliorem, & quam ipse reputat veram, non exuendo opinionem suam propter aliorum auctoritatem, sed illam retinendo. Ita enim sententiam suam exprimunt Vasquez, Sanchez, Lessius, Laymann, Azorius, Granadus, Tannerus, Baccanus, Baldellus, Reginaldus, Palavicinus, Antonius Perez, & communiter omnes, qui docent licitum esse amplecti opinionem minus probabilem, & minus tutam. Quod adeo verum est, ut etiam illi pauci, qui existimaverunt, intellectum posse assentiri propositioni minus probabili, cognitae ut tali, ut Salas, & Oviedo, nihilominus fateantur, id nihil referre ad controversiam moralem de praxi, & usu opinionum minus probabilium: quia, ut aliquis prudenter operetur, [illegible] esse hoc, aut illud, non putant [illegible] necessarium judicium quo veritati opinionis assentiatur, sed sufficere judicium quo asseveratur ejus probabilitas. Huic autem doctrinae ex toto, & in totum, & quasi ex diametro opponitur P. Esparza. Nam ipse totus in eo est ut probet, intellectum posse assentiri propositioni, cujus oppositam existimet esse aeque, aut magis probabilem, & ab hoc totam pendere vult totam hanc controversiam de usu opinionis probabilis, & [illegible] ab omnibus [illegible] receptam, quod possit aliquis [illegible] opinionem alterius probabilem contra propriam, quam ipse tenet ut probabiliorem, & veram, ac deinde [illegible] non sufficere judicium de [illegible] probabilitate, sed requiri judicium de veritate opinionis [illegible] neque Deus de potentia absoluta [illegible] posset cum aliquo, ut liceat ei agere [illegible] opinionem aliorum probabilem quod ipse opinatur, ac judicat [illegible] ac per se. At Comitolus, & Andreas Bianchi [illegible] in hac posteriore parte a communi [illegible] tenent [illegible] P. Esparza, [illegible] ad [illegible] opinionem [illegible] esse veram. De reliquo autem conveniunt cum

cum communiore nostrorum, & Thomistarum sententia, intellectum non posse assentiri propositioni cujus oppositam videt esse æque, aut magis probabilem, in quo solum discordant a P. Esparza. Ergo immerito P. Esparza jactat se habere pro sua sententia præclaros illos omnes e Societate viros, quibus ipse in omnibus adversatur, & immerito carpit Comitolum, & Andream Bianchi, qui solum ex una parte illis dissentiunt, in qua pariter ipse dissentit.

XIII. Demum ex hoc ipso colligitur reprobandam omnino esse censuram qua P. Esparza reprobavit editionem libri de recto usu opinionum probabilium. Nam in eo libro quid tandem est quod P. Esparzæ displicuit? Sane non aliud, nisi quod Auctor doceat, intellectum non posse serio, & sincere judicare, & approbare ut verum, illud cujus oppositum videt esse æque probabile, aut probabilius. Nam contra hoc solum militant argumenta omnia quæ ex hac doctrina censentur secutura. De reliquo autem P. Esparza non reprobat, sed approbat potius consequentiam Auctoris, sicuti etiam laudat in sua appendice articulo 141 consequentiam Mercori, Joan. Baptistæ Gonet, & aliorum, qui, negata hac libertate opinandi æque, aut minus probabilia, intulerunt inde, neminem posse, salva conscientia, sequi opinionem quæ minus probabilis ab eo esse cognoscitur, relicta probabiliore, & tutiore. Quo posito, quis non videat injustum fuisse reprobare librum unius ex nostris propter hoc solum quod doceat, intellectum non posse assentiri propositioni cujus oppositam videt æque, aut magis probabilem esse? Nam innumeri intra & extra Societatem id ipsum docent, & plurimi tenent rem esse certam, & evidentem, & argumenta omnia, quibus oppositum suadere conatur P. Esparza, facillimam habent solutionem. Ego certe non dubito Societati universæ reprobandam esse censuram, si semel ratio, & causa innotuerit propter quam P. Esparza eam tulit, sicuti jampridem aliqui valde mirati sunt, quod, tot, & primarii Scholæ nostræ Auctores negaverint intellectui facultatem opinandi quæ videt esse minus verisimilia, & quæ magis ei apparent falsa quam vera, nihilominus P. Esparza ita addictus fuerit opinioni oppositæ, ut omnes suas de opinionibus probabilibus circa conscientiam resolutiones super hoc solum fundamentum ædificaverit ea adhæsione ut contrarias nullo modo approbare voluerit.

Sed veniamus jam ad incommoda quæ a Revisoribus contra doctrinam libri de recto usu opinionum probabilium fuerunt adducta.

§. II.

Ad primum incommodum a Revisoribus objectum de virtute obedientiæ labefactanda,

Responsio.

XIV. Dicunt PP. Revisores, ex allegata superioris doctrina libri multa incommoda secutura, quorum nonnulla subjiciunt. Primum est, inquiunt, *cum Superior præcipit aliquid quod subdito probabilius videatur esse illicitum, teneri subditum non obedire, & peccare, si obediat. Hoc autem est contra PP. & spiritualis vitæ magistros, qui docent verum obedientem debere obedire in omnibus in quibus nihil evidenter Deo contrarium præcipitur. Respondet Auctor, teneri subditum quærere rationes & motiva quibus probabilior illi fiat Prælati opinio. Sed quid, si quærat, & non inveniat? tenebitur non obedire? Auctoritas, inquit, præcipientis faciet illi probabilius id quod præcipitur. Quasi vero auctoritas superioris, qui cum vere est minus doctus quam subditus, præponderet rationibus in contrarium, & auctoritati doctiorum hominum, quorum sententiam subditus sequitur, tanquam sibi probabiliorem.* Hactenus illi, vel loco omnium P. Esparza, cui ceteri subscripsere.

Ad hanc objectionem respondetur 1. rem esse admiratione, & stupore dignam, quod P. Esparza potuerit hac ratione

tiones moveri ad reprehendendum librum de recto usu &c. post typis datam appendicem suam ac quaestionem de usu licito opinionis probabilis. Nam ipse lumine docet ab articulo 155 [illegible] omnino non posse ut aliquis aliquando licite utatur opinione minus tuta [illegible] quam certo, & indubitanter sit apud ipsum minus verisimilis, aut probabilis quam opposita. Ergo cum Superior praecipit aliquid quod subdito probabilius videtur esse illicitum cum notabili & certo probabilitatis excessu, tunc subditus licite praeceptum non tenebitur nec poterit obedire, & peccabit si obediat. & tamen licet una opinio sit palam probabilior altera, non ideo habetur certitudo & evidentia de re ipsa, ut est omnibus notum, neque opinio Praelati censeri debet evidenter falsa, licet videatur, & sit evidenter minus probabilis quam opposita. Quomodo ergo talis et P. [illegible] patet, quod [illegible] PP. & [illegible] nostros, assumpta, verum obedientem [illegible] debere obedire in omnibus in quibus non est evidenter Deo contrarium praeceptum? Si dicat, auctoritatem Praelati efficere ut non opinio subditi non debeat ab ipso haberi tamquam manifestius probabilior, hoc ipsum est quod docet Auctor libri de recto usu opinionum probabilium. Quomodo ergo [illegible] damnat ac arguit? Nam evidens est, posse esse utrumque [illegible]. Unde sive accusat alterum, [illegible], sive se purgat, [illegible] quem [illegible] videtur ut [illegible] S. Augustinus.

XV. Respondetur 3. imperitam obtrectationem absurdum de virtute obedientiae [illegible] contra eam [illegible] quod docet [illegible] contra ac DD. opiniones [illegible] & probabiliorem [illegible]. Nam potius videtur haec sententia tenenda, ut virtus obedientiae [illegible], sicut & observantia debitorum mandatorum. Si enim [illegible] opinionem [illegible] probabiliorem [illegible] & probabiliorem negantia, atque [illegible] obediret Praelato quem [illegible] probabile [illegible] esse [illegible]. Sequitur patet [illegible] principium universale,

quasi certum statuitur, nempe: Si detur opinio probabilis, debeat in aliquo casu non teneri subditum obedire Superiori suo; subditum, qui credit eam opinionem esse probabilem, non teneri obedire, licet possit [illegible] potest alteram opinionem tuto sequi. Ita censent Thomas Sanchez Lib. VI. in Decal. cap. 3. num. 7. & Castropalaus Part. I. disp. 1. punct. 4. num. 1. aiunt: Ex hoc non esse controversiam, quippe cum detur opinio probabilis ex parte subditi, quod non teneatur obedire, etiamsi contraria [illegible] sit probabilior. Abunde vero extat opinio plurium AA. quod subditus non teneatur Superiori praecipienti obedire quando opinionem probabilem habet, illicitam esse rem imperatam. Hanc enim esse valde probabile [illegible] docent Castropalaus num. 5. Immo & hanc esse probabiliorem sententiam defendit P. Franciscus de Lugo Part. I. cap. III. § 13. num. 19. eamque ut absolute veram tradit, & [illegible] probat Ioannes Sanchez in sele. disp. [illegible] per totam; qui [illegible] est [illegible] Diana II. P. tract. [illegible] res. 10. est [illegible] doctissimus & [illegible]. Idem tenet Petrus de Ledesma tract. de statibus, ubi de Religiosis in communi cap. 17. quem refert etiam Diana ubi supra. Item P. Stephanus Spinola in opusculo de electione opinionum disputatione [illegible] per totam. Lezana [illegible] Part. I. Regul. [illegible] resol. 44. [illegible] de regimine Regular. Part. III. disp. [illegible] Reinhold in praxi Theolog. mor. Part. III. Lib. III. dub. [illegible] num. 146. quorum omnium rationes, & argumenta affert Diana Part. IX. tract. [illegible] resol. 43. Ac denique ut opinionem approbat Elizalde Lib. II. Theol. mor. sec. 3. prob. 33. Quae cum ita sint, patet evidenter ex incommodo adducto a PP. Reverendis concludi potius oppositum eius quod intendunt.

XVI. Fortasse dicent PP. Reverendi, eatenus opinionem illam non probari, neque videri satis probabilem. Sed quid inde? An ne opinionem [illegible] est regula [illegible] probabilitatis? An non ea opinio [illegible] est valde probabilis, immo & probabilior suis Auctoribus? An non ut qui eas Auctores magnae do-

 cent?

tum? An non videatur probabilis in dictoribus illis omnibus qui audiant eam esse opinionem tot Auctorum proborum & graviorum? Certe qui probabilitatem, ut hic, securam agendi regulam esse volunt, non ale poterunt in hac parte consulere virtuti obedientiae. Quid enim refert quod in hac quaestione particulari determinant subditum teneri obedire, quoties non certo constat illicitum esse quod praecipitur, si tamen ex sua regula sua generali quod liceat sequi quamlibet opinionem, etiam minus probabilem, & minus tutam, approbant demum id quod speculative reprobant, & beneficio probabilitatis inducunt in praxi licitum, & tutum quod speculative & directe docent esse illicitum, & periculosum.

XVII. At vero Auctor libri de recto usu opinionum probabilium longe abest ab hac & similibus opinionibus laxis quibus subditi possunt Praepositorum praeceptis illudere. In primis enim ipse non approbat, neque sequitur sententiam Adriani, quam secutus est etiam ex nostris P. Ludovicus Schildere tract. II. de conscientia formanda cap. IX. num. 17. nempe subditum probabiliter opinantem, quod actus imperatus sit illicitus, nec teneri, nec posse obedire, sed potius teneri non, & probat sententiam oppositam: ait enim, eum & posse, & debere obedire, ac iudicium suum Superioris iudicio submittere in omnibus in quibus peccatum manifeste non cernitur, ut docet S. P. N. Ignatius in aurea obedientiae epistola. Multo minus approbat quod docuerunt Castropalaus, Franciscus Delugo, Joannes Sanchez, Petrus Ledesma, Stephanus Spinola, Ianuarius, Bragus, Rochafol, & Escobar supracit. nempe, cum probabile sit illicitum esse quod praecipitur, non teneri subditum obedire, etiam tuta conscientia posse. Quibus etiam in hac parte consentit P. Ludovicus Schildere ubi supra, dicens: *subditum probabiliter opinantem illicitum esse quod praecipitur, non posse obedire, & si possit, non teneri.* Quae sententia valde praeiudicat obedientiae debitae. Si enim subditus Superiori praecipienti possit obedire, tenebitur obedire, nisi forte ex alio capite certo constet quod res imperata potestatem Superioris excedat. Multo minus approbat Auctor sententiam illorum qui dicunt, in dubio an res praecepta sit licita, teneri quidem subditum obedire; secus in dubio an excedat regulam, & limites potestatis Superioris. Nam potius, ut bene dicit Thomas Sanchez Lib. VI. in Decal. cap. III. num. 4. maiorem auctoritatem habet Superior in res de quarum honestate dubitatur, quam dum solum dubitatur an excedant limites suae iurisdictionis. Ergo si in illis tenetur subditus obedire, a fortiori in his. Denique non approbat quod cum Thoma Sanchez, Salas, & aliis docet Castropalaus tract. I. disp. III. pag. 11. in hoc, nempe in dubio, an praeceptum sit de re licita vel illicita, & supra iubentis potestatem, cuius tamen executio sit facilis, teneri subditum obedire, secus autem si res sit valde molesta, & difficilis. Per hoc enim non consulitur honestati, & virtuti obedientiae, sed libertati potius, & commoditati.

XVIII. Atque, ut optime advertit Card. Delug. Lib. III. Resp. mor. dub. 19. num. 22. ex P. Suarez Tom. IV. de Religione Lib. IV. de instituto Societatis cap. XV. num. 16. & sequenti, Patres, & magistri rerum spiritualium, dum laudant, & exigunt in subditis obedientiam caecam, ita volunt eam esse caecam, ut excludat prudentiam carnis, non ita ut excludat prudentiam spiritualem, & supernaturalem. Cum enim sit virtus, debet dirigi a regula prudentiae, quae circumspicere debet, an illud opus sit contra praeceptum Dei, vel alicuius Praelati superioris. Non ergo debet subditus considerare, an opus illud sit utile, vel inutile, commodum, vel incommodum, & alia eiusmodi. Et in eo sensu Bernardus, & Bonaventura apud eumdem Suarez exigunt obedientiam *indiscretam*, vel *insipientem*. Debet tamen considerare, an sit licitum, vel illicitum: & in hoc sensu S. Thomas 2. 2. quaest. CIV. art. 5. ad

ad 3. reprobat obedientiam indifferentem. Unde esset virtuose indifferens & temeraria obedientia quae poneret opus praeceptum cum dubio perseverante an id esset contra divinum praeceptum vel saltem Ecclesiae. Haec ibi Card. de Lugo. Quare velle ut in dubio, an sit licitum quod praecipitur, subditus obedire teneatur, si res sit facilis, secus autem si sit valde difficilis & incommoda, hoc sane est magis attendere ad rationem commodi quam honesti, & obedientiam exigere caecam, ubi magis oportet esse oculatam, & facere illam oculatam ubi oportet esse caecam.

Ejusmodi autem opiniones in particulari ita reprobat Auctor Lib. de recto usu opinionum probabilium, ut neque illas approbet indirecte, & in genere beneficio totius probabilitatis ut alii faciunt. Non enim probat, sed improbat ac te omnino istam regulam generalem: *Si detur opinio probabilis docens in aliquo casu non teneri subditum obedire Superiori, tunc subditum, qui credit eam opinionem esse probabilem, non teneri obedire, licet possit, quia potest alterutram opinionem tuto sequi.* Haec enim regula supra quamlibet opinionem particularem est obedientiae contraria, cum omne illud quod in particulari censetur minus probabile & minus tutum, beneficio illius fiat statim in praxi licitum, tutum & innocuum. Evidens ergo est, Auctorem libri de recto usu opinionum probabilium longe melius consuluisse virtuti obedientiae quam qui approbant usum cujuslibet opinionis minus probabilis, & minus tutae.

XIX. Tertio igitur & directe respondetur, subditum antecedenter opinantem, vel probabilius judicantem rem praeceptam esse illicitam, absolute posse, ac debere obedire Praelato, non quidem retinendo opinionem suam, ac judicium, quo vel absolute vel probabilius existimabat rem esse contra praeceptum divinum: sic enim peccaret agendo contra conscientiam propriam; neque item formando dictamen conscientiae, quod potius debeat hominibus obedire quam Deo, aut quod obediendum absolute sit hominibus, etiam cum Deo contraria praecipit, quod esset dictamen stultum & impium; neque item existimando, Deum ipsum voluisse per quamdam voluntatem secundariam & consequentem ut leges suae tamdiu solum valerent, & obligarent, quamdiu non adesset probabilitas in contrarium, prout magnus quidam Probabilista somniavit. Hoc enim est intolerabile paradoxum, & nova, atque hactenus inaudita divinarum legum relaxatio, & eversio: sed deponendo opinionem suam, & judicium suum Superioris judicio humiliter submittendo, ita ut nullatenus credat, Superiorem falli, & in suo praecepto errare, sed credat potius Superioris praeceptum esse rectum, & quod praecipitur, esse revera licitum, & expediens. Ita enim & obedientiam debitam in eo casu, & modum obediendi praescribit, & explicat uno verbo P. Suarez Lib. VI. de Legibus cap. VIII. *quia subditus,* inquit, *debet suum judicium deponere, ut est communis doctrina, & in praxi necessaria.*

XX. Ad replicant vero PP. Revisorum, nempe *fieri posse ut subditus non attingat rationes, & motiva quibus probabilior illi sit Praelati opinio, & auctoritatem Superioris minus docti non praeponderare rationibus in contrarium, & auctoritati doctiorum hominum, quorum sententiam subditus sequitur tamquam sibi probabiliorem:* respondeo, id non esse satis circumspecte dictum, neque omnino videri pium ac tutum, quia nullo modo concordat cum celeberrima epistola S. P. Ignatii de obedientiae virtute, sed in omnibus ab illa dissonat. Nam inter rationes, & modos quos S. P. proponit, ut judicium subditi cum judicio Superioris conformetur, expresse assignatur hoc, ut *quod Superior mandat, vel sentit, defendere semper apud animos nostros studeamus, impugnare autem nequaquam, ad quod proderit bene animatos, affectosque esse ad id omne quod ipse infert.* Supponit ergo S. P. subditos bene animatis,

tia, & affectu erga Superiorem suum, & forte ac sincere & studiose interioribus apprehendere quod jubent nunquam defutura esse motiva & rationes quibus Superioris judicium probabilius illis fiat, & magis probandum videatur. Ergo replica illa & opinio PP. Revisorum: *Quod, si subditus quaerat rationes & motiva, ut probabile ei fiat quod Superior praecipit, & non reveniat*: directe & aperte est contra id quod S. P. supponit & tradit. 2. Quia etsi aliae rationes in particulari deessent, sufficere tamen deberent rationes illae generales quibus S. Ignatius probat ex Dei praeceptis ac atque ex dictis & factis Sanctorum, modum assequendi semper voluntatem Dei esse voluntatem Superioris: item [illegible] quibus probat, Superioris praeceptum vocem esse legem ac Christi vocem accipiendam. Inde enim habetur auctoritatem Superioris praeponderare debere quibuscumque rationibus in contrarium. 3. & praecipue: nam S. P. Ignatius non exigit a subditis conformitatem judicii cum Superiore propter doctrinam, & prudentiam Superioris, sed propter alias rationes diviniores & superiores; neque vult ullam fieri a nobis differentiam, & ne considerari quidem an Superior habeat magnam sapientiam aut bonitatem aut prudentiae dotes, vel non habeat. Quomodo ergo dicunt PP. Revisores *auctoritatem Superioris, qui non raro est minus doctus quam subditus, non praeponderare rationibus in contrarium, & auctoritati doctorum hominum, quorum sententia videbatur subdito probabilior esse Superioris praecepto*? Quod vero, ut judicium subditi cum Superioris judicio congruat, oporteat attendere & videre an sit in Superiore major, aut minor doctrina & prudentia quam in subdito vel in aliis. Nihil omnino dici poterat magis capitaliter adversum ejusdem doctrinam S. P. Ignatii in epistola de obedientia. Nam ibi [illegible] hoc maxime vult, Societatis homines ita esse in obedientia, & abdicatione voluntatis, atque judicii comparatos, ut nunquam intueantur personam ipsam cui obediunt, sed in ea Christum Dominum, cujus causa obediunt. „Siquidem Superiori „(inquit) non si prudentia, bonitate, „ceterisve quibuslibet divinis donis or„natus instructusque sit, propterea „obtemperandum est, sed ob id solum „quod vices Dei gerat, ejusdemque „auctoritate fungatur, qui dicit: *Qui „vos audit, me audit; & qui vos sper„nit, me spernit*: nec contra, sive „consilio aut prudentia minus va„leat, quidquam idcirco de obedientia „remittendum, quatenus ille Superior „est; quando illam personam refert „cujus sapientia falli non potest, sup„plebitque ipse quidquid ministro de„fuerit."

XXI. Hinc vero, quando agit de via, & modo conformandi judicium proprium cum Superioris judicio, totum in eo est ut persuadeat subditis judicium Superioris esse semper conforme voluntati & sententiae Dei, non autem judicium suum, aut opinionem suam, & semper abstrahit a majori vel minori doctrina Praelati; cujus ne ullam quidem rationem haberi vult, proponit vero alia argumenta, & motiva diviniora & magis infallibilia. *Primum (inquit), illud est ut quemadmodum supra dixi, non in homine, in persona Superioris, hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, caritas infinita, qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere. Et quoniam conscii vobismet estis, vos Dei amore jugo obedientiae subiisse, ut in Superioris voluntate sequenda voluntatem divinam certius sequeremini, nullo dubitare [illegible] pergat fidelissima Domini caritas eorum ministerio qui vobis praesunt, vos dirigere gubernareque. Et vellem amore hoc docere &c.* Altera est ratio, *ut quod Superior mandat, vel sentit, defendere semper apud se, non vero [illegible] [illegible] [illegible] quam &c. Postrema subjiciendi ratio est, cum facilior, tum etiam tuta, apud SS. PP. in more posita, ut statuatis vobiscum ipsi, quidquid Superior prae-*

cipit.

cipit, ipsius Dei praeceptum esse, & voluntatem: atque ut ad credenda, quae catholica fides proponit, toto animo, assensuque vestro statim incumbitis, sic ad ea facienda quaecumque Superior dixerit, caeco quodam impetu voluntatis parendi cupidae sine ulla prorsus disquisitione feramini. Haec ibi S. P. quae omnia egregie probat, & confirmat auctoritatibus Scripturae, & testimoniis, & exemplis Sanctorum.

XXII. Non ergo sanctissimus obedientiae Doctor ullibi dicit, aut insinuat, nihil interesse, sive Superior erret, sive non erret, sive bonum dicat malum, sive malum bonum. Nullibi dicit, etiamsi Superior falsa opinione deceptus praecipiat aliquid re ipsa malum, & a Deo prohibitum, tamen, cum eius opinio falsa, manifeste falsa non fuerit, sed aliqua ratione probabilis, tunc virtute illius probabilitatis derogari praecepto divino, ita ut iam non habeat ullam vim obligandi, & sic sanam esse obedientiam. Procul abest ab inaudito hoc & novo cuiusdam Probabilistae commento, qui docet, Deum subiecisse leges suas opinionibus probabilibus hominum, etiam falsis, ita ut per voluntatem quamdam secundariam, & reflexam, quam vocat, approbet id ipsum quod per suam legem directam damnat, ac prohibet, velitque Deus ipse ut minor etiam probabilitas opinionis falsae, cognitae ut talis, praevaleat divinae legi, & vim omnem ligandi ab ea tollat, & sic licitum faciat quod vere est, & probabilius agnoscitur esse directe ac per se divina lege damnatum. Nam hoc quid aliud esset quam Deum sapientiamque divinam spoliare primatu suo in gubernando, & dirigendo mores hominum, atque sic invertere totum rerum ordinem, efficereque, ut non ratio, & voluntas humana rationi, & legi divinae subordinata esse debeat, sed ratio, & voluntas Dei subiiciatur, & subordinetur opinionibus probabilibus nostris, etiam falsis? Haec certe est inordinata illa perversio, aut maior ea quam S. P. Ignatius in eadem epistola de obedientiae virtute detestatur, & exprobat iis qui Superioris voluntatem, quam pro divina ducere deberent, ad suam detorquere nituntur. *Id enim esset*, inquit, *non voluntatem nostram divinae conformare, sed divinam potius a sua voluntatis norma regere velle, eiusdem divinae sapientiae ordinem invertentes.* Nullibi ergo ad stabiliendam obedientiae virtutem hoc privilegio minoris probabilitatis utitur, ut licitum faciat quod verius, & probabilius creditur esse illicitum, sed unice revocat subditum ad obediendum in omnibus suo Superiori, quia illud per se loquendo censeri debet re ipsa iustum, & aequum, & voluntati, ac legi Dei conforme, quod iubet (ubi peccatum manifeste non cernitur) & haec est via tutissima assequendi veritatem, & conformitatem nostrae voluntatis, & rationis cum voluntate, & sapientia divina. Ita idem S. P. docet III. Part. constit. cap. 1. § 23. dicens, *necessarium valde esse ut omnes perfectae obedientiae se dedant, Superiorem, quicumque ille sit, loco Christi Domini nostri agnoscentes, & voluntatem, ac iudicium suum cum eo quod Superior vult, & sentit, in omnibus* (ubi peccatum non cernetur) *omnino conformantes, proposita sibi voluntate, ac iudicio Superioris pro regula suae voluntatis, ac iudicii, quo exactius conformentur primae ac summae regulae omnis bonae voluntatis, ac iudicii, quae est aeterna bonitas, & sapientia.*

XXIII. Unde obiter patet, quam sit non solum aliena a sensu, & mente S. P. Ignatii, sed etiam ei directe contraria sententia illa cuiusdam Scriptoris de regula conscientiae pag. 58. num. 124. quam PP. Revisores videntur secuti. Ait enim ille, praeceptum Superioris minus docti non posse ullo modo efficere ut probabilius appareat subdito id quod antecedenter ad praeceptum apparebat minus probabile: quia praeceptum nec naturam rei mutat, neque auget auctoritatem Superioris, neque ullum argumentum infert ad praesumendum quod ideo rectius sentiat, quia praeci-

pe. Itaque si quis intendat, praeceptum Superioris universaliter reddere dubium vel veritatem verisimiliorem subsisto, procul dubio errat: quia *manifestum est, itaque praeceptum nullam ad hanc opportunitatem mutandam vim habere*. Haec ille ad verbum. Quae certe non videntur in Societate toleranda: quia potius evacuant totam quantam quam est sacram, & irrefragabilem doctrinam SS. P. N. quae est etiam communis doctrina SS. Patrum. Nam hoc modo non plus datur auctoritati Praelati praecipientis in ordine ad iudicandam rem praeceptam esse licitam & iustam, & voluntati divinae conformem, quam amico, aut Theologo privato consulenti, & approbanti aliquid tamquam probabiliter honestum: quin etiam ad hunc effectum minor est auctoritas Superioris quam cuiuscumque alterius privatae personae, si Superior sit minus doctus. At hoc *non est Superioris vocem & iussa perinde ac Christi vocem excipere: non est Superiorem quicumque ille sit, loco Christi Domini agnoscere*, prout S. P. Ignatius praescribit, & probat ex Apostolo ad Ephes. 6. ubi iubet servos obedire dominis suis, sicut Christo; & ex verbis Domini, Lucae 10. *Qui vos audit, me audit*; & ex Bernardo, & aliis Patribus: *nam quidquid vice Dei praecipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus*, inquit Bernardus Lib. de praecept. & dispens. & infra: *Ipsum pro nobis, quem pro Deo habemus, tamquam Deum in his, quae aperte non sunt contra Deum, audire debemus*. Ergo per illum dicendi modum evacuatur penitus doctrina tradita a B. P. N. Ignatio, & a SS. Patribus, immo & ab Apostolo, & ab ipso Christo Domino tradita. Minor patet: quia negari non potest praeceptum Superioris, et iam minus docti, esse tamen magni momenti, ut nobis videatur tam probabiliter, immo & absolute censeri debere revera verum, rectum, & honestum quod iubet, si vere ipsum loco Christi Domini agnoscimus, & vocem eius, tamquam Dei vocem, excipimus: *siquidem illius personam refert, & cuius loco nobis est, cuius sapientia falli non potest, suppletque ipse quidquid nostro defuerit*, ut praeclare arguit B. P. N. Ignatius.

XXIV. Deinde, si non revocamur in persona Superioris hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, caritas infinita, qui nec decipi potest, neque nos vult ipse decipere, cum altitudo ipsius Dei amore, & ad huius normam obedientiae iugum subeamus, ut Superioris voluntatem sequendo, voluntatem ipsam divinam certius sequeremur, tanc fiducia bonitatis, & providentiae non videtur dubitandum, quin ministerio eorum, quos nobis praefecit, & quibus, tamquam sibi ipsi, voluit nos morem gerere, ita nos reget, & veris itineribus ducat, ut servando hanc regulam obedientiae in omnibus quae cum peccato manifeste coniuncta non sunt, numquam revera erremus, nec deviemus a prima, & summa regula omnis rectitudinis, quae est ipsa aeterna Dei ratio, & sapientia. Itaque etsi absolute falli possit Superior, tamen id non est umquam in particulari praesumendum, nisi de eo constet, eo quod singulari modo a Deo designatur, utpote ab ipso ad alios in via salutis dirigendos constitutus. Haec autem ratio non militat in quolibet alio privato Theologo, ex opinione sua probabili consulente, & approbante aliquid ut licitum, quod tamen ex aliorum sententia probabilius iudicatur esse illicitum. Neque umquam S. Ignatius hanc regulam tradidit, ut cuilibet etiam prudenti & pietate praestanti & sine ulla disquisitione attribuamus etiam contra alios vel eiusdem, vel superioris notae, & auctoritatis, qui censent rem esse illicitam, sicuti iubet VI. Part. const. cap. 1. Superiori in omnibus obedire, *omnia iusta esse nobis persuadendo, & iudicium nostrum contrarium caeca quadam obedientia abnegando*. Neque ullibi SS. PP. approbarunt, ut sine omni alia disquisitione credatur rectum, & honestum quod ab ali-

qui-

nullus tale esse docent, quando alii & sapientia, & numero pares aut majores tradunt esse malum ac divina lege prohibitum, tenetur universim laudare, & consulere cuilibet subdito, praesertim Religioso, ut vel sola auctoritate Superioris commotus sibi persuadeat bonum & expediens id esse quod jubetur facere, etiamsi quare & quomodo id bonum & expediens sit ipse non videat. Evidens ergo est, praeceptum vel voluntatem Superioris quicumque ille sit, magnam vim & momentum habere ut probabilius sit, imo ut unice probandum jam appareat subdito quod antea minus probabile ipsi apparebat: quia, ut Suarez expresse notat Lib. IV. de Relig. cap. XV. num. 21. ipsa auctoritas Superioris probabilitatem alterius partis multum auget. Ergo Scriptor ille negans praeceptum Superioris universaliter reddere directam rei veritatem verisimiliorem subdito, pessime dubio errat: & quod ait manifestum esse, praeceptum ad hanc apparentiam mutandam nullam vim habere, potius est manifeste falsum.

XXV. Sed inquiet aliquis: quid, si subditus dicat se non posse opinionem suam deponere & rem imperatam videri sibi certam? an ideo tunc non tenebitur obedire? Respondetur: si subditus mansuete proficere quaerat, non dicet rem esse dubiam, ut bene notat Card. de Lugo Lib. VII. Respons. Mor. cap. XVII. in fine, neque se opinari illicitum esse quod jubetur, sed esse manifestum peccatum, quo casu omnes ab obedientia excusantur. Et si quis non sit bene affectus & animatus erga Superiorum jussa, nihil facilius quam decipi, vel decipere seipsum, & sibi mendaciter credere malum quod non est tale, sicut & haeretici loquuntur de praeceptis Ecclesiae. Dicendum ergo est, si subditus vel quia non est bene animatus & affectus erga Superiorem, & erga omne id quod Superior jubet, vel ex vitiosa aliqua pertinacia, & nimis addictus ad suum proprium judicium non deponat opinionem suam, & fallatur, putans non esse licitum quod praecipitur, sicut semper praesumendum est ipsum revera tale, & non Superiorem, nisi de opposito certo constet: tunc nullo modo ab inobedientia excusari, sed utroque modo peccare: sive faciat contra propriam suam conscientiam, & opinionem, qua putat illud esse contra praeceptum Dei, sive non obediat Superiori, cum obedire obligatur: quia nimirum ab hac obligatione non absolvitur per errorem conscientiae vincibilem & culpabilem. Si vero subditus tenero, & sincere ac studiose intentus approbare quod Superior jubet & hanc etiam considerans, quod accedente praecepto Superioris jam non est pars tutior abstinere ab illa re, sicut prius erat, sed posse etiam peccatum incurrere non obediendo, nihilominus inculpabiliter perseveret in suo judicio, & dictamine, quod praeceptum Superioris contineat peccatum, & nullo modo [illegible]: tunc quidem non tenetur obedire, ut docet S. Thom. quaest. XVII. de verit. art. 4. quia *ligamen conscientiae etiam majus est quam praeceptum Praelati. Conscientia enim etiam erronea obligat, inquit, simpliciter, & perfecte contra praeceptum Praelati, ita ut ejus obligatio auferri non possit cum deponi non debeat, & quia eam sequens se immunem a peccato, quantumcumque Praelatus praeceptum fit in contrarium.* Sed tamen casus iste rarissime contingere potest. Idcirco recte notat P. Suarez Lib. XIV. de Relig. cap. II. num. 3. SS. PP. cum docent obediendum esse in omnibus rebus, ubi manifestum peccatum non cernitur, *moraliter esse loquutos, & ideo tradidisse absolutam regulam, quae vel est explicata vel generalis est, vel tam rarum & extraordinarium patitur exceptionem, ut moraliter absolute dari possit.* Addo etiam, neque credibile talem adeo irregularem contingere posse, nisi subditus habeat rationes quae rem esse aut moraliter talem, & humano modo certam. *Patres autem eo modo etiam cognitionem comprehendunt, quoties docent obediendum esse in omnibus, quae non constat, aut certum non est displicere Deo*, ut etiam expresse admonet idem

Suarez ubi num. 21 in fine. *Nam in eo casu, inquit, satis constat, satisque certum est, esse non sit omnino evidenter, sed humano modo certum & absolute verum sit, stante illo iudicio, non debere subditum obedire, ob dominans regula illa recte intellecta generaliter, & sine exceptione vera est.*

XXVI. In hoc vero notanda sunt duo. Primum est, Praelatos Regulares numquam iubere nisi sanctissima, de quibus ne opinari possumus quod contineant aliquam inhonestatem, vel peccatum. Omnes illae probabilitates, exceptiones, interpretationes, excusationes, & praetera ut non quaerantur contra praecepta Superiorum, quibus certo constat nullum subesse peccatum, & salva erit obedientia religiosa. Neque enim videmus umquam ab eis praecipi aliquid quod par, vel melior, frequentior, & probabilior apud DD. classicos opinio peccatum esse confiteatur. Et si talia praeciperent, non essent Superiores, sed tyranni: inde enim orirentur scandala, & assiduae disputationes, & altercationes inter subditos & Superiores, & [illegible] totius disciplinae regulae. At licet fieri possit, ut temeritate, & errore Superiorum praeciperentur ea quae ipse agnoscit probabilius esse Deo contraria, & a maiori & meliori parte DD. absolute damnari tamquam a Deo prohibita, non noceret subdito, nec quidquam de merito ipsius detraheret: quia esset error ipsi inculpatus, nihilominus reum Superiorem efficeret, sicut docet S. Augustinus lib. XXII. cap. lxxv. *Iustum virum si sub Rege etiam sacrilego militat, recte posse illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit certum non est, ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Certe omnis iurisdictio, & potestas, quam Praelati Regulares habent in subditos, ordinata est in bonum, & profectum spiritualem subditorum, & ad promovendum in ipsis perfectionis studium, & voluntatem placendi Deo in omnibus. Hic etiam est propria obedientiae finis ex parte subditorum, ut Superioris voluntatem sequendo, voluntatem divinam certius sequantur, proposita sibi voluntate, ac iudicio Superioris pro regula suae voluntatis, ac iudicii, quo exactius conformentur primae ac summae regulae omnis bonae voluntatis, ac iudicii, quae est aeterna bonitas, & sapientia, ut praeclare docet B. P. N. Ignatius. Everteretur autem hic totus obedientiae finis & ordo, si in rebus de quibus quaestio est, ubi sunt peccatum mortale, Superior vellet regere subditos per opiniones quae nec ab ipsis iudicantur magis verae quam falsae, idest non magis voluntati divinae conformes quam ei contrariae. Quare non est timendum ne Superiores ita inordinate procedant, ut velint subditos obligare ad ea quae probabilius agnoscunt a Deo esse prohibita, & a maiori, & meliori parte DD. absolute damnari tamquam mala.

XXVII. Alterum valde notandum est. Quicumque verum obedientiae religiosae zelum habet, in primis & ante omnia oportet ut zelum habeat obedientiae christianae, idest eius quam Christiani omnes habere debent respectu mandatorum Dei, & Ecclesiae, ac summi Pontificis. Haec enim mandata sunt prior, & potior christianae obedientiae materia, & sine hac obedientia frustra erit omnis alia obedientia, & subiectio respectu Praelatorum Regularium. At haec obedientia omnibus Christianis communis, & omnibus necessaria ad salutem, minus certe violatur per eam sententiam quae docet non esse licitum sequi quamlibet opinionem probabilem faventem libertati contra legem, etiam in occursu alterius probabilioris, aut aeque probabilis quae favet praecepto, quam per eam quae universaliter approbat usum cuiuslibet opinionis probabilis minus tutae, et minus probabilis: inde praeceptum Dei, vel Ecclesiae saepius violantur. Vix enim aliud est praeceptum divinum, & ecclesiasticum, quod non sit multis opinionibus, exceptionibus, interpretationibus, limitationibus & probabilitatibus obnoxium, quibus cha-

christiana obedientia, & disciplina valde relaxatur. Ac licet summi Pontifices, praesertim vero Alexander VII & Innocentius XI pro pastorali sua sollicitudine complures ejusmodi opiniones christianae disciplinae relaxativas damnaverint, sunt tamen tot interpretationes singularum propositionum, & novae inde probabilitates excogitatae, quae pontificia decreta labefactant, ut aliqui etiam dixerint omnia prorsus manere in eodem statu quo prius erant. Itaque per eam sententiam, quae opinionem quomodocunque probabilem, etiam contradicentem oppositae probabiliori & tutiori statuit esse rectam regulam, dubium non est quin praecepta omnia divina, & ecclesiastica magna ex parte evacuentur. Velle igitur eam regulam statuere hoc modo, ut subditus debeat obedire, quando etiam probabilius sibi fuerit illicitum esse quod praecipitur, non est obedientiae consulere, sed sub praetextu obedientiae relaxationem, & libertatem fovere. Neque certe Regulares uIla ratione velle possunt, strictius ligari subditos legibus suis, & praeceptis quam Christus Dominus, & Ecclesia & summi Pontifices obligent suos. Unde Superiores illi qui vellent pro mandatis Dei valere quidem aeque aut minus probabilia, pro suis non item, & nihili ducerent, si constitutiones & decreta summorum Pontificum aliter interpretentur, & sub praetextu probabilitatis frivolis rationibus eludantur; suas vero vellent sine glossis, & ad literam custodiri, ne merito essent in eo laudandi. Ita enim debent observantiam suarum constitutionum, & regum seu praeceptorum urgere, & eo diligentissimo studio insigniter, ut tamen non sit minor mandatorum Dei, & Ecclesiae, neque minor cura, & vigilantia in observandis summorum Pontificum decretis & mandatis. hanc enim obedientiam merito ante omnia nobis commendat S. P. Ignatius VI. Part. const. cap. I. primum, licet ut *recti simus omnes nervos virium nostrarum ad hanc virtutem obedientiae primo summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis exhibendam intendamus.*

§. III.

Ad alia tria incommoda quae ex negata libertate operandi aeque aut minus probabilia Rescribentes secutura videntur,

Responsio.

XXVIII. Tria haec incommoda quae PP. Revisores subjiciunt contra doctrinam libri de recto usu opinionum probabilium, omnia tendunt contra illud unum doctrinae punctum, quod liber diligenter tractat & probat, nempe intellectum non posse, etiam ex voluntatis imperio, absolute opinari, ac judicare verum quod omnibus inspectis apparet aeque aut magis probabiliter falsum. Quare opinionem visum est tria illa tam incommoda per modum unius proponere, ac diluere.

Sic igitur aiunt. *Ex hoc ea doctrina Auctoris sequitur falsum esse quod docet S. P. N. Ignatius in epistola de obedientia, nos ad perfectionem obedientiae requirere ut subditus conformet judicium suum cum judicio Superioris in omnibus in quibus veritatis evidentia non sit illi huius non refert. Tunc enim inquit, potest voluntatis pondere in hanc potius quam in aliam partem inclinari. Ponamus igitur, Superiorem praecipere subdito aliquid quod esse non evidenter, sed probabiliter potest esse illicitum: debet juxta S. Patrem submittere judicium suum Superioris judicio, & obedire ex imperio voluntatis, ut in rebus fidei. Hoc autem negat Auctor licere posse.*

XXIX. *Tertio sequitur, nullum fore proprie & formaliter haereticum, dum errat contra fidem. Aut enim suos errores videntur illi probabiliores veritati oppositae, vel e contra. Si primum, assentitur errori, qui videtur illi probabilior. Si secundum, assentitur veritati, & sic in neutro erit haereticus. Imo, inquit, quia nihil est frequentius in stantibus, quibus videntur veritates fidei sibi credibiles. Ergo error ipse contra fidem non est peccatum haeresis, sed peccatum tantum voluntatis submovendo in aliis neglecto.

ctu, quod non videtur sufficere ut quis dicatur formaliter haereticus, & pertinax.

XXX. *Quarto sequitur, non dari medium tenentium, cum unusquisque tenetur secundum id quod sibi probabilius apparet, nec possit ex levibus fundamentis induci ex prava affectu voluntatis contra dictamen, atque ita verè commune Theologorum effatum ex Aristotele* [illegible] *quo indicat, prout est affectus* [illegible] *ipsum* [illegible]. Hactenus ille.

XXXI. Sed ad haec omnia facilis, & sufficiens solutio erat: intolerabile omnino esse, quod Patres Revisores propter eiusmodi argumenta reprobarint librum de recto usu opinionum probabilium. Sunt enim eadem argumenta quibus P. Esparza & aliqui pauci Scriptores utuntur ad probandum, quod intellectus possit assentiri propositioni cuius oppositam videt esse aeque, aut magis probabilem. Quae tamen omnia etiam communiter afferuntur, & diluuntur ab illis Auctoribus qui tradunt sententiam contrariam, & diluuntur quoque hic, & fuse ab Auctore lib. de recto usu opinionum probabilium. Ostensum autem est supra paragrapho 1 hanc esse sententiam longe communiorem inter DD. Societatis, sicuti etiam communior est inter Thomistas. Non ergo per hanc causam debuit reprobari liber, quandoquidem certum est, Revisores librorum non debere in reprobandis, vel approbandis libris pro regula & norma sequi doctrinas, & opiniones suas particulares, quinimmo graviter peccaturos contra munus suum & officium, si librum aliquem reprobent propter doctrinam aliquam communissime in scholis receptam, etiamsi ipsi non reputent illam esse veram. Certe non dubium est quin ab omnibus rideretur, & contemneretur ille revisor, vel doctrinae censor, aut iudex, qui librum aliquem reprobaret, aut prohiberet propter hanc causam, quia scilicet tradit intellectum non posse absolute iudicare verum quod omnibus inspectis non magis ei apparet verum esse quam falsum, praesertim cum haec sententia non solum sit longe communior quam opposita, sed etiam censeatur expresse tradita ab Aristotele, ac D. Thoma, & multi non solum probabiliorem eam reputent, sed etiam certam, & evidentem. Quare neque opus erat ut ad ista illa incommoda, vel absurda quae PP. Revisores praetendunt ex ea sententia sequi, aliquid hic denuo diceretur ultra ea quae Auctor habet in suo libro, sed tamen ut appareat, quam sit inconsulta eorum censura, dicemus etiam denuo aliquid ad singula.

XXXII. Ad illud igitur quod obiiciunt ex doctrina S. P. N. Ignatii in epistola de obedientia, respondeo imprimis manifestam esse imposturam, quod PP. Revisores dicunt, nempe Auctorem negare ea fieri posse quae a S. Ignatio praescribuntur, scilicet subditum conformare iudicium suum cum iudicio Superioris in omnibus in quibus veritatis evidentia [illegible] non inest, & consequenter submittere etiam iudicium suum Superioris iudicio, & obedientiam ex imperio voluntatis, etiam cum Superior praeciperet aliquid quod subdito probabilius videretur esse illicitum. Non enim Auctor negat haec fieri posse, ut falso illi [illegible], sed potius expresse docet, fieri posse ac debere. Negat quidem haec fieri posse eo modo quo P. Esparza imaginatur, ac fingit debere fieri, sed tamen certo & indubitanter affirmat haec fieri posse, ac debere eo modo legitimo quo ipsum explicat S. P. N. Ignatius in eadem epistola, a cuius sancti doctrina quam procul absit sententia PP. Revisorum, constat ex paragrapho praecedenti.

XXXIII. Deinde respondetur, in tota ea obiectione nihil aliud contineri quam meram aequivocationem & hallucinationem. Prima aequivocatio & hallucinatio est, quod putant idem esse, *intellectum voluntate pendere in hanc potius quam in aliam partem inclinare, ac determinari ad assensum unum prae alio*, quae tamen duo sunt valde inter se diversa, ut patet, quia ex vi mo-

motivorum magis inclinatur intellectus in eam partem pro qua habet fortiora, & validiora motiva, quam in aliam partem, pro qua sunt motiva debiliora, & minoris ponderis, ac momenti: & tamen quando ex motivis magis inclinatur in unam partem quam in aliam, non ideo intelligitur determinatus ad assentiendum ex vi motivorum, sed indiget voluntatis imperio ipsum determinante. Est ergo verissima & indubitata doctrina S. P. N. Ignatii: quod licet intellectus non ea qua voluntas pollet libertate praeditus sit, sed ipsa natura feratur eius assensus in id quod sibi veri speciem praebet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitae veritatis evidentia vim sibi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potius quam in aliam partem inclinari. Quae ubi cum incidant, debet quisquis obedientiam profitetur, inclinare se in sententiam Superioris. Sed tamen inde non sequitur, posse intellectum ex voluntatis imperio determinari, ut verum putet quod omnibus inspectis non magis sibi veri speciem praebet quam falsi. Neque id unquam intendit S. Ignatius. Solummodo ergo id vult, ut ex inclinatione voluntatis & ex affectu, ac studio approbandi quod Superior mandat, ac sentit, intellectum omne applicari posse ac debere ad rationes & motiva quae illam partem suadent, quo fiet ut ea pars appareat subditis longe probabilior, & absolute approbari possit, ac debeat, ut paragrapho praecedenti late a nobis explicatum est.

XXXIV. Altera fallacia nunc consistit in eo quod facultatem absolutam conformandi iudicium nostrum cum iudicio Superioris confundant cum libertate immediate imperandi nobis assensum cuiuslibet partis etiam illius quae minorem speciem veri praebet quam falsi, & putent S. Ignatium immediatam hanc libertatem agnovisse, & tradidisse, qua voluerit ut subditus approbet, tamquam rectum, & verum quod Superior iubet ac sentit, retinendo simul iudicium, quo censeat probabilius tamen esse, & magis prudentius, ac rationi conformius quod videtur ipsi subdito quam quod Superior iubet. Quod tamen falsum omnino est & ipsi expressae doctrinae S. Ignatii, & perfectioni obedientiae quam tuetur ac urget, evidenter contrarium. Falsum est quod S. P. agnoverit hanc libertatem, qua in omnibus opinabilibus liberum nobis sit opinari quamlibet partem contradictionis etiam minus probabilem, ut est nobis unicuique tantummodo scribere vel legere: quaestio enim esset illud proponendum: *Valde in vos Fratres carissimi, animo devotis de virtute quidem benesire conspirare sibi idem cum Superiore sentiendo, ita non ambigere, illud vero ut cognoscatis vehementer optare, quo pacto ad eius perfectionem pervenire possitis.* Nam certe posita ea immediata libertate, ac facultate frivola esset eiusmodi inquisitio & sollicitudo, sicut frivolo quaereret, & vehementer appeteret aperiri quo pacto ad hoc pervenire possum, ut a scribendo vel legendo cessem. Patet a quo S. P. ut propositam hanc quaestionem responderet, nullatenus ad hanc immediatam libertatem opinandi, & approbandi minus probabile recurrit quam tamen obviam ac brevem solutionem expeditissimamque tradere debuisset, si existimasset hoc fieri posse pro ut quo volumus ipso, cum modum & viam tradit quo id fieri posse quod ipse tantopere commendat ut scilicet subditus iudicium suum conformet cum Superioris iudicio, tres rationes efficacissimas adhibet quas nos paragrapho praecedenti expressimus, & omnes illae eo tendunt, ut subditus sibi persuadeat se errare, & non Superiorem, saltem esse subditos talis quam Superiores, ideoque magis esse praesumendam veritatem in Superiorum iudiciis quam in nostris. Revocat ergo subditum ad iudicandum cum Superiore quod hoc est verum & contrarium falsum, non quod voluntas quasi ad recte iudicandum sufficiat pro ratione voluntas & demum, quod credere vera esse, & recta quae Superior sentit, ac iubet, credendo simul ea esse minus probabilia, & minus rationi conformia quam

quam

quam opposita, proculdubio est contra perfectionem obedientiæ: non enim hæc esset vera mentis subjectio, sed simulata credulitas, neque esset æstimare judicium Superioris supra nostrum proprium judicium, sed nostrum potius ei præferre. Unde si quis expresse diceret: ego quidem ex voluntatis placito accedo ad Superioris sententiam, eique judicio acquiesco, sed tamen agnosco probabilius esse quod ille errat: ab omnibus censeretur simulare potius quam habere sinceram mentis obedientiam, & conformitatem cum Superioris judicio. Igitur modus informandi intellectum nostrum ad sensa Superiorum non est determinando ipsum ut credat esse recta, & vera ita ut simul judicet esse minus probabilia, & minus verisimilia, sed ad illa, tamquam errori minus obnoxia, intellectum promovendo, & tamquam probabiliora approbando.

XXXV. Ad illud autem de hæretico me sere posset respondere. Arguunt scilicet PP. Revisores nullum fore proprie & formaliter hæreticum, dum errat contra fidem, si error suus illi videatur probabilior, & consequenter, ut aliquis dicatur formaliter hæreticus, & pertinax, volunt necessarium esse quod ipse agnoscat, & videat sectam suam esse minus probabilem, & minus credibilem quam religio & fides Ecclesiæ Romanæ. Hoc autem penitus est excusare omne peccatum hæresis, & infidelitatis, & velle ut nullus sit proprie & formaliter hæreticus, aut infidelis: tum quia nullus hæreticus, vel Judæus, aut Mahumetanus est vivus, & in corde, cui sua hæresis, vel religio non appareat, & censeatur probabilior & magis probanda quam fides Ecclesiæ catholicæ, & Romanæ, tum etiam quia si nullus peccet formaliter peccato hæresis, & infidelitatis, quoties error suus videatur illi probabilior, ergo nec etiam peccabit, si error suus videatur ei probabilis, idest approbatione dignus: nam in ordine ad prudenter agendum, & peccatum vitandum perinde valet opinio minus probabilis, ac probabilior, ut PP. Revisores volunt. *Ergo ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili*: quæ est 4. propositio damnata ab Innocentio XI. & nullus erit hæreticus qui peccet credendo hæresi sibi propositæ, quandoquidem nullus est qui non affirmare possit, sibi sectam suam videri probabilem, cum actu illam approbet, & accipiat ut veram. Neganda igitur est consequentia illud a Revisoribus illatum, scilicet, nullum fore formaliter hæreticum, dum errat contra fidem, si error suus videatur illi probabilior. Quippe ipsi nulla ratione probant hanc sequelam, neque ulla umquam ratione probare poterunt. Forte dicent, neminem peccare posse sequendo id quod probabilius ipsi videtur, & hoc esse certum apud omnes. Sed distinguendum est. Nam omnes quidem dicunt, & recte dicunt, non posse aliquem licite peccare sequendo id quod probabilius sibi videtur. At nemo, nisi Theologiæ prorsus ignarus, dicere potest, eum non posse per ignorantiam culpabilem, & erroneam peccare qui sequitur quod vel probabilius, vel etiam certum, & evidens sibi videtur, male tamen videtur ex vitio, ac culpa sua: quo pacto omnibus corde hæreticis & infidelibus hæresis sua & religiones probabiliores, & veræ & sanctæ videntur per errorem, & cæcitatem culpabilem. Error igitur contra fidem est voluntarium & formale peccatum hæresis, aut infidelitatis, quamvis hæretico videatur suus error probabilior, quia hoc totum provenit ex vitio, & culpa sua, qua negligit inquirere diligentia, qua [illegible] res tanta debet, quænam sit vera religio, & vera fides: [illegible] enim ita veritatem inquireret, proculdubio Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, & qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & qui promisit expresse: *Quærite, & invenietis* &c. eum illuminaret, ut videret solam religionem catholicam esse veram, & solam esse prudenter credibilem, & credendam.

XXXVI.

XXXVI. Sed replicant PP. Revisores: *Ergo error ipse contra fidem non est peccatum haresis, sed peccatum consistit solummodo in illa neglecta inquirendi veritatem seu rationes, quibus redderetur veritas fidei credibilis, quod non videtur sufficere, ut quis dicatur formaliter hareticus, & proinde non.* Verum hæc replica est pejor ipso argumento, & multiplicem errorem supponit, ac miscet. Supponit enim 1. peccata illa quæ fiunt ex ignorantia, vel errore culpabili, non aliam malitiam formalem, vel rationem peccati continere præter eam quæ in antecedenti negligentia consistit. 2. supponit proprium & formale peccatum hæresis, quæ in ipso errore intellectus situm est, debere esse immediate ac directe in se ipso voluntarium, & sic neminem posse formaliter & proprie esse hæreticum qui non cognoscat se hæreticum esse. Supponit 3. cum evidenti judicio credulitatis, proxime requisito ad fidem, cohærere posse dissensum, & errorem quo quis persuadeat eam esse falsam & contrarium aliquam sectam amplectatur ut veram. Quæ omnia, licet a P. Esparza admittantur, & supponantur ut certa, tamen, bona ipsius venia, sunt certo falsa. Nam quoad primum attinet, Theologi omnes, dum quæritur, cujus speciei sit peccatum per ignorantiam commissum, inconstanter affirmant, esse ejusdem speciei cum peccato scienter commisso, v. g. speciei usuræ, vel simoniæ. Ergo peccatum illud non consistit in sola negligentia addiscendi quæ quis scire tenetur, sed in actu postea per ignorantiam facto: nam peccatum negligentiæ non est peccatum usuræ, vel simoniæ, ut patet. Est ergo certo falsum, & contra omnem Theologiam dicere, quod peccata per ignorantiam commissa non contineant aliam veram, & propriam malitiam, vel rationem peccati præter eam quæ in negligentia consistit.

XXXVII. Quoad 2. ipsi liet, proprium & formale peccatum hæresis, cum in ipso errore intellectus consistat, solummodo posse esse indirecte, & in causa voluntarium, non vero posse esse in se ipso immediate volitum, & cognitum: quia nemo scienter fallitur, ut est evidentissimum, neque alius errat, advertens & agnoscens se errare: nam qui agnoscit se errare, jam eo ipso deponit errorem suum. Hinc optime advertit Malderus Episcopus Antverpiensis in 2. 2. quæst. 11. art. 1. memb. 2. in fine, *neminem posse hæreticum esse qui fateatur, aut judicet se esse hæreticum. Si enim judicet esse errorem quem teneat, jam deserit eum tenere. Oportet ergo* (inquit) *qui hæreticus est, ignoret se errare, alioquin non errat, quia quæritur error non constituat errantem. Neque tamen invincibiliter illud ignorat, & ideo a peccato & hæresi non excusatur.* Celebre est etiam illud Salviani dictum Lib. V. de Provid. ubi de Africanis disserens ait: *Hæretici ergo sunt, sed non scientes. Nam in tantum se Catholicos judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ appellationis infament. Quod ergo illi nobis sunt, hoc & nos illis. Nos eos injuriam divinæ generationi facere certi sumus, quod minorem Patre Filium dicant; illi nos injuriosos Patri existimant, quia æqualem esse præsumimus* &c. Atque hoc plane modo errantes omnes sive hæretici, sive infideles, corde affecti sunt. Certo se errare non putant, neque hæresi ut hæresi assensum præstant, sed hæresim potius veritatem existimant, & misere decipiuntur. Pertinacia vero ad hæresim requisita, ut omnes Theologi statuunt, & uno verbo explicat Card. Toletus Lib. IV. Sum. cap. 11. consistit in eo quod quis *sciat* illud quod affirmat, & tenet esse contra Ecclesiam, sive contrarium ei quod tenet Ecclesia ut de fide. Unde si quis erat in iis quæ fidei sunt, quia nescit esse contra Ecclesiam, paratusque est credere quod credit Ecclesia, non est hæreticus. Ceterum, ut Theologi etiam passim advertunt, ad pertinaciam hæresis propriam non requiritur ut quis judicet illud esse falsum quod a vera Christi Ecclesia credendum proponitur: sic enim nullus, aut vix nullus esset vere hæreticus: nam communiter o-

mnes

tinnea putant, Ecclesiam, a qua discedunt, & cujus auctoritatem ipsi contemnunt, non esse veram Christi Ecclesiam, neque regulam fidei infallibilem, alioquin jam agnoscerent se errare, & consequenter non errarent. Sufficit ergo scire eam doctrinam quam negant, doceri ab Ecclesia quam tenentur scire esse veram Ecclesiam, & infallibilem fidei regulam cui omnes Christi fideles parere debeant, quæ scilicet sola est Ecclesia catholica Romana.

XXXVIII. Jam vero quod spectat ad ultimam illam suppositionem, nempe quod habens judicium credulitatis proxime requisitum ad fidem, non solum possit libere suspendere assensum fidei, sed etiam possit dissentire, & credere oppositum, hoc sane est evidentissime falsum. Primo, quia judicium evidens credulitatis fidei contra omnes est, quas fides Ecclesiæ catholicæ proponit, tamquam evidenter prudenter credendas, & credenda: omnis autem alia fides vel secta, aut religio evidenter incredibilis. At in sensu composito hujus cognitionis nemo potest amplecti contrariæ sectæ, ... nemo corde dicere potest: Calvinismus est mihi evidenter incredibilis, & tamen credo Calvinismum: quia incredibile non aliud significat quam quod nullo modo verum esse posse videtur. At omni aliquid credenti verum videtur quod credit. Ergo nulli aliquid credenti, incredibile videtur esse quod credit, & multo minus videre potest evidens incredibile. Repugnat ergo aperte ut in sensu composito ejus cognitionis quæ præerequiritur ad fidem, amplectatur aliquis sectam oppositam. Secundo etiam, quia ante assensum fidei præerequiritur aliqua notitia de existentia revelationis, sine qua scilicet dari non potest dictamen prævium evidens, quod res ut certa, & indubitata fide credenda, tamquam a Deo dicta. Immo cum notitia duntaxat probabili revelationis divinæ non stat assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem. Unde requiritur judicium saltem moraliter certum, excludens omnem formidinem, quod forte Deus doctrinam fidei non revelaverit. Et contraria propositio damnata est ab Innocentio XI. At cum judicio certo, immo cum judicio solum probabili, aut opinativo, quod Deus revelaverit mysteria fidei, incompossibilis essentialiter est dissensus mysteriorum, ut patet: quia nemo sciens Deum non posse fallere, aut falli, potest simul judicare aliquid esse a Deo dictum, & tamen esse falsum, alioquin judicaret simul contraria, aut contradictoria. Ergo cum judicio credulitatis fidei non cohæret libertas proxima, & immediata ad dissensum.

XXXIX. Est ergo fides immediate & proxime libera quoad exercitium, & assensum, sed tamen non est immediate & proxime libera quoad speciem: ita ut enim quod Deo credit, possit homo contrarium sibi persuadere in sensu composito cum evidenti notitia credibilitatis prævio requisito ad fidem. Quinimmo repugnat ut homo certo judicans, & evidenter agnoscens se teneri ad credendam doctrinam fidei catholicæ, tamquam a Deo revelatam, nihilominus, stante hac dispositione, pro suo libito reputet eam falsam. Cæterum quia illa eadem evidentia credibilitatis potest vitio & culpa hominis multipliciter impediri, & semel habita obscurari & amitti, idcirco fides abstracte & simpliciter est etiam libera quoad speciem. Hæretici autem, & infideles, licet evidentiam hanc credibilitatis fidei nostræ non agnoscant, sed impediant, non ideo excusantur a peccato formali infidelitatis, & hæresis: quia, ut formaliter, & voluntarie peccent contra fidem, sufficit quod absolute possint, & teneantur fidem nostram amplecti, & nihilominus illam sibi propositam respuant. Atque ut teneantur absolute fidem nostram amplecti, non requiritur quod evidenter agnoscant illam fidem esse credendam tamquam a Deo traditam, sed sufficit ut hanc ipsam notitiam comparare possint adhibita diligentia ad quam tenentur. Sic itaque omnes hæretici qui numquam diligunt Deum ex vera charitate super omnia formaliter, peccant contra præceptum caritatis: non quia in

in sensu composito haeresis fieri possent diligere Deum caritate perfecta, alioquin possent justificari sine fide, quod est impossibile, sed quia possent absolute & simpliciter amplecti veram fidem, & habita hac, ad quam tenentur, possunt diligere Deum actu supernaturali dilectionis perfectae super omnia.

XL. Jam ad illud quod PP. Revisores objiciunt de judicio temerario, facillima quoque & obvia solutio est, & ab Auctore hoc de recto usu opinionum probabilium late explicata. Scilicet unumquemque posse judicare secundum aliquid probabilius sibi apparet, sed tamen hoc non tollere quod saepe temere judicemus, & ex fundamentis quidem reipsa levibus; at solum probare quod fundamenta reipsa levia possint nobis videri gravia propter affectionem aliquam pravam, & propter vitium praecipitationis, ex quo subinde contingit, nos multa cito, & sic temere credere. Falsum vero est quod objectio supponit, nempe, temere judicantem, dum temere judicat, agnoscere judicium suum esse temerarium & imprudens, & non gravi, sed levi fundamento conceptum. Et ratio est manifesta. Nam si quis, dum temere judicat, agnosceret se temere judicare, idque mentaliter diceret, per hoc ipsum, & per hanc propriam confessionem statim proximo honorem restitueret. Nam diceret, se levibus indiciis, & insufficientibus judicare; unde diceret se male judicare, & sic nullo modo proximum laederet, aut honorem proximo suo auferret simul, & restitueret, eumque simul damnaret, & absolveret. Nam certo, quoties nos ipsi absolvere eum volumus, & nos ipsos damnare & accusare in confessione, quia male de proximo judicavimus, nihil aliud dicimus, quam contra eum temere sensisse, & insufficientibus indiciis nos judicasse. Atque hoc pacto nostrum ipsum judicium temerarium deponimus ac damnamus, proximum vero absolvimus. Ergo si hoc ipsum adesset in mente temere judicantis, tam esset in ejus aestimatione honor proximi laesus, detentus, & approbatus. Nam ergo laesus. Itaque verissimum est nos saepe reos temerarii judicii, quia interim non levibus tantum, sed levi duci ad male sentiendum de proximo; sed numquam judicium temerarium formatur propter motiva levia, quorum levitas, & insufficientia sit nobis cognita: nam potius judicanti apparent gravia suo loco. Unde optime S. Thomas advertit, & explicat 2. 2. quaest. 60. art. 3. hoc peccatum ex prava nostra mala dispositione nasci: quae prava dispositio facit ut res nobis aliter appareant quam sunt: in quo timendum est plurimum: nam quotquot mundo corde non sumus, neque satis ab inordinatis passionibus odii, superbiae, & invidiae liberi, multipliciter & facile in illud labimur.

XLI. Duplicem malam dispositionem assignat praecipue S. Doctor. Prima, quod quis in se ipso malus est: & ex hoc facile de aliis malum suspicatur, quia eos sibi similes reputat, juxta illud Eccles. 10. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat.* Haec scilicet esse solet nostra superbia quod in bono nullus nobis similis videatur, in malo autem omnes similes, aut pejores videntur. Secunda dispositio & causa est, quod quis male affectus sit erga proximum vel propter invidiam, vel propter offensionem aliquam. Haec enim prava affectio invidiae, vel odii, velut quoddam praestigium facit res omnino aliter apparere, & mala proximi in majus semper augeri, bona fere in nihilum redigi, facit insuper ut ea quae contra proximum sunt libenter audiamus, & e contrario negligamus ea quae ad ejus probitatem statuendam conferunt. In quo peccatur plurimum, & oportet ut caute omnes ambulemus. Nam, ut ait S. Ambrosius, si invidia etiam Sanctos adussit, quanto magis cavendum est ne inflammet peccatores? Temere igitur judicamus, & ex fundamentis reipsa levibus, quae tamen non levia sed gravia nobis videntur propter pravam nostram dispositionem, inconsiderationem, & praecipitationem.

XLII. Quocirca neque Auctor libri de

de recto usu &c. neque ullus omnino dubitat de veritate illius effati Aristotelici, *qualis unusquisque est, talem ei videri finem*. Nam v. g. abstinenti & temperato foedissimum apparet inebriari, at nimio vino affectis vix quidquam in eo absurdi, vel foedi apparet. Et sic experientia omnes demonstrat, quales intus affecti sumus, nobis cuncta videri pulchra aut foeda, bona aut mala, vera aut falsa. Sed hallucinatio adversariorum consistit in eo quod non distinguant statum & qualitatem rerum in seipsis, & statum ac modum apparentiae quam habent in intellectu. Unde quia voluntas, eo usque bona vel mala dispositio intellectum ipsum immutat vel pervertendo vel rectificando, facitque saepe ut minus probabilia appareant, & videantur probabiliora, inferunt ipsi, & censent, quod voluntas intellectui immediate & pro libito iubere possit, ut quae minus fundata videt, credat, respuat vero, falsaque habeat quae censet magis fundata & magis verisimilia: quae conversio est evidenter nulla & contra omnem rationem, & experientiam. Intellectus igitur absolute potest credere, & opinari non solum minus credibilia, & probabilia, sed etiam omnino improbabilia, potest censere gravia quae sunt prorsus levia, & putare vera quae sunt evidentissime falsa: apparent enim ei ea ignoranti, & errore modo contrario ac sunt in se. At, cognita vanitate & levitate fundamentorum, aut saltem levitate sui iudicii non magis potest ei adhaerere ex voluntatis imperio quam visus ferri potest in eam lucis & coloris experientiam? est enim essentialiter addictus vero, sicut voluntas bono & visus colorato, ita ut e sola ratione veri sibi proposita & apparente moveri possit. Idcirco neque prudenter neque imprudenter potest simul iudicare contraria aut contradictoria, quae advertat esse talia. Non potest vero ferri ex aliquo fundamento assentiri ultra quam illud fundamentum movere putat. Neque hominum dictis inhaerere tamquam a Deo revelatis neque incertis tamquam per se notis. Nequit tandem ea quae videt esse levia, pro gravibus habere, nec illis plus moveri quam ea mereri aestimat, alioquin aestimaret ea esse levia, ut supponitur; & simul aestimaret esse gravia, ea pro gravibus acceptando, & ipsis tamquam gravibus inhaerendo: quod perinde esset ac si eamdem rem simul parvam, & magnam aestimaret.

XLIII. Ex quibus omnibus constat, vana esse argumenta quibus PP. Revisores contendunt, necessario admittendam esse libertatem physicam opinandi quae omnibus inspectis apparent esse minus verisimilia, & consequenter ex hoc capite immerito ab illis reprobatum fuisse librum de recto usu &c. Praeterquamquod admissa ea facultate tyrannica flectendi intellectum in eam partem quae minus probabilis ab eo esse cognoscitur iudicium inde resultans non potest non esse temerarium, stultum, & imprudens, ut patet in affectu quo haereticus asseverat errores contra fidem, & in iudicio quo quis temere iudicat de proximo suo. Ergo ex eo quod possibile sit tam perversum iudicium, adhuc non sequitur quod PP. Revisores intendunt, scilicet intellectum posse ex voluntatis imperio recte & prudenter iudicare verum quod minorem veri quam falsi speciem habet, & reprobare ut falsa quae videat esse magis fundata & verisimilia. Quae certe sententia non solum falsa, sed iniuriosa est suis Auctoribus. Nam si fatererentur ipsi prudenter, & honeste se posse sentire, & docere quae minus fundata, & verisimilia sibi videantur, & impugnare ac evertere quae videant esse vero propiora, probabiliora, & firmius stabilita, nulla iam fieret ipsis iniuria si quis diceret, eos in hac ipsa controversia minus probabilia quae talia etiam iudicarent, docuisse, edidisse, vulgasse, non quae probabiliora, & veriora visa sunt, & consequenter reprobasse librum de recto usu &c. praecise quia voluerunt flectere in hanc partem suum intellectum, ac iudicarunt, etiamsi forte viderent, graviora, & maiora esse motiva ad illum approbandum, quam ad reprobandum.

§. IV.

§. IV.

Ad aliud incommodum, vel absurdum a Revisoribus obiectum

Responsio.

XLIV. **Q***Uinto*, inquiunt PP. Revisores, *si requiritur veritas realis, & non sufficit prudenter existimata ad recte operandum, sequitur, eum qui obedit Superiori, aliquid quod reipsa est malum, bona fide præcipienti, non recte operari, atque adeo perdere meritum obedientiæ. Docet enim Auctor, quotiescumque aliquis operatur ex conscientia erronea invincibiliter, excusari quidem a culpa, sed tamen operationem eius numquam esse honestam, & meritoriam, quod est contra communissimum hominum sensum, quamvis Auctor ex DD. Thoma, & Bernardo male intellectis id probare contendat*. Hactenus illi.

XLV. Sed hic quoque Revisores decepti sunt, neque satis rem examinarunt, ut recte iudicarent. Nam 1. quidem ex doctrina Auctoris minime sequitur, eum qui obedit Superiori præcipienti aliquid reipsa malum, quod tamen ille invincibiliter putat esse bonum, eo ipso perdere meritum obedientiæ: solum enim sequitur, opus illud præceptum, quod ex conscientia erronea invincibili putatur esse bonum, non esse verum bonum, sed tantum putative in existimatione falsa. Hoc autem non tollit quod subditus, ex virtute obedientiæ imperans sibi tale opus, habeat obedientiæ suæ laudem, & meritum. Nam, ut optime docet Zaccharias Pasqualigus de sacra morali doctrina disp. lxiii sect. xiv. alter. 2. quando actus ex conscientia erronea invincibili imperatur a caritate, aut ab alia virtute, tunc voluntas bene operatur ratione intentionis, & actus imperatus est bonus ex fine, licet non ex obiecto. Ratio est, quia, inquit, opus procedens ex conscientia erronea invincibili, licet non sit vere bonum, sed malum, est malum tantum materialiter, non vero formaliter, & imputative. Ergo si procedat ex recta intentione, erit bonum ratione finis. Probatur consequentia: quia voluntas circa finem est bona, & sua bonitas non inficitur a voluntate circa obiectum, quia malitia ipsius, cum non sit cognita, non contrahitur a voluntate: ergo non est cur non dicatur bene agere, & mereri ratione intentionis bonæ. Quæ doctrina confirmari potest ex D. Bernardo capite XIV. de præcepto & dispensatione: *Et quidem laude dignam dixerim etiam intentionem piam, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas*. Idem colligitur ex epist. LXXVII. ad Hugonem de S. Victore, in qua ille probat ex Scripturis sæpe a nobis peccari posse per ignorantiam. Nam inter alia hoc argumento utitur. *Si peccatum ignorantia nullum est, non ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam ignorans hoc fecit manens in incredulitate. Bene itaque fecit, cum quod erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, quod erat spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, in hoc quippe abundantius æmulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere, Misericordiam consecutus sum, sed mercedem recepi: quippe ignorantia a peccato reddebat immunem, insuper & æmulatio remunerabilem iudicabat*. Ubi manifeste supponit, quod, si ignorantia Pauli fuisset invincibilis, ipsamque a peccato reddidisset immunem, Paulus fuisset etiam mercede dignus, non quidem propter ipsam persecutionem Ecclesiæ, sed propter bonam intentionem, & zelum, ex quo illa oriretur. Nam tunc malitia persecutionis invincibiliter ignorata non imputaretur, neque vitiaret intentionem ex se bonam, ac proinde maneret intentio remuneratione digna, & laudaretur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas.

XLVI. Itaque dum alicui proponitur per errorem invincibilem, ut honestum, quod est intrinsece malum, vel cum præceptum Superioris proponitur subdito invincibiliter ut rectum & æquum, cum ta-

tamen reipsa sit Deo contrarium, tunc interveniunt duo dictamina. Aliud est universale verum, quod scilicet facienda sint quae Deo placent, & quae Superior jubet, ubi contraria Deo non praecipit; & affectus procedens ex tali judicio universali vero, & ipsi conformis potest esse honestus, & supernaturalis, & proprius caritatis, vel obedientiae, & consequenter etiam meritorius. Aliud est judicium particulare falsum, quod talis determinate res, v. g. mendacium, placeat Deo, vel quod tale praeceptum Superioris non sit Deo contrarium, sed ejus legi, & voluntati conforme, & ideo exequendum; & affectus & actus huic judicio falso conformis, in quantum talis est, & circa talem determinate materiam est, non potest esse vere honestus, neque supernaturalis, sed potius semper est malus, etiamsi ejus malitia invincibiliter ignoretur; nam ideo intellectus errat, quia putat esse honestum, ac Deo placens quod non est tale, sed potius vere malum, & vere discordans a prima & universali regula omnis honestatis, quae est lex aeterna Dei. Quod si ignorantia, & error vincibilis sit, & culpabilis, tunc neque intentio poterit esse meritoria; nam cum peccato non potest esse meritum gratiae, & gloriae etiam per diversos actus. Neque intentio ipsa poterit esse bona, vel saltem non poterit esse perfecta, & ex vera caritate procedens, quae totum corpus lucidum faciat. Nam vera & efficax Dei dilectio non cohaeret cum negligentia, vel ignorantia graviter culpabili.

XLVII. Jam vero doctrina Auctoris, nempe quod actus conformis conscientiae erroneae invincibiliter dictanti aliquid esse bonum quod reipsa est malum, non sit vere honestus, & meritorius, nullo modo est contra communem hominum sensum, ut PP. Revisores supponunt, sed potius est doctrina verissima, de qua S. Thomas supponit, & tradit nullam esse posse dubitationem apud intelligentes. Nam quaest. XVII. de verit. art. 4. . . . docet, intelligentiam quaestionis esse, velle quod actus, aut voluntas conformis conscientiae erranti sit recta. *Sed quia hoc dicunt*, inquit, *non videntur intelligere quid sit conscientiam erroneam ligare. Secundum hoc enim ligare dicitur quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrat, non autem hoc modo quod aliquis implens recte faciat.* Et ratio est clara: quia, cum conscientia erronea non sit recta, sed erronea, videtur sane terminos non intelligere qui per conformitatem ad illam quaerit rectitudinem actus. Nam implicatorium in terminis est, aliquid fieri rectum per conformitatem ad non rectum. Ideo Angelicus Doctor 1. 2. quaest. XIX. art. 6. quaerens, utrum voluntas concordans rationi erranti, sit bona? respondet, sensum hujus quaestionis solum esse, utrum conscientia erronea excuset. Unde distinguens errorem in voluntarium, & involuntarium, docet involuntarium vere excusare, sed quod actum reddat bonum, & laudabilem, nullibi affirmat, sed potius expresse negat ibidem ad 1. docens ex D. Dionysio, quod bonum causatur ex integra causa, malum vero ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc quod dicatur malum id in quod fertur voluntas, sufficit quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum, sed ad hoc quod sit bonum, requiritur quod utroque modo sit bonum.

XLVIII. Quod ad alios Theologos spectat, antiqui hoc solum docuerunt, ignorantiam invincibilem excusare a peccato, utrum vero actus ex illa secutus positive bonus & honestus sit, non tractaverunt. Posteriores vero Theologi communius dixerunt, actum illum, qui per errorem invincibilem existimatur bonus, evadere bonum & honestum, sed tamen neque rem satis examinarunt, neque ullo modo probarunt. Imo nec sibi saltem proposuerunt rationem illam discriminis assignatam a D. Thoma inter actum bonum, & malum, sed supposuerunt parem esse rationem utriusque, in quo sane decepti sunt. Alii vero qui magis diligenter & accurate quaestionem tractarunt, expresse docent, actum,

actum, quem vocant materialiter malum, ex ignorantia invincibili factum, non esse vere bonum, & propterea non esse a Deo [illegible]. Ita Didacus Ruiz de Montoya disp. [illegible] de voluntate Dei [illegible] probat, ab homine materiam peccati [illegible] velut quæ fieret ex necessitate [illegible], ut ignorantia invincibili, non posse causari a Deo. [illegible] autem est omnem voluntatem, & operationem bonam ac honestam causari a Deo. Videatur quod habet ibi sect. [illegible] num. 33. Granadus [illegible] controvers. disp. VIII. sect. [illegible] docet, [illegible] qui ex errore [illegible] continere [illegible] deformitatem, indignitatem, ac monstrositatem, [illegible] non posse esse supernaturale [illegible] a Deo tamquam a causa particulari. [illegible] sequitur, cum non posse esse meritorium gratiæ, & gloriæ. [illegible] Coninch de actibus supernaturalibus Part. III. d. [illegible] [illegible] ex obiecto [illegible] est vere moraliter mala, etiamsi non habeat rationem culpæ, nec possit operanti ad pœnam imputari. *Hanc sententiam [illegible] inquit, [illegible] tenent, qui distinguunt peccatum in materiale, & formale. Item quidam apud Salas [illegible] tract. [illegible] VIII. num. [illegible] Dum agnoscunt in tali actione veram malitiam moralem formalem, [illegible] eamdem necessario tenent [illegible] qui [illegible] vere legibus obligari, [illegible] non imputetur ad culpam. [illegible] obligantur, eorum actus contra legem facta, est vera transgressio legis, & consequenter moraliter mala, ac peccatum. Patet [illegible] ex dictis supra [illegible] aliquam [illegible] repugnantiam cum natura rationali recta ratione, ac lege, & consequenter esse vere malum moraliter [illegible] ac peccatum. Et confirmatur, quia cognitio malitiæ non facit actum malum, sed supponit eum esse malum, & [illegible] conditio requisita ut malitia sit voluntaria, & consequenter imputabilis ad culpam.* Hæc ibi Coninch, qui prius etiam dub. 3. egregie probaverat, absurdum omnino esse quod aliquid dicatur vere bonum, quia per errorem putatur esse bonum. *Quia inde, inquit, sequeretur, omnem non dari conscientiam invincibilem erroneam: quia hoc ipso quod operanti opus suum invincibiliter indicaret esse bonum, esset vere bonum, & sic conscientia non erraret.* Unde infert ibidem num. 33. *quod amplexus Iacob ad Liam, quæ ab ipso iudicabatur Rachel, erat illius vere incestus; quamvis ei ob ignorantiam non imputaretur.* Eamdem sententiam docent iam communiter recentiores, Zacharias Pasqualigus, Contensonius, Bonæ Spei, Jacobus a S. Dominico, Vincentius Baronius, & alii passim: & videtur sane clarissime illam demonstrasse P. Michael de Elizalde p. p. de recta doctrina morum Lib. III. quæst. IX. per tot. Utique ergo falsum est quod PP. Revisores dicunt, doctrinam hanc esse contra communem hominum sensum.

§. V.

De ultima PP. Revisorum sententia indicium.

XLIX. P*Ostremo, inquiunt PP. Revisores, quis ferat in Auctore Societatis summis laudibus extolli homines de Societate male meritos, & novæ doctrinæ partiarios, ut Fagnanum, Sinnichium, Mercorum, Merendam, aliosque, quorum sententiam præfert tot viris doctissimis, & religiosissimis in re gravissima, quam ipse appellat fundamentum Theologiæ moralis, eosque peccati damnat, ut qui nimio affectu placendi hominibus absque sufficienti studio sententiam protulerint. Nititur quidem Auctor ostendere sententiam suam non adversari communi, sed frustra.* Hæc illi. Unde tandem sententiam suam ultimam ferunt. *Hæc, aliisque de causis, quas brevitatis studio prætermittimus, non expedit opus istud in lucem edi, ne tollerent adversarii nostri, le[illegible] tandem aperuisse oculos, & argumentis convictos paullatim ab errore suo recedere, & qui inter illos doctiores sunt, viam aliis monstrare quam sequi debeant.*

L. Sed respondetur, hanc videri parum considerate dicta. Nam procul du-

 bio

hoc si PP. Revisores providissent suum hunc censuram vulgandam devenisse tore, & ex secreto, ac occulto ipsorum librorum examinandum in publicam lucem, nullatenus aut essent haec scribere veriti: enim fuissent ipsi clavem subscinctio, & censuram. Oportebat autem ut memores essent laudatissimae illius sententiae Cicer. III. de Finibus, ubi se habet: *Mihi quidem esse vera videntur opiniones quae honesta, quae laudabilia, quae gloriosa, quae in Senatu, quae apud populum, quae in omni coetu, concilioque proferenda sunt, ut id eos pudeat sentire quod pudet dicere.* Sequitur [illegible]. Certe quod PP. R[illegible] doctrinae [illegible] Ad eundem [illegible] Curia Romana, [illegible] doctrinarum sunt Caramuelis Apologema, praeter, nisi prius per quos Illustrissimum Dominum Fagnanum in [illegible] autem est laudandum. Et quid non deterrent PP. Dominicani, si viderent Rev. P. Iulium Mercorum infamari, & traduci tamquam novae doctrinae patronum? Quem laudes ipsi tanti faciunt, ut Contramorum Scripserit: *eum ad totius Reipublicae christianae bonum, ad singulare Dominicani Ordinis decus natum, qui summa perspicacitate, miro pondere, & unde Deo ubique eminentes qualitates intricatissimum librum contexuit est: Totam Theologiam moralem, a primis principiis alte repetita, & per omnes partes egregia dispositione subtiliter, & solide docet &c.* Neque vero soli Dominicani, sed omnes prorsus Mercorum tam a sapientia, quam a modestia laudant. Sic P. Hieronymus Placentia Societ. Ies. in Academia Parmensi Theologiae Professor in censura operis Mercori, *Sentit,* inquit, *christiana Respublica plurimum se lucubrationibus hisce debere, quae, dum efferatam opinandi licentiam multiplici solidarum rationum vallo coercent, morum integritati [illegible] consulunt, [illegible] &c.* Non ergo est cur [illegible] Auctore Societatis [illegible] quod Mercorum, Hieronymum & Fagnanum Caramuel laudat. Hoc potius improbandum est, tamquam phantasticum, & universalem, quod alios audeat docere de Societate male merendo, & novae doctrinae patriarchas: hoc non est ferendum, neque Censoribus Romanis aut ullis iudicibus umquam probabitur. De Societate vero Auctor haec [illegible] tam laudanda scribit, quae neque illius laudem [illegible] sequitur, neque quidquam tam [illegible] commune habet, tamquam absit ut cum summis laudibus efferat, potuit Rev. [illegible] ad condemnandum Auctorem & operi [illegible] ultro citroque docent. Multo minus peccare damnat AA. qui docuerunt licitum esse uti opinione minus probabili, & minus tuta: nam potius eos ab omni peccato excusat. Unde non apparet quomodo PP. Revisores potuerint etiam id crimen illud imponere.

LL. Iam vero ultima illa sententia, & ratio, quae decretorie concludunt, non capiuntur ut liber edatur in lucem, ne scilicet *videat adversarii nostri [illegible] tandem apparuisse viam, & argumentis concedere perditam ab errore suo corradere, & quae inter alios dubitari fuerunt, aliis monstrare quam sequi debeant.* Haec sane ratio, ut libere dicam quod sentio, ratio est merito humana, & parum honesta, & propter quam Revisores puduerit, si non secreto, sed publice in aliquo senatu, vel coetu aut concilio proferenda esset. Nam omnis recta ratio & honestas postulat ut eundem cum Augustino sensum in hac parte habeamus, & ipsius exemplum sequamur, qui epist. VII. ad Marcellinum ita scribit: *Ego proinde fateor, me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, verum etiam a me ipso quoque & ego fatenti possit videri debere reprehendi, emendetur, nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perverse se ipsum amat qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto enim melius & utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat?*

quod

quod si adverere saltem contra errorem non habeat. Quapropter deberem possem quam plurima, sed plura non dicam, quia difficile esset [illegible] non finire.

APPENDIX.

LII. Praetermiseram quidquam dicere circa illud doctrinae punctum a Reverendissimis iterum hoc notatum, nempe, quod Auctor doceat *Confessarium non posse contra propriam opinionem absolvere poenitentem alterius opinionem probabiliorem sibi probabilem.* Cum enim [illegible] hanc quaestionem omnino pendere a controversia de recto usu opinionum probabilium, & accurate PP. Revisores nihil praestare [illegible] contra illud quod Auctor de Confessario docet, sed illud [illegible] & [illegible] ea quae dicunt esse a communi opinione Theologorum & [illegible] abhorrentia, quam ipsi [illegible] probant [illegible] supponunt [illegible], tum [illegible] quod est [illegible], nempe Auctoris doctrinam in controversia de recto usu opinionum probabilium & forte olim antiquorum omnium calculo probatam, & nunc etiam esse [illegible] ex omni ordine, & Sacrae Scripturae suffragiis [illegible] a tempore Alexandri VII in universa Ecclesia Dei satis celebrem, & communissimam [illegible] probando doctrinam P. Esparza, qui [illegible] longe magis [illegible] a communi nostrorum Theologorum sententia, quam [illegible] Auctor [illegible] de recto usu opinionum probabilium, patebit [illegible] paragrapho primo. Sed quia [illegible] hic [illegible] scrupulum [illegible] ad [illegible] punctos [illegible] superaddere.

LIII. In primis vero notandum est, non satis fideliter a PP. Revisoribus referri doctrinam Auctoris. Neque enim Auctor docet, Confessarium non posse contra propriam opinionem absolvere poenitentem utentem opinione probabili, minus sibi probabili. Nam potius expresse docet, quando poenitens adhaeret opinioni probabili, quae vel communis, vel longe communior sit apud Doctores probatos & [illegible], & quam ipse poenitens [illegible] reputat, Confessarius autem [illegible] contrariam probabiliorem, & in hoc est diversitas opinionum, tunc Confessarium debere poenitentem absolvere, & [illegible] permittere illum opinionem suam, in qua habet aliquos Auctores [illegible] benignam, [illegible] autem [illegible], aut [illegible] tamquam [illegible].

LIV. Tria igitur Auctor docet, quae diligenter observanda, & distinguenda sunt. Primum est, Confessarium non posse poenitentem absolvere, quando poenitens sequitur [illegible] & [illegible] minus probabilem. De qua assertione nulla potest esse ratio dubitandi, supposita ea sententia quam Auctor tenet, & probat, nempe neminem posse absque peccato [illegible] probabilem, & minus tutam, neglecta [illegible] esse probabiliorem, & tutiorem. Quia certum est poenitentem non debere, neque posse absolvi, nisi sit legitime dispositus. Igitur supponendo quod poenitens [illegible] peccet [illegible] quod probabilius agnoscit esse illicitum & gravius a Deo prohibitum, nullatenus debet absolvi, quamdiu velit in eo agendi modo persistere. Unde hanc [illegible] solummodo illi negant, qui docent licitum esse sequi [illegible] opinionem probabilem etiam minus probabilem & minus tutam relicta tutiore, quo posito non est dubium quod poenitens debeat absolvi, etiamsi [illegible] minus probabilem cognoscat ut talem, cum supponatur [illegible] tuta conscientia agere [illegible] opinionem & alias [illegible] dispositum ad absolutionem. Ceterum omnes [illegible] Theologi qui docent [illegible] agendi fundamentis [illegible] consequenter affirmant [illegible] esse ad absolutionem & gratiam Dei [illegible], qui [illegible] contra [illegible] probabilitatem [illegible] voluntarie & scienter agit quod [illegible] probabilius esse divina lege prohibitum. Sic P. Esparza, qui [illegible] de-

dubitatione affirmat, esse peccatum formale sequi opinionem aliorum probabilem, quam ipse operans opinatur, & judicat esse falsam, vel sequi minus probabilem, & minus tutam, quando tutior est indubitanter, & notabiliter probabilior: proinde ei absolutionem negare debet, cum esse ad absolutionem rite dispositum qui sequitur minus tutam, vel judicando illam esse falsam, vel agnoscendo evidenter esse minus probabilem.

IV. Secundo Author docet, quando pœnitens, sequens opinionem probabilem, & communem, vel saltem communiorem DD. absolute, & simpliciter credit eam esse veram, atque adeo etiam probabiliorem, & consequenter secundum eam credit aliquid sibi licere, quod tamen Confessarius vel solus, vel cum paucioribus [illegible] opinatur esse illicitum, tunc Confessarium posse pœnitentem in sua opinione relinquere, & ipsum absolvere. In hac assertione, ut verbum non decrunt plures qui nimiam Authoris benignitatem accusent, vel qui putent eum aliquatenus in hac parte a sua sententia discessisse. Caeterum recte, & prudenter, & sine ulla inconsequentia procedit. Nam primo quidem ex sententia affirmante non esse licitum sequi minus probabilem, & minus tutam in occursu probabilioris, & tutioris, minime sequitur per necessariam consequentiam, quod Confessarius putans pœnitentem obligari ad restitutionem, non possit eum absolvere, si restituere nolit, eo quod ex sententia sibi probabiliore, & apud DD. probatae authoritatis magis recepta, credit se non teneri. Quippe Adrianus, qui tenet eam sententiam, nihilominus tract. de Confess. quaest. v. dub. [illegible] docet, & probat, Sacerdotem absolvere posse pœnitentem qui probabili judicio sequitur opinionem DD. quam ipse Sacerdos putat esse falsam. *Nam si a pluribus*, inquit, *vel gravioris, seu etiam aequalis authoritatis DD. contrarium tenetur, non adeo de se præsumere debet, ut totam vela ad suam opinionem (quae forte erronea est) colligendo, seu consiliare, quod ipse solus videat, & stantes alterius sit cum* *eo, & se defendere non debet.* Similiter Navarrus, quamvis teneat nefarium esse tutum sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam in occursu tutioris & ipsi operanti probabilioris, tamen de Confessario docet in Manuali cap. xxvi. num. 4. & cap. [illegible] quod autem de pœnitentia [illegible] dist. [illegible] non esse [illegible] contra propriam opinionem pœnitentem absolvere. Idem docet Petrus de Palude in IV. dist. [illegible] Vallensis in Sum. [illegible] de Confess. [illegible] num. 177. & Soto in IV. dist. [illegible] quaest. [illegible] art. 5. ad 4. Qui tamen omnes negant licitum esse sequi opinionem minus tutam & minus probabilem in aestimatione operantis. Denique P. Ludovicus Schildere tract. [illegible] cap. [illegible] § [illegible] pag. 84. late probat, neminem posse sequi opinionem aliorum probabilem contra propriam, & tamen deinde in eodem tract. cap. [illegible] pag. 184. affirmat, *Confessarium, quando opinatur pœnitentem obligari ad restitutionem, & pœnitens probabiliter opinatur se non esse obligatum, posse illi absolutionem conferre. Probatur*, inquit, *quia cum sufficienter adhibeat omnia ad valorem sacramenti requisita, & alias tuto suam opinionem probabilem procedens non peccet, sed rite dispositus sit, non est cur sacramentum ipsi conferri non possit.* Ratio autem a priori est, quia ex eo quod nemini licet operari secundum minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliore, & tutiore, solum sequitur, illum peccare, & non esse rite dispositum ad absolutionem qui vult facere id quod putat esse minus probabiliter licitum, sed probabilius illicitum: at non sequitur eum peccare qui facit id quod post diligens examen probabiliter judicat esse licitum. Sed pœnitens in dicto casu ita se habet. Ergo non peccat, & consequenter non est cur absolutio ipsi negari debeat. Deinde nec Confessarius absolvens pœnitentem utitur opinione sibi minus tuta, & sibi minus probabili, sed solum permittit ut pœnitens illa utatur: eo quod sciat in intellectu pœnitentem habere diversissimum statum, quia videlicet pœnitens

inculpate judicat esse probabiliorem, & veram, quam Confessarius reputat esse falsam, quod non est, cur illum non debeat absolvere. Patet ergo Auctorem nullatenus a scopo discedere, neque posse propter hanc assertionem a suis inconsequentiae redargui. Quod autem praedicta assertio non solum sit benigna, sed prudens, & secundum rectam rationem, patet ex ratione proxime adducta, quae certe magnam vim habet, si attente consideretur casus cum illis circumstantiis quae ab Auctore exprimuntur. Loquitur enim in casu in quo opinio poenitentis, ut expressit Adrianus, traditur a pluribus vel gravioribus, vel etiam aequalis auctoritatis DD. Tunc autem licet Confessarius non possit contra opinionem suam propriam agere, aut poenitenti eam consulere, tamen non debet ita de se praesumere, ut velit omnes alios ad suam opinionem adigere, & cogere, neque absolutione privare poenitentem quia ipsi non consentiunt. Fieri namque potest ut opinio deobligans a restitutione vera sit, immo & plerumque ita continget, si, ut supponitur, longe communior sit apud DD probatae auctoritatis: quia difficilius est doctores tam multos quam paucos decipi. Ubi autem conveniunt plures, & graviores simul quasi duplo, difficilius est eos falli quam pauciores, & minus graves. Etsi forte contingat eam esse falsam, fieri adhuc potest ut citra passionem, & culpam propriam fuerit ut verisimilior poenitenti in eodem gradu in quo opinio contraria proposita est verisimilior Confessario, quo in eventu non minus prudenter ac sine vitio poenitens opinatur se non esse obligatum, quam Confessarius opinatur illum esse obligatum. Atque hoc ipsum Confessarius potest facile animadvertere. At in hoc rerum articulo non videtur aequum, aut tutum, quod Confessarius absolutionem deneget.

Quocirca animadvertere oportet, non semper, quod est tutius ad agendum, esse tutius magistro, aut Confessario in ordine ad docendum, & obligandum alios, & sic in rebus dubiis majus quandam esse periculum in docendo quam in agendo: quippe dum aliquis constitutus est inter duas partes contrarias, quarum una pugnat pro lege, & alia pro libertate, una docet contractum esse usurarium, aut simoniacum, vel dari obligationem restituendi, & altera negat, tunc modum habet & quidem facilem vitandi omne peccatum, scilicet tutiorem partem eligendo, ac abstinendo ab actu quem timet fore peccatum. At Theologus & Confessarius aeque peccare potest resolvendo quaestionem pro parte tutiore, ac pro minus tuta, nempe damnando tamquam illicitum quod forte lex Dei non prohibet, & imponendo poenitenti obligationem quam Deus non imposuit, aut contra indulgendo, & approbando quod lege divina est prohibitum. Neque enim nostrum est stringere vel laxare, neque obligationem addere, nec tollere, sed veritatem, quae aliquando laxa, atque benigna est, aliquando stricta, & severa, diligenter inquirere, & secundum eam sincere ac fideliter alios docere: neque enim flagitiosum minus velle aliquid legi Dei vel addere, vel adimere: nam aequaliter prohibetur in Deuteronomio ne quid addatur, vel detrahatur de praeceptis Dei, & aequaliter Isaias comminatur ac dicit: *Vae vis qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Utrumque ergo periculum imminet, & in stringendo, & in laxando peccare potest, si Theologus errat, & per ignorantiam invincibilem non excusetur; quia non adhibeat debitam diligentiam in veritate inquirenda. Hinc S. Thomas quodlib. IX. quaest. VII. art. 15. ait, quod omnis quaestio, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expressa veritas habeatur, periculose determinatur. Nam utrumque periculum est ut verbum. Si enim quis doceat aliquid esse licitum quod revera est contra legem Dei, exponit se, & alios periculo peccandi: quia *error* (inquit S. Doctor) *quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto*, nempe, cum error provenit ex negligentia,

tia, aut defectu culpabili in indaganda veritate. Si autem quis sine debita discretione velit omnia resolvere in favorem partis tutioris, in aliud periculum incidet, quia errare poterit nimis arctando conscientias, & errore suo laqueum aliis injicere. Nam, ut ibidem ait S. Thomas, error quo creditur esse mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Suarez Scot. in III. dist. xxv. quaest. i. agnoscit hoc periculum, & concludit: *Ideo bene videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur.* Cum ergo Confessarius, nisi rationabiliter procedat, eodem modo peccare possit imponendo poenitenti obligationem restituendi quam non habet, ac relaxando obligationem quam habet, videtur sane quod in eventu in quo poenitens ex communi, vel communiori DD. sententia, qua informatus est, bona fide credit se non esse obligatum ad restitutionem, & Confessarius non habet demonstrationem, neque certitudinem moralem de opposito, sed opinionem tantum aliquo modo sibi probabiliorem, tunc non debeat ei obligationem imponere, vel absolutionem denegare, sed dissimulare potius, & poenitentem relinquere in sua bona fide, vel ad summum injungere ipsi ut rem ipsam faciat denuo, & accuratius videri, & examinari.

Tertio, & praecipue Auctor docet, quod Confessarius non possit absolvere poenitentem contra propriam opinionem, quam ipse post diligens rei examen firma ratione persuasus habet, praesertim quando illa non solum est ab aliis recepta, sed plures etiam, & graviores DD. habet pro se, & communiter censetur probabilior quam opinio poenitentis. Hanc assertionem optimis rationibus probat Auctor, quas hic non oportet afferre. Sed tamen quia Revisores videntur eam notare, tamquam alienam a communi omnium Theologorum sensu, sciendum est 1. hanc sententiam non solum cum limitationibus circumscriptam, sed universaliter, & sine ulla exceptione, aut limitatione acceptam, tradi a Fagnano, Mercero, Cellodeo, Contensono, & pluribus aliis Scriptoribus, qui inter Probabilistas absolute recensentur, & docent, quod Confessarius possit absolvere poenitentem contra opinionem propriam. 2. Sciendum est, etiam ipsum Aversanum, qui docuit, Sacerdotem absolvere posse poenitentem qui probabili judicio sequitur opinionem DD. quam ipse Sacerdos putat esse talem, quando scilicet illa a pluribus vel gravioribus, vel etiam aequali auctoritate DD. traditur, immediate adhibuisse hanc limitationem: *Si autem a paucioribus, vel minoris auctoritatis, vel debili admodum fulcitur ratione, ut non possit ea in parte confitens dici rationabiliter errare, tunc dissimulare non debet, sed tenetur confitentem erudire.* Id autem est, & non aliud, quod in praesenti asseritur ab Auctore. 3. Animadvertendum est, quaestionem esse apud ipsos Probabilistas pervulgatam, an *Confessarius debeat poenitentis opinionem sequi, quam poenitens existimat esse probabilem, licet Confessarius sciat, vel judicet non esse probabilem?* Ad hanc vero quaestionem affirmative quidem respondet Card. de Lugo disput. xxii. de poenit. sect. ii. § 2. num. 44. dicens: *Quod si vir doctus, qui nimirum argumentis attento studio magis penetratis, videat quod fundamenta contrariae sententiae ex aequivocatione procedant, vel ex falso fundamento, & ideo apud se illam judicet improbabilem, & sine fundamento, non tamen ideo debet poenitentem obligare ad eam deserendam, quia licet illa sententia apud ipsum sit improbabilis, apud alios attamen multos, & doctos, qui rem ita accurate non penetrarunt, existimatur adhuc vera, & per consequens est vere probabilis. Quare poenitens illam sequendo amplectitur opinionem vere probabilem.* Similiter Becanus Lib. III. num. 36. & alii pauci teneri eum esse asserunt absolutionem dare, etiamsi Confessarius putet opinionem poenitentis esse improbabilem, dummodo probabilis habeatur ab aliis. Ceterum contraria sententia communissima est apud DD. qui, quando dicunt Confessarium posse, & debere se conformare cum opinio-

tionem pœnitentis, semper addere solent, *dummodo illa probabilis sit, vel dummodo Confessarius cognoscat eam esse vere probabilem, vel dummodo non sit certus de opposito.* Nam ubi Confessarius de veritate suæ opinionis omnino persuasus est, videtque illam a pluribus & gravioribus aliis etiam probari, opinionem vero pœnitentis debili admodum ratione & fundamento niti, tum eo ipso putat opinionem pœnitentis non esse vere probabilem, licet ab aliquibus, qui rem ita accurate non penetrarunt, habeatur ex æquivocatione vel errore, ut vere probabilis. Quæ doctrina Auctoris in hac parte non discrepat a communi aliorum Theologorum sensu.

Quarto denique sciendum est ex communissima DD. sententia contra Caramuelem, Tamburinum & paucos alios, non quamlibet probabilitatem, quamvis tenuem, aut minimam, esse rectam, & tutam agendi regulam, de quo jam dubitari non licet, postquam ab Innocentio XI. damnata est illa propositio: *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Similiter apud omnes fere DD. certum est, ad securitatem conscientiæ non sufficere opinionem duntaxat probabiliter probabilem, sed requiri saltem certo probabilem, & gravi ac solida ratione subnixam. At in casu ab Auctore assignato Confessarius non reputat opinionem pœnitentis esse certo probabilem, & gravi aliquo aut solido fundamento subnixam, sed ad summum probabiliter probabilem, vel tenui admodum & exigua probabilitate gaudentem, cum videat eam debili, aut falso fundamento niti, & a paucis duntaxat probari, qui rem accurate non examinarunt, nec penetrarunt. Ergo in eo casu, de quo Auctor agit, non potest Confessarius pœnitentem absolvere, stando communi Probabilistarum sententiæ. Ergo male notant PP. Revisores assertionem Auctoris, tamquam alienam a communi omnium Theologorum sensu, ubi certe videtur convenire P. Lipara, si possem. Ipse enim late docet, & probat in sua Appendice, peccare graviter eum qui sequitur in praxi opinionem minus probabilem, & minus tutam, quando tutior est simul indubitanter probabilior, neque a peccato excusari qui oculos, ac mentem avertit, ne videat in parte tutiori notabilem & indubitatum probabilitatis excessum, quem habet comparative ad minus tutam, quam sequi vult. Vel ergo ipse absolveret pœnitentem qui sequi vellet opinionem minus tutam contra evidenter probabiliorem, vel non. Si primum, ergo absolveret illum quem peccati damnat, & quem in Dei judicio damnandum esse docet, quod esset absurdissimum. Si secundum, ergo ipse idem docet quod in præsenti asserit Auctor, & consequenter in quo alium judicat, seipsum condemnat. Deinde, ut aliquid de re ipsa dicam, ego de veritate prædictæ assertionis nullatenus dubitandum censeo. Certum enim est Confessarium non posse absolvere pœnitentem, nisi judicet eum rite dispositum, & ad Deum ex toto corde conversum cum firmo proposito servandi omnia Dei mandata, & inquirendi serio & sincere in omnibus, quidnam revera Deus lege sua sancita jubeat, aut vetet. Nam qui non adhibet, nec adhibere vult moralem diligentiam, quam debet ad cognoscendum, quid sit verum vel falsum, licitum vel prohibitum, contrarium vel conforme divinæ legi, eo ipso peccat, neque ullo modo excusabitur, si erret, quemadmodum sæpe errare contingit. At Confessarius non potest prudenter judicare, pœnitentem esse hoc modo dispositum & affectum, quando videt illum ita addictum opinioni suæ, quæ aut honori, aut lucro & commodis favet, ut alio modo eam deserere nolit, quamvis opposita proponatur & ostendatur ipsi ut manifeste verisimilior, non solum ex Confessarii sensu, sed ex communi, aut communiore apud graves DD. sententia. Nam quis diceret, illum debitam diligentiam adhibere, ut cognoscat, & devitet peccata, & errores, aut opiniones falsas de rebus, qui voluntarie & dedita opera se-

quoties id quod magis apparet peccatum, & error, ac falsitas quam contrarium? Ergo tunc non potest, neque debet poenitentem absolvere. Ubi sane videtur observatione, & approbatione dignum quod habet P. Valerius Reginaldus Part. I. Lib. II. cap. 11. sec. 1. num. 18. Nam inter ea quae agere oportet, ut ignorantia in dubio censeatur invincibilis, & a peccato excuset, id tertio loco statuit: cum res est gravis, de qua non convenit inter omnes, sive ignorantia sit juris divini, sive humani, non est satis consulere unum, & illius consilium sequi, sicut ut oppositam sententiam docere audiatur, sed opus est multos interrogare, consiliique meliorem partem sequi, perinde ac in gravi morbo non solet quis contentus esse unius medici consilio, sed pro morbi quantitate plures adhibet. Atque sicut sequens eorum consilium si medicamentum mortiferum sumeret, excusaretur a peccato, ita faciens quod multorum virorum doctorum, proborum & catholicorum consilio judicat esse faciendum, quantumcumque deinde peteret, a peccato excusaretur propter ignorantiam invincibilem, dummodo non constet contrariam opinionem vel plures viros sapientiores, vel meliores caeteris paribus. Nam quamvis ex communiore Theologorum sententia liceat sic in agendo conformare se cuilibet opinioni probabili, id tamen quod paucioribus, vel minus sapientibus videtur, non censetur opinio probabilis, si plures, vel sapientiores contrarium affirment. Quod autem aliqui docent de Confessario, nempe illum dissimulare debere, quando videt poenitentem bona fide procedere, atque in dubio, an admonitio profutura sit, consultius esse illum relinquere in sua ignorantia, quamvis Confessarius clare videat opinionem poenitentis esse omnino improbabilem, ne scilicet postea peccet qui per ignorantiam non peccabat: hoc certe non videtur ulla ratione probandum. Nam quomodo Confessarius poterit eum absolvere cui timet veritatem manifestare propter malam ejus dispositionem, vel nimium affectionem ad suum lucrum & commodum, ratione cujus praesumat quod, detecta obligatione restituendi, nihilominus non restitueret? Qui enim ita affectus est, non est immunis a culpa sua, neque legem Dei habet in medio cordis sui, neque promptus est ad implendam in omnibus Dei legem, & subeundum quodvis malum temporale potius quam peccare; quae tamen est dispositio necessaria ad valorem absolutionis. Locus autem adduci solitus ex S. Augustino Tom. I. in Lib. L. homiliar. hom. 41. *Si scirem tibi prodesse, non te admonerem, nec te terrerem*, importune & indebite allegatur. Importune quidem, quia licet is qui solum debet ex communi lege caritatis corrigere proximi errorem, possit dissimulare debeat, & tacere, quando videt quod proximus de veritate scandalum sumpturus sit, tamen alia est ratio de Confessario, qui prohibetur sacramentalem absolutionem impendere indignis & indispositis, quales sunt omnes illi qui de veritate scandalum sumunt, neque volunt intelligere ut bene agant. Quare debet poenitentem errorem suum admonere, ac, si audire & obedire paratus sit, eum absolvere, si vero nolit, ut impoenitentem dimittere. Indebite etiam locus ille allegatur: addunt enim particulam non, quae non exstat. Neque enim D. Augustinus ait: *Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem*: sed potius ait: *Si scirem tibi prodesse, non te admonerem*: loquitur enim de illo qui ad extremum vitae protrahit poenitentiae remedium, de quo ait se nescire an damnetur, an forte peccata ejus dimittantur, vel non, eo quod poenitentiam agat, quando jam amplius peccare non potest: sed tamen ait se in hoc dubio impendere moribundo sacramentum poenitentiae, quia nescit, an forte profuturum sit. *Nam si scirem*, inquit, *tibi nihil prodesse, non tibi darem*. Item: *Si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duae res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit nescio: ergo tene certum, dimitte incertum.* Quis doce-

ret

ret, & quia id incertum est, ac valde periculosum, idcirco de tam gravi periculo, & æternæ salutis discrimine te, dum sanus es, admoneo, ac terreo. Quid autem hic pro ignorantia, & errore pœnitentis a Confessario dissimulando? Et quis umquam credidisset, Augustini locum ita celebrem, & relatum etiam in capite *Si quis autem* de pœnit. dist. v fore ab aliquo sic invertendum, ut ubi scriptum est *Si scirem tibi prodesse, non te admonerem* substitueretur: *Si scirem tibi non prodesse*? Quis etiam crederet P. Suarez, P. Thomam Sanchez, & alios primæ notæ Theologos attulisse hunc Augustini locum ut jam prius extabat in aliis, infideliter allegatus, & falsatus, & in eo fundasse sententiam suam de errore pœnitentium dissimulando, quando illi videntur bona fide procedere, & admonitio non creditur profutura? Nemo jam mirari debet, neque injuriosum reputare, si dicamus, non omnia quæ a magnis viris dicta sunt in controversia de usu, & abusu opinionum probabilium, fuisse ab illis diligenter examinata, & bene discussa. Nam hic præsertim valet monitum illud Melchioris Cani Lib. XI. de locis cap. vi. *Theologum admonere operæ pretium est, ne id illi statim persuasum sit, omnia quæ magni Auctores scripserunt, undique esse perfecta: nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque, ut dixi, etiam interdum indulgent: nec semper intendunt animum, & nonnumquam fatigantur . . . Summi enim sunt homines tamen.*

FINIS TOMI SECUNDI APPARATUS.

AUCTORIS

MONITUM.

COmpertum omnibus esto, opus istud tributum in Tomos duodecim editum minime Romæ esse, quamvis Romæ nomen in fronte præferat. Hoc vero contra meum consilium omnino accidit: neque ut id impedirem, in mea fuit potestate. Quam assertionem innumeris confirmare exemplis possem, nisi obvia iis omnibus essent, qui varias civitatum pro re typographica moderanda leges non ignorant. Ceterum is ego non sum qui ex cuiusquam civitatis voce quidquam pretii accedere operi meo posse existimem. Satis mihi gloriæ est, atque decoris, quod Sapientissimus BENEDICTUS XIV. immortalis memoriæ Pontifex Summus Theologiam hanc meam sibi dicatam incredibili clementia exceperit. Hanc declarationem publici iuris facere opportunum iudicavi, ut morosis nonnullis censoribus, qui quærere in scirpo nodum miserrime consuescunt, vel remotam insidiandi, calumniandique, quoad fieri potest, si tamen potest, ansam eriperem. Vale.

IN.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
Quæ in hoc Tomo continentur.

D

E

F

G

a

L

hug

P

Ve-

Con-

ex

T

In-

V

fal

F I N I S.

O P E R A

R. P. F. Danielis Concinæ Ordinis Prædicatorum ad hanc uſque diem typis edita.

Latine ſcripta.

COmmentarius Hiſtorico-Apologeticus in duas Diſſertationes tributus, quarum altera anticriticis Animadverſionibus refellit ea quæ adverſus paupertatis Diſciplinam a D. Patriarcha Dominico in ſuo Ordine conſtitutam, intemperantiore critice, ſcriptis prodiderunt Continuatores Bollandi in Commentariis nuper in Acta eiuſdem Patriarchæ editis. Altera eamdem Diſciplinam a laxioribus P. Raphaelis de Pomaſio interpretamentis vindicat. Accedunt de origine Diſciplinæ Regularis primum in Ord. Prædic. per B. Raymundum de Vineis XXIII. Magiſtrum Generalem eiuſdem Ordinis, inſtauratæ, Diſſertatio Hiſtorica, & Quæſtiuncula Moralis de Regularibus perſonatis, ſub nomine Caroli Antonii Plantamuræ. Venetiis 1736. 4.

Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica Diſſertationibus Theologicis illuſtrata, & in duas Partes tributa: in quarum prima, de Voto paupertatis Vita Communi circumſcripto: in altera, de ceteris eiuſdem Diſciplinæ præcipuis capitibus diſſeritur. Accedunt ſelecta quædam veterum Theologorum Monumenta. Venetiis 1739. 4. iterum 1750.

Præfatio ad Lectorem in Dictionarium caſuum conſcientiæ Ioannis Pontas, & Animadverſiones Critico-Morales in Menda Pontaſiana, ſive Obſervationes quaſdam interpretis Auguſtani, cum Auctario duorum caſuum qui in eodem Dictionario deſiderantur.

Epiſtolæ Theologico-Morales ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. Epiſcopum N. N. Venetiis 1744. 4. iterumque ibid. Lucæ, & Romæ.

In Reſcriptum BENEDICTI XIV. P. M. ad Poſtulata ſeptem Archiepiſcopi Compoſtellæ Ieiunii Legem ſpectantia, Commentarius Theologicus. Venetiis 1745. 4.

Defenſio Decretorum Concilii Tridentini, & Apoſtolicarum Conſtitutionum Eccleſiæ Romanæ in cauſa Paupertatis Monaſticæ, adverſus duos Libros inſcriptos *Vita Clauſtralis*, & *Vindiciæ Regularium* &c. ad Pontificem Maximum BENEDICTUM XIV. Accedunt Cenſura in *Cenſuram Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ*, & Animadverſiones in *Epiſtolam Exegeticam* P. G. C. Bononiæ 1745. 4.

In Epiſtolam Encyclicam Benedicti XIV. adverſus uſuram Commentarius, quo, illuſtrata doctrina catholica, Nicolai Broederſen ac aliorum errores refelluntur. Romæ 1746. 4.

Uſura contractus trini Diſſertationibus Hiſtorico-Theologicis demonſtrata adverſus mollioris Ethicæ Caſuiſtas, & Nicolaum Broederſen. Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Auctoris adverſus uſuram. Romæ 1746. 4.

Italice emiſſa, quorum tamen Titulos hic latine ſubiicimus.

DIſciplina Vetus & Nova Romanæ Eccleſiæ circa ſacrum Quadrageſimale Ieiunium duabus Apoſtolicis Litteris, *Non ambigimus*, & *In Supremo*, BENEDICTI XIV. Summi Regnantis Pontificis expreſſa, atque Hiſtorico-Critico-Theologicis Animadverſionibus illuſtrata. Venetiis 1742. 4.

De Probabiliſmi ac Rigoriſmi Hiſtoria Diſſertationes Theologico-Morales-Criticæ, quibus Principia fundamentalia Chriſtianæ Theologiæ explicantur, atque a recentiorum Probabiliſtarum cavillationibus vindicantur. Opus duobus Tomis di-

gе-

gestum. In calce secundi Tomi adiecta est Dissertatio Apologetica adversus Libellum: *Difesa della Dissertazione Theologico Morale-Critica de' Signori Abate Pietro Copellotti, ed Arciprete Bartolommeo Casali* &c. Lucæ 1743. 4. iterum 1748.

Quadragesima a Foro contentioso recentium quorumdam Casuistarum ad recti sensus, bonæque fidei Populi Christiani Tribunal adpellans, super ieiunii præcepto cum carnium usu coniungendi, ex eo dumtaxat quod noceant cibi Quadragesimales. Dissertatio adversus Libellos duos nuper hac de re editos. Editio prima Venetiis 1739. 4. quæ prodiit iterum eodem anno auctior, & emendatior, addita Præfatione Apologetica. Tertia demum editio novis Additamentis locupletata, videlicet duobus Brevibus Pontificiis de ieiunio, atque integra Dissertatione, qua refellitur Liber cui Titulus *Difesa* &c. de quo supra in Historia Probabilismi &c. anno 1744. 4. lucem aspexit.

Observationes Criticæ & Morales quibus vindicatur Historia Probabilismi & Rigorismi adversus Librum, cui titulus: *Giustificazione di più Personaggi, e di altri Soggetti ragguardevoli in Lucca 1743.* propositæ in hac Epistola ad Auctorem eiusdem Defensionis. Pisauri 1745. 4.

Examen Theologicum Libri inscripti: *Saggio de' Supplementi Teologici, Morali, Critici, di cui abbisogna la Storia del Probabilismo, e del Rigorismo* &c. Typis editi Lucæ anno 1744. a R. P. Nicolao Ghezzio. Pisauri 1745. 4.

Explicatio quatuor Paradoxorum quæ plurimum obtinent ætate nostra. Animadversiones in duos Libros RR. PP. Lecchi & Bovio, inscriptos: *Avvertenze & Dissertazione* &c. Præmittitur brevis notitia Librorum editorum a quibusdam Probabilistis in defensionem tum Probabilismi, tum aliarum moralium opinionum. Lucæ 1745. 4.

Expositio Dogmatis quod Ecclesia Romana credendum proponit circa usuram, una cum confutatione Libri cui titulus: *Dell' Impiego del Danaro*. Neapoli 1746. 4.

Monumenta Historica circa usum Chocolatis tempore ieiunii, exposita in Epistola ad Illustrissimum & Reverendissimum D. Archiepiscopum N. N. Venetiis 1748. 8.

00564570 7

